8-4

John
Crawford,
M.D.

DISPUTATIONES

AD MORBORUM

HISTORIAM ET CURATIONEM

FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMI SEPTIMI PARS I.

AUXILIA.



LAUSANNÆ,

Sumptibus SIGISMUNDI D'ARNAY.

MDCCLX.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

19228

Crawford

DISPUTATIONUM

AD

HISTORIAM

ET

CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM.

PARS SEXTA.

AUXILIA.

CCXXVIII.

ABRAHAMI VATER

ET

CHR. GOTHOFR. SCHOENWALD

DE

CURATIONE PER EXPECTATIONEM.

Wittebergæ 1746.

Library of the UNIVERSITY OF MARYLAND 1813 SCHOOL OF MEDICINE

PROOEMIUM.

PRodiit anno MDCXCV. *Amſtelodami tractatus, juxta exemplar Londinenſ. recuſus, auctore* Gedeone Harveo *cui titulus eſt:* Ars curandi morbos expectatione, item de vanitatibus, dolis & mendaciis Medicorum. *In hoc, uti titulus indicat, & recenſio in* Act. Erud. Anno MDCXCV. Menſ. Aug. p.382. *docet, Auctor, vulgarem morbos curandi modum acerbe perſtringens, totus in eo eſt, ut oſtendat, Medicorum vulgus nihil quicquam emolumenti ægris afferre ſuis remediis, & cum nonnulli convaleſcunt, expectando, uſque donec morbum naturæ vis fregerit, fruſtra ſibi arrogare ſuisque medicamentis, quod expectationi & naturæ debetur. Et quamvis multi expectatione ſanentur a Medicis, non paucos tamen ab illis quoque expectatione occidi contendit, dum exhibentur medicamenta irrita. Continuavit hunc ſuum laborem auctor, in alio tractatu Anno MDCC. promulgato, quem inſcripſit:* Vanitates Philoſophiæ & Medicinæ, *qui recenſetur in* Act. Erud. Anno MDCCI. Menſ. Octobr. p. 436. *in quo, uti in præcedente, errores varios, tam circa theoreticam & practicam Medicinæ partem, quam circa philoſophiam naturalem commiſſos, notat. Non equidem penitus improbamus Auctoris laborem, multoque minus errorum, a vulgo Medicorum empiricorum commiſſorum, defenſionem & patrocinium in nos recipimus. Attamen ille durius de quibusdam rebus ſentire, & aliorum placita & hypotheſes acriter perſtringere, nec tamen meliora aut veriora ſubſtituere, nobis videtur. Ita in priori tractatu plerorumque morborum curationem expectationi, non medicamentis, deberi cenſet, & hinc in apparatum inquirit pharmaceuticum, magis ad pompam, quam uſum comparatum, ſalſeque irridet ineptas præparationes. In poſteriori vero inquit, cum omnia ſimplicia non infallibiliter tollant morbum, tanta vegetabilium farragine ſuperſedere, & pauciſſimis contentos nos eſſe poſſe. Ea de cauſa herbaria hortulanis magis neceſſaria eſſe, docet, quam Medicis, atque conſultius eſſe, putat, pueros ablegare in ſylvas & montium declivia, pro colligendis plantis, quam Medicos. Siquidem illi eum in finem eo excurrant, ut pecoribus pabulum procurent; hi vero, ut novam plantæ faciem æri incidi curent, immenſa conſcribant volumina, & Aldrovandi inſtar, varias beſtias, piſces, aves, muſcas &c. delineantis, nihil agendo, vitam terant. Idem illorum errorem notat, qui tuſſim & catarrhos a frigore derivant, cum nihil aliud ſint, quam fermentationes. Ibidem in tuſſi purulenta commendat arcanum ſuum ex re vili paratum, quod mire faciat, ad ulcera totius corporis, tam interna, quam externa, abſtergenda & conſolidanda. Digeſtionem in ventriculo, a ſpiritibus animalibus igneis, per nervos ſextæ conjugationis amplos, in ſto-*

machi cavitate hiantes, *abſolvi putat*: *cordi & arteriis nullam vim movendi ſanguinem concedit*, *quin putat*, *hunc movere cor*, *eodem modo ac aër premens & replens pulmones*, *eodem tempore comprimit aërem*, *in thoracis cavitate contentum*, *& diaphragma dilatat. Senſationis omnis ſubjectum primarium non nervum*, *ſed membranam eſſe dicit*, *adeoque viſus ſubjectum tunicam corneam ſeu ſcleroticam eſſe*, *contendit. Plura nunc non addimus*, *quia hoc a ſcopo noſtro alienum foret. In animo enim nobis eſt*, *in præſenti de eo agere*, *quid ſentiendum ſit de cura morborum*, *quæ ſit expectatione*, *quam Auctor Medicis vitio vertit. Egit de hoc jam* Wedelius in Exerc. Medic. Philolog. Cent. I. Dec. IX. Exerc. V. de expectatione Medica *conſcripta. Occaſionem nobis dedit caſus ſingularis ægræ*, *graviſſime & ſine ſpe convaleſcendi*, *decumbentis*, *quæ expectatione curata fuit.*

CASUS.

PUella IV. circiter annorum, ab incunabulis valetudinaria, adeoque triſtis, moroſa, & ad iram prona, Anni MDCCXLIV. autumno, paroxyſmo corripiebatur febrili, quo poſt aliquot horas remittente, inſequente die febris immunis erat. Tertio die novus accedebat inſultus, tertianarum more, frigore itidem ingruens, ſed calor intenſiſſimus ſecutus, ultra viginti quatuor horas durabat, & per aliquot dies continuabat, per intervalla incerta tamen remittens, tandemque in lentum mutabatur. Urina ægræ erat denſa, cinerei, ad nigrum vergentis coloris, cum ſedimento mucoſo graveolente, ex quo haud levis orta eſt ſuſpicio, labis aut corruptionis viſceris cujuſdam, ſi non præſentis, ſaltem imminentis. Abdomen præterea tumidum, inflatum ac durum erat, cum obſtructione alvi, qua licet reſerata, tumor abdominis manebat, qui tamen emplaſtro carminativo Sylvii applicato, aliquantum minuebatur. Interea urgebat vehementer tuſſis, cum ejectione materiæ viſcidæ, accedebant vomitus pituitoſi ac bilioſi per intervalla, tandem etiam diarrhoea mucoſa, calorque inteſtinus mordax reddebatur, cum emaciatione totius corporis, adeo, ut vix ulla ſpes vitæ & ſanitatis ſupereſſe videretur, parentibus nil niſi mortem placidam filiolæ optantibus, quæ finem morbo huic deplorato ponat. Nihilo tamen ſecius cura hujus febris lentæ tabificæ, quantum ægræ, a medicamentis abhorrentis, moroſitas permiſit, continuabatur blandis aperitivis, ad obſtructiones viſcerum abdominis reſerandas, e. g. Elix. propriet. alcal. Clauderi, liquore terræ foliatæ tartari, cum intermixtis laxativis ex rhabarbaro, nec non calori interno reſiſtentibus, emulſionibus cum nitro antimoniato, materia perlata, anti-

antihectico Poterii, itemque tinctura papaveris erratici, & ſimilibus adhibitis. Omnibus autem, uti videbatur, incaſſum adhibitis, miſera viribus exhauſta, ægre vitam trahebat, nihilque medicamentorum, præter tincturam noſtram ſulphuris vitrioli, quæ virtute anodyna, nervina & confortante ſingulari prædita, ad paucas guttas aſſumebat, a qua mire reficiebatur. Elapſis ita octo circiter ſeptimanis, ægra de dolore lateris ſiniſtri in pectore conqueri cœpit, ad cujus cauſam detegendam, cum corpus denudaretur, occurrebat circa ſiniſtram papillam, tumor inflammatorius, ovi gallinacei magnitudine, ad apertionem jam maturus. Variis opus fuit perſuaſionibus, antequam ægra permitteret, ut chirurgus manum tumori admoveret, quo facto, apertio ope lancettæ, in linteo occultatæ, peracta eſt, unde inſignis materiæ purulentæ, ſanguine permixtæ, quantitas effluxit. Abſceſſus ita apertus, ob materiæ exeuntis copiam, metum primum excitavit, ne forte cum cavo pectoris communicaret, curamque difficilem redderet, ſed injectionibus balſamicis tractatus, poſt tres aut quatuor ſeptimanas conſolidabatur, interea etiam, prout materia imminuebatur, calor & febris ſenſim remittebat, tandemque cum omnibus ſymptomatibus ceſſabat, & ita noſtra, contra omnem ſpem & opinionem, cum ſanitate in gratiam rediit, vires mox recuperavit, atque corpore bene nutrito & hilari animo prædita, optime nunc valet, nec ab illo tempore quicquam incommodi ſentit.

THES. I.

ORgana primæ digeſtionis, ſeu ita dictæ primæ viæ, uti præparationi alimentorum, e quibus ſucci reliqui corporis generantur, inſerviunt, ita plerorumque morborum internorum fons & origo exiſtunt, utpote qui a cruditatibus ibidem generatis, ſi non oriuntur, certe augentur & exacerbantur. Vitium enim primæ digeſtionis, uti dicitur, non corrigitur in ſecunda, quia chylus corruptus & vitioſus, non alium, quam talem ſanguinem generat. Hic per univerſum corpus motu circulari circumactus, in viſceribus per vaſa minima difficulter tranſit, impuritates ibidem deponit, & obſtructiones vaſorum inducit, atque ſecretiones ibidem perficiendas, imminuit & vitioſas reddit. Fit hoc eo facilius iis in locis, per quæ ſanguis craſſior fertur, ac ob ſitum canalium vehentium ſpecialem, alias tardius movetur. Inde eſt, quod adeo frequentes obſerventur obſtructiones in hepate, quod ſanguinem pro ſecretione bilis, potiſſimum a trunco venæ portæ recipit, qui non tantum in tranſitu, per vaſa meſenterica in *Morbi fons & origo.*

 canali

canali alimentorum, & in liene, lympham copioſam perdidit, & in ramificationibus venæ portæ, per hepar diſtributis, centies & ſeptuageſiés ſepties tardius movetur, quam in trunco arteriæ meſentericæ, uti hoc docet, & ex comparatione diametri vaſorum demonſtrat *Jacobus Keil in Anglico ſuo tractatu of animal ſecretion. pag.* 42. Nemini hoc mirum videri poteſt, qui novit, ſanguinis in circuitu vitali conſtituti, tantam eſſe motus velocitatem, ut minimum ducenties curſum per corpus quotidie abſolvat. Recte igitur *Stahlius* venam portæ *in Diſſertatione ſua*, *Portam malorum* appellavit. Læſa enim ſecretione bilis, cruditates in canali alimentorum augentur, quia ab hac cum ſucco pancreatico, in inteſtino duodeno concurrente, pendet chyli ſecretio, ac a ſcoriis ſecretio, harumque per alvum excluſio. Ecquis omnia, ex vitio horum humorum pullulantia mala, enarrare poterit?

Thes. II.

Febris tertianæ in continuam lentam tabificam mutatæ, ratio.

QUandoquidem in noſtra, impuritates viſcidæ ac pituitoſæ non tantum primas vias occuparunt, ſed iisdem etiam univerſa maſſa ſanguinea repleta fuit, adeoque ſufficiens fomes, ad calorem febrilem alendum, adfuit, febris ſub ſchemate intermittentis ingruens, mox in continuam, eamque lentam mutata eſt. Hæc non phthiſica aut hectica dici poteſt, quia nullum adfuit ulcus pulmonis, vel alius viſceris, ſed lenta tabifica aut cachectica appellanda, cujus ſedes radicalis & primaria, in cruditatibus primarum viarum, & obſtructionibus viſcerum abdominis fuit. Frequentius, ac vulgo creditur, hi morbi inter ſe confunduntur, ægrique, ob perverſam curam adhibitam, pereunt. Notatu digniſſimum exemplum *in Ephemer. Germ. Decur. I. A. VI. obſervat. 6. a Langelotto* recenſetur de Joanne Friderico, Principe Holſatiæ & Archi-Epiſcopo Bremenſi, qui cum ex tuſſi continua & ſicca contabeſceret, a Medicis pro phthiſico habitus, adeoque omnis cura in everrendis ſanandisque pulmonibus collocata fuit, ſed poſt mortem, in ſectione inſtituta, pulmones præter omnem opinionem, intemerata ſubſtantia, ſalvi reperti fuerunt, aſt, quod minus crediderant, ventriculum tam male affectum reperere, ut facile iis fidem fecerit, omnem ab eo mali cauſam ſubortam fuiſſe: tantam nempe putredinem conceperat, ut etiam ad levem contrectationem, in ſquamas & membranulas abiret. Propterea *Lentilius in Parallelismo ad Dec. I. Annum VI. & VII. collecto, qui in appendice dictorum Ephemeridum ad Dec. III. A. VII. & VIII. pag.* 120. habetur, prudenter monet: Quid? Si frequenter affectus ventriculi Medicis, ſub phthiſeos ſchemate, imponerent? Imo, quid? Si phthiſeos etiam ipſius ortus ventriculo ſæpe deberetur? Affert hac de re teſtimonia aliorum celebriorum Medicorum, & ſigillatim verba *Hoffmanni*, quæ habentur in ſcholio ad obſervationem.

nem *XXI. Cent. 3. Poterii pag.* 300. adducit: *Frequentius phthiſis fit a viſceribus abdominis obſtructis & induratis, nullo vitio principaliter exiſtente in pulmonibus.*

Thes. III.

HIs in caſibus, ubi vitium potiſſimum hæret in primis viis, omnem fere paginam abſolvunt vomitoria, aliaque evacuantia, quæ in phthiſi pulmonali perfecta non admittuntur. Vomitoria quidem monente *Dolæo in Encyclopæd. pract. L.* 11. *Cap.* 4. p. 309. in phthiſi ſemper exiſtunt ſuſpecta, ſi vero certiſſime conſtat, viſcera eſſe haud infirmiora, aut pulmones corruptos, nullum præceſſiſſe ſputum cruentum, ſed tantum ventriculum humoribus peccantibus, præſertim bilioſis turgere, nauſeæ & vomendi diſpoſitionem adeſſe, tunc illa aliis evacuantibus palmam præripiunt, modo vires ferant, aliæque circumſtantiæ non prohibeant, alias hæc, ob rupturæ vaſorum pulmonalium aliorumque ſymptomatum metum, minus tuto adhibentur. Hac admonitione & cautela omnino opus eſt, ad deterrendos imprudentes & incautos, ne abutantur in ſimilibus caſibus vomitoriis, quæ peritiſſimi & exercitatiſſimi practici, non niſi adhibita ſingulari circumſpectione, & circumſtantiis omnibus probe ponderatis, & inter ſe collatis, in phthiſicorum cura facile in auxilium trahunt. Nihilo tamen ſecius teſtimonia probatiſſimorum practicorum confirmant, illa in phthiſi etiam pulmonali imminente, ac jam tum incipiente, imo jam præſente hæmoptyſi, proficua fuiſſe. Ita *Lindenius, quisquis tabem*, inquit, *feliciter curare vult, ſtatim ad vomitoria accedat, ubi tuſſis, nondum tamen ulcus, & quamvis incipiat quodammodo, & excretum ſit aliquid ſputi purulenti.* Aſſentitur *Hartmannus in prax. chymiatr. p.* 81. ubi hæc verba habet: *In incipiente tabe a deſtillationibus acribus, vix dici poteſt, quantum vomitiones præſtent.* Et paulo poſt, *quodſi nihilominus exulceratio ipſius pulmonis, quæ exquiſitam phthiſin conſtituit, ſuborta fuerit, ſi recens extiterit, vomitiones multum juvant, ad mundificationem, & pectoris ſaburram ſublevandam.* Notabile exemplum vomitus, hæmoptoico ſalutaris, habet *Paulinus in obſ. Med. phyſ. ſelect. & carioſ.* quod reperitur *in Append. ad A. V. Dec.* 11. *Ephem. Germ.* ubi idem *obſerv. VI.* narrat, fuiſſe patrem Jeſuitam, multis abhinc annis hæmoptoicum, qui propterea nihil magis, quam emetica averſatus eſt. Huic ille aliquando pulverem laxativum, ex gialappa, cremore tartari & rhabarbaro præſcripſit, a quo iſte, ſtatim ab hauſto cum juſculo pulvere, quatuor terribiles vomitus maxime glutinoſos expertus eſt. Perterritus hac re Pater, ſubito Medicum vocari juſſit, qui miratus inverſum naturæ ordinem, quietem tantum imperavit. Aeger etiam elapſa horula, poſt ſomnum ſurrexit, quæſivit ſeceſſum, & virtutem pulveris

Vomitoriorum & aliorum evacuantium in his utilitas.

ex

ex voto ſufficientem deprehendit. Monſtravit idem ſchedulam aliis Medicis, qui ad unum omnes affirmarunt, nihil emetici adſperſum, igitur ſolius naturæ opus eſſe. Sed Paulinus alia ſuſpicans, abiit ad Pharmacopœum, rei veritatem indagaturus, cui ſubito puer Pharmacopœi faſſus eſt, in eodem mortario eapſe hora contritum tartarum emeticum & ſcammonium ſulphuratum, cujus atomi aliquot, pulveri laxativo admixti, ſaburram iſtam eliminarunt. Addit ille, dici non poſſe, quam ſpecioſe poſtea ipſi dictus Pater deprædicarit ſalutarem hunc vomitum, ſerio addens: ſe nunquam melius valuiſſe, quam tunc, nec ab illo die paſſum eſſe hæmoptyſin. Non opus eſt, plura aliorum afferre teſtimonia, quia aliquoties effectum vomitoriorum ſalutarem, in caſibus ſimilibus, ipſe expertus ſum. Fuit inter alios in domo mea Medicinæ ſtudioſus, qui facie pallida & corpore macilento præditus, per integrum fere annum tuſſi continua, modo ſicca, modo humida laboraverat, cum excretione materiæ viſcidæ, cui ſtriæ atque grumuli ſanguinei admixti erant. Ad hanc ſedandam, quoniam pectoralia varia adhibita, nihil quidquam valebant, ægerque præterea nauſea, conatu vomendi cum doloribus capitis affligebatur, quaſi coactus, vomitorium propinavi, ſed ob debilitatem ægri, tantum ſcrupulum unum rad. Ipecacuanhæ in infuſo adhibui: & quoniam æger ab ejus uſu melius habuit, poſt aliquot ſeptimanas eundem pulverem ad drachmam dimidiam repetii. Ab utroque horum pulverum, ſalutarem illum effectum æger percepit, ut per duos adhuc annos nobiſcum vivens, a præcedentibus ſymptomatibus liber, corpore melius nutrito & vegeto gaudens, bene valeret, tandemque ſummis honoribus ornatus, ſanus abhinc diſcederet. Vir alius per plures annos aſthmate, tuſſi pituitoſa, accedentibus ſubinde ſudoribus nocturnis, afflictus fuit. Huic nos ſæpius, ex variis indiciis concludentes, cruditates bilioſas in primis viis hærere, vomitorium commendavimus, cui conſilio tamen ipſe nunquam aures præbere voluit, quia ob emaciationem corporis, ſe perfecta phthiſi laborare credidit. Aucto vero dolore dextri hypochondrii, & accedente fluxu alvi cruento, hepatico dicto, ac urgentibus ſimul conatibus vomendi, cum appetitu proſtrato, vomitorium tandem admiſit, cujus uſu quidem quodammodo fatigatus, ſed poſthac mire ſublevatus fuit, & nunc melius valet. Eandem utilitatem vomitorii, in cive hujus urbis honeſto, experti ſumus, qui ſibi aliisque perfectus phthiſicus videbatur, ſed uſu emetici blandi a tuſſi ferina liberatus, fluxu hæmorrhoidum ſuperveniente deinceps, nunc melius habet. Tantus eſt fructus vomitoriorum, in tempore, ſed caute & circumſpecte exhibitorum.

THES.

THES. IV.

Morbi ſolutio critica in noſtra ægra.

Revertimur nunc ab hac digreſſione ad ægram noſtram, in qua effectum vomitorii, teneritate ipſius ac metu parentum prohibiti, experiri non potuimus. Reſarcivit tamen hunc defectum natura, & medicamentis aperientibus & abſtergentibus, blandisque laxantibus excitata & adjuta, partim expectoratione per tuſſim, partim vomitionibus & diarrhoea ſponte ortis, ingentem cruditatum bilioſarum & pituitoſarum ſaburram expulit. His quidem circumſtantiis parentes perterriti fuerunt, quia ægra illis dejectionibus valde debilitari viſa eſt, adeo, ut omni convaleſcentiæ ſpe abjecta, obitum filiolæ non tam expectarent, quam optarent. Nihilo tamen ſecius excluſo ſic ſucceſſive fomite febrili, ex primis viis, natura ad ſe rediit, ut liberius agere, atque reliquias morbi, per univerſam maſſam ſanguinis diſperſas, critica translatione, per abſceſſum in pectore excitatum eliminare valeret. Analogum fere caſum, phthiſeos veræ pulmonalis, ſolius naturæ ope curatæ, relatum legimus *in Dec. III. Ephem. Germ. A. V. & VI. obſ. 49. pag.* 103. Juvenis nempe novendecim annorum, lanionis opificium exercens, a nimia geſtatione & attractione boum, incidit primum in ſanguinis, deinde puris ſputum, hinc in phthiſin & febrem hecticam, cum totali emaciatione & abſumtione, non tantum adipoſæ, ſed etiam carnoſæ ſubſtantiæ. Poſt uſurpata incaſſum diverſiſſima medicamenta, per annum dimidium, poſtquam ſe indies debiliorem ſenſit, rejectis omnibus, fatis ſe cedere velle decrevit. Sepoſitis medicamentis, excreatio remiſit, aucta ſpirandi difficultate; donec tandem de intenſiſſimis doloribus pectoris, ad inſtar carbonum ignitorum adurentibus, conqueſtus fuerit, tandemque in parte dextra, intra primam & ſecundam coſtam ſpuriam, ad ſuppurationem, ſine omnibus adhibitis medicamentis, perventum eſt, & ſua ſponte prorupit ulcus, per quod ingens ſaburra materiæ putridæ & ſordentis prodiit, quod per aliquot dies continuavit, quo facto, mundificato & conſolidato ulcere, tuſſis totaliter evanuit, bene nutriri incepit, & per duos annos ſecutos de nullo conqueſtus eſt, colorem floridum præ ſe tulit, & in omnibus bene valens, a natura curatus ex phthiſi, optata potitus eſt ſanitate.

THES. V.

Criſis quid & quotuplex.

Ejusmodi ſubitanea, quæ interdum in morbis gravioribus contingit, mutatio ſalutaris, a Medicis criſis appellatur. Diverſimode tamen hæc vox ab auctoribus accipitur, tum alii eadem intelligunt ipſam noxiorum e corpore excretionem, alii morbi ſolutionem, alii ipſius naturæ motum & pugnam cum morbo, alii etiam judicium Medici,

dici, quod hic de eventu morbi ex circumſtantiis format, & formare debet, unde dies critici judicatorii dicuntur. Differt autem criſis, quia interdum evacuatio materiæ morbificæ, per vias patentes contingit, & perfecta vocatur, interdum vero iſta ad loca externa ignobiliora translata, abſceſſus generat, quæ criſis imperfecta audit. Prout autem differunt homines ratione climatis, temperamenti, ætatis, vitæ generis, ipſique morbi, eorumque cauſæ, ita etiam variant criſes & evacuationes criticæ, & fiunt modo per has, modo per illas vias. Siquidem in aliis contingunt vomitus, vel diarrhœæ, in aliis per hæmorrhagias, ſudores, ſalivationem, diuriſen, materia morbifica e corpore eliminatur, contra in aliis exanthemata & abſceſſus oriuntur.

Thes. VI.

Criſes fiunt etiam hodie in regionibus noſtris.

Fuerunt haud pauci inter Medicos, tam antiquiores, quam recentiores, qui criſes omnes aut plane negarunt, aut noſtro ſaltem Climati denegarunt. Hos inter eminet *Helmontius* qui *in Lib. de temp. p. m.* 602. *&* 52. inquit, nuſquam fit criſis, ubi Medicus artis ſuæ gnarus, morbum ante criſis expectationem ſuſtulit. Boni ergo & fidelis Medici eſt, negligere criſes. Negari equidem non poteſt, adeo frequentes & perfectas, in noſtris regionibus, non obſervari criſes, ac olim in Græcia, quarum accuratiſſimus obſervator extitit Hippocrates, quemadmodum ejus ſcripta teſtantur. Hujus rei variæ ab auctoribus enumerantur cauſæ, imprimis differens aëris atmoſphærici conſtitutio, diverſa victus ac vivendi ratio, indeque pendens humorum conſtitutio, interdum etiam perverſa medicatio. Monet propterea *Bagliv. prax. L.* II. *c.* 12. §. 4. *Mirari deſinent practicantes, ſi hodie nec frequenter, nec perfecte ſuccedant criſes, uti olim in Græcia, quia illi, vel Græcarum legum ignari, vel obtrectatores, a principio morbi, ad declinationem uſque, purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, ſpirituoſis, aliisque imprudenter & intempeſtive exhibitis medicamentis, fere conficiunt ægrotantem, ideo impoſſibile eſt, ut humores, per tam diverſas remediorum ſeditiones diſtracti, ad criticæ deſpumationis negotium ſtato tempore diſponantur, ſed aſſiduis confuſionibus agitati, loco criſeos perfectæ, in metaſtaſes præternaturales deſinant, atque hac de cauſa criſeos, nec dierum criticorum, nec aliorum demum naturæ motuum regulas, ab antiquis traditas, in febribus obſervabimus.* Nihilo ſecius criſes adhuc perfectas, cum ſufficienti evacuatione, potiſſimum in hominibus plebejis, ruſticis, & populari victu fruentibus, & qui neque inordinata vitæ ratione, neque affectuum impetu, ſanguinis maſſam impuram reddiderunt, & parum medicamentis utuntur, teſtatur laudatus Hoffmannus loc. cit. §. 10. ubi integrum catalogum habet morborum, non tantum acutorum, in quibus frequentiores obſervantur, ſed etiam chroni-

chronicorum, quos criſi ſolutos fuiſſe, diuturna ſua experientia confirmavit. Conf. etiam B. Parent. Semiot. de criſibus. Non opus eſt, plura afferre teſtimonia, quia noſter caſus exemplum criſeos, in morbo chronico peractæ, ſiſtit.

Thes. VII.

Criſium cauſa primaria eſt naturam adjuvantes, Medicus & medicamenta.

HOrum eventuum ſalutarium, cauſa principalis eſt natura, quæ ſæpe ſola, abſque Medico & medicamentis, curam perficit, cum contra Medicus ſine illa, aut eadem invita, nihil agere poſſit. Agnovit hoc jam ſuo tempore *Hippocr.* qui *L. VI. Epidem. Sect. V.* naturas morborum medicos appellat, & *Lib. de leg.* inquit: natura repugnante, irrita ſunt omnia. Propterea tamen nullatenus exiſtimandum eſt, Medicum nihil agere poſſe ac debere, ejuſque nullas eſſe partes in curatione morborum, uti quidam putant, de quo inferius videbimus. Contrariam ſententiam fovit ipſe Medicinæ parens, qui *Lib. de diæta* ita loquitur: Ars medica ab eo, quod moleſtum eſt, liberat, & id, ex quo quis ægrotat, auferendo, ſanitatem reddit, idem & natura per ſe facere novit. Plenius rem explicat *Galenus de Conſtit. art. med.* c. 12. Natura, inquiens, & Medicus eorum, quæ corpori bona ſunt, auctores exiſtunt. Sunt tamen naturæ alia, alia Medicis negata & conceſſa. Naturæ quidem impoſſibile eſt, os ita confractum, ut ejus partes a nativa ſede aberrent, membrumque diſtortum ſit, corrigere & confirmare, quod Medicis poſſibile eſt. Quemadmodum & luxatum Medicus reponere poteſt, natura non poteſt; contra cavum ulcus carne replere, natura poteſt, Medicus non poteſt, ſicut ex ſemicoctis & crudis aliquid concoquere. Sed in his Medicus naturæ famulatur. Hoc igitur ſenſu Medicus naturæ miniſter dicitur, quod tamen ita accipiendum non eſſe, quaſi Medicus ſit naturæ mancipium & ſervus, qui ſemper & ubivis ejus ductum ſequi neceſſe habeat, potius Medicum genuinum & prudentem ſæpiſſime & in plerisque morbis, magiſtrum, dominum, directorem & Præſidem naturæ agere, ipſam ducere, flectere, imo haud raro vi quaſi & armis cogere debere, peculiari Diſſertatione, *de Medico naturæ Domino* erudite conſcripta *clariſſ. Heiſter* demonſtravit. Patebit hoc etiam ex iis, quæ in poſterum dicenda ſunt.

Thes. VIII.

Natura quid in genere ſit philoſophis.

ANte omnia nunc diſquirendum erit, quid ſit illud ens, quod naturam vocant Philoſophi, Phyſici atque Medici, eidemque tot ſtupendos effectus adſcribunt. Huic vero quæſtioni cardinali decidendæ non ſufficit anguſta diſſertatio. Adeo intricata enim & difficultati-

bus implicita eſt, ut ad hanc uſque diem, de ea nondum conveniat inter naturæ myſtas. Horum antiquiſſimi ethnici, lumine revelationis deſtituti, Deum cum creatura confuderunt; alii Deum naturam naturantem dixerunt, eumque naturæ naturatæ, quæ hujus univerſi eſt compages, oppoſuerunt; alii mundo animam tribuerunt, quæ teſte *Chauvino in Lex. philoſ.* a nonnullis informans dicta eſt, quod tanto corpori addita, vaſtiſſimum animal perficiat, & tot diverſarum naturarum partes ſociabili nexu copulet. Multi ſpecioſo atque magnifico titulo hanc naturam ornarunt, & ſpiritum univerſi, principium hylarchicum, architectonicum, vim plaſticam, coſmetorem, archeum, principem rectorem vocitarunt. Examen hujus rei ſuſceperunt duo inſignes viri, *Boyleus in tract. de ipſa natura*, & *Sturmius* in philoſ. *eclect. Tom. II. Diſp. IX.* de naturæ agentis Idolo. Huic ultimo inprimis ſe oppoſuit *Schelhammerus in Tract. de natura, ſibi & Medicis vindicata*, ad quem *Sturmius* reſpondit *loc. cit. Exercit. XVI. de natura ſibi incaſſum vindicata*, ſed iſte repoſuit *Tractatum novum*, cui titulum dedit, *naturæ vindicatæ vindicatio.* Acriter & ſubtiliter inter ſummos viros diſputatum eſt, de hac materia, ſed anguſtæ diſſertationis limites non concedunt, plura in hanc rem addere, potius lectorem ad illos amandamus. Nobis in præſenti ſufficit notaſſe, priores illos duumviros naturam rerum nullatenus negaſſe, ſed ſaltem monuiſſe, illam recte explicari debere. *Sturmius* ergo nihil aliud intelligi vult, quam æternam naturæ legem, quam Creator omnibus creaturis indidit, qua omnes, pro viribus conceſſis, ad finem, a Creatore intentum agunt, qua in re *Schelhammerus* ipſi non ſit contrarius. Affert ideo *Sturmius* verba *Sydenhamii*, quæ *Schelhammerus* etiam citavit, & egregia vocavit, quod rem ſuam egregie & explicent & confirment. *Ego*, ſic habent verba illa, *quoties naturam nomino, toties cauſarum naturalium complexum quendam ſignificari volo, quæ quidem cauſæ, brutæ licet, atque omni conſilio deſtitutæ, non tamen ſine ſummo conſilio reguntur, dum ſuas quæque operationes edunt, ſuosque exequuntur effectus. Nimirum ſupremum illud Numen, cujus vi producta ſunt omnia, & a cujus nutu pendent, infinita ſua ſapientia ſic diſponit omnia, ut ad opera deſtinata, ſe certo quodam ordine accingant, neque fruſtra quidquam molita, neque niſi quod optimum eſt, ac toti rerum fabricæ, ſuisque privatis naturis maxime accommodum, exequentia. Perinde ac automata, non pro ſuo, ſed artificis conſilio moventur.*

THES. IX.

Natura humana non eſt ens intellec-

SUfficiant hæc de natura hujus univerſi adduxiſſe. Accedimus ad hominem, qui ejus pars eſt, ut videamus, quid ſit natura humana, quam perpetuo in ore habent Medici, cuique tot effectus tribuuntur.

untur. Medendi ſcientia, teſte *Celſo in Præf. L.* I. *de Medicina*, primo ſapientiæ pars habita eſt, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iisdem auctoribus nata ſit. Medici etiam omni tempore philoſophiam coluerunt, & philoſophorum ſui ævi placita, uti olim, ita ad hunc uſque diem aſſumpſerunt, & in ſuum uſum verterunt. Qui ergo aliter fieri potuit, quam ut iſti talem in homine ſtatuerent naturam, qualem Philoſophi huic univerſo aſſignarunt? Tribuerunt propterea antiquis temporibus homini, tale principium ſpirituale & intellectuale, quod particulam animæ mundi crediderunt, unde homo microcoſmus dictus eſt. Nota ſunt inter Medicos nomina, Archei, Microcoſmetoris, Cardimelech, & alia nihil ſignificantia. De hujus principii exiſtentia non diſputabimus, ſed reſpondemus cum *Sturmio Exercit. IX. c.* 3. *p.* 395. Quodſi Macrocoſmus ille, ſive ſuperior mundus, immenſæ vaſtitatis, hujusmodi natura plaſtica, ſive agente immateriali, Deo ſubordinata, carere poteſt, quæ major erit neceſſitas, ejus introducendæ in microcoſmum, ſive mundum hunc ſublunarem. Adeſt tamen in homine anima ſpiritualis & rationalis, quam ideo multi ex recentioribus Medicis loco archæi ſubſtituunt, eique non tantum actionum voluntariarum, uti par eſt, ſed etiam involuntariarum directionem tribuunt. Notanter dicimus directionem, quia nequaquam ex eorum numero eſſe volumus, qui hodie omnem animæ, propterea quod eſt ſpiritus, actionem in ſuum corpus denegant. Ejusdem etiam operationem, in actionibus naturalibus & vitalibus perficiendis, non penitus excludimus, quia eſt principium vitale, ſine quo vita continuari nequit, ſed imperium in has, earumque directionem, negamus ac pernegamus. Anima enim ſua vi cogitandi & voluntate, ne unicum pulſum cordis & arteriarum, aut motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum cohibere valet, utpote qui neceſſitate mechanica, eadem neſciente & invita, peraguntur. Quæ vero alterationes & turbationes harum motionum, a gravioribus animi pathematibus contingunt, conſenſui nervorum, e cerebro egredientium, tribuendæ ſunt. Anima igitur nec ſecretionum, nec excretionum negotium dirigere poteſt, adeoque etiam criſes non perficit, neque morbos curare dici poteſt. Quam ob cauſam natura appellari nequit, imprimis quia hoc pugnat cum recepta hujus vocis ſignificatione, & uſu quotidiano, *Toto enim die*, monente *Heiſtero* in ſupra laudata *Diſſert. de Medico naturæ domino* § 14. *dicimus & audimus, hunc vel illum hominem vegeta & robuſta gaudere natura; hunc hominem naturam robuſtam ſervaſſe, alias morbum non ſuperaſſet, aut ex hoc vel illo morbo evaſiſſet: E contrario de aliis dicitur, quod ob imbecillem naturam perierint, & hoc aut illud perferre nequeant.* Quomodo hæc de anima dici & intelligi poſſunt? Hoc ſenſu etiam notio naturæ ab antiquis

tuale nec ipſa anima rationalis.

Medicis

Medicis accepta eſt, ſicut ex loco *Celſi*, inferius adducendo, patebit.

THES. X.

Noxa hujus hypotheſis in theoria Medica.

DIci non poteſt, quot & quanta inde damna ad ſtudium Medicum, tam in theoria, quam in praxi redundent, quia hac doctrina tirones Medicinæ abſtrahuntur, quo minus fundamenta artis, ut par eſt, ponant. Quandoquidem enim audiunt, animam ſeu naturam, morbos & ſymptomata excitare, eosque iterum curare, criticas evacuationes perficere, novas & ignotas vias, pro evacuanda materia morbifica, excogitare, hinc ſtudium anatomicum & phyſicum, ut ſuperflua, poſthabent, de cauſis morbificantibus earundemque agendi modo, non ſunt ſolliciti, de rationibus ſymptomatum reddendis ne quidem cogitant, quia hæc omnia a nutu animæ pendent. Medici quidem huic ſententiæ addicti, videri nolunt, quaſi corporis ſtructuram negligerent, ſed nomine Organicorum Mechanicis ſe opponunt, at in explicatione phænomenorum, ne verbo machinæ corporis mentionem faciunt. Ne vero injurii in illos videamur, ipſos auctores audiamus. *Gohlius* in hiſtoria morbi *Lichtſcheidiani*, quæ habetur *Vol. III. Dec. I. Act. Berolin.* exponit ſymptomata, tanquam ſigna vomicæ in pectore generatæ, quorſum refert ineffabiles cruciatus & horribiles vellicationes, quos æger in corpore ſenſit, & addit: *Notabile eſt, nil niſi caput ſolum ab his doloribus intactum manſiſſe.* In nota ſubjecta, rationem redditurus hujus phænomeni, his utitur verbis. *Omnes poſſibiles debili ſaltem parti provida fert natura. In defuncto viſcera ſecundæ cavitatis, & imprimis pulmones debilitatibus ſemper fuerunt obnoxii, quare ſtaſibus humorum, maxime lymphalium & ſalivalium, per tempeſtivas congeſtiones reſolutorias proſpicere voluit natura, & circa has partes occupata, altiora neglexit.* En nobilem theoriam, ad explicandas ſymptomatum rationes. Defectus dolorum in capite, tribuitur negligentiæ & incuriæ animæ alibi occupatæ. Sed obſecro! Dic mihi, cur non provida tua natura, novas invenit vias, per quas empyema, per quatuor annos (ſat ſpatii ad deliberandum,) in thoracis cavitate geſtatum, expellere potuiſſet? Ita enim non opus fuiſſet paracenteſi, a Chirurgo, ex Gohlii ſententia, temerarie magis, quam rationaliter, adeo feliciter tamen inſtituta, ut viri vita per quatuordecim annos prorogata fuerit, & iſte munia ſua neceſſaria obire potuerit, qui ante apertionem factam per quatuor annos miſere vitam degens, interdiu in ſella, noctu vero in lecto, ſedere & tuſſire cogebatur, & propterea muneri ſuo ſe jam abdicaverat. Quadrant hic verba *Bergeri noſtri in Diſſert. de laude febris merito ſuſpecta*, *quæ habentur* §. 15. *p.* 26. *Si qua animæ providentia eſt, per quam futura proſpicit, antequam eveniant, quis non*, loquitur hic de febre,

bre, *ſeram nimis & tardam animæ, conſervationi corporis intentæ, curam & providentiam jure accuſandam cenſeat, quod non in tempore, tutoque naſcentem adhuc materiam, in ipſo ortu, & antequam incrementum capere atque nocere poſſit, antevertat & præveniat, ſed natam, & corpori penitus jam inſidentem, partibuſque illius corruptionem inferre aptam, imo promtam & paratam, animamque adeo quaſi provocantem, aggredi demum, ejuſque mali expellendi cauſa, & conſervandi corporis gratia, tantis motibus & ſibi ipſi negotia facere, & in propria corporis ſui viſcera ſævire, hac ſua horribili vigilantia curare malit.* Hactenus ille. Pergo ad aliud ratiocinium, ejuſdem cum præcedente farinæ. Prodiit *Herbipoli Anno M DCC XXII. Diſſert. de natura ſana in corpore ægro, in qua auctor ſymptomata febrilia* §. 19. *exponens, appetitus deficientis rationem redditurus*, ita loquitur: *Certe naturam & ejus conatus ſemper veneratus, ſæpe mecum cogitavi, cur in febribus primum, quod ajunt, ſymptoma ſit, proſtratus appetitus, & rerum fere omnium eſculentarum nauſea, carnium præcipue averſio? Ubi tandem licuit deprehendere, hanc paſſivam non eſſe, ſed activam, & a natura, quæ appetitum interim ſuſpendit, cum indecens eſſet, eo tempore multis naturam cibis, præcipue carnibus facile corruptibilibus onerare, quo illa unice circa coctionem & ejectionem materiæ morbificæ occupata eſt.* Sed ſi anima appetitum ſuſpendere poteſt, dic ſodes, cur id non præſtat in quartana, pica, bulimia & cynorexia, aliisque ſimilibus affectibus, aut potius tempore annonæ caritatis, ubi fame pereundum eſt hominibus? Sed venter caret auribus. Dicas, obteſtor te, quid facies, ubi appetitus præter naturam proſtratus, ſui reſtitutionem & confortationem poſtulat? Quibusnam perſuaſionibus naturam tuam eo adduces, ut appetitum reddat? Eſtne hoc in plena luce cæcutire velle?

Thes. XI.

EX hac erronea theoria, neceſſario fluunt errores quamplurimi in praxi. Qualem enim indicationem formabit talis Medicus; quomodo, & quibus remediis, morbo & ſymptomatibus, obviam ſit eundum, quia omnia ab anima pendere credit, in quam tamen medicamenta agere non poſſunt. Hinc iſti de medicamentorum operatione, ac modo agendi ſoliciti non ſunt, ac propterea vires medicamentorum explorare, ſupervacaneum eſſe ducunt, quia non Medicamenta, ſed animam morbos curare, perſuaſi ſunt. Placet hic afferre, judicium *Hoffmanni*, quod habetur, *loc. cit. Tom. III. Sect. II. cap.* 3. ubi de medicamentorum viribus & cauſis ignorantiæ earum agens §. 7. *pag.* 458. ita loquitur: *Et noſtro jam ævo prodeunt, qui hæc omnia rejicientes, aſſerunt: aliam eſſe actionem medicamentorum & corporum phyſicam, juxta phyſica principia explicabilem, aliam vero medicam, ad vivum corpus relatam.* *Et in Praxi.*

tam. At licet nemo unquam negaverit, vivo, non mortuo corpori offerenda eſſe medicamenta, in obſcuro tamen evolvendum manet, quomodo hæc agant in corpore vivo. Et licet porro contendant, per vivum corpus intelligendum eſſe corpus, principio interno activo, motus & omnem quoque medicamentorum actionem ad arbitrium, & moraliter certum in finem dirigente, inſtructum, eaque propter ſupervacaneum penitus cenſeant illum conatum, quo principia & modus agendi remediorum inveſtigantur: hæc tamen omnia ſunt mera ſuppoſita, quæ nulla firma demonſtratione nituntur, nec etiam quicquam utilitatis ad rationalem therapiam conferunt, ut potius cæcæ Empiriæ apprime faveant. Ex illo fundamento itaque Medici, his principiis innutriti, expectando ſalutares naturæ conatus, curam morborum eidem relinquunt, ac parum, vel nihil medicamentorum adhibent. Ridiculum, quod de tali medico nobis narratum eſt, qui ipſe tumore inflammatorio in crure, gangrænam minante, laborans, curam omnem neglexit, imo cataplaſma, ſuaſu alius Medici applicatum, poſt hujus diſceſſum abjecit, ratus, naturam, quæ hanc viam ſibi elegerit, etiam absque medicamentis affectum eſſe curaturam. Quomodo vero aliter agere potuit, quia vi hypotheſeos, credidit, animam ſalutari intentione optimam elegiſſe viam, per quam noxium expellat. At enim vero, ſuntne omnia naturæ ita dicta molimina bona & ſalutaria? Diſtinguunt enim Medici rationales inter excretiones criticas ſeu ſalutares, & ſymptomaticas, quæ nil juvant, ſed ægro moleſtiam creant, nec morbum tollunt. Docent ideo, circumſtantias omnes circumſpecte eſſe ponderandas, utrum illa phænomena, quæ in morbis contingunt, cum morbo ipſo & cauſis morbificantibus, itemque cum temperamento & conſtitutione ægri conveniant? Ideo etiam in evacuationibus, materiæ excretæ quantitatem, qualitatem, nec non tempus & loci aptitudinem attendi, & cum viribus ægri comparari debere, præcipiunt, ut quid bonum ſit & criticum, vel noxium, innoteſcat. Ex his Medicus ratione & experientia inſtructus format indicationem, quid agendum, vel omittendum ſit, & prout indicantia variant, excretiones bene & tranquille ſuccedentes, permittit, languentes excitat, impeditas promovet, nimias vero coërcet, ad loca incongrua tendentes, aliorſum ducere nititur, & naturam deficientem debitis remediis roborat & reſtaurat. Sed qualia tu formabis indicantia, qui omnia animæ adſcribis, quibusnam remediis eam errantem in viam reducere, languentem confortare poteris?

Thes. XII.

Natura humana eſt mechanica corporis fabrica.

Rectius igitur nobiscum ſentiunt, qui nullam aliam in corpore humano agnoſcunt naturam, quæ ſit ſecretionum & excretionum, adeoque criſium cauſa, quam machinam hanc, ex partibus ſolidis ac fluidis

fluidis compoſitam, a quarum mutua in ſe invicem actione, omnes iſtæ motiones, neceſſitate quadam mechanica, ſecundum æternas motuum leges, a Creatore impreſſas, peraguntur, ut nullo alio principio intelligente, cogitante & dirigente opus ſit. Sæpius laudatus *Hoffmannus loc. cit. Tom. III. Sect. II. c.* 1. §. 4. mentem ſuam hac de re ita explicat: *Per naturam corporis humani, quæ ſecundum Hippocratem omnis ſermonis & ratiocinationis in Medicina principium eſſe debet, nihil aliud intelligimus; quam progreſſivum & in circulum abeuntem ſanguinis, & omnis generis humorum motum, a cordis & vaſorum, quibus fluida continentur, aliorumque ſolidorum motu contractorio & dilatatorio reciproco, dependentem, quo ſolidorum & fluidorum decenti motu, tam partium utilium, & quæ in uſum retineri debent, continua ſecretio, quam etiam variæ indolis inutilium, per convenientia emunctoria & cribra, excretio perficitur. His motibus recte & ordine ſuccedentibus, vita & integritas corporis conſervatur, ac morbidæ læſiones arcentur, iisdemque inordinate ſe habentibus, partium & actionum læſiones, ſive morbi, oriuntur, quorum ſanatio, illis in ordinem per convenientia auxilia redactis, evenit atque conficitur. Conf. Bergeri* Diſſert. de Medico naturæ adjutore *Parent. Semiot. de criſibus*, nec non verba Sydenhamii ſupra ex *Sturmio* allata. Ad hanc rem intelligendam & explicandam nulla alia principia idonea ſunt, quam mechanica. Hoc ut clarius pateſcat, adduco teſtimonium celebris Angliæ Medici *Doct. Cheyne in Specimine de incrementis Theoriæ Medicæ, novæ theoriæ febrium*, Prœmii loco præmiſſo, quod ante hos XXXV. annos in primo meo Programmate latinitate donavi. Quoniam Tractatum auctoris & Programma meum in pauciſſimorum manibus eſſe auguror, quædam, huc facientia ex aureo illo ſcripto adducam. Quærit primum Auctor, quo fato inimico factum ſit, cum inter omnes artes liberales nulla ſit magis neceſſaria, magiſque proficua hominibus, quam Medicina, quod ne unica illarum ſit, quæ perfectioni non ſit propior, quam hæc ipſa. Hujus rei rationem tam facile non eſſe reddendam, inquit, niſi dicamus quod res eſt, eam præ omnibus, tam negligenter tractatam eſſe, fundamenta ejus Theoriæ & conſequenter Praxeos jacta eſſe tam precario, abſurde & ſæpe contradictorie, ut homines, quos neceſſitas non coëgit, pœnituerit, tempus & labores impendere tam incertis dogmatibus. Hoc ut probet, provocat ad Aſtronomiam, & dicit: ante quatuor mille annos, cum homines viderent, illuſtre corpus ſolis oriri nunc in hac, nunc in illa regione, & occidere eadem varietate, &c. Cum deprehenderent, lunam quandoque apparere in hac figura, quandoque in illa, oriri hac die hic, paucos poſt dies illic, & brevi poſtea tempore plane diſparere, &c. Cum viderent omnes variationes, viciſſitudines & varias poſitiones Planetarum, &c. Tum, inquit, cum hæc tantum viderent, nec quicquam præterea de his explicatum haberent, ſi quis dixiſſet, omnes illas in-

C finita

finitas varietates, fore tandem reductas in regulas & ordinem, vix fidem atque aſſenſum impetraſſet. Attamen, pergit, quis neſcit, contigiſſe hæc omnia noſtris diebus, idque ſolum, quod adhiberetur vera methodus, dum unuſquiſque inſiſteret veſtigiis & obſervationibus ſui anteceſſoris, donec omnia Phænomena completa eſſent combinata, & applicaretur tunc ſcientia quantitatis, id eſt dimenſionum & numerorum, ad inveſtigandum illorum orbes, diſtantias, leges motuum, naturas, cauſaſque. Quæ fuerunt media, quibus homines *Aſtronomiam collocarunt fere in altiſſimo ſuæ perfectionis faſtigio.* Hinc concludit. *quodſi igitur Medicina ita fuiſſet tractata, (uti tractari debuiſſet) dimidio tantum temporis ſpatio, quod præteriit, ex quo primum incepit coli, ſi non redacta fuiſſet ad ſcientiam & demonſtrationem, libera tamen foret a contemtibus & exprobrationibus, quibus laceſſitur, nec toties thematis loco inſerviiſſet infimis & indigniſſimis momis, ad ſatyras componendas.* Demonſtrationem hujus Theſeos his verbis ſubjungit: *Quodcunque demum ſit principium perceptionis in hominibus, aut ſenſationis in animalibus brutis, conceſſum tamen eſt, ab omnibus Philoſophorum & Medicorum ſectis, quod omnes morbi atque ſymptomata utrorumque corporum, adſcribi debeant læſioni quantitatis, qualitatis, aut motionis fluidorum, aut pravæ diſpoſitioni & texturæ, diſtorſioni, diſtenſioni, luxationi, vel dilacerationi canalium, illos vehentium, & reliquarum partium ſolidarum corporis, & quod medicamenta operentur applicatione & commixtione ſuorum ſuccorum, aut communicatione ſuarum virtutum. Quæ cum videamus, omnia eſſe modificationes & qualitates materiæ, quæ habent dimenſiones corporum, & propterea ſunt quanta; ex eo neceſſario ſequitur, unicam methodum, examinandi effectus & cauſas harum qualitatum eſſe, ut applicemus illis doctrinam quantitatis, id eſt Geometriæ & numerorum; & mirandum certe eſt, qui orbis de hoc non citius fuerit admonitus, uſque ad paucos noſtrorum ſeculorum annos.* Vereor, ne Medici, principia hæc negligentes, in facultates animæ expultricem, retentricem, concoctricem aliaſque qualitates occultas relabantur. Concludimus verbis *Heiſteri in Diſſert. de Medicinæ mechanicæ præſtantia, Theſ. XXIII. quod, quicquid boni & certi in doctrina de uſu partium habemus, illud omne Medicis, qui mechanice partium fabricam, ſitum, nexum & actionem perveſtigarunt, & ſecundum illius leges harum uſus prudenter expoſuerunt, debeamus; & quod ab iis didicerimus, omnes quoque morbos ex cauſis mechanicis in corpore oriri, adeoque & eos mechanica quoque ratione tollendos eſſe.*

THES. XIII.

Hujus naturæ cognitio Medico

Non itaque anima, de cujus ſalutaribus intentionibus in morbis nihil conſtat, nec media dantur, easdem explorandi, nec ſi de his conſtaret, medicamenta quicquam valerent ad easdem juvandas; Sed

Sed mechaniſmus corporis eſt illa natura, quam Medicus notam habere, & ſibi reddere debet, ut cum illa convenienter, non vero contra ipſam agat, in quo conſiſtit prudentia medica. Monente enim *Hippocrate: quæ ducenda ſunt, eo ducenda, quo maxime natura viam affectat, per loca lege naturæ commoda*, uti habent verba ejuſdem Lib. I. Aphor. XXI. ex verſione Heurnii. Differunt autem naturæ hominum, cum alii robuſta, alii imbecilli gaudeant, ac præterea ratione ætatum, temperamentorum, climatum, vitæ generis, infinitis modis variant, quorum cognitio Medico in cura morborum eſt neceſſaria. Audiamus hac de re *Celſum Lib. I. de Medicina in Præfatione* diſſerentem: *Non ignorare Medicum oportet, quæ ſit ægri natura: Humidum magis, an magis ſiccum corpus ejus ſit? validi nervi, an infirmi? frequens adverſa valetudo, an rara? eaque, cum eſt, vehemens eſſe ſoleat, an levis? brevis, an longa? quod is vitæ genus ſit ſecutus, laborioſum, an quietum? cum luxu, an cum frugalitate? Ex his enim ſimilibusque ſæpe curandi nova ratio ducenda eſt.* Manifeſtum eſt ex his verbis quidnam voce naturæ intellexerint antiqui Medici, & quomodo eam explicaverint. Hujus itaque ductum obſervare atque ſequi debet Medicus, ſed non cæca obedientia, tanquam naturæ tantum miniſter & mancipium, ſed eam errantem corrigendo, deficientem juvando & confortando, ejus dominum & magiſtrum agere debet, quemadmodum hoc demonſtravit *Heiſterus in Diſſert. ſupra cit. & Cap. IV §. XI. XIV. & XVI.* exemplis hæmoptyſis, inflammationum, & pleuritidis illuſtravit ac confirmavit. Plura in præſenti non addimus, ut demonſtremus, non animam, ſed ſtructuram corporis mechanicam eſſe illam naturam, quam attendere debent Medici, quia id ex hactenus adductis luce meridiana eſt clarius, & peculiari Diſputatione *de natura morborum medicatrice mechanica* evicit *Hoffmannus*, & ad dubia, quæ huic ſententiæ contraria videntur reſpondit, ad quam lectorem ablegamus. Non tamen propterea anima hic penitus excludi poteſt, quia ejus pathemata, ob intimam cum corpore unionem, multum valent, ad ſanitatis conſervationem & morborum generationem, uti *Idem* in alia *Diſſertatione de animo ſanitatis & morborum fabro* edocuit.

eſt neceſſaria, qui ejuſdem miniſter, adjutor, & magiſter exiſtit.

Thes. XIV.

NOn igitur Medicus, in cura morborum, totum curationis negotium naturæ humeris imponere, & tantum expectando, otioſum ſpectatorem agere debet, uti hi faciunt, qui morbos ſalutaribus animæ intentionibus tribuunt, & remediorum neceſſariorum applicationem negligunt. Hoc ipſo tamen nullatenus illos excuſamus, qui abſque cognitione naturæ ægri, morbi ac cauſarum morbificantium, Empiricorum more, intempeſtive vomitoria, purgantia, ſudorifera, venæſectionem adhibent, eoque ipſo ægri vires deſtruunt, & excretiones

Quomodo morbi curantur expectatione?

ſalutares impediunt, uti ſupra ex *Baglivio* vidimus. Expectatione igitur opus ſæpe eſt in morbis, tam ex parte ægri, quam Medici, quod Wedelius in Exerc. Philol. Cent. I. Dec. IX. Exerc. V. de expectatione medica variis exemplis docuit. Expectandum ante omnia eſt, auxilium a Deo, a quo omnis medela, ad quem proinde preces fundere, & Medicum & ægrum decet, ad benedictionem divinam exorandam, ſine qua morbus curari nequit. Expectatione præterea opus eſt, in omnibus morbis, tam chronicis, quam acutis, ut, explorata natura ægri & morbi, omnia ordine, tempore & methodo conveniente, ſecundum indicantium ſuaſum, applicentur. Habent imprimis morbi acuti ſua tempora, in quibus, quæ in principio proſunt, in ſucceſſu nocent, & vice verſa. Peccatur toto die ab iis, qui in morbis acutis, neglecta venæſectione, præſentibus indicantibus, in principio mox adhibenda, medicamentis ſudoriferis, & alexipharmacis, ſpirituoſis & volatilibus, turbas in ſanguine augent, inflammationes viſcerum inducunt, & efficiunt, ut ægri cum larga excretione exanthematum, variolarum, morbillorum, petechiarum, purpuræ, pereant. Rectius agunt, qui naturam ducem ſequuntur, ejuſque methodum, qua morbos interdum ſola curat, imitantur, docente *Hoffmanno* loco ſæpius citato, *C. 2. de methodo, ordine, & legibus artis in medendo*, ubi univerſales quasdam regulas & medendi leges præſcribit. Harum prima eſt: *Omnibus in morbis ordinem & ſucceſſum actuum motuumque ſpontaneorum, imo ipſa tempora, quibus natura ſola medelam in ſalutem ægrotantium, molitur atque abſolvit, curate & perquam ſolicite obſervare decet.* Illuſtrat hoc exemplo variolarum, quia ut monet, vix ullus e morborum claſſe eſt, in quo tam conſpicua naturæ methodus, tamque diſtincta decurſus tempora, quam in his. Concludit tandem: *Idem vero etiam in aliis morbis obvium eſt, adeo ut cardo medendi rationis, qua natura utitur, in eo potiſſimum vertatur, ut primo ſemper materiæ hoſtilis & vitioſæ correctioni ſtudeat, eandemque ad evacuationem diſponat atque præparet, idque fere in omnibus morbis, febribus non tantum exanthematicis, verum etiam inflammatoriis, imo chronicis; quæ proinde methodus pari ſtudio ſervanda eſt, ac imitanda. Quumque hoc præparationis negotium non, niſi certo temporis ſpatio, abſolvi poſſit, utique ut maxime omnium tempus expectet, nec curſum præcipitet Medicus, neceſſe; quæ certe prudens expectatio in Medicina ſummum arcanum eſt.* Neglectum expectationis experiuntur ſuo damno ægri, qui citius, ac par eſt, a febribus intermittentibus liberari volunt, & ſine ſufficiente evacuatione præmiſſa, curantur, nec non ſcabie, tinea capitis, cruſta lactea, aliiſque affectibus cutaneis laborantes, quando omiſſa cura interna, inunctione externa impuritates repelluntur, unde graviſſimi morbi oriuntur, & ipſa ſæpe mors ſequitur. Expectatione maxime opus eſt, in morbis complicatis & intricatis, in quibus Medicus prudenter omnes circumſtantias

ſtantias, antecedentes & concomitantes, ponderare debet, ut indagare poſſit, in quonam loco cauſa morbi præcipue lateat, quod viſcus per ſe patiatur, vel per conſenſum, ut medicamenta, ad cauſam morbi tollendam convenientia applicare poſſit. Ubivis nec timide nec temere agendum, & imprimis hoc obſervandum: *ſi prodeſſe non poſſis, vide, ne noceas.* Periti gubernatoris, qui clavum in navi tenet, officium eſt, in mari procelloſo, impetu ventorum agitato, vela modo pandere, modo contrahere, & gubernaculum ita dirigere, ut ſyrtes & ſcopulos evitet, atque ſic cunctanter curſum ſuum abſolvat. Poſſent hic plura exempla, morborum expectatione curatorum, ſi opus foret, illuſtrationis gratia afferri, ſed ſufficere poteſt caſus, a nobis in præſenti expoſitus. Nullis hic medicamentis generoſis, & fortioribus expectorantibus, curam urgere licuit, ſed blandiſſimis aperitivis, juvante natura, pedetentim impuritatum excretionem ex primis viis promovendo, calori inteſtino, remediis temperatiſſimis reſiſtendo, ac vires roborando, atque ſic expectando, cura peracta eſt. Aegra antehac triſtis, moroſa atque iracunda, ſuperato morbo graviſſimo, poſthac a duobus inde annis, animo hilari & corpore ſano prædita, optime valet & pancratice vivit.

TANTUM.

CCXXIX.

DAN. WILHELM. TRILLER ET ERNESTI SAMUEL WEHLE

NULLAM MEDICINAM INTERDUM ESSE OPTIMAM.

Witteberg, 1754.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Licet Medicina, poſt ſanctam Theologiam, unicam illam contaminatæ animæ emendatricem, omnium fere ſcientiarum artiumque ſit præſtantiſſima & utiliſſima; quoniam ipſius ope operaque carere nunc nequit humanæ vitæ, poſt lacrimabilem lapſum, variis morbis obnoxiæ, indigentia: quæritur enim merito, *judice Quinctiliano* (*a*), quid omnibus proſit? ſit Philoſophia res ſumma! ad paucos tamen pertinet: ſit eloquentia res admirabilis! non pluribus tamen prodeſt, quam nocet: ſola, ſola eſt Medicina, qua opus ſit omnibus: ergo & æqualiter ad omnes Medicina pertinet, & nulla tam neceſſaria eſt omni generi hominum, quam Medicina: *Haud raro tamen accidit, ut varii ſubinde occurrant morbi, medelæ omnis adeo quidem impatientes, ut per Medicinam exterius præſertim adhibitam, magis exacerbentur & pejores reddantur; quam quidem mitigentur, aut plane tollantur, quod, ſapienter judicante Tacito* (*b*), natura infirmitatis humanæ, tardiora ſint remedia, quam mala ipſa. *Sæpius ergo præſtat, illos intactos prorſus relinquere, quam intempeſtiva Medicina adoriri; adeo, ut interdum, hoc certe reſpectu,* nulla Medicina ſit optima Medicina.

Quod & ipſe ingenue faſſus eſt ſummus artis noſtræ ſtator & conditor Hippocrates (*c*), *ſequenti quidem ſapientiſſimo & acutiſſimo effato:* Ἀγαθὸν ἐνίοτε φάρμακον, τὸ μηδὲν φέρειν φάρμακον, Bonum interdum eſt Medicamentum,

(*a*) *Declamat.* CCLXVIII. add. CASSIODORI *Formul. Archiatr.* ibique MEIBOM. in *Commentario.*

(*b*) Vit. AGRICOLÆ. Cap. III.

(*c*) Lib. de *Articulis*, pag. 751. Tom. II. opp. per LINDENIUM.

mentum, nullum adhibere Medicamentum, *quod pari acumine*, *de Deo*, *ceu Medico*, *ita ſcite expreſſit Origenes*, (*d*) θεραπεύει αὐτοὺς ἡσυχάζων, οὐ βοηθεῖ, curat ægrotos, dum non curat. *Quo & aliquo modo pertinet illud Euripides*, *Hippocrati noſtro fere æquævi*, (*e*) κρεῖσσον δὲ νοσεῖν, ἢ θεραπεύειν, *h. e.* præſtat ægrotare, quam ſanare, *ſive*, *ut illud ſcitius verſu tereti reddidit ſummus virorum*, *Hugo Grotius*: (*f*)

Gravius morbo eſt, velle mederi.

Quod licet valde paradoxon, *aut oxymoron videatur*; *veritati tamen ipſi admodum conſentaneum eſſe*, *ab iis facile deprehenditur*, *qui ipſam ſedulo artem tractant medicam*, *& fida quotidiana experientia edocti*, *probe didicerunt*, *non inaniter aut poëtice tantum*, *ceciniſſe quondam Naſonem*:

Interdum docta plus valet arte, malum.

Item Manilium, *Lib. VI.* Cura nocet: ceſſare juvat.
Nec non Gratium: Curaque potentior major.

Quo & illud ſpectat veteris e medio ævo, *poëtæ*, *qui vulgo Salutaris inſcribitur*, *apud Barthium*, *Daumium*, *aliosque*:

Peſſima ne tollas, mala pejorare caveto:
Sæpe necem generat inſtimulata febris.

Item iſtud alterius poëtæ non ignoti:

Graviora morbis, patimur remedia:
Nec vita tanti eſt, vivere, ut poſſis mori.

Unde recte quærit Ballonius, *Lib. II. Epidem. p.* 175. An, quod optima Medicina ſit, non uti Medicina? *conf. & pag.* 182. *Habet enim*, *habet profecto Medicina ſuos*, *& quidem perquam arctos ſapius atque exiguos fines*, *quos omni licet adhibita vi & contentione acerrima*, *tranſilire haud licet. Hos ſcire inprimis decet probum Medicum*, *ne potentius malum impotentiori arte temere adgrediatur*, *remediaque inſanabilibus adhibere fruſtra conetur*, *ſicque miſerrimum ægrotum inani & infructuoſa Medicina excruciet*, *aut in majus diſcrimen medendo*, *conjiciat*: *quod tum potiſſimum metuendum*, ubi potentius jam malum apparet, quam ut minores per magiſtratus ſedari poſſit, *ut Livii huc verba applicare liceat* (*). Sæpius enim nulla adhibenda ſunt medicamina, quod uſque adeo naturæ beneficio, ægroti convaleſcant, aut longius vitam extrahant, ut eis nocitura ſit cura, *ut fere loquitur Vegetius* (g). *Quare Trophylus*, *Medicus*, quondam

(*d*) In *Philocalia*, Cap. XXI pag. 60. Edit GUILIELM. SPENCERI.
(*e*) In *Hippolyto Coronigero*, vers. 186.
(*f*) In *Excerptis Veterum Tragicorum* & *Comicorum*, pag. 204. Conf. SOPHOCLIS *Ajax Maſtigophor.* & ex eo SUIDAS in πῆμα, item ERASMI *Chil.* I. Cent. II. *Adag.* 6, & 7. pag. 74. ſqq.
(*) Lib. XXV. cap. 1.
(g) *Art. Veterinar.* Lib. IV, cap. 7.

quondam interrogatus, *quis perfectiſſimus eſſet Medicus? ſapientiſſime per Deum! reſpondiſſe fertur* (h): ὁ τὰ δυνατὰ καὶ τὰ μὴ δυνατὰ δυνάμενος δια γινώσκειν, qui ſcilicet probe dignoſcere valeret ea, quæ per artem fieri poſſent, & non poſſent: *Quod & ipſe noſter Hippocrates* (i) *paſſim graviter monet, qui omnium optime, longo rerum uſu & divino judicio adjutus, cognovit, quouſque Medicinæ fines pertingerent, uti ex ipſius ſcriptis, immenſæ ſane frugis pleniſſimis, uberius patet. Quo & potiſſimum pertinet Hippocratis illius redivivi, ſummi inquam Boerhaavii, amici quondam & fautoris noſtri æternum colendi, graviſſimum Teſtimonium, digniſſimum profecto, quod & hic, & alibi, ſæpius legatur* (k): Sed neque magis ſuos laudat ipſa Matheſis artifices, qui extricant, quod fieri per rerum naturam, poteſt; quam illum, qui certa ratione probat impoſſibilitatem rei propoſitæ. Ipſum hinc etiam *Hippocratem*, qui Mathematicarum diſciplinarum ubique laudatur ſtudioſiſſimus, ſua quoque in arte, ſimilia profeſſum legimus. Ille enim, dum ſapienter ſuper officio Medici commentatur, haud minus inclareſcere peritiam medicantis aſſerit, quando impoſſibilem prorſus curatu morbum fuiſſe, re demonſtrat ipſa, quam ubi, curatione in ſanationem producta, malum arte ſuperabile ſuſtulit. Modum enimvero habet, certoſque agnoſcit fines, quibus definitur ſua cuique arti poteſtas, quos ultra nil valet. *Hactenus ille. Haud igitur, opinor, ab re plane erit, hic aliquot tantum exemplis, ex innumeris fere, ſelectis, Medicorum juniorum potiſſimum in gratiam, demonſtrare,* Nullam Medicinam interdum optimam eſſe. *Faxit ſummum Numen feliciter.*

---

§. I.

SIc igitur in *Morbis*; *per ſucceſſiones quaſdam quaſi traditis*, ut eleganter junior ait *Plinius*, & triſti oneroſaque veluti hæreditate acceptis, v. g. Epilepſia, Podagra, Arthritide, Calculo, Phthiſi aliisque, *nullam Medicinam optimam plerumque eſſe*, ecquis quæſo, eſt, qui negare auſit? Laterem enim & æthiopem incaſſum lavabit, qui omnem maſſam ſanguineam, omnes humores, omnes fibras nervoſque, immo totum quaſi hominem invertere & denuo veluti creare conatus fuerit. Id quod recte ſolideque pluribus probavit *Bruno Seidelius*, integro Libro de *Morbis incurabilibus*, qui totus huc ad noſtrum quidem argumentum

(h) Apud. STOBÆUM, ſerm. C. pag. 557.

(i) V. g. Lib. de *Arte*, pag. 8. ſqq. de *Vet. Med.* in *prænot.* pag. 447. init. & alibi, inprimis, Lib. de *Articul.* pag. 822. & Lib I. de *Morb.* pag. 7. Conf. DIETERICI *Jatr. Hippocr.* pag. 240.

(k) In *atrocis rariſſimique Morbi Hiſtoria altera*, mox ab initio.

mentum ſpectat. Namque, ut *Seneca* (*l*) ſapienter monet, *Naturam quidem mutare difficile eſt, nec licet ſemel mixta naſcentium Elementa convertere: Nunquam enim reciduntur plane vitia corporis, quæ nobiſcum creverunt.* Νῦσοι γὰρ ἀνθρώποις συγγενεῖς καὶ ξύντροφοι, ξυνεφηβεύουσι, ξυγκαταγηράσκουσι, καὶ ξυναποθνήσκουσι αὐτοῖς, *Morbi enim hominibus congeniti & connutriti, una cum illis pubeſcunt, conſeneſcunt, & tandem commoriuntur*, ut ſæpius elegantiſſime loquitur *Hippocrates*, uti nuper admodum fuſius oſtendimus (*m*).

§. II.

Par eſt ratio in *nævis* ſic dictis *maternis*, inprimis extantioribus & partibus muſculoſis & nervoſis altius impreſſis, quos nullo fere modo eluere, aut eradicare licet: quin potius ſemper pene deteriores fiunt medendo, & nulla lima nullaque politura exteri poſſunt, ut mille propemodum exemplis probari hic facile poſſet, quæ in variis ſolertiorum Medicorum obſervationibus, ubivis, legentibus occurrunt, veluti apud *Septalium*, *Schoockium*, *Finellam*, *Gianninium*, *Schenkium*, *Hellwigium*, *Bonetum*, *Thom. Fienum* & alios plures (*n*).

§. III.

In *rachitide* ipſa, communi fere illa miſellorum infantum peſte, Medicinam operoſam plus ſæpe nocere, quam juvare, notius profecto eſt, quam ut hic uberius doceri debeat: Serius enim ad ſanitatem perveniunt illi, qui nimiis medicamentis vexantur, quam, qui nullis, & ſibi ac naturæ relinquuntur, prout multis argumentis atque exemplis egregie oſtenderunt Medicorum præſtantiſſimi, *Gliſſonius*, *Mayow*, *Sydenham*, *Boerhaave*, & noviſſime, ſenior *Hahnius*, celebris ille per Sileſiam, φίλυδρος καὶ φιλόλουτρος, in *Cyrtonoſo*.

§. IV.

Varii oculorum morbi, variæque ophthalmiæ, lippitudines & ſuffuſiones, item, ubi pupillam craſſior jam nubes ſuperducta texit, & gutta

(*l*) Lib. II. de *Ira*, cap. 20. & cap. 18.

(*m*) In *Programmate* nempe noſtro, *de Gibbo ex Nephritide potius, quam ex Phrenitide, orto*, adjecto diſſertationi Med. Inaugurali Stentzelianæ de HIPPOCRATIS *ſtudio anatomico ſingulari*, fol. XXVI. ſqq.

(*n*) Conf. Cel. ALBERTI Diſſertat. de *Morbis Noli me tangere*, haud ita pridem Halæ publicata, quæ generatim tota huc ſpectat: præſertim vid. SCHROICKII Additament ad HELLWIGII *Obſ. Med.* XXXV. pag. 126. ſqq. Item BARTHOLINI *Act. Med. Hafn.* Vol. III. Obſ. 83. pag. 152. & STALPART. van der WIEL. *Obſ. Med.* XXXVI Cent. poſter. Part. I. pag. 384. ſqq.

gutta præſertim ſerena ſic dicta, fruſtra plerumque & cum periculo, admota Medicina inprimis externa, impugnantur, quum ægerrime expugnari queant, uti notiſſimum: Quare perquam bene in hunc quidem modum ſcripſit olim *Seneca* (o): *Nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem movendo, incitaturi; nec cetera vitia, dum fervent*: quod ipſum, quod ad ſenſum ſpectat, ſcite ſic expreſſit *Theano Pythagorica*, in epiſtola lectu digniſſima, ad *Nicoſtratam* (p): Τῆς νόσȣ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπέχειν δεῖ τὰς χεῖρας: *Ab oculorum Morbo manus importunæ ſunt cohibendæ. Oculi enim*, bene monente *Celſo*, Præfat. Lib. VII. *a Medicis diu vexati, ſine his, interdum ſaneſcunt.* Conf. *Ballonii* Lib. I. *Epidemior.* pag. 63. & Lib. II. pag. 262. item *Septalii Caut. Med.* Lib. VI. pag. 173. atque ibidem plenius, *Rhodii Analecta*, pag. 297. ſqq. ubi ſimul plures Auctores hanc in rem, laudantur.

§. V.

Sic ante aliquot annos, miſeram vidimus ſervam, cui oculorum inflammatione vehementiſſima laboranti, a temerario nimis Chirurgo quodam, in auxilium advocato, frigida collyria & adſtringentia epithemata crebro applicata fuerant: Unde ipſe oculi bulbus, horreſco referens, in lapideum quaſi ſcirrhum adeo uſque induruerat, ut ipſe oculus pugno fere major, ad horrorem formidinemque viſentium, rigidus atque immobilis, per plura ſimul loca, fœdiſſime fiſſus, extaret: Quo denique factum, ut ipſe nervus opticus, una cum ipſo cerebro, adeo affligeretur, ut inſultus epileptici & atrociſſimæ capitis colliquе conquaſſationes, artuumque tremores, & diræ tandem totius corporis contorſiones, nullis prorſus remediis ſuperabiles, ſubſequerentur, donec demum miſerrima illa famula inter terribiles clamores ac furores, animam tot malis ſævis feſſam laborioſe exprimeret, ut alia exempla plura olim a me obſervata, jam brevitatis ſtudio, omittam.

§. VI.

In *auditus* quoque *vitiis*, inprimis a nervi acuſtici, aut membranæ tympani nimia relaxatione, aut etiam tenſione, aliave cauſſa intus latente, obortis, item in abſconditis auris interioris inflammationibus, & ſordidis præſertim ulceribus, emanare ſolitis, optimam pariter ſæpius eſſe Medicinam nullam externam, abunde compertum eſt. Per nimias enim liquidorum & oleoſorum præſertim, remediorum injectiones,

(o) Lib. III. de *Ira*, cap. 39.

(p) In *Opuſculis Mythologicis phyſic. & ethicis*, a THOMA GALE editis, pag. 746. add. DIONIS CHRYSOSTOMI *Orat.* XVII pag. 247. ubi ſimilis extat ſententia, de oculis ægris medelæ impatientioribus.

nes, oriculariosque clyſteres, ut *Celſus* ait, ſeu otenchytas, meatum auditorium magis obſtrui, ſordibus oppleri, & inde ex ſurdaſtris, ſurdos prorſus demum fieri, ut alia pericula atrocia exinde utique metuenda, jam taceam, alii pridem obſervarunt, & nosmet ipſi haud ſemel vidimus, præcipue vero, in virgine quadam nobili, quæ nimium medicando & infundendo, auditum ſic tandem penitus perdidit. Quare fotus potius oriculares, quam infuſiones, prudenter hic commendavit *Galenus*, & ex illo, *Alexander Trallianus* (*q*). Conf. *Hippocr.* Lib. VII. *Epidem.* pag. 857. & *Ballon.* Lib. II. *Epidemior.* pag. 270. item *Septalii Caution. Med.* Lib. VI. pag. 174. ſqq. ibique copioſius, *Rhodii Analecta*, pag. 305. ſqq. ubi plures ſimul Auctores in noſtram ſententiam proni, diligenter allegantur. Add. *Thom. Bartholini Hiſt. Anat.* 77. Cent. VI.

§. VII.

Eryſipelas porro, vulgare & leve illud malum, ut quidem nonnullis, periculi haud ſatis gnaris, perperam videtur, cautiſſime etiam tractari debet; ne externa in primis humida & refrigerante medela retro pellatur: unde ſæpius gangrænam & ſphacelum, immo mortem adeo ipſam nonnunquam ſucceſſiſſe, ex fidis Medicorum monumentis conſtat (*). Hinc *Celſus* (*r*), *Oribaſius* (*s*), veterumque alii vix audiendi ſunt, qui refrigerantia & reprimentia hic imponenda ſuadent, ne ipſa quidem aqua gelida excluſa, conſilio certe, quantum equidem intelligam, nec ſatis tuto, nec ſatis prudenti.

§. VIII.

Ita vidimus olim in aula Naſſavica, centurionem quendam, qui ex eryſipelate, per humida acriaque cataplaſmata & epithemata, male tractato, & in feralem gangrænam ſphacelumque pene ipſum converſo, in atrociſſimum malum, cum ſummo vitæ diſcrimine conjunctum, quondam inciderat, adeo, ut ipſum tandem tibiæ os crudeli tabe exeſum, ſenſim excideret, & ipſius loco, quod jure mirandum, benignio-

 re

(*q*) Lib. III. Cap. 2. pag. 175. ſqq. Add. Zacut. Lusitani *Hiſt. Med.* LXI. Lib. I.

(*) Vid. Frid. Hoffmanni *Medicin. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 187. quod Caput totum huc ſpectat. Agit enim *de damnis ex cuticulari Excretione cohibita*, ubi varia notatu digna exempla. Vid. & Tom. IV. Sect. I. Cap. 13. pag. 309. ſqq. Add. Simon. Pauli *Quadripart. Botan.* Claſſ. III. pag. 214. & Gabelchoveri Cent. III. *Curat. Med.* XII & XIII item Jo. Langii *Epiſt. Med.* XXXII. Lib. I. de *falſa Eryſipelatis Curatione*, & Saportæ Lib. II. de *Tumor. præter Nat* Cap. 4.

(*r*) Lib. V. Cap. 26. n. 33.

(*s*) De *Morb. Curat.* Lib. III. Cap. 47.

re naturæ ſua damna ſolerter reparantis munere, craſſiſſimus callus ſuccreſceret, ut iſte ſic ex inſperato ſervatus, pede, licet aliquantum debili, tamen per omnem vitam, ceu altero, adhuc ſano atque integro, commode uti potuerit. De qua memorabili hiſtoria proxime, oblata opportuna occaſione, diſertius aliquanto atque diſtinctius tractare animus eſt, allatis ibi ſimul paribus prodigioſis fere caſibus, internati, poſt elapſam tibiam, craſſioris calli, ex *Bartholini Act. Med. Hafn.* Vol. III. Obſ I. & *Stalpart.* van der *Wiel*, *Obſ. Med.* 96. Cent. I. pag. 391. ſqq. aliisque pluribus. Ceterum ſimilia fere eryſipelatis ſic male curati & in tetram gangrænam mutati, exempla deploranda, a ſe olim obſervata, candide retulerunt *Hildanus* (*t*), & *Schelhammerus* (*u*).

§. IX.

Guttam itidem *Roſaceam*, (tam venuſto floridoque nomine vix dignam) crudelem illam formarum elegantiorum vaſtatricem, item & impetigines, lentigines, ſeu lenticulas, lichenes, varos, & ephelidas, ceteraque vitia, quæ faciem decoram maculant, ut *Serenus* ait *Samonicus*, externæ inprimis medelæ intempeſtive admotæ, vim impetumque ferre non poſſe, triſti paſſim experientia uberrime confirmatum legitur: quibus exemplis ſequens præſertim perquam memorabile jure addendum.

§. X.

Novem jam præter propter, anni elapſi ſunt, quum nobiliſſima quædam & natalibus, & ingenio, & fauſto denique connubio fœmina, formæ conſervandæ ſuique cultus curæ juſto forſan ſtudioſior, faciem rubris maculis crebrisque ac ſubitis tumoribus paſſim deturpatam aqua quadam coſmetica albida, forte ex Mercurio ſublimato, aut arſenico ipſo parata, a balneatore quodam ipſi ingenti pretio vendita, quotidie aliquoties lavaret; ſed tam funeſto eheu! cum eventu, ut faciem quidem nitidam recuperaret; ſubito vero dulciſſimum ante omnia, oculorum uſum amitteret, ſimulque atrociſſimis capitis doloribus, ſine ulla intermiſſione, ſævientibus, infeſtaretur, donec inter diriſſimas convulſiones & miſerrimos cruciatus & ejulatus, fruſtra quidem convocatis Medicis, ut attentiſſimo conſilio, ambiguæ ſalutis remedia, at nimis ſero, circumſpicerent, in ipſo viridis ætatis flore, ita feſtinantibus fatis, extingueretur Matrona illa, omnibus, dum vixit, ob virtutes, amabilis, &, cum exceſſit, deſiderabilis, nobisque ipſis perquam flebilis.

(*t*) Cent. I. *Obſervat. & Curat. Chirurg.* 82. pag. 225.

(*u*) Lib. de *Natura*, Part. II. Cap. 7. pag. 302. Add. B. Rivini Diſſ. de *Morbo retrogrado*, pag. 742. Syllog. *Diſſert. Med.*, ubi plura exempla ex variis Medicis collecta.

lis. Plura vero ſimilia ejusdem mœſti eventus exempla collecta exhibet *Hieronymus Mercurialis* (*x*), & ex eo *Platnerus* (*y*), nec non *Rivinus*, præceptor quondam noſter venerandus (*z*).

§. XI.

In *ſcabie* quoque, fœdo illo mortalium malo, idem fere obſervare ſæpius licet, dum ſcilicet per intempeſtivam Medicinam, ſubito verſus interiora pulſa, diras admodum tragœdias excitare ſolet. Hinc optime jam olim monuit *Vegetius* (*a*): *Naſcenti Scabiei Medicamentis non oportet occurrere, ne præcluſa cute, in viſceribus reſidens, convertatur in morbum*: quæ ipſa ex *Hippiatricis græcis*, ut plura alia, tranſumſit; ita enim ibi *Abſyrtus* & *Hierocles* (*b*): εἰ ψώρα ἐπιγίγνοιτο, ὀ δεῖ παραχρῆμα αὐτὴν θεραπεύειν, ἀλλὰ ἰᾶσαι, μέχρις ἂν ἔξω τραπῆ πᾶσα. κ. τ. λ.

§. XII.

Innumera autem fere mala immedicabilia ab incautius retro acta, per externa potiſſimum remedia, ſcabie, ſubito ſubnata fuiſſe, in diligentiorum Medicorum obſervationibus fide dignis, ubivis adnotatum legitur. Ita ipſe *Hippocrates* noſter (*c*), viri cujusdam meminit Athenienſis, qui teterrima & pertinaciſſima ſcabie per totum corpus obſitus, poſt intempeſtivum thermarum meliarum uſum, tandem in lethalem incidit hydropem. Cæcitatem, febrem, & demum mortiferam epilepſiam ejusmodi perverſæ ſcabiei medicationi ſuccedaneam fuiſſe, obſervavit *Sennertus* noſter (*d*), & ex eo *Baglivus* (*e*), item *Trincavellius*, (*f*) *Riedlinus* (*g*), *Hildanus* (*h*), & ex illis *Rivinus* (*i*), atque *Hoffmannus* (*k*), qui plura inprimis habet hujusmodi funeſtæ curationis exempla. Paralyſin inde obortam fuiſſe, adnotavit *Hoechſteterus* (*l*), ſummam

(*x*) Lib. de *Decorat.* Cap. XII. pag. 18.
(*y*) Programm. de *Pallore*, *per adverſam Valetudinem quæſito*, pag. 8.
(*z*) In Diſſertat. de *Morbo retrogrado*, quæ tota huc ſpectat, pag. 741. Syllog. *Diſſ. Med.*

(*a*) De *Arte Veterinar.* Lib. III. cap. 71.
(*b*) Lib. II. Cap. 69. pag. 187.
(*c*) Lib. V. de *Morb. Epidem.* p. 769. Tom. I. Opp. Lind. Conf. Ballonii Lib. I. *Epidem.* p. 47.
(*d*) *Prax. Med.* Part III. Sect. II. Cap. 44. ubi plura, quæ huc faciunt.
(*e*) Lib. II. *Prax. Med.* pag. 228.
(*f*) De *Rat. Cur. part. corp. human. affect.* Lib. II. Cap. 6.
(*g*) *Lin. Med.* Ann. 1696. pag. 205.
(*h*) Cent. III. *Obſ. Chirurg.* X. p. 56.
(*i*) Diſſ. ſæpius laudat. de *Morbo retrogrado*, pag. 741.
(*k*) *Med. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 182.
(*l*) *Decad.* VIII. *Obſ. Med.* 8. pag. 245.

mam vero ſpirandi difficultatem, una cum inſigni oris amarore, ſine febre, *Binningerus* (*m*), vehementiſſimam vertiginem & graviſſimam totius corporis laſſitudinem, *Gabelchoverus* (*n*), ſenſuum ſtuporem, mentis alienationem, poſt cachexiam, inde hemiplegiam, & tandem mortem ipſam hinc inſequutam fuiſſe, exemplo perquam flebili monſtravit amicus quondam noſter ſuaviſſimus, nunc eheu! deſiderabilis, *B. Schulzius* (*o*), lethalem denique apoplexiam, ut finem tandem faciam, exinde ſucceſſiſſe, memoriæ prodiderunt *Mœbius* (*p*), item Auctores *Miſcell. Naturæ Curios.* (*q*), *Bonetus*, *Bartholinus*, *Foreſtus*, *Amatus Luſitanus*, & alii plures.

§. XIII.

Sic, ut nos quoque ipſi, conſueto more, ſymbolam noſtram huc conferamus, vidimus olim venuſtam & opulentam virginem, filiam unicam, quæ, ut nuptiis familiaris ſibi puellæ intereſſet, & munda tum nitidaque appareret, quum fœda ipſam ſcabies antea non nihil inquinaſſet, ſuæ ſalutis puellariter nimis incurioſa, ex perverſo unguenti cujusdam ſulphurati, aut mercurialis uſu, primum in graviſſimas animi defectiones, mox autem in atrociſſimas totius corporis convulſiones incideret, quæ nec per appoſita grandia veſicantia, nec per largam venæ ſectionem, nec per valentiora enemata, nec per acriores phœnigmos ac dropacismos, nec ulla denique alia artis præſidia, quantumvis potentiſſima, compeſci ac ſubigi poterant, donec brevi poſt, mors ipſa dira raperet miſellam illam puellam, vitæ ſic ſuæ juvenilis nimis prodigam.

§. XIV.

Pariter, ante hos decem fere nunc annos, juvenis me acceſſit mercator, auxilium meum fruſtra eheu! imploraturus, qui eodem pruriginoſo cutis aſperatæ malo nonnihil fœdatus, moræ impatientior, ad ejuſmodi unguenta damnoſa ac feralia confugit, ſpe vana inflatus, quod per illa, ad citam ſalutem contendere poſſet: ſed tam lugubri cum eventu, ut protinus tantam vocis raucedinem contraheret, ut verbum clarum ac ſonorum effari haud valeret. Sequebantur illico aſthma pectoris ſiccum, reſpiratio fracta & impedita, languidum ciborum

(*m*) Centur. V. *Obſ. & Curat. Med.* 88. pag. 602.
(*n*) Centur. II. *Obſ. Med.* 42. pag. 61.
(*o*) In Diſſert. de *Caſibus aliquot notabilibus Ægrotorum mente alienatorum, aut perverſorum*, Caſ. I. p. 5.
(*p*) *Inſtitut. Med.* pag. 65. & ex eo HOFFMANNUS. l. c. pag. 182.
(*q*) Dec. I. Ann. I. Obſ. 58.

rum omnium faſtidium, tuſſis ferina, per noctes prorſus inſomnes, inprimis moleſta, ſudores nocturni copioſi, olidi & colliqueſcentes, tandemque poſt tot malorum conjunctorum catervam, inevitabile fatum, quum nondum annum ætatis viceſimum quartum expleviſſet Mercator ille, ſic ſuo quaſi ære, mortem ſuam improvide emercatus.

§. XV.

Quo & pertinent frequentia illa, ſed ſalutaria plerumque tenellorum puerorum mala ſordida, ſcilicet *achores*, *tinea*, *favi*, ſeu *ceria*, *melicerides*, & alia id genus acris & impuri humoris abundantis recrementa, quæ nimirum per externa remedia refrigerantia & exſiccantia, ſubito intempeſtive repreſſa & intro pulſa, atrociſſimos morbos, veluti ophthalmiam, ipſam cæcitatem, cœnoſa aurium inflammatarum ulcera, edaces faucium linguæque aphthas, tuſſim violentam, lentam tabem, catarrhum ſuffocabilem, ſævum delirium, febres omnis generis pertinaciſſimas, epilepſiam diriſſimam, convulſiones diſtortiſſimas, apoplexiam perniciſſimam, ſurditatem repentinam, fœda ſerpentiaque narium labiorumve ulcera, aliaque plura mala, & mortem denique ipſam frequentiſſime pepererunt, prout id multis funeſtis exemplis lectu dignis potius, quam jucundis, e variis ſcriptoribus medicis opportune petitis, affatim probarunt viri non ſine laude & honoris præfatione nominandi, *Rivinus* (*r*), *Hoffmannus* (*s*), atque demum *Stahlius* (*t*).

§. XVI.

Teterrimam quoque illam narium delicatiorum peſtem, trucem nimirum *alarum olidarum Caprum*, & immundum præſertim *pedum prurientium ſudorem*, ſit venia dicto & honos auribus! per externa remedia refrigerantia, adſtringentia & exſiccantia, protinus repreſſum ac cohibitum, easdem plerumque lacrimabiles tragœdias concitare, pariter prudenter adnotatum fuit a diverſis Medicis diligentioribus. Memorabile inprimis hujus rei exemplum, loco pene alieno, & vix ibi obſervabili, retulit *Simon Pauli* (*u*), de Sororio ſuo, qui ex ſimili fœtido pedum madore, per limaturam ferri frequentius magna copia inſperſam & ingeſtam, e præpoſtero male ſeduli Chirurgi conſilio, mox in anxiam moleſtamque cordis palpitationem, poſtea in atrocem & nodoſam

(*r*) In Diſſ. ſæpius laudat. de *Morbo retrogrado*, pag. 741.
(*s*) *Medicin. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 181.
(*t*) In *Collegio Caſuali* ſic dicto *minore*, Caſ. LXIX. pag. 335.
(*u*) In *Quadripartit. Botanic.* Claſſ III. pag. 196. voce *Anagallis*: quis vero ibi quærat iſtam practicam Obſervationem notatu certe digniſſimam? Ceterum conf. Paullini *Obſ. Med.* 39. Cent. I.

doſam podagram, & lapidoſam denique arthritidem incidit, qua ruptis cum ſummo dolore, digitorum condylis, materia gipſea, lenta, alba, in ſpiras, aliamve formam contortilis, quotidie affatim egerebatur, donec inter atrociſſimos illos dolores, vitæ male vivæ pertæſus, mortem tandem exoptatam inveniret, ceu unicum miſeriarum ſuarum ineluctabilium portum: quam ſingularem hiſtoriam ex eodem repetiit, cum prudentiſſima epicriſi, *Hoffmannus* (x).

§. XVII.

Simile fere lamentabile exemplum ipſi quondam vidimus, Francofurti ad Mœnum, in nobili quodam aulæ imperatoriæ ſcriba, juvene negotiorum publicorum ſupra ætatem peritiſſimo, atque hinc meliore fato digniſſimo, qui, quum ſordidum ejusmodi pedum olentium ſudorem, propter quotidianum cum ipſa aula, commercium, ferre diutius non poſſet, remedia ſtaltica & ſtyptica externa, in ſua damna, petiit a chirurgo quodam temerario, & ſui potius lucelli, quam alienæ ſalutis, ſtudioſo: unde pariter mox ſubſequebantur rauca ac ſuſpirioſa vox, aſthma ſiccum, cum tuſſi arida rebelli, totius corporis oſſea quaſi macies, noctes exſomnes & turbulentæ, moleſtiſſimæ, tractuoſi olidique ſudores, inſignem artuum omnium languorem poſt ſe relinquentes, intolerabilis capitis, præſertim autem cervicis, gravitas, obtuſus ſenſuum ſtupor, atque inde omnium rerum menti olim impreſſarum, aut caliginoſa oblivio, aut confuſa & obſcura recordatio, manuum tremores, crurumque vacillationes, & alia triſtiſſima mala. Licet igitur, quam ſolertiſſima cura, perpetim adhibita, per balnea, fotus, ſcarificationes, frictiones, dropaciſmos, veſicantia, immo & denique fonticulos ipſos, repreſſus iſte fatalis ſudor, perquam arduo labore, tandem in pedes auſpicato reduceretur: nihil quidquam tamen dira iſta ſymptomata remittebant; quin potius uno eodemque modo, præfracte ſemper decurrebant: quoniam nempe acris illa madoris materia, ſemel ſubito repercuſſa, altius jam impacta hærebat pulmonibus vitiatis, quam ut ulla humana ope, aut arte, in pedes deſertos revocari denuo potuiſſet: non licet enim, acute monente *Seneca* (*), *latentem morbi vim, & in medio jam ſedentem, ad extrema revocare.* Ceterum ſimilem in modum, ex ſuppreſſo intempeſtive pedum ſudore, inſequutam illico fuiſſe pertinacem vocis corruptæ raucedinem, vertiginem, & ipſam denique ophthalmiam, obſervavit *Bonetus*, cum aliis.

§. XVIII.

(x) *Med. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 192.
(*) *Epiſt.* XCV.

§. XVIII.

Ecquis vero potiſſimum, quæſo, neſcit peſtilentiſſimum illud & inexpugnabile prorſus *cancri edacis teterrimi virus*, quod nec ullis medicamentis internis, quantumvis generoſiſſimis, facile obtemperat, nec potentiſſima omnium totius naturæ & artis inſtrumenta, urentes, inquam, flammas & ſtrictos ferri mucrones trepide reformidat; ſed potius, ad omnem pene tactum, acrius excandeſcit, ſævius inſurgit, & admotis ignibus atque ferramentis, effrenatius rebellat? Quare veriſſimum ſemper fuit, ſemperque erit, heu! piget fateri, triſtiſſimum iſtud *Cornelii Celſi* noſtri (*y*), effatum, a quotidiana quippe experientia ſatis ſuperque ubivis confirmatum: *Carcinomata curationibus irritantur, & quo major vis adhibita eſt, eo magis: quidam ferro aduſſerunt: quidam ſcalpello exciderunt: neque ulla unquam Medicina profuit; ſed aduſta protinus concitata ſunt, & increverunt, donec occiderent. Exciſa, etiam poſt inductam cicatricem, tamen reverterunt, & cauſſam mortis attulerunt.* Quis ergo, quis, obſecro, nunc temere negaverit, *nullam Medicinam in carcinomatis tractandis, ſolam, ſolam, inquam, eſſe optimam*? Qua propter omnibus illis mortalium miſerrimis, qui vel vana prorſus ſpe immedicabilis iſtius mali vincendi, fruſtra illecti, vel a ſplendide mendacibus ſalutis reſtituendæ promiſſoribus infeliciter inducti, Medicinam in ſua certiſſima damna, ac feſtinantia fata, applicari ſibi paſſi ſunt, commode aptari illud poteſt, quod in veteri lapide Romano exaratum legitur (*z*):

Irrita letiferos auxit Medicina dolores,
Crevit & humana Morbus ab arte meus.

Sed quoniam de hoc ipſo argumento mœſtiſſimo, haud ita pridem, data opera, egimus, ejusque inconcuſſam veritatem exemplis fere innumeris, cum ex aliena, tum propria quoque experientia, depromtis, ſolide, opinor, corroboravimus (*a*); ideo fuſius ibi dicta, ob metuenda inde lectorum faſtidia, jam hic repetere nolumus.

§. XIX.

Sed idem fere obſervandum eſt de *ſcirrhis*, præſertim longiore temporis tractu, in duritiem inſuperabilem jam coactis. Iſti enim remediis emollientibus, reſolventibus & diſcutientibus nimium tractati ac

(*y*) Lib. V. Cap. 28.
(*z*) Vid. Guil. Fleetwood *Inſcript. Antiquar. Sylloge*, pag. 523.
(*a*) In Diſſertat. noſtra, *de nociva Cancri inveterati exſtirpatione novis Exemplis demonſtrata*, Wittebergæ, 1752.

ac vexati, nec miteſcunt, nec loco ſemel occupato cedunt: ſed medelis admotis acrius exaſperati; quaſi vitioſi parentes, plerumque daturi ſunt progeniem longe vitioſiorem, diros nempe cancros & truculenta carcinomata, nulla plane humana ope & ſolertia ſubigenda aut exſtirpanda, ceu paullo ante paucis, uberius vero alibi, demonſtratum eſt: Hinc & hic, omnium rectius ſentientium Medicorum unanimi ſuffragio, *nulla Medicina optima eſſe ſolet*, prout e contrario, innumera fere calamitoſa docent exempla, in obſervationum Medicarum Auctoribus paſſim obvia.

§. XX.

De *Morbis* etiam *articularibus* contumacioribus, ſpeciatim autem acerbiſſimo illo pedum diſtortorum tormento, *podagra* nempe, præſertim inveterata, veriſſimum adhuc eſt in hunc uſque diem, iſtud vel pueris notum, *Ovidianum:*

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Cui geminum plane illud *Gratii Faliſci*, in *Cynegetico*:

Aut incuratæ ſi qua eſt tutela Podagræ.

Hinc & ipſe *Hippocrates* noſter (b), moroſi illud & pertinacis morbi genus ſummo jure ita deſcribit: Ποδάγρη βιαιότατον μὲν τουτων ἁπάντων, ὁκόσα περὶ τὰ ἄρθρα, καὶ πολυχρονιώτατον, καὶ δυσαπαλλακτότατον, *Podagra violentior eſt omnibus ejuſmodi circa articulos, morbis, per longiſſimum tempus durans & difficillime cedens morbus.* Alibi vero (c), ipſam ſuæ artis impotentiam in expugnanda Podagra, apertius, more ſuo candido, fatetur: Γέροντες ποδαγριῶντες, καὶ περὶ τοῖσιν ἄρθροισιν ἐπιπωρώματα ἔχοντες, οὔτοι πάντες ἀδύνατοι ὑγιέες γίνεσθαι ἀνθρωπίνη τέχνη, ὅσον ἐγὼ οἶδα, *Senes podagrici, & circa ipſos articulos, callos tofaceos concretos jam habentes, hi omnes ſani fieri, non poſſunt humana arte, quantum ego ipſe novi.* Inde & Podagra, ceu dea omnium potentiſſima & invictiſſima, a facetiſſimo *Luciano* (d), in ſcenam producta, inter alias plures magnificas nimis & glorioſas oſtentationes & jactationes, quæ ibi per otium, cum voluptate, legi poſſunt, ſeſe vocat ἀνίκητον δεσπότιν πόνων, ἣν οὔτε Παιὰν φαρμάκοις νικᾶν σθένει, οὔτε πολυμαθὴς Ἀσκληπιός, *Inſuperabilem plane morborum reginam, quam nec ipſe* Pæan, *nec doctiſſimus* Æſculapius *medicamentis vincere poſſit*, & interjectis multis aliis, tandem ita finit:

Γιγνωσκέτω

(b) De *Affect.* pag. 180. Tom. II. Opp. per Linden.
(c) *Prædict.* Lib. II. pag. 498. Tom. I.

(d) In *Tragopodagra*, Tom. II. Opp. pag. 805. ſqq. item in *Ocypo*, ibidem, pag. 824. ſqq. Conf. Bynkershoeck *Obſ. Juris Rom.* Lib. III. Cap. I. pag. 214.

Γιγνωσκέτω δὲ πᾶς τις, ὡς μονὴ Θεῶν
Ἄτεγκτος οὖσα, φαρμάκοις οὐ πείθομαι.
At norit unus quiſque, me ſolam omnium
Illacrymabilem & immedicabilem deam.

§. XXI.

Tradunt quidem *Ariſtoteles* (*e*), & ex eo *Julius Pollux* (*f*), item *Alexander Trallianus* (*g*), *Demetrius Pepagomenus* (*h*), ut & ex parte *Celſus* (*i*), *Cælius Aurelianus* (*k*), veterumque alii plures, nullam pene podagram eſſe inſanabilem; inde & ipſe *Plinius* (*l*) haud veretur ita ſcribere: *Inſanabilis non eſt credendus Podagræ morbus, quippe quoniam & in multis ſponte deſiit, & in pluribus, cura.* Quorum ſplendida auctoritate inductus, idem, recentiore ævo, affirmare ſuſtinuit vir eleganter doctus, *Gerhard. Feltmannus* (*m*), ipſe tamen tandem in ſe ipſo fallaciam artis expertus, & vana vincendi mali inexpugnabilis ſpe miſere deluſus. Sed, ſive deteriores nunc facti ſint homines, quam olim fuerint; ſive Medicina ipſa jam inefficacior deprehendatur, quam priſcis fuerit temporibus; hodie certe vix ullum invenitur remedium, quantum mihi quidem conſtat, quod certam ſalutem in hoc conclamato morbo abigendo & ſuperando, ſpondeat, & ſæviſſimum hunc pedum tyrannum perfecte expugnet, quidquid etiam pauperculi opulentorum arcanorum antipodagricorum poſſeſſores, & certiſſimorum auxiliorum promiſſores magnifice mendaces temere jactent, dum, ut illæ fatidicæ & mirificæ Gallicenæ, apud *Melam* (*n*), *ſanare audent, quæ apud alios, inſanabilia ſunt*; quorum amplum catalogum pertexuerunt *Lindenius*, *Mercklinus*, atque alii: quos inter forſan & referendus noviſſime fuerit iſte *Dale Ingram*, Chirurgus Britannus (*o*), qui podagram per balnea & fonticulos, eluere, atque per cauteria, exurere ſtuduit;

 fruſtra

(*e*) Lib. VIII. *Hiſt. Animal.* Cap. 22.

(*f*) *Onomaſtic.* Lib. V. Cap. 8. p. 525. Tom. I. ubi vid. variorum Notas. conf. Titii Obſ. ad Gratii Falisci *Cyneget.* pag. 291. Edit. Burm.

(*g*) Lib. XI. Cap. 1. pag. 598. ſqq.

(*h*) Lib. de *Podagra*, a celeb. nobisque amiciſſimo Viro, Jo. Steph. Bernardo, cum eruditis Notis, Lugd. Bat. 1743. denuo edito.

(*i*) Lib. IV. Cap. 24.

(*k*) Lib. V. de *Morb. Chron.* Cap. 2.

(*l*) Lib. XXVI. Cap. 10.

(*m*) In lepido & lectu jucundo Libro, de *Dea Podagra*, Capp. XXIII. & XXXII. &c.

(*n*) De *ſitu Orbis*, Lib. III. Cap. 6.

(*o*) Cujus extat *An Eſſay, on the cauſe, and Seat of the Gout*, h. e. *Exercitatio, de Cauſſa & Sede Podagræ*; de qua vid. Act. Erudit. de Anno 1736. Menſ. Septembr. pag. 502. ſqq.

ſruſtra omnino, ſi quid rectius judicem, & inani opera: neque enim podagricis, ut ſic loquar,

ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

§. XXII.

Melius ergo ac ſapientius e contrario, in hunc ſenſum, ſcripſit olim *Seneca* (*p*): *Non perveni ad ſanitatem, ne perveniam quidem: delinimenta magis, quam remedia, Podagræ meæ compono, contentus, ſi rarius accedit, & ſi minus verminatur.* Quod locum inprimis habet in Podagra illa deplorata, quæ, ut *Cælius Aurelianus* (*q*), eleganter ait, *genuino curſu in poſteros migrat cum ſemine, & propterea ſuccedentes invadit.* Quod ipſum multiplici experientia probe edoctus, graviſſima ſua auctoritate, præter ipſum *Hippocratem*, jam ſupra laudatum, innumerosque alios, confirmat *Aretæus* noſter (*r*): ἢν δὲ ἐκ πολλῶν μὲν ἤδη χρόνων ἐῄ ἡ ποδάγρη, ἀτὰρ καὶ ἐκ διαδέξιος πατέρων φανῇ, ξυναποθνήσκει ἡ νοῦσος. *Quod ſi a multis jam annis, inveteravit, vel a majoribus, per ſucceſſionem, deſcendit podagra; tunc ægrotum ad mortem uſque, comitatur.* Sic ille veriſſime.

§. XXIII.

Nullam ergo Medicinam hic optimam eſſe, jam per ſe, putem, liquet: Ferendum igitur potius tædium ex morbi mora; quum majora ſemper pericula ex nimia medelæ properantia, immineant. Nec enim infuſis, nec affuſis medicaminibus, excutitur podagra, vinci quaſi indocilis; quin potius intempeſtiva medicina nimium vexata, vehementius exaſperatur, & violenter retro acta, ipſa corporis interiora, ut ventriculum, meſenterium cum inteſtinis, lienem, hepar, renes, pulmones, cor, immo & cerebrum ipſum inſidioſe odoritur, unde ſæva illa peſtis viſceribus & intimis medullis concepta, non ſolum atrociores morbos, ſed & repentinas adeo mortes progenerat, nulla quidem humana arte facile avertendas. Quod ipſum innumeris propemodum funeſtis exemplis, apud diligentes obſervationum medicarum ſcriptores, ubique obviis, abunde confirmari hic poſſet, niſi temporis, ſpatii, inſtitutique noſtri ratio potiſſimum eſſet habenda. Haud tamen illud tacite prætereundum cenſemus exemplum ſingulare, a *Simone Paulli* (*s*) relatum, de Paſtore quodam ſacro, qui ab argilla lotio ſubacta, pedibus ex podagra laborantibus incaute impoſita, mox in dyſpnœam, cordis

(*p*) Lib. de *Vita Beata*, Cap. XVII.
(*q*) Lib. V. de *Morb. Chron.* Cap. II. pag. 558.
(*r*) Lib. I. de *Curat. Morbor. diuturn.* Cap. 12.
(*s*) *Quadripartit. Botanic.* Claſſ. III. pag. 197.

cordis palpitationem atque animi defectionem incidit, ex his vero in epilepſiam, & ex hac denique, in letalem apoplexiam. Cui geminum plane iſtud de altero Paſtore, a *Rivino* (*t*) commemoratum, qui pari fatali ſucceſſu, a ſpiritu vini, pedibus dolentibus intempeſtive applicato, hemiplegia aliquoties tactus, vitam tandem miſerrime finivit. Ubi & plures allegantur Auctores, qui ſimilia exempla exitialia frequentius obſervarunt: Conf. *Hoffmannus* (*u*), *Bruno Seidelius* (*x*), *Bonetus* (*), *Schenckius* & alii multi.

§. XXIV.

Quibus unicum tantum hic ſubjungere liceat exemplum perquam memorabile, licet longe plura ſuppetant in adverſariis noſtris, viri cujusdam literatiſſimi, nobisque, dum viveret, amiciſſimi, qui, quum per complures annos, a dira podagra, per temporum intervalla ac ſpiramenta, incredibiles cruciatus & indigniſſima tormenta pateretur, cetera tamen ſanus ac vegetus; tandem morbi & moræ juſto impatientior, remedia ſibi varia undecunque quam ſtudioſiſſime conquiſivit, ſpecioſa quidem verbis, re tamen ipſa inania, aut ſubdola, & magno aère redemta, ut quaſi eo certius prodeſſent pretioſa & charius vendita. Inter quæ liquorem præſertim mire laudabat ex Anglia, ſi recte memini, allatum, colore aureum, ſuavique ſapore perquam gratum, quo ſcilicet interior remedii noxa ſub his externis palati decepti blandimentis, eo facilius velaretur, erat enim, mea certe opinione, ex ſomnificis, opiatis ac narcoticis confectus: quem quum ſævientibus pedum rubentium doloribus, cochleari menſura, ſubinde ſumeret, mox adeo inſigne & præſentiſſimum veluti levamen ſentiebat, ut acerrimi morbi impetus, quaſi potentiſſimis carminibus Hæmoniis incantati, miteſcerent ac conſopirentur, corpusque ipſum expectatione maturius, priſtinum ſuum vigorem recuperaret, ut nihil unquam incommodi pertuliſſe putaretur. Præſertim, ubi ſimul pedibus exterius adhibitum eſſet emplaſtrum quoddam antipodagricum refrigerans lenienſque, quod divinum plane & ſupra omnes laudes longiſſime poſitum credebatur. Hæc quum per aliquod tempus, cum fauſto quidem, ſed ſubdolo & mox calamitoſo ſucceſſu, ita adhibita frequentius eſſent; licet ego ſemper acriter repugnarem, quod velox iſta medicina mihi jure fallax & infelix videretur, hincque virum optimum eniχiſſime ſubinde rogarem, ne auderet experiri remedium, quod propter novitatem, poſſet

 eſſe

(*t*) Diſſert. de *Morbo retrogrado*, pag. 743. Syllog *Diſſert. Med.*
(*u*) *Medic. Rat. Syſtemat.* Tom. III. Sect. I. Cap. 8. pag. 191.
(*x*) Lib de *Morbis incurabil.* pag. 83. ſqq.
(*) *Med. Septent.* Part. II. Lib. VI. Sect. III. Obſ. 40. pag. 268. & Lib. VII. Obſ. 15. pag. 574. & alibi.

eſſe ſuſpectum, & nimia feſtinatione periculum augeret: Evenit aliquando, poſt repetitum aliquoties iſtius ancipitis remedii uſum, ut, quum ſe æger lecto mane levare vellet, omnis quidem pedum ſenſus, uſque ad genua, adeo penitus ſublatus eſſet, ut ipſe Socratis quaſi diram gelidæ cicutæ ſorbitionem hauſiſſe videretur. Aderant una irriti vomendi conatus, ſudores frigidi, præcordiorum anxietates, & reſpirationes impeditiſſimæ. Concurritur ergo protinus undique a Medicis, tacito timore muſſantibus, frigentia membra mox fricantur, unguntur, immittuntur balneo ferventi, applicantur tandem veſicantia, cucurbitæ, ſinapiſmi, phœnigmi, dropaciſmi, & omne genus alia remedia validiſſima, intus & extra: ſed omnia, proh dolor! incaſſum, & bono quidem, ſed nihil profuturo conatu, ac meliore voluntate, quam facultate: Cuncta enim, quantumvis efficaciſſima, remedia anteibat mali ipſius velocitas. Retro acta namque per emplaſtrum illud admirandum ſcilicet, podagra, & per liquorem illum anodynum, intimis fibris & viſceribus nobilioribus impacta, nullis nunc amplius remediis, etiamſi valentiſſimis, in externos artus revocari poterat. Unde brevi poſt, inter crebros ſingultus, ſonoros ſtertores, ſenſuum ſtupores, animique defectiones, vir ille doctiſſimus & longiore vita ſuo merito digniſſimus, ſæva morbi intus furentis, vi oppreſſus, ſubitaque morte correptus, magno ſui deſiderio cunctos adfecit manſuetiorum muſarum juſtos æſtimatores, meque ipſum inter illos, potiſſimum. Eſt ergo, ut ex hiſce liquidiſſime patet, optime monente *Cælio Aureliano* (y), *paſſio podagrica non facilis curatione, & aliquando magnitudine inſanabilis.* Sed longius profecto, lento quaſi greſſu, nos ſecum abduxit tardigrada podagra: Ideo jam tanto celerius properemus ad alia, ſi lubet quidem, & parciores ſimus, in ſequentibus paucis, adhuc dicendis.

§. XXV.

Hæmorrhoides tam cæcæ, quam apertæ ac fluentes, item ſic dicta condylomata, rhagadia, exochadia & id genus alia obſcenarum extremi ventris partium tubercula, tædii plena, cautiſſime quoque ſemper tractanda ſunt, ne Medicina pejor ſit ipſo malo, & graviora periculis ſint remedia, quoniam, ſi inveteraverunt hæc mala, non ſine magna mole inſignique diſcrimine, diſcutiuntur. Cææ enim hæmorrhoides & condylomata remediis acrioribus, ſepticis, rodentibus, reprimentibus, cauſticis, aut admoto etiam ſtridulo cautere, ſubita vi diſcuſſa ac

(y) Lib. V. de *Morbis Chronicis*, Cap. 2. pag. 560. Vide ſingulare hujus rei exemplum apud PHILOSTRATUM, Lib. I. de *Vitis Sophiſtarum*, Sect. XXV, 11. pag. 543. ubi de miſerandi POLEMONIS *Sophiſtæ* Latoniis artuum, Medicis prorſus inexpugnabilibus, triſtis narratur Hiſtoria.

ac ſedata, ſæpiſſime in ulcera maligna, ſordida, calloſa, depaſcentia & ſerpentia, immo demum, in ſinuoſas fiſtulas & ipſa adeo carcinomata teterrima abire conſueverunt, vix ullatenus arte ſanabilia: *quæ enim*, recte judicante *Seneca* (z), *in malum ulcus veteraverunt*, *difficilius*, immo, *difficillime*, inquam ego, *curantur*.

§. XXVI.

Nimius autem hæmorrhoidum fluxus medicamentis adſtringentibus & repellentibus ſubito violenter repreſſus, diriſſimos & tantum non mortiferos morbos ſæpius progenerare ſolet: unde ſapienter dudum monuit *Cornelius* noſter *Celſus* (a): *In quibuſdam parum tuto ſupprimitur iſtud vitium, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt: habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quum ſanguis exitum non haberet, inclinata in præcordia ac viſcera, materia, ſubitis & gravibus morbis correpti ſunt.* Quapropter *Hippocrate* (a), *Ægineta* (b), *Galeno* (c), *Actuario* (d), *Avicenna* (e), aliisque prudentiſſime ſuadentibus, at ſolo fere fruſtra contra nitente *Aetio* (f), in ſupprimendis hæmorrhoidibus, eo ſemper caute reſpici debet, ut conſuetæ purgationis gratia, una illarum nunquam non aperta maneat. Quod ſi enim omnes ſemel ſimulque obſtruantur, metuendum eſt omnino, ne hydrops, aut tabes, aliaque graviora mala, *Hippocrati*, *Aretæo* aliisque diligenter commemorata, veluti vertigo, cachexia, aſthma, ſuffocatio, mictio cruenta, ſanguinis ſputum & vomitus, anorexia, aphonia, tormina ventris, podagra, malum hypochondriacum, paralyſis, nephritis, apoplexia, ſcirrhi, ani exulcerationes & fiſtulæ, pleuritis, peripneumonia, phagedæna, furunculi, lepra, vitiligines, aliaque tubercula, herpes, epilepſia, delirium, immo mania ipſa, & id genus alia plura atrociſſima ſymptomata, exinde ſuboriantur. Sic enim veriſſime ipſe noſter *Hippocrates*, laudato modo aphoriſmo, pronunciavit: Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος, ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν, *ex hæmorrhoidibus diuturnis ſanato, ſi non una venarum ſanguinem fundentium aperta fuerit ſervata, periculum eſt, hydropem, aut tabem ſuccedere:*

(z) *Conſolat. ad Marciam*, Cap. I.
(a) *Aporiſ.* 12. Sect. VI. & Lib. de *Victu Acutor.* pag. 322. Tom. II. opp.
(b) Lib. III. Cap. 50.
(c) *Comment.* in dictum Hipp. Aph. 12. Sect. VI. pag. 254. Tom. IX. Opp. & alibi, Cap. nempe 9. Lib. de *Venæ Sect. contra* Erasist. & in IV. de *Præſag. ex pulſibus*, &c. Item *Comment.* in Lib. Hipp. de *humorib.* Conf Severin. de *Abſceſſ.* Lib. IV. Cap. 30. pag. 350. & Zacut. Lusitan. *Hiſt. Med.* 110 Lib. II.
(d) Lib. I. de *Method. Medend.* Cap. 20.
(e) Lib. III. Fen. 17. Tr. 1. Cap. 4. pag. 653.
(f) *Tetrabibl.* IV. Serm. II. Cap. 5.

cedere: ſive, ut elegantius, pro more, latine id reddidit *Celſus*, latinus ille *Hippocrates* (*g*), *ſi ora venarum, ſanguinem ſolita fundere, ſubito ſuppreſſa ſunt, aut aqua inter cutem, aut tabes ſequitur.* Cujus oraculi Hippocratici ſolidam veritatem triſtiſſimo ſuo exemplo, quondam abunde confirmavit Imperatorum omnium optimus, & meliore hinc fato jure digniſſimus, Trajanus, *qui*, narrante e *Dione Caſſio*, *Xiphilino* (*h*), ἐπισχεθέντος αὐτῷ τοῦ αἵματος, ὃ κατ᾽ ἔτος, κάτω διεχώρει, ἐγένετο ἀπόπληκτος, ὥστε καὶ τοῦ σώματός τι παρεθῆναι, τὸ δὲ ὅλον ὑδρωπίασε, *a repreſſo ſubito ſanguine, qui quotannis ipſi per inferiora ſecedebat, in apoplexiam incidit, adeo, ut pars quædam corporis inde reſoluta eſſet; tandem autem in univerſum hydropicus factus, periit.*

§. XXVII.

Hinc igitur nullum quoque nobis eſt dubium, quin monſtroſum illud & horrendum plane ſteatoma hæmorrhoidibus, etſi blandiſſime ſuppreſſis, funeſtam ſuam originem debuerit, quod poſt acerbiſſima fata, repertum fuit cum ingenti adſtantium viſentiumque ſtupore, in utroque thoracis thalamo, illuſtris quondam *Marchionis de Saint-Auban*, tanta quidem magnitudine ac pondere, ut, compreſſis & coarctatis undique pulmonibus, non ſolum omnem reſpirationis uſum prorſus interceperit; ſed & prægrandi ſua mole, ſeptem enim fere libras pendebat, naturalem nobiliorum pectoris viſcerum ſitum adeo uſque perverterit, ut, quod omnem pene veritatis fidem excedit, turbato rerum ordine, totum diaphragma deorſum preſſum eſſet, intra abdominis cavum, atque mediaſtinum, item pericardium, cum ſuis vaſis ſanguiferis, & corde adeo ipſo, horreſco referens, detruſum verſus inferiora, hæreret, infra ipſius umbilici altitudinem. Quam atrocis rariſſimique morbi hiſtoriam nobis nitidiſſime deſcripſit, ſive vividiſſime potius depinxit, vir & arte, & facundia juxta, inſignis, ſemperque cum cura dicendus, *Hermannus Boerhaave* (*i*), qui, ceu oculatus teſtis, omni exceptione major, hæc ipſa dira prodigia non ſolum perſpicaciſſimis ſuis oculis vidit; ſed ipſa quoque admota peritiſſima ſua manu, ipſum defuncti cadaver diſſecuit.

§. XXVIII.

(*g*) Lib. II. Cap. 7. pag. 62.

(*h*) In *Epitome Hiſtor.* pag. 350. nempe ex DIONIS CASSII *Hiſtor. Roman.* Lib. LXVIII. pag. 1147. Tom. II. Edit. FABRIC. & REIMAR. V. V. C. C. Alio vero morbi mortiſque genere extinctum fuiſſe Trajanum, narrant EUTROPIUS, AURELIUS VICTOR, EUSEBIUS, HIERONYMUS, OROSIUS, & alii: ſed cum DIONE CASSIO & XIPHILINO, maximam quidem partem, conſentit ZONARAS, cum aliis nonnullis. Verum de his dicendi & diſceptandi hic jam non eſt locus.

(*i*) In *Atrocis rariſſimique morbi Hiſtoria altera*, Lugd. Bat. 1728. & deinde ſæpius alibi recuſa, ut omnino merebatur.

§. XXVIII.

Sic etiam hæmorrhoides incautius repreſſæ impetum aliquando fecerunt in Miniſtri cujusdam ſacri naſum, ibique tantum ſubito excitarunt tumorem carneum, ut non ſolum ipſius naſi forma demerſa, quaſi evaneſceret; ſed & ipſum adeo os mentumque ſub iſta tuberoſa mole propendula, fœdiſſimo ſpectaculo, penitus occultatum jaceret: donec, ex juſto ſuffocationis minacis metu, informis illa atque peregrina maſſa, ultimo omnium remedio, nempe ferro, feliciter exſcinderetur. De qua perquam memorabili hiſtoria, ſingularis extat Cl. *Alberti* Diſſertatio (*k*), una cum figura ænea teterrimi illius & tuberoſiſſimi naſi, quæ, licet mortua ſpirituque carens, ſua tamen inſigni prorſus fœditate horridum profecto terrorem incutit cunctis viventibus videntibusque. Ubi & plura ſimul id genus alia funeſta exempla ſedulo ex auctoribus collecta, leguntur, ut & in aliis variis ejusdem, de eodem argumento, ſcriptis (*l*), quorum ſcilicet hoc noſtrum, quod vivitur, ſæculum feraciſſimum eſt, ut cuivis notum: quibus utique addendi, *Hildanus* (*m*), *Foreſtus* (*n*), *Schenckius* (*o*), *Riedlinus* (*p*), *Paræus* (*q*), *Alphonſus* de *Sanctacruce* (*r*), *Dieterichius* (*s*), & quos ibi allegat, Auctores plures, *Proſper Alpinus* (*t*), *Hollerius* (*u*), & tandem, ut finem faciam, nec alios plures mihi bene notos, laudem, *B. Rivinus* (*x*), & quos ibidem citavit ſcriptores medicos. Quo & ſingulare illud ſpectat exemplum luctuoſum, ipſi magno noſtro *Hoffmanno* (*y*), quondam

(*k*) De *excreſcentia naſi, cum hæmorrhoidum Anomaliis connexa.* Halæ, 1729.

(*l*) Nempe in Diſſertationibus diverſis, ibidem publicatis. De *hæmorrhoidum Anomaliis*, de *hæmorrhoidum inſolitis viis*, de *hæmorrhoidum ſuppreſſionibus*, & id genus aliis ſcriptis Academicis: ut vaſtos illos ſpatioſosque nimium de eodem immundo & injucundo Argumento, commentarios in vulgus editos jam taceam.

(*m*) Cent. II. Obſ. XI. & LXXV. Conf. Boneti *Med. Septent.* Part. I. Lib. III, Sect. 11. Cap. 1. p. 569.

(*n*) Lib. XXIII. Obſ. 5. 6. ſqq. cum Scholiis doctiſſimis, ibidem. Conf. Solenander. Sect. IV. *Conſil. Med.* XX. & exinde Verzascha, *Obſ. Med.* 29. Cent. I. p. 90. item Riverius, L. X. *Prax. Med.* Cap. 10. p. 375.

(*o*) Obſſ. Med. 158. 159. ſqq. Lib. III. Tom. I. pag. 639. ſqq.

(*p*) *Lin. Med.* Ann. 1696. pag. 133.

(*q*) *Opp. Chirurg.* Lib. XII. Cap. 24. pag. 393.

(*r*) De *Dignos. & Cura affectuum melancholicorum*, pag. 29.

(*s*) In *Iatreo Hippocratico*, pag. 141. ſeqq.

(*t*) Lib. I. de *præſagienda Vita & Morte*, Cap. XI. pag. 53.

(*u*) *Comment.* in *Aphor.* Hipp. 12. *Sect.* VI. pag. 337. ſqq.

(*x*) In *Diſſert.* de *Morbo* [illegible] *ogrado*, pag. 745.

(*y*) *Med. Rad. Syſtem.* T[illegible] I. Sect. I. Cap. 9. pag. 208. ubi plura egregia.

quondam cum ſtupore, viſum, de quodam viro perquam generoſo, qui ex hæmorrhoidibus, per remedia opiata & martialia, intempeſtive repreſſis & cohibitis, protinus vocis ac rationis uſum admiſit, & paulo poſt inter diras convulſiones, vitam ipſam. Ubi poſt mortem, ſectione inſtituta, ſtupentibus cunctis præſentibus, apparuit, non modo inteſtinum rectum; ſed & totum coli tractum in ſiniſtro latere, ita conſtrictum fuiſſe, ut digiti craſſitiem vix ſuperaret: alia ut taceam funeſta ſigna, quæ ibi legi commode poſſunt. Iſto autem aliquanto felicior fuit *Alcippus* ille apud *Hippocratem* noſtrum (z), qui pariter, ex ſuppreſſis præpropere hæmorrhoidibus, in atrociſſimum quidem furorem delapſus, mox a ſuperveniente febri acuta ſalutari ac critica, ad mentis corporisque juxta ſanitatem auſpicato reverſus eſt. Tanto autem infelicior contra fuit alter ille *Eudemus Lariſſæus*, apud eundem (a), cui ex perſanatis pariter ab infauſta manu, hæmorrhoidibus, teter edaxque cancer illico ſubnaſcebatur, una cum febre vehementiſſima, quæ ante non deſiit, quam vitam male vivam miſerrimo eripuiſſet. In his ergo cunctis, omnium rectius ſentientium Medicorum unanimi ſuffragio, *nulla Medicina omnino erat optima.* Sed nolo de re cuivis, puto, notiſſima & exploratiſſima, plura nunc incaſſum huc congerere exempla ac teſtimonia: Quare hæc jam de hæmorrhoidibus, ſufficiant.

§. XXIX.

Ex eadem vero ratione, nec tutum ſemper eſt, nec ſalutare, ipſas quoque ſordidas *ani fiſtulas*, præſertim inveteratas, & in corpore potiſſimum ſenili & effœto, vel acuto ferro exſcindere, vel candenti lamina exurere; vel aliis denique remediis repellentibus, adſtringentibus, aut exſiccantibus, perſanare ac conſolidare. *Veteres enim*, bene monente *Paræo* (b), *& quæ per multos annos fluxerunt, fiſtulæ, ſi ſubito occludantur, mortem inferunt, in corpore præſertim ſenili & infirmo.* A cujus vera omnino ſententia haud alienus eſt *Scultetus* (c), multo minus autem *Foreſtus* (d), qui ſingulari potius exemplo oſtendit, quam atrocia ſymptomata illico inſequuta ſint fiſtulam ejusmodi ſuppreſſam, & quam ſalutaria e contrario ſigna confeſtim apparuerint, eadem denuo recluſa: quod ipſum novis aliquot exemplis illi prorſus geminis, noſtra quidem ætate, uberius confirmarunt *Stahlius*, *Hoffmannus*, *Storchius*, *Dranius*, *Garengeotus*, ipſe *Heiſterus*, & alii. Neque ſane id mirum, aut rationi & experientiæ contrarium. Sunt enim hujusmodi fiſtulæ

(z) Lib IV de *Morb. Epidem.* pag. 766. Tom. I. Opp. per LINDEN.
(a) Lib V. de *Morbis Epidemicis*, pag. 775. Tom. I. Opp.
(b) *Opp. Chirurgicor.* Lib. XII. Cap. 21. pag 391.
(c) *Armament. Chirurg.* Part. I. Tab. XLV pag. 179.
(d) *Obſ. Med.* 14 Lib. XXIII. pag. 493. ubi vid. & inprimis adjecta Scholia.

ſtulæ canales quaſi ac re vera fiſtulæ, per quas omnia totius corporis purgamenta, in unum veluti alveum ac receptaculum, ibi derivata & collecta, ſalutari providæ ac ſolertis naturæ conſilio & beneficio, ſenſim corpore eliminantur. Quod licet, pro more, breviſſime, tamen ſapientiſſime, ita dudum ipſe noſter pronunciavit *Hippocrates* (e), ἄλλαι ἀποςάσιες, οἷον σύριγγες, ἑτέρων ἄκος, *alii abſceſſus, veluti fiſtulæ, aliorum abſceſſuum ac morborum Medelæ ſunt*: quod egregie prorſus & copioſe ibi explicuit *Galenus* (f). Unde nunc ſua ſponte ſequitur, illas apertas relictas, & aptis ſubinde lotionibus ac fotibus, ſeu fomentis, frequentius emundatas, ne ſcilicet neglectæ ſordeſcant, aut computreſcant, corpus ipſum a repentino variorum morborum incurſu diutius per vitam, tutum & immune præſtare; occluſas contra & obſtructas, ob denegatum nempe ſordibus illis conſuetum liberum exitum, hincque in corpus ipſum interius ſubito refluis ac retrogradis, & atrociores morbos, & feſtinatas mortes ſæpius inducere. Quare, ut ex hactenus dictis manifeſto, opinor, liquet, præſtat omnino, ejuſmodi perpetuam privatæ quaſi cloacæ ſervitutem, quamvis ingratam & nonnihil moleſtam, patienter tolerare, ob ſperanda inde vitæ ſalutisque commoda; quam eandem impatienter amoliri, ob metuenda exinde invaletudinis & mortis ipſius pericula. *Vidi enim*, recte inquit *Valeſcus* (g), *aliquos ejuſmodi fiſtulam habentes, quam non multum curabant, & parvi faciebant, (idque ex conſilio peritorum) per multum tempus viventes.* Immo, *multos vidimus*, ſcribit *Hieronymus Fabricius* ab *Aquapendente* (h), *qui fiſtulas habuere circa anum, per XV. aut plures annos, & ſaluberrime vixerunt.* Quin & nobismet ipſis notus quondam fuit vir illuſtris & literatiſſimus, qui ultra viginti annos, illius modi fiſtulam apertam ſuſtinendo, inoffenſa prorſus ſanitate, inter arduos & continuos variorum ampliſſimorum munerum labores, ultimam vegetæ ſenectutis lineam attigit, donec ſenili demum marcore, dormienti propior, quam morienti, placide ſolveretur.

§. XXX.

Eodem vero cum illis, fere loco, etiam habenda ſunt *ulcera* iſta annoſa, ſordida, humida, pruriginoſa, calloſa, in pedibus cruribusque

(e) Lib. de *Humor.* pag. 326. & Lib. VI. *Epidem.* Sect. III. pag. 806. qui quidem locus ex iſto priore, emendari debet.

(f) In *Comment.* in Lib. de *Humor.* Conf. huc inprimis MARC. AUREL. SEVERINI, Lib. IV. de *recondita abſceſſuum natura*, Cap. 30. pag. 305. ſqq. ubi plura, quæ huc ſpectant, lectu digna.

(g) Apud FORISTUM, in Schol. ad Obſervat. XIV. Lib. XXIII. pag. 496.

(h) Lib III. *Pentat* [illegible]. Cap. XI ex quo memorabilem iſtum locum denuo retulit Jo. SCHENCK [illegible] CCXXV. Lib. III. Tom. I. p. 692.

que maxime enata, *Chironia* vulgo dicta, item *Telephia*: quæ quippe incurata ſibique relicta, niſi maligna facta fuerint, in corporibus præſertim ſenilibus, ſanitatem ſæpe diutius præſtant integram; intempeſtive autem curata ac conſolidata, graviſſimis morbis juxta mortibuſque ipſis repentinis funeſtam frequentius præbent originem, quoniam iſti errores irrevocabiles circa ejusmodi temerarias curationes commiſſi, maximis vitæ & ſanitatis detrimentis plerumque expiantur (*i*). Sunt enim iſta ulcera chironia, æque, ac non nullæ fiſtulæ, ſuperius commemoratæ, quædam veluti conceptacula, ſeu emiſſaria, in quæ quidquid vitioſi corruptique humoris, corporibus inprimis effœtis & ſenio jam confectis, ineſt, in ſalutarem expurgationem, corrivatum, ſingulari naturæ ſagacis providentia, ſenſim deponitur, ac tandem, per ſtatas temporum vices, exterminatur. Hinc ſolers prudensque Medicus intentiſſimo cavere debet ſtudio, ne ſalutares ejusmodi fontes, licet ſordidos, remediis præpoſtere admotis, ſubito areſaciat, ac cum extremo periculo averſi & retropulſi humoris ſanioſi, plane exſtinguat, ſicque cum ſero ac nihil profuturo pudore, & inani pœnitentia, cauſſam repentinæ mortis ipſe ſubminiſtret evidentiſſimam. *Nam extrinſecus cæpta Medicamenta*, optime monente *Vegetio* (*k*), *morbum non eximunt*; *ſed ad interiora compellunt*, *& hac ratione periculum generant*. Hinc memor potius ſit ille iſtius effati *Ovidiani* prudentiſſimi (*l*):

Ulceris id genus eſt, *quod*, *quum ſanabile non ſit*,
Non contrectari, *tutius eſſe puto*.

§. XXXI.

Innumera enim pene mala atrocia & immedicabilia ex male ſedula maleque ſana ulcerum id genus vetuſtorum ac pertinacium, ſanatione, illico oborta fuiſſe, ubivis, exemplis quam plurimis funeſtis, luculentiſſime docent docti induſtriorum Medicorum commentarii, e quibus pauca tantum de permultis, eaque inſigniora & attentione digniora, jam quidem in medium adferre animus eſt. Sic diram protinus ſucceſſiſſe maniam, in viro, vidit *Amatus Luſitanus* (*m*), in puella, *Foreſtus*

(*i*) Conf. huc SEIDELIUS, de *Morb. incurabil.* pag. 88. HILDANI *Obſ.* 39. Cent. III. pag 182. TIMÆI a GULDENKLEE, Caſ. 28. Lib. I. pag. 61. præſertim autem CRATONIS a KRAFTHEIM *Epiſtol. Medicinal.* & HEISTERI *Inſtitut. Chirurg.* Part. I Lib. V, Cap. 1. pag. 327. & Cap. 7. pag. 342. ſqq. item Jo RHODII *Analecta* in SEPTALII *Caut. Med.* Lib. VIII. p. 611. ſqq. ut & RIVINI Diſſ. de *Morbo retrogrado*, p. 744. quibus add. Auctores mox laudandos.
(*k*) Lib. I de *Mulomed.* Cap. 9.
(*l*) Lib. II. *ex Ponto*, Eleg. 2.
(*m*) *Curat.* 67. Centur. II ubi hanc in rem, plura.

Foreſtus (*n*), epilepſiam & convulſiones, poſt *Hippocratem* ipſum (*o*), *Pechlinus* (*p*), zoſtera, ſeu zonam, hoc eſt, teterrimam illam & plerumque letiferam, Eryſipelatis ſpeciem, *Langius* (*q*), intolerabiles prius dolores, deinde mox triſtem ipſius dulciſſimi luminis orbitatem, *Timæus* a *Guldenklee* (*r*), ſævam pleuritidem, dyſpnoeam & alia graviora thoracis mala mortifera, poſt ipſum *Hippocratem*, *Ballonius* (*s*), & præſertim *Hildanus* (*t*), qui ſimul ibidem, cum ſumma admiratione, obſervavit, materiam iſtam ab illo miſero ægroto, durante iſto fatali morbo, ore continuo rejectam, eandem plane odorem, colorem & externam ſpeciem formamque fuiſſe, qualis antea, ex aperto cruris ſiniſtri ulcere, inſigni iſtius viri levamine, emanaverit. Quale diriſſimum etiam ſymptoma, poſt intempeſtivam infelicemque vetuſti ejuſmodi ulceris cruralis conſolidationem, pariter obtigiſſe narratur (*u*) Leopoldo quarto, Duci Auſtriaco, vulgo ſuperbo ac glorioſo dicto, qui una cum fœda ſanie, atro ſanguine permixta, patente cruris ulcere alias effluere ſolita, indignantem animam per os juxta nareſque, ceu totidem nova oſtia, teterrimo omnium aſpectu, & terrbiili fœtore, horreſco referens, flebiliter emiſerit: cujusmodi ſanioſum fœtidumque ſaporem, præſertim jejuno adhuc ore, idem ille miſerrimus cæcus percepit, cujus ſupra ex *Timæo* mentio fuit injecta. Denique, ut finem tandem faciam, *Adrianus* narrat *Spigelius*, apud *Rhodium* (*x*), ſeſe Viennæ, quondam vidiſſe puellam, cui ex male perſanato pedis ulcere, letiferum fere ſanguinis ſputum obortum fuerit, quod & alibi notarunt *Bonetus*, *Platerus*, aliique plures.

§. XXXII.

Quibus omnibus nunc ſubnectere liceat tria tantum exempla recentiora, notatu certe perquam digna, a nobismet ipſis quondam, non ſine animi dolore, obſervata. Ante hos ergo ſeptemdecim quaſi annos,

(*n*) *Obſ. Med.* 24. Lib. X. pag. 201. ſeqq.
(*o*) Lib. VII. de *Morbis Epidem.* pag. 872.
(*p*) *Obſ. Phyſicomed.* 30. Lib. II. pag. 291.
(*q*) *Epiſt. Medic.* 32. Lib. I. pag. 133.
(*r*) *Caſ. medicinal.* 28. Lib. I. pag. 61.
(*s*) Lib II. *Epidemiorum* & *Ephemeridum*, pag. 130. Ipſe vero ille ſingularis HIPPOCRATIS locus, quem obiter tantum ibi allegat BALLONIUS, non indicata tamen ipſius ſede propria, extat Lib. IV. de *Morb. Epidem.* initio, pag. 742. & lectu eſt digniſſimus: Vid. autem alios memorabiles hanc in rem, caſus, apud eundem BALLONIUM, ibidem, pag. 209. item pag. 247. pag. 248. & pag. 249. denique pag. 256.
(*t*) *Obſervat. Chirurg.* 39. Centur. III. pag. 182.
(*u*) A GERARDO de ROO, in *Annalibus Auſtriacis*, Lib. IV. fol. 162. ſeqq.
(*x*) *Obſ. Med.* 35. Cent. II. pag. 72.

nos, principem quendam vidimus imperii venerabilem, bello olim ſtrenuum, qui cetera quidem recte valebat, quantum nempe ejus admittebat ætas, in ſenium jam declivis, nihilque ex occidua illa ſenectute, ſentiebat incommodi, præter ulcus hujusmodi Chironium, quod per complures jam annos, in dextro crure, animi virtute, ſat patienter ſuſtentaverat. Tandem autem, ut ſunt moroſi plerumque ac difficiles ſenes, lentitudinis & continuatæ illius exulcerationis prurientis pertæſus, opem poſcebat a Medicis artis ſuæ peritiſſimis, ut ſcilicet inexplicabili morbo confeſtim liberaretur: illis autem *nullam hic Medicinam optimam eſſe*, uti par erat, vere pronunciantibus, ſerioque hinc ſuadentibus, ut nihil deſideraret, quod vel mœrore, vel pœnitentia nimis ſera, dignum eſſet, ac licet tædium ex mora naſceretur, pericula tamen ſemper majora ex properantia fore metuenda: nihilo minus tamen infauſto prorſus conſilio, in nocivum veluti auxilium, accitur Chirurgus quidam temerarius, qui lucro potius ſuo ſordido, quam pretioſæ principis ſaluti, intentus, remediis valentioribus, ex adſtringentium & exſiccantium claſſe, ulcus illud rebelle & pervicax utcunque conſolidat & ad indecoram cicatricem imprudenter perducit: ſed tam ſiniſtro quidem cum eventu, ut paullo poſt, præcordiorum totiusque pectoris gravitas, ſpiritus difficultas, continua vigilia, longum cibi faſtidium, torpidus artuum languor, lenta totius corporis macies, gravis mœſtusque veternus, & mors tandem ipſa, omnibus ſuis perquam luctuoſa, ſubſequerentur: quum tamen antea, omnia fere vitæ ſuæ tempora, per hoc moleſtum licet, naturæ in ſua commoda vigilacis, beneficium, inoffenſa valetudine, pervixiſſet.

§. XXXIII.

Similis autem intempeſtiva ulcerum cruralium curatio, decem nunc fere anni elapſi ſunt, feſtinavit fata celebris cujusdam per Europam, Bibliopolæ. Rogatus ergo ab amicis, ecquid ſpei ad ſalutem tam chari ipſis quoque principibus, capitis, adhuc ſupereſſet? Ex lurido vultus pallore, ſpirandi plurima difficultate, tuſſi vehementi & arida, voce obtuſa & rauca, thoracis gravedine, odoris tetri ſpiratione, calore per vices, febrili, hypochondriorum duritie, aqualiculo extante, ciborum faſtidio, aliisque id genus ſignis admodum ſuſpectis præſentibus, candide tum prædixi, jam ſenſim labi ſpiritum miſero, nec ultra ſex hebdomadas forſan duraturum. Neque ſane poſtea multum fefellit augurium. Quinta enim hebdomade exeunte, in via, ſuffocatione ſubita extinctus fuit, quum ex nundinis Francofurtenſibus redux, exoptatum in patriam reditum meditaretur, repugnantibus tamen fatis, longiſſime ab hac ſua deſtinatione, nequicquam mente, heu futuri ignara! concepta, in terra peregrina tumulatus, & a ſuis domi relictis, lætumque

tumque chari mariti ac patris adventum fruſtra expectantibus; tanto acerbius defletus.

§. XXXIX.

Circa idem fere denique tempus, morte quaſi haud ſimplici, miſerrime periit alius vir generoſus, cui pariter vetuſtum pedis ulcus infeliciter perſanatum fuerat. Quum igitur materia illa vitioſa corruptaque, verſus interius corpus reflua, nares ejus teterrimo tumore adeo oppleviſſet, ſaxeisque veluti nodis & tofoſis humore verrucis protuberantibus, horrendum fœdaſſet, ut tam deforme ingenui oris dehoneſtamentum diutius placide ferre haud poſſet; blanda, at inani, pro ſe ſperandi, dulcedine illectus, in ſua demum damna, arceſſivit Chirurgum, artis ſuæ plane imperitum, qui medicamentis violentiſſimis, rodentibus nempe & adurentibus, durum illum atque intractabilem tumorem, jam per ſe malignum, adeo uſque exaſperaverat, ut in inſanabile prorſus carcinoma tandem degeneraret, quod celeriter ſerpendo, penetrandoque, uſque ad ipſa oſſa, corpus voraret, unde febre tabifica, & aſthmate ſpaſtico, aliisque luctuoſis malis ſuccedentibus, mors tandem exoptata ineluctabili illi calamitati finem impoſuit deſideratiſſimum. Qui diro ſuo exitio ſic devotus, jure hinc exclamare poterat notum illud poëtæ, patria pulſi & exulantis (y):

Sed vereor, ne me fruſtra ſanare labores:
Nec juvet admota, perditus æger, ope.

§. XXXV.

Credibile igitur, immo vero etiam probabile videtur, his omnibus aliquandiu ſpiritum adhuc prorogari potuiſſe, niſi intempeſtive juvando, providæ ſolertisque naturæ officia interrupta fuiſſent, iſtis nimirum fontibus ſalutiferis in pedibus potiſſimum exortis, præter ullam rationem, aut neceſſitatem, obſtructis & obturatis. *Nulla enim hic Medicina optima potius erat*, & veriſſimum illud *Siracidæ* effatum (z), Μακρὸν ἄῤῥωςημα σκώπτει ἰατρὸν, *magnus & inveteratus morbus Medici eſt ludibrium*, vel, *Medici artem plane eludit*, ut nos quidem locum illum controverſum legendum eſſe, vere forſan cenſemus: licet in alia opinione verſentur viri magni, *Hugo Grotius* (a), & *Joachim Kühnius* (b).

Vidi-

(y) Lib. I. *ex Ponto*, Epiſt. III. 321.
(z) Cap. X. v. 10.
(a) In *Comment.* ad iſtum SIRACID. locum, pag. 119. Tom. III. *Commentar.* in *Vet. Teſt.*
(b) *Quæſt. Philol.* IV. Pentad. I. pag. 10. ſeqq.

Vidimus tamen poſtea gaudentes, eandem quoque conjecturam, dudum ante nos, ſubnatam & approbatam fuiſſe viro longe doctiſſimo *Joanni Pricæo* (*c*). Ceterum ejusdem fere ſententiæ, cum iſto ſacro loco, eſt illud *Dionis Chryſoſtomi* (*d*), Νόσημα ἐν πολλῷ συμπεφυκὸς οὐ ῥᾴδιον ἀπαλλάξαι τοῦ σώματος, *morbum a longo jam tempore concretum & inveteratum haud facile ſane licet e corpore expellere.* Quo & potiſſimum pertinet iſtud *Claudiani* (*e*),

Veteri poſt obruta morbo
Corpora, pæonias nequicquam admoveris herbas,

Nec non illud quoque alterius poëtæ, ſi recte memini:

Non eſt in morbo facilis Medicina vetuſto.

Sed hæc quidem philologica, dulciſſima elegantiorum literarum memoria, uti, lectorum pace, hic interponeremus, ſola effecit.

§. XXXVI.

Verum unum tantum adhuc allegare nunc liceat *caſum Chirurgicum*, de *aure fracta*, ubi ipſo quidem malo deterior ſolet eſſe Medicina: quem in communes humani generis uſus, ad cavendum præcipue, ac vitandum, candide & perſpicue ipſe expoſuit *Hippocrates* (*f*), cujus tamen ſententiam verbis potius latinis, quam græcis, referre hic placet, ne ſcilicet ipſa græca, locus enim aliquanto longior ac verboſior eſt, nimia ſua copia, faſtidium forſan pariant ipſius hujus uberrimæ & venuſtiſſimæ linguæ haud ſatis gnaris, ut nempe ſunt perquam rari hodie philogræci. Sed en ipſa nunc *Hippocratis* verba: *At vero, ſi auris fracta fuerit, deligationes omnes inimicæ ſunt. Neque enim ita laxam quis circumdare poterit. Si vero magis premat, majus malum operatur. Nam & ſana auris, deligatione compreſſa, dolore, & pulſatione, & febre afficitur: ſed & cataplaſmata peſſima quidem omnino ſunt, quæ graviſſima fuerunt. Verum & alia pleraque omnia mala ſunt, & abſceſſus inducunt, & mucum largiorem ſuggerunt, & deinde ſuppurationes noxias: his autem fracta auris minime indiget. Proximum tamen locum obtinet, ſi quid imponi debet, farina viſcoſa, quam neque ipſam gravem eſſe oportet. Contingere vero, quam minime conducit.* Quibus demum verbis ſubjungitur ſaluberrimum illud præceptum, cujus potiſſimum occaſione, noſtram hanc commentationem ſupra exorſi ſumus: Ἀγαθὸν γὰρ ἐνίοτε φάρμακον, τὸ μηδὲν φέρειν φάρμακον, καὶ πρὸς οὖς, καὶ πρὸς ἄλλα πολλά: *Bonum enim aliquando Medicamentum eſt, etiam nullum adhibere Medicamentum, & ad aures,*

(*c*) In *Commentario* ad Lucæ Cap. VIII. 43. pag. 256. Operis in N. T.
(*d*) Orat. XLI. pag. 500.
(*e*) Lib. II. in *Eutropium*, v. 11. ſqq.
(*f*) Lib. de *Articul.* §. XXXV. pag. 791. Tom. II. Opp. per Linden.

aures, *& ad multa alia:* Hactenus quidem ille. Quorſum & reſpexit *Paullus Ægineta* (g), de eodem tractans argumento: Οʿ μὲν Ἱπποκράτης παραινεῖ, μηδὲν ἀ τοῖς προσφέρειν, *ſuadet quidem & monet Hippocrates*, *nihil quidquam remedii auribus fractis applicare.* Quibus conſona fere ſunt illa notiſſima *Ovidiana* (h):

Curando, fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius, non tetigiſſe, fuit.

§. XXXVII.

Superſunt quidem nonnulli adhuc morbi, quibus illa *Hippocratis* ac poëtæ commode aptari poſſunt, quum nempe medendo, gravius invaleſcant, & cohibendo, latius ſerpant, dum illos major quaſi armat ſævitia, quam ut tuto feliciterque expugnari poſſint: ſed ne longior digreſſio confuſionem tædiumque magis legentibus, quam inſtructionem, afferat, illos ipſos nunc quidem intactos relinquere præſtat, manumque tandem de tabula tollere placet. Longum enim hic nimis eſſet, ire per ſingula: ſufficiant igitur hæc vel pauca, de plurimis; ſatisque ſit, nos & in præcipuis, non ſubtraxiſſe veritatem, & in multis, diligenter vitaſſe faſtidium. Interim ex hactenus commemoratis jam abunde, opinor, liquebit. ***Nullam Medicinam interdum eſſe longe optimam ac tutiſſimam:*** præſertim vero in illis morbis; quos, ut cum ipſo noſtro *Hippocrate* (i) loquar, μὴ δεῖ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν, *nec movere oportet*, *nec novare*, *neque Medicamentis*, *neque aliis irritamentis*, *ſed potius intentatos præterire:* ex quorum nempe claſſe, quosdam jam ſupra, curſim recenſuimus.

§. XXXVIII.

Prudens igitur, pius, probusque Medicus, famæ atque conſcientiæ inprimis ſuæ, recte conſulturus, videat potiſſimum, ne noceat, dum prodeſſe cupit, nec ſalutis humanæ præſide arte, non ſolum peſtem, ſed hanc etiam atrociſſimam, alicui ſua culpa, inferat, ita, ut ea, quæ ſanare nequit, potius fœde exulceret, vetusque malum hinc novo malo augeat: quin contra, auream illam ingenioſiſſimi *Luciani* (k), regulam, ad inſtar metæ præfixæ, ad quam enixe contendat, ſemper irretorto veluti oculo, contempletur, pedeque inoffenſo ſequatur, quam ille

(g) Lib. III. Cap. 23. pag. 37. Edit. Græc. *Aldinæ*.
(h) Lib. III. *ex Ponto*, Epiſt. 7.
(i) *Aphoriſ.* 20. Sect. I.
(k) In *Abdicato*, pag. 162. Tom. II. Edit. Operum noviſſimæ & nitidiſſimæ, per clariſſimos Viros, Reitzium atque Gesnerum, ingenti rei literariæ commodo, curatæ ac publicatæ.

LIBRARY
SCHOOL OF MEDICINE

ille facetiarum & urbaniorum ſalium pater, ſuaviſſimis quidem verbis; olim, in Medicorum uſus, ita propoſuit: πάντων πρῶτον διδασκόμεθα συνορᾶν, εἴτε ἰάσιμόν ἐστι τὸ νόσημα, εἴτ᾽ ἀνήκεστον, καὶ ὑπερβεβηκὸς τοὺς ὅρους τῆς τέχνης. Καὶ τηνικαῦτα, ἢν μὲν εὐμεταχείριστον ᾖ, ἐπιχειροῦμεν, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐσφερόμεθα, σῶσαι τὸν νοσοῦντα· ἢν δὲ κεκρατηκὸς ἤδη καὶ νενικηκὸς τὸ πάθος ἴδωμεν, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν προσαπτόμεθα, νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες, οἵ φασι, μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις. *Omnium primum obſervare docemur, ſanabiliſne ſit morbus, an inſanabilis, tranſiliatque ipſos artis terminos? Ac tum, ſi ejuſmodi ſit malum, ut commode poſſimus adgredi, adgredimur, totoque adnitimur ſtudio, ut ægrotum quidem ſervemus. Sed ſi morbum jam invaluiſſe ſuperaſſeque viderimus, nec manum omnino admolimur, ſic vetuſtam quandam primorum Medicinæ parentum legem obſervantes, qui negant, tentandos eſſe morbos, qui jamjam invaluerint.* Quibus poſtremis verbis, reſpicit haud dubie *Lucianus*, ut id obiter hic adjiciamus, ad *Hippocratem* ipſum (*l*), ex quo, ceu perenni uberique fonte, poſtea eandem ſapientiſſimam ſententiam certatim quaſi, hauſerunt, ſuoſque veluti hortulos eadem irrigarunt, *Aretæus*, *Galenus*, *Alexander Trallianus*, *Baſilius Magnus*, *Joannes Chryſoſtomus*, *Iſidorus Peluſiota*, & ex latinis, *Cicero*, & alter Medicorum Cicero; *Cornelius* inquam *Celſus*, *Apulejus*, aliique plures: qua de re plenius doctiuſque olim jam tractavit *Conradus Rittershuſius* (*m*).

§. XXXIX.

Imitentur ergo, ſerio ſeduloque ſuadeo & hortor, omnes prudentiores Medici nobile illud *Fabii* iſtius *cunctatoris* exemplum, ſique, ut ille quidem, rem non reſtituant cunctando; at caveant tamen, ne perdant eam feſtinando: ſequanturque hinc potius ſemper, quoties nempe ſumma neceſſitas exegerit, prudentiſſimum ipſius monitum, apud *Livium* (*n*), quo ipſo nunc huic noſtræ Diſſertationi colophonem tandem imponere placet:

Medicos plus interdum quiete, quam movendo
atque agendo, proficere.

(*l*) Lib. de *Arte* §. XIV. pag. 8. Tom. I. Opp. per LINDENIUM.
(*m*) Lib. IV. *Lectionum Sacrarum*, Cap. 22. pag. 342.
(*n*) Lib. XXII. Cap. 18. Conf. Jo. BENEDICTI SINIBALDI *Antiphon* HIPPOCRATIS, Lib. II. pag. 53.

TANTUM.

CCXXX.

GEORGII ERNESTI STAHL
ET
GODOFR. SAM. RÆSCH
DE
ALTERANTIBUS ET SPECIFICIS.

Hallæ, 1703.

PROOEMIUM.

DIvum Platonem memorant, annulo ſuo inſculptum geſtaſſe : Facilius eſſe movere quietum, quam cohibere motum : *qua nempe elocutione indigitare ſine dubio voluit, Philoſophus ſacri naturæ ordinis devotus admirator, quod in hac univerſa rerum natura, omnia quæ ſenſibus noſtris patent, paſſioni, ab activo quodam principio ſuſcipiendæ, ita deſtinata ſint, ut univerſa autopſia & experientia hoc monſtret, quod illa longe facilius in actione illa, quam in ſe ſuſcipiunt, augeantur, quam ut illa quamcunque jam ſuſceperant, minuatur. Rectiſſime vero Philoſophus ante omnia* motum, *hæc incrementa potius, quam decrementa, prompte admittere & exſequi monet; ſicut enim, ſi res ad amuſſim perpendatur*, motus *tale eſt negotium, quod verum ſummum genus omnis* actionis *conſtituat; adeoque de omnibus etiam actionibus valere hoc poſſit, quod illæ, ſicut etiam exempla probant, veluti facillime, ſive in majus, ſive in aliud, commoveri atque dimoveri poſſint : ita valet hoc tanto magis de ſtricte dicto phyſico illo, in corporibus celebrato, motu, ut iſte mirum quam facile, magis incitari, quam ſiſti atque ſupprimi poſſit. Ex innumerabilibus hujus rei exemplis licet illud in medium producere, quod, ut in momenta velut obvium, ita tanto minus a quoquam forte conſideratum, contingit, quando mediocris canis, ſive pavimento, ſive ſedili, innixus, pellem ſuam atque dorſum acrius ſcalpit; aut e ſedili, aut menſula in pavimentum deſilit : ex utroque*

hoc motu ſolenniſſimum eſt, ut totum illud conclave ita contremiſcat, ut etiam feneſtræ fremebundo ſono hinc afficiantur, & inprimis liquidorum in conclavi ſtantium ſuperficies ita agitentur, ut non ſolum nudis oculis agitatio conſpici poſſit, ſed inprimis radii forte ſolis per hanc ſuperficiem ad parietem reflexi, tremoris hujus, & eximiam & diuturnam efficaciam, magis conſpicuam reddant. Ita pondus bono magneti, ad exquiſitam tolerantiam appenſum, curruum propius juxta domum prætereuntium, in ipſam domum efficaci tremebunda concuſſione, per ipſum late commotum ſolum, a magnete excuti, atque ut decidat dimoveri, quotidiano ſpectaculo videmus &c. Quales quidem leviſſimi primo aſpectu motus, potius, famoſum illum hodie, circulum ſuum, in libero aëre, tanquam mobiliſſima utique ſubſtantia, conſumere debebant, & a non minus famoſa illa reſiſtentia tam immanium molium ſupprimi & ſtatim in nihilum redigi debebant, quam ut ullam, nedum adeo inſignem ac fortiſſimam, efficaciam in iſtas tranſmitterent. Sicut autem hoc ita utique uſu venire videmus in talibus ſubjectis, quæ ſolo illo univerſali motu agitantur atque afficiuntur; ita tanto magis hoc viſitur in ejuſmodi ſubjectis, quæ proprio quodam agente movente *inſtructa obſervantur; quod non ſolum in genere* motus, *ſed in ſpecie* certos *plane* motus, *in iſtis excitat atque agitat: qualia nempe ſunt corpora* animalia viva. *In his enim obſervatur atque deprehenditur, non illud ſolum in genere, quod longe facilius, etiam impedimentis objectis, ita exacerbetur, ut nihilominus, ſive illos ipſos motus pertinaciſſime proſequatur, ſive his quidem tantiſper omiſſis, alios interim, motus inquam, nihilominus, aggrediatur: ſed tanto magis in illis motibus, quos præſtare ordinarie conſuevit, adeo facillime atque promptiſſime, ad majorem impetum exſtimuletur, ut longe utique ſæpiſſime, nihil ad imaginariam proportionem corpoream, ſeu quantitatem exiguam ſtimuli exhibiti, operetur, & immenſum quantum plus præſtet, quam harum rerum imperiti, ſive bona fide intenderint, ſive expectaverint, ſive, deſtituti experientia, crediderint. Quam proclive autem eſt, motus ita intendere atque provocare, tam difficile utique eſt factu, illos, & imprimis quidem placide, recte, conſtanter atque decenter cohibere. Et ſubeſt hic iterum omnino modo citatus duplex reſpectus, inter motum in ipſa materia, a poſteriori, cohibendum atque ſiſtendum; & eundem a priori potius, ex parte ipſius agentis, motus in aliqua œconomia corporea dirigentis, interpellare, divertere, deflectere. Sicut enim ex allegatis exemplis colligi poteſt, quam facili impulſu, motus ille univerſalis totius macrocoſmi ſyſtematis, intendatur potius quam minuatur; ita quicquid ab illius influxu fovetur, juſta conſequentia, longe difficilius utique cohibetur, quam incitatur potius & exſtimulatur. Videmus hujus rei non ſolum exemplar, ſed deprehendimus etiam indies experimenta, in duplici illa diverſa intentione & indicatione, alterationis, & evacuationis in corpore humano. Cum enim tota hujus œconomia eminentiſſime ad evacuationes rerum heterogenearum atque noxiarum, variis indeſinentibus motibus inſtruendas atque perpetrandas, inſtituta*

inſtituta ſit: & hoc non ſolum jugiter, & perpetuo ſucceſſu ita proſequi & exſequi, & poſſit & ſoleat: neque in hoc opere, ſive ſoleat ſive debeat ceſſare, & materiarum potius mutationem ſeu incertam ſive tardam, præſtolari, ſed illas potius totas mature e toto corpore proſcribendo, eo ipſo noxium illarum effectum certiſſime amoliri: fit inde, ut in hoc quidem ſcopo atque officio, longe facillime, & vel leviſſimis ſubſidiis recte applicitis, efficaciſſime promoveatur: expectationes vero ſegnes, & motuum talium debitorum ſive neglectum, ſive qualescunque ſufflaminationes, longe ægerrime ferat: iisque ſive ſtatim in impatientes tumultus & violentias incitetur: ſive interpellato juſto ſuo atque debito agendi proceſſu, circa exitum tandem deficiendo, graves committat errores: imo quo difficilius & periculoſius fuit totum negotium, univerſa denique ſpe ſua, corpus ſuum conſervandi atque liberandi, funeſto eventu excidat. Hæc cum ita ſe habeant, poſcere videtur ſana ratio, ut Medicus bene perpendat, an, & quibus in caſibus, imo vero quouſque etiam, ſpem aliquam in alteratione collocare, & hanc potius, quam evacuationes quærere atque tentare ſit integrum, ne forte & illius bono effectu atque eventu deſtituatur atque excidat; & interim neglectis, quas reſpicere & promovere debebat evacuationibus, vel interpellatis, imo plane aliena medicamentorum efficacia impeditis & cohibitis, detrimentum potius quam adjumentum ægrotis offerat. Hæc certe res cum eximiam conſiderationem mereatur, invitavit nos ad exquiſitiorem ſui conſiderationem, Speciminis inauguralis loco ſuſcipiendam, qua nempe, cum in occaſionem, rationem, & veritatem medicamentorum ita dictorum Alterantium *inquiremus: tum ſimul de eximia illorum ſpecie,* Specifica *appellant, quid intelligamus, ſciamus, & ſentiamus, ediſſeremus.*

Adſit & benedicat noſtris conatibus Deus ter optimus maximus, ut & veritatem aſſequamur, & utilitatem aliquam, ſtudio noſtro hiſce diſquiſitionibus afferamus.

SECTIO I.

Alterationis indolem conſiderans.

ALterationis nomen ſcholis medicis nihil aliud denotat, quam in genere quidem *mutationis*, in ſpecie vero *correctionis*, nempe mutationis maxime in *melius*, non minus ſcopum quam effectum: ideo, quando in Medicina *alterationis* fit mentio, & τὸ *alterare*, medicamentis tribuitur, ex ipſa acceptione nominis, & efficaciæ medicamenti, ſolenni, *mutatio* illius, quod corpori malum atque *noxium* eſt, in *melius*, corpori nempe bonum & *utile*, intelligatur. Conſiderandum autem eſt, de quibusnam *materiis* ſeu ſubjectis dicatur, quod *alterationem* poſcant aut admittant: ubi quidem non ignotum eſt, quod etiam *motibus* alterationes deſtinentur; ut nimirum illi aliter, quam nunc, fortaſſe perperam, adminiſtrentur, inſtruantur, atque in melius vertantur: interim potiſſima utique ratio atque conſideratio hic maxime eſt *materiarum*; & imprimis quidem *fluidarum* ſeu humorum: de ſolidis non ſine peculiari reſpectu, ſive ad humores, ſive ad motus, minus adhiberi ſolere vocabulum *alterationis*, certum eſt. Sicut autem *motus*, in humano corpore *vitales*, plerique omnes directe *evacuationibus* dicati ſunt atque velificantur; ita alteratio ſtrictiſſimo ſenſu, & quatenus evacuationi non ſolum contradiſtinguitur, ſed rem recte æſtimando, potius opponitur, de illis motibus ſeorſim dici non poteſt. Cum enim excretiones propterea proprie fiant, quoniam *materia* quæ excernitur, ſive *quantitate*, ſive *qualitate* aliena, moleſta, imo noxia, ſive jam eſt, ſive proxime ita diſpoſita, ut propterea in corpore non tolerari, ſed ex illo dimoveri debeat: propterea ſi ita corrigi poſſit, ut non amplius noxia, imo nec moleſta corpori maneat, tunc retineri omnino poteſt non ſaltem, ſed rem potius recte æſtimando, retineri omnino *debet*. *Retineri* vero debere, *& excerni* debere, ſunt utique contraria. E qua conſideratione, cum manifeſto eluceſcat, quod *alteratio* non tam de *motibus* vitalibus, ut pote qui omnes *excretionibus* velificantur, prædicari poſſit, firmum proinde ſtatim in ipſo limine, atque ratum nobis etiam illud erit, quod *alterantia* eminenti & ſolenniore ſignificatu, præcipue & proprie, de *humoribus* & dici ſoleant, & intelligi debeant. Evolvemus autem hoc atque deducemus paulo prolixius, ut tandem, quid de rebus hiſce ſentiendum ſit, luculentius innoteſcat.

CAPUT

CAPUT I.

Quid dicatur & intelligatur per vocabulum alterationis.

NOn prolixe ſoliciti erimus, ſive de dignitate & antiquitate, ſive de varia acceptione, vocabuli alterationis: neque vero quæſtionem ſtatus, ut loquuntur illi, ſive moverimus, ſive temere motum iri timebimus, quam antiquum nempe, qua expreſſione apud *græcos* qua apud *Arabes* denotatum fuerit; ſufficiet nobis dixiſſe, quod & res ipſa antiquis quam maxime cognita, & ipſa explicatio græci nominis a priſcis *Galeni* interpretibus, alterationis vocabulo ſatis commode præſtita & exhauſta, videatur:

Quemadmodum enim v. g. *Meth. Med. Lib. II.* vocabulis μεταβολῆς ϰ ἀλλοιώσεος, non aliter; quam in reciprocam explicationem, velut in ſubſidium, utitur; ita *illam* quidem, *translationem* in aliud quiddam, *hanc* vero, quaſi magis abſolute talem *alienationem* denotare, qua ex una quadam re, *aliud* quiddam fiat, in propatulo eſt.

Quando vero non tam nominis, quam ipſius rei conſideratio inſtituitur, manifeſtum ſatis eſt, quod μεταβολῆς quidem vocabulum, magis directe & abſolute, *actioni* cuidam atque *efficaciæ* deſignandæ conveniat; Αλλοίωσις autem, vel magis abſolute *mutationem* in ipſo ſubjecto, factam aut fientem denotet: aut ad ſummum ſatis bene exprimat, tam *actionem*, quæ unum in aliud vertit, quam *paſſionem* illam, qua ex uno aliud fit: unde quidem etiam *alterationis* vocabulum, velut *agentis* & *patientis* indolem pariter aperiens, commode huic rei ſervit: Eo ipſo vero ἀλλοίωσις talis, non magis *actionis*, quam *materiæ* ſubjectæ; *mutationem* in alium ſtatum, ſatis loquitur.

Nempe *materia* maxime, aliam indolem inducere, per ἀλλοίωσιν, quaſi directe intelligitur; quemadmodum μεταβολὴ potius *actum* mutantem, nempe transferentem in aliud ſchema, ſatis bene denotat. Convenit itaque *alterationis* vocabulum, nempe alius conſtitutionis ſuſceptio, ipſi maxime *materiæ*; magis autem ambigue *motui* cuidam, cujus indoles magis per vocabulum *activitatis* alicujus ſignificativam, μεταβολῆς exprimitur.

Eſt itaque *alteratio* proprio ſenſu nihil aliud, quam *materiæ*, ſeu ſubjecti cujusdam, *mutatio* e præſente ſua conſtitutione, in aliam.

Hæc itaque acceptio memori mente tenenda eſt in noſtro negotio; ubi non quælibet *accidentalis* atque tranſitoria, ſed *intimior* quædam, conſtans, immanens, *mutatio* in *materiis corporeis*, eminenter intelligitur.

Hoc itaque intuitu, uſurpatur & accipitur in foro medico ſpecialiſſime,

liſſime, *alteratio* pro mutatione *conſiſtentiæ*, *mixtionis*, imo, quam ſcholæ vocant, univerſæ *formæ*: ut v. g. e *ſpiſſo* tenue, e *tenaci teneriter fluxile*, e *duro molle*, e *ſicco humidum &c.* & viciſſim, fiat. Ita quidem materia, ex uno aliquo tali priſtino ſchemate, in diverſum translata, *alterata* dicitur; & totus actus in genere, *alteratio*; cujus demum modi, quibus hic perpetratur, magis magisque ſtrictioribus ſive ſpecialioribus nominibus denotantur: quæ magis ipſorum horum actuum efficaciam, in materia quaſi pure paſſive affecta exprimant atque conceptui offerant, quam ut intimiorem ipſius materiæ novam indolem, quoque modo adumbrent.

Sicut autem in corpore animali, partes aliæ ſunt *fluidæ*, aliæ *ſolidæ*; fluidæ *mixtione* nuda, & *conſiſtentia*: ſolidæ præter mixtionem atque conſiſtentiam inſuper ſpecialiſſima *ſtructura* atque *conformatione* conſpicuæ: ita alteratio de talibus ſubjectis dicenda, denotat *mixtionis* atque *conſiſtentiæ* fluidarum; *mixtionis*, *conſiſtentiæ*, *ſtructuræ* atque *conformationis*, ſolidarum, mutationem, ut aliud quiddam, à priſtina mixtionis, conſiſtentiæ, ſtructuræ, conformationis, norma atque forma, jam diverſum, jam vel plane contrarium, emergat.

Quemadmodum autem *fluidarum* partium affectiones, numero atque ſpecie pauciores ac ſimpliciores ſunt; *conſiſtentia* quoque fluida, variarum ſubtilium materiarum promptæ penetrationi atque inſinuationi patet, longe magis, quam ſolida, & texturæ atque ſtructuræ ſpeciali conformatione, plus plusque impedita conſtitutio: ita ratio facile aſſequitur fundamentum experientiæ, quomodo fiat, ut *alteratio*, ſicuti *facilius*, ita etiam *familiaris*, *fluidis* partibus, ſeu *humoribus* obtingat.

Ut itaque *alterationis* ſignificationem, ad noſtrum forum, imprimis à potiori facta denominatione & applicatione, accommodemus, dicimus, quod *alteratio ſit mutatio intrinſecæ materialis*, *craſeos*, *mixtionis atque conſiſtentiæ*, *humorum præcipue*, humani corporis, qua priſtina craſis, non ſolum *in aliam*, ſed ſæpe propemodum in *contrariam* transmutatur.

CAPUT II.

De

Vero ſubjecto alterationis.

DIximus jam capite præcedente, quod equidem & *partes* & *actiones* mutationem ſuſcipere, ſive *alterari* poſſint; ipſæ quoque partes *ſolidæ* in textura atque conſiſtentia ſua alterationi in genere obnoxiæ fieri

fieri poſſint: imprimis autem *humores*, mutationibus his ſuſcipiendis, velut omnium maxime habiles & apti exiſtant; & attigimus etiam hujus rei rationem, quod videlicet humores, materiis aliis facilius penetrari, & ſive corporali iſtarum *interpoſitione* aut *cohæſione*, ſive *mobilitatis* excedentis, aut magnopere deficientis ratione, a priſtina ſua temperie, conſiſtentia, & propria habitudine ad motum, dimoveri, ac in hiſce affectionibus mutari poſſint.

Placet hoc paulo magis elucidare, quod quidem commodiſſime fieri poſſe putamus, ſi ipſam indolem *mixtionis humorum* breviter luſtremus.

Mixtio humorum, non concipi debet ut abſoluta quædam intima reciproca *penetratio* omnium principiorum, quibus illa ſeſe invicem ita penitiſſime quaſi mutuo imbibant, ut nihil, etiam e minimo tali ita mixto corpuſculo, reſecari queat, quin totam mixtionem habeat, contineat, retineat: qui Ariſtotelis & ejus ſequacium fuit error, interim etiam apud alios deprehenditur, qui de reliquo Ariſtoteli minime favere videri volunt.

Nec vero etiam haberi debet *mixtio*, pro nuda, licet ſubtili atque vegeta, diverſi generis corpuſculorum, inter ſe mutuo, *confuſione atque interagitatione*, qui fere eſt communis ille conceptus craſſus de mixtionis natura.

Sed intelligi debet per mixtionem, diverſi generis corpuſculorum, mutua proportione ſibi invicem reſpondentium, actualis ejuſmodi *complicatio*, ut illa numero plura, figuræ ſibi mutuo quadrantis proportione, ita mutuo *conjuncta & connexa* maneant, ut ab aliarum incurrentium rerum impetu, potius arctius inter ſe invicem *comprimantur*, aut in ea quam jam habeant complicatione, *contineantur*: quam ex illa temere dimoveantur, divellantur, aut excutiantur.

Quemadmodum autem hæc *dimotio*, non temere atque facillime fieri poteſt; ita tamen nec abſolute non poteſt: ſed habet ubique imprimis alia mixtio præ altera, etiam diſpoſitionem talem magis proclivem ad *partium* e quibus conſiſtit poſt liminio admittendam *divulſionem*; qua ipſa hæc talis priſtina mixtio, iterum diſſolvitur, adeoque formaliter vocabulo noſtri cenſus *alteratur*.

Neque vero ſola *diſſolutione* principiorum, *alteratur*, ita, ſeu in alium ſtatum mutatur, *mixtio*: ſed evenit hoc ipſi etiam per admixtionem, *acceſſionem*, applicationem, adhæſionem novarum alterius generis partium. Quæ quidem ulterior nova ejuſmodi *admixtio*, quo firmior & ſubtilior exiſtit, eo eminentior etiam cenſenda eſt ipſa alteratio.

Neque tamen nullam alterationem, ſed ſæpe ſane conſideratu digniſſimam, humoribus affert etiam nuda *interpoſitio*, ſeu conſuſoria tantum *interceſſio* talium materiarum, quæ licet mixtionem ipſam humorum nec intimius ſubeant, nec illam etiam divellant, *intercurſu* tamen

ſuo, ſi non mixtionis, tamen aggregationis, certam mixtionem directe ſequentis, indolem atque libertatem inſigniter mutent ſeu alterent.

Ita, ut hæc in concreto, & ipſis exemplis, ſiſtamus atque probemus, ſanguinis mixtio conflatur e corpuſculis *mucido-terreis*, *ſulphureo pinguibus*, & *aqueis*; his ſingulorum, imprimis autem duorum primorum generum, corpuſculis, poſſunt facile aliquæ, paris generis ulterius affligi. Sicut in aliis ſpeciebus mixtorum, in Chymia, numeroſis exemplis indies deprehendimus, v. g. *Mercurii* modo *dulcis*, modo *corroſivi*; *præcipitati*, modo *flavi*, modo *rubri*, *cinnabaris*, modo *rubræ*, modo *lateritiæ*, modo *nigræ*, & variarum *cupri* & *ferri* ſolutionum in varios colores tranſeuntium, pro variis acceſſionibus & accretionibus diverſorum ſalium.

Prompta vero etiam, hujus ingenii mixto, imminet alteratio per *divulſionem* nexus, illorum, e quibus conſtat, principiorum; quandoquidem ita comparata ſunt, ut proportio ipſorum, nexum quidem admittat & ſubeat, non vero ita exactum atque *firmum*, ut perpetuam æqualem ſocietatem obtinere ac ſervare ipſis ſit integrum. Cum enim *aquoſitati*, & *pinguedini* per terreſtrem *muciditatem* qualitercunque ſolum prægravatæ, diu convenire minime poſſit; fit inde ut hæc utrinque *mobilia* valde ſubjecta, *aqua* & *pinguedo*, tandem a craſſiore *terreſtri* ſubſtantia evulſæ, totam *mixtionem* deſtituant atque diſſolvant.

Inde nimirum eſt, quod mixtum *ſanguinis in ſe* conſideratum atque ſibi relictum tam obnoxium ſit diſſolutioni *putredinoſæ*, per proprium mutuum *motum inteſtinum*, aquoſitatis & pinguedinis, reciprocum. Sicut ab adhæſione, aut interagitatione ac interpoſitione, *ſulphureorum*, aut *terreorum* mucidorum, concretorum, variæ modo *turgefactiones* & concuſſoriæ *attenuationes*, modo *inſpiſſationes* & *incraſſationes* ortum ſuum trahunt.

Nimirum, præter ſimplicium reſpectum *mixtionis*, maximopere attendi & conſiderari poſcit ſtatus & conditio *aggregationis*, ſeu quantitatis illorum ita mixtorum humorum; ſiquidem hujus intuitu inter numero plurima certe mixtionis corpuſcula in unum congregata, maxime eveniunt iſtæ jam modo dictæ *interceſſiones*, *interagitationes*, atque inde mutationes ſeu *alterationes* prioris ſtatus *aggregativi*. Sicut enim fluidum non eſt, niſi aggregatum; ita & augmentum *fluiditatis* & major *attenuatio*, & decrementum ejus major *ſpiſſitudo*, non poteſt, niſi *aggregato* evenire. Poteſt autem hoc effici, ſive ipſorum ſingulorum & plurimorum quidem talis aggregati corpuſculorum, *prægravatione* per novam adhæſionem: aut inepta & ſingulorum libero motui obſtante *interpoſitione*: pro *ſpiſſitudine* inducenda: aut, pro majore *tenuitate* concitanda, ſive *adhæſione* ad plurima ſingularia, ſive *intercurſa*-

tione

tione expeditiſſima materiæ, indole non ſolum, ſed ipſo actu exquiſitiſſimæ mobilitatis præditæ.

Ita quidem non ſolum humoribus, nempe *fluidis* rebus in genere, ſed imprimis hujus indolis *mixtione* inſtructis, alteratio promptiſſime, *ſolidis* rebus, nempe in nudo ordine, & ex abſoluta indole tam geneſeos, quam ὑποςάσεως *ſolideſcentis*; quæ nimirum *textura* demum *ſucceſſiva*, atque diuturna ſæpe, abſolvitur. Hujus modi alterationis v. g. exemplum præbet, tacita illa *deſtructio*, ſeu nova texturæ dimotio atque veluti deportatio, textorum ſolidorum *nævorum maternorum*, *ſarcomatum*, *Nattarum &c.* aut ad minimum ita plenaria ceſſatio ac omiſſio, non ſolum a *continuanda*, ſed etiam a *conſervanda* parte ſic contexta, ut illa inde ſponte *flacceſcat*, *marceſcat*, *exareſcat*, & tandem *decidat:* ex contactu manus mortuæ.

Alia vero via, nempe per *humorum* concurſum, imprimis autem artificialium, *corroſivorum*, aut actualis *ignis* effectum alterantur utique & quidem vel præſentiſſime, *ſolidæ*, quoque partes; nec minus *putrefactione*, ex ipſo fundamento, nempe ipſius mixtionis intimis penetralibus, ſolidas etiam partes ſubvertente.

Ita vero conſiderato proximo veluti ac ultimo alterationis ſubjecto; tranſitum facere conveniet ad *inſtrumenta*, quibus alterationes induci poſſint atque debeant, & horum *agilitatem* ſive efficaciam in reſpectu ad *tempus:* ad ſubſequentem ſectionem reſervando, ſpecialioris talis efficaciæ *veritatem*, *atque proportionem*, quibus contra illa, quibus opponi debent, incommoda atque damna, ſpem juſtam ſuperſtruere, itaque fidere liceat.

CAPUT III.

De

Alterationis inſtrumentorum habitu generaliore.

SI quid uſquam hodiernam theoriam *phyſicam* ineptam reddidit, *chymicæ* vero tam theoriæ quam praxi in ſolidum refragatur, eſt illud certe ſpeculatio illa inanis: *quod nudus purus motus*, *figuras corporum*, *inter ſe mutuo colliſorum deterendo*, *infinitos corporearum rerum* μετασχηματισμὸς, *& promptiſſime quidem*, *producere poſſit*, *& familiariſſime ſoleat.* Afflixit hæc res ita profunde, omnem veritatem Chymicam, & theoriam, de veris immutabilibus paucis ultimis, fundamentalibus *principiis* mixtionum, phyſicam; ut partim indefiniti numeri variarum figurarum, atque magnitudinum, & immenſæ *promptitudines*, a quibuslibet ejusmodi fi-

 guris,

guris, angulos, & e magnitudinibus minutias, deterendi atque defricandi, phantaſias, conceptui certe laſcivienti planiſſimas, & credulitati imperitæ expeditiſſimas, reddiderit: partim opiniones confinxerit de innumeris rebus, quæ eſſe ac fieri *poſſint*, cum tamen nuſquam ſint ac fieri *ſoleant*; partim imaginationes de innumeris facillimis *modis atque mediis*, quibus tales res & effectus præſtari atque perfici poſſint: cum nihil horum, niſi exquiſitis plane, & ſane communiter ſatis impeditis, methodis atque mediis efficere liceat: aut contra, difficillimam, & ſi rem recte æſtimes (conditionibus quæ vim negandi habent adjectis;) impoſſibilem fingat talem rem, quæ juſtis ſolum, & perite quidem adhibitis mediis, ſatis facilis ſit, de qua re egit *DD. Præſes obſerv. Hallenſ. Tom. VII. Obſ. XIX. de diviſione & diffiſſione.*

Habet hæc res præcipuum etiam uſum negotio *alterationis* humorum. Quam quidem aliqui abſolutæ, confuſæ, & expeditiſſimæ tranſmutationis, & μετασχηματισμȣ̃ præcipites admiratores magis quam fautores, ita ἀπὸ μηχανῆς temerario impetu atque ſucceſſu erumpere, & ſe mutuo obturbare atque exagitare fingunt ac aliis commemorant, ut nuſquam jam amplius dubium eſſe velint, an utique talia fiant: ſed maximum periculum eſſe, ne fieri hæc per negligentiam ſinantur. Poteſt ejus rei ſpecimen, legi in Schedis iſtis, quas ſub titulo: *Introitus ad Phyſicam inauditam*, ante plures annos publicum vidit, illo maxime tempore, ubi tales Chimæræ undique in Germaniam noſtram corraſæ, populari ſtudio (ut ſolemus, omnes quisquilias peregrinas) concelebrabantur. In quibus tam præceps atque repentina *tranſmutatio* ſalivæ, ex una diverſiſſima conſtitutione ſalina, in alias commemoratur, ut lectorem certe anxium reddere deberet, an etiam in humanam poteſtatem cadere poſſit, tam promptis atque penitiſſimis perverſionibus obicem ponere, an vero negotium deſperatum ne tentare quidem ſanæ rationi magis conveniret.

Fervent certe hodieque frivolæ illæ atque petulantes *fermentationes*, in variis hominum conceptibus, quibus illi humorum corporis humani, ſi non ita prorſus momentaneas, promptas tamen certe & multiplices, *transformationes* fieri, ſibi aliisque perſuadent. Nos vero non immerito ante omnia, ad minimum pro improbabilitate hujus illorum fictionis commonſtranda, proponere illis, ſolemus tanquam argumentum κατ' ἄνθρωπον, exemplum abſolute certum, nempe *habitum & capacitatem* ipſius *ſanguinis* ad *corruptionem putredinoſam*: quæ, licet evidentiſſime notoria ſit, tamen inter decies mille homines, & propemodum, penſiculata talium ætate, ſeu tota vita ſingulorum, immenſo tempore, vix ſemel evenit. Quæ res, cum ita planiſſime oculis expoſita ſit, quod nempe manifeſto ſumme corruptibilis humor, tamen in corpore vivo non permittatur corrumpi, quis temere ſibi perſuaderi patiatur, quod aliorum humorum, longe minus, aut lentius corruptibilium, non modo tam

tam *frequentes*, ſed etiam tam *præcipites*, mutationes atque *corruptiones*, contingere poſſint, *in vivo* corpore, nedum ſoleant.

Nempe, ut una confuſio parit alteram, ita inadvertentia, quomodo potius *conſervatio* ab omni, materiæ corruptivæ, & effectus ejus, efficacia, per *motum* humoribus concilietur, & qualis, quam generalis, ac veluti craſſo quodam modo *Mechanicus*, ſit ille ipſe modus, quo *motus* hic affectum hunc corruptionis averſorium ita præſtat, ut minime ita facile atque prompte interrumpti & ab hac ſua efficacia dimoveri poſſit: neglecta, inquam, harum rerum conſideratio, atque penſitatio, potiſſimum in culpa fuit, ut ejusmodi, *faciles* corruptivi *effectus*, nudis motibus adſcriberentur.

Mirari vero certe ſubiret, quomodo tam faciles, varios, & inſignes, mutationum modos atque proventus, imprimis *humanis* ſuccis, adſcribere tulerit animus. Certe in tota reliqua experientia, nihil hiſce repentinis mutationibus reſpondere deprehenditur; ſed una eademque res, vix una pluribus repentinis alterationibus, præcipue paulo penitioribus, expoſita obſervatur. Imo, quod plus eſt, e numeroſis aliis rebus, quæ nihil tale admittunt, *unum* forte eſt harum mutationum capax: minime omnium vero exempla ſiſtere licet, vel in univerſa rerum natura rerum ſeu ſpecierum talium, quæ non ſolum *promptis*, & *numeroſis* mutationibus obnoxiæ ſint, præſertim *inſignibus* & reliqua aliqua ulteriora nova efficaci conſequentia conſpicuis; quæ tamen, & ſæpe *ex hypotheſi*, haud multo ſegnius, non ſolum iterum mutentur, ſed quod præcipuum eſt, ita *in antiquum ſuum ſtatum*, poſt liminio (ſit venia verbo) *remutentur* & reſtituantur, uti *humoribus corporis* evenire, vel ſupponunt harum rerum fautores, vel ex circumſtantiis, nolentes volentes, agnoſcere neceſſe habent.

Mirari, inquam, ſubiret, unde naſceretur tam aliena ab omni experientia reliqua ſuppoſitio, de humorum corporis tam abſoluta mutabilitate; niſi ſimul ſuccurreret, fundus totius mali, in aſſignata humoribus corporis, tam variabili quadam *aſſiſtente* ſubſtantia, quæ non ſolum ad venti fluctuationes, ſed ad animi etiam fictiones, contremiſcere atque alterari inſimulatur. *Spiritus* intelligo; qui jam, *motu* atque *moribus*, *effrenes* atque efferi, jam contra craſſi, *ſegnes* atque graves, *poros* humorum male ordinant, aut male penetrant; jam motibus ſuis *alienis*, loco influxus per *lineam rectam*, *oblique*, *flexuoſe*, *verminoſe*, & per omnes divergentiarum anfractus & mæandros, turbines atque gyros, ſumma imis miſcentes, tranquillam cæteroquin, & velut æterna lege incedentem contiguitatem corpuſculorum, humoribus propriorum, innumerabilibus alienis impulſibus collidendo, ſemper novas ſpecies ramentorum exterant, quæ ipſa totidem novas mutationes ipſorum humorum conſtituant. Si vero jam ipſi *Spiritus*, minus quam decet, *lucidi* aut *luminoſi*, ſed *tenebricoſi*, *obſcuri*, *lividi*, aut penitus

 ſylveſtres,

ſylveſtres, ſint: Ex tot harum rerum mutationibus & harum præſentiſſima brevitate, non poterant alia, quam illa *μύρια ἄλλα Hippocratis*, & *ſexcenti ſapores* moderatiorum latinorum, pullulare. Nos vero hæc ſive ad typhonem generis humani, ſive ad typham ingenii humani, remittimus.

In Medicinam, ex hujuſmodi comœdiis illud grave damnum redundavit, ut numeroſiſſimæ mutationes, fieri *poſſe*, imo fieri *ſolere*, fingerentur, quas vere fieri, experientiæ refragatur. E qua tamen, ita credendi, atque in rebus liberrima fictione tam commode procedentibus, plus indies affingendi, proclivitate, enatæ nobis ſunt, in *Pathologia* quidem, numeroſæ, ſi non ſpecies, tamen *potentiæ*, *novorum* morborum & ſymptomatum ſuppoſititiorum; quorum in *praxi Clinica* vel nullus omnino verus proventus obſervetur, vel longe manifeſtius & evidentius, ſecretionum & excretionum infidis ſucceſſibus: directionibus & tranſmiſſionibus male adminiſtratis aut obtinendis, illud in acceptis ferre conveniat.

Evidentiſſima vero, & eminentiſſima inſtrumenta, mixtiones citiſſime atque conſtantiſſime alterandi, ſunt *materiæ* potius, quam *motus*. *Materiæ* inquam, ſymbolicæ, quæ ſive ipſis humoribus *ſuperaccreſcere*, eorumque conſiſtentiam hac acceſſione, in ſolidum alterare poſſunt; aut, connexione cum *heterogeneitatibus*, ſanguinem tunc temporis inquinantibus, has ipſas eadem ratione mutare, adeoque ſanguinem, abolito eo quod ipſi *nocebat*, integritati ſuæ reddere valent.

Hæc eſt illa vera atque ſolida methodus ac modus, qua *alterationes*, citiſſime atque certiſſime, contingunt & abſolvuntur: ubi quidem ſimul reſpiciendum eſt ad peculiarem illam hujuſmodi mutantium materiarum *proportionem*; quod illa communiter ſatis *notabili quantitate* concurrere debeat, niſi admodum exiguus, adeoque ſpe atque effectu vacuus & vanus eventus, ſubſequi debeat. Et hæc eſt illa *alterationis* veræ ac veracis, longe communiſſima methodus; ſed rariſſima.

Dari quidem etiam paulo diverſam, ubi etiam per *parvam* quantitatem materiæ alterantis, alteratio perpetrari poſſit, minime abſolute inficiamur; ſed manet revera adhuc perplexum atque intricatum negotium, an revera in illis caſibus, etiam à priori, tanta ſubſit *materiæ*, quæ alterari creditur à poſteriori, *corruptio*, imo ita corruptæ materiæ, tanta *copia*, uti vulgo ſupponitur; an vero magis ex errore debitarum ſecretionum & excretionum, pullulantes ſtaſes, & tandem incipientes corruptiones, deſinant, aut mature iterum diſcutiantur & ejiciantur; quando ſolum ipſa perturbatio *moventis*, per illius alterantis, etiam exigua mole ad *motuum alterationes*, inſignem efficaciam, componitur atque ſedatur. De qua re infra, in *ſpecificorum* conſideratione, opportunior erit dicendi locus.

Itaque

Itaque per dicta, ad longe promptiſſimas materiarum *alterationes* ſeu mutationes, omnium promptiſſima inſtrumenta ſunt, aliæ *materiæ*, quæ *coaleſcendo* cum alteris illis, vel illis etiam copioſius *intercedendo*, craſin harum mutant. Interim vero neque *motus* etiam, imprimis inteſtinos, inſigniter variantes, ab inſigni etiam efficacia excludimus; quandoquidem, ſi hoc facere in animum induceremus, militare contra nos ſtatim poſſet, notiſſima in hoc genere efficacia *frigoris*; quod humoribus tanto præſentiores inſignes mutationes inferre aptiſſimum eſt, quo magis cum frigore, inteſtini motus præcipuo hoſte, etiam *localis motus* defectus eximius concurrit.

Interim illud utique, jure meritoque firmiter tuemur atque ſuſtinemus, conſtantiſſima experientia ſuffulti, quod & hæc nominata *frigoris* circumſtantia, & aliæ, ex hoc nudi motus vitio, agentes cauſæ, non ſolum numero *pauciores*, & uſu ſic ſatis *rariores*, ſed etiam, effectibus *ſimpliciores* deprehendantur, ita ut exiguum numerum læſionum, ſive directe inducere, ſive proximam occaſionem illis ſuppeditare ſoleant, imo cæteris paribus nec omnino poſſint. Laborabimus hoc ipſum preſſius ipſa proxima ſectione commonſtrare.

SECTIO II.

Hiſtoriam, Cenſum, & cenſuras remediorum alterantium comprehendens.

EGimus hactenus de ingenio *alterationis*; ſubjungemus ad minimum per ſumma capita ſeu familias, ipſorum etiam *remediorum* catalogum: & adjiciemus tandem, non tamen ſine nota, cenſuram noſtram; quæ maxime circa illud momentum occupata erit, *an*, & *ubi*, hæc remedia *veritatis* teſtimonium mereantur; adeoque, *an*, *ubi*, & *quouſque* fiduciam aliquam in ipſis collocare liceat.

Occupabitur itaque primo loco noſtra deductio, in commemoratione, quaſi ſummorum generum, ſive *tribuum* medicamentorum *alterantium*; quibus ſcopis, atque adeo ſub quibus titulis, illa dicentur atque deſtinentur; deinde, quænam ex hiſce, in quibus affectibus imprimis, hujus efficaciæ nomine, celebrentur: ſive interno uſu, ſive externo: tandem quidnam harum laudationem ſolidiori & minus ambiguæ experientiæ reſpondeat, & expectationi ſatisfaciat.

CAP. I.

CAPUT I.

Enumeratio præcipuorum alterantium.

DEnominationes atque tituli alterantium, partim ab antiquis partim a recentioribus profecti ſunt; *antiqui* ante omnia *qualitatibus* illis elementaribus, quas *primas* vocant intenti, ante omnia animum ſuum intenderunt in *alterationes* convenientes ſecundum haſce *primas qualitates*; unde primum locum meruerunt, *calefacientia*, *refrigerantia*, *humectantia*, *ſiccantia*: ſub hiſce militarunt, tanquam proximis, quibusdam ſecundis ſcopis atque qualitatibus deſtinata, *maturantia* ſeu *concoquentia* atque *digeſtiva*, imo *attenuantia*, *reſolventia*, *diſcutientia*. Sub *refrigerantibus*, *incraſſantia*, *temperantia*, *paregorica*, *epiceraſtica*. Sub *humectantibus lenientia*, *emollientia*, *lubricantia*. Sub ſiccantibus, *adſtringentia*, *condenſantia*, *glutinantia*, *conſolidantia* &c. Jam tertiis & remotioribus ſcopis atque qualitatibus, debebantur *alexipharmaca*, *peptica*, *ſanguinem mundificantia*, *corroborantia*, *reſtaurantia*, *anodyna* atque *ſedativa*.

Recentiores, ex novis ſuis principiis *fermentativis* & *ſalinis*, *abſorbentia*, *obtundentia*, *præcipitantia*, *diluentia*, *edulcorantia*, *concentrantia*, tenaces humores *incidentia* &c. nominarunt & adornarunt.

Omnibus hiſce remediis, *alterare* intendunt, intemperiem, principaliter & directe *humorum*; indirecte, etiam partium *ſolidarum*: nempe quatenus humores, vel in illis ſtabulentur, vel per illas transcurrant.

Talia proinde remedia, laudaverunt maxime in ejusmodi caſibus, ubi magis immediate *humores* ita male affectos, corrigere atque in debitam ſuam craſin reſtituere, intentio ferebat. Unde quidem etiam antiquiores, partim ratione partim experientia ſubnixi, *largiores* talium medicamentorum *doſes* ordinare ſolebant: & recentiorum peritiores, hoc idem communiter imitantur; imprimis in ejusmodi remediis, quæ adhuc aliquam ſenſibilem, efficaciam bonam exerere obſervantur. Cum in aliis hoc temere imitari experientia diſſuadeat; ubi v. g. *martialia*, *ſalia volotilia*, *acida*, *anodyna*, majoribus doſibus vix unquam tuto exhibentur: quatenus videlicet vel juxta *alterantem* illum effectum, una *evacuationes* debitas varie turbantem effectum exerunt: vel hac ipſa, motus turbandi efficacia, longe plus valent, quam altera illa directe atque nude humorum *correctiva*.

In hac alterandi intentione, notandum illud eſt de veteribus, quod fere ſemper *alterantia* medicamenta, *evacuantibus* ſive adjunxerint, ſive certa quadam ſubordinatione ſubordinaverint, & vix unum ſine altero in uſum traxerint. Unde quidem, jam *incraſſationes*, jam *digeſtiones*,

nes, communiter *præparationis* titulo, inſtituerunt; ut videlicet materia, ſi non in totum circulari poſſit, ad minimum ad *excretiones* aptior, atque mitior redderetur; quas excretiones quidem ipſi poſthac *, juſto nempe tempore, maxime commendabant, *Hippocratic* cumprimis monito auſcultantes: *cocta movenda eſſe, non cruda.*

Recentiorum verò praxis quantum hic differat, videre licet, ex illis commendationibus, quæ in immortalibus, nempe Hydræ modo quotidie repullulantibus, Panopliis Medicis inſtruuntur. Ubi v. g. ſi quis encomia *oculorum cancri, cornu cervi*, ſed maxime *ſine igne*, i. e. philoſophicè calcinati, *ſalium volatilium* oleoſorum, *Bezoardici mineralis*, ſed tanto magis Bezoardici *ſolaris*: *ſpirituum mineralium*, olim quidem *ſimplicium*, hodie vero *dulcium*, legat; dubitare certe non poterit, quin ſub tali, talium & ſimilium medicamentorum, efficacia non ſolum nullis evacuationibus opus habeat, ſed ne quidem ullis aliis medicamentis: cum videlicet vel hæc ſola, ſi illa præſtent, quæ de ipſis celebrantur, medico ſufficere, eumque nobilitare, valeant. Poteſt his, imò debet, annumerari, diutiſſime deſiderata illa, ſed tandem à *Sylvio*, reperta efficacia, *viſcerum apoſtematibus* atque ulceribus medendi per *antimonium diaphoreticum*: magna certe res parvo pretio obtinenda. Sed nondum tempus eſt de hiſce loquendi. Suffecerit factum ipſum, ſive hiſtoriam intentionis atque ordinationis alterantium, tam apud antiquiores quam recentiores, breviter tradidiſſe.

CAPUT II.

De efficaciæ alterantium veritate.

Quam vereor nec hic etiam veritas odium pariat! Sed poſcit hoc inſtituti noſtri ratio, ut in illam inquiramus, & a bonis atque cordatis viris nihil eſt periculi.

Quam parum poſſint atque efficiant alterantia, ante omnia quidem experientia practica docere debet, & ſola illa quidem; ſed longum eſſet per omnes ſpecies morborum, illorum fruſtrationes exequi: Suffecerit itaque methodo veluti quadam hic incedere, quam ſequentibus paſſibus includemus.

I. Alterantia, nempe *ſimpliciter* alterando, ſine concurrente, aut ſubſequente *evacuatione* conveniente, *nullum* morbum curant aut tollunt; nullum acutum: nullum chronicum: ſed ad ſummum ſymptomatibus leviter mitigandis ſubſerviunt, aut denique materiis morbidis ad excretiones aptandis ac prædiſponendis.

II. Morbi, quibus alterantia, etiam non ſine omni fructu, adhibentur, licet, aliquando forte *mitiora* experiantur illa *ſympto-*

mata atque pathemata, quibus alterantia illa deſtinantur; nunquam tamen ita *abſolutè* in hoc etiam genere alterantibus ſublevantur, quin potius aliis vicibus, jam in iiſdem, jam in diverſis individuis, medicamentorum horum exhibitio, vel longe minimum, vel abſolute nihil effectus, hujus ſcopi, exerat: quod quidem abſolute fieri non poſſet, ſi talium medicamentorum efficacia, verè materialiter ſuccederet, & inter illam materiam, quæ in morbo peccat, & materialem gradum medicamenti alterantis, vera ac realis eſſet talis corporea proportio, qualis de utriſque ſupponitur & affirmatur.

III. Ante omnia inanis eſt efficacia alterantium, indifferenter *reſpectu temporis* morbi, & ante omnia quidem *acuti* morbi exhibitorum. Unde quidem in ejuſmodi caſibus, alterantia intempeſtivé data non ſolùm nullum uſum præſtant; ſed non raro etiam icommoda inferunt atque turbas excitant.

IV. Unde benè & obſervandum eſt, & penſitandum, ſcandalum revera illud practicum; *quod in morbis acutis, longe plurimi illorum, qui remediis alterantibus tractantur, ſine exquiſitiſſima ſubordinatione atque directione* evacuationum debitarum, *nihil quicquam melius inde habeant, quam alii patientes qui vel non uſi ſunt iiſdem* alterantibus, *vel ſæpe numero plane nullis medicamentis.*

V. In Chronicis provoco ad lectos patientium & caſus non ſolum quotidianos, ſed ſingulis quoque diebus largo numero deprehendendos. Quotus-quiſque tandem *cephalalgicus* liberatur alterantibus, niſi *diſcutientia* fortiora, *repellentia*, motus nempe humorum exundantium reprimentia aliquid præſtent? Quid ſolatii, nedum conſtantis auxilii, percipiunt ex alterantibus *Ophthalmia, Odontalgia, Otalgia, & Parotides*? Quid *Angina, Tumores tonſillarum, Cardialgia, vomendi conatus, Tormina, Colica, Diarrhœæ*? Quantumvis in hiſce locis, ubi medicamenta alterantia, magis *immediate* attingere poſſunt materiam alterandam, præ omnibus aliis locis atque conditionibus, certior adhuc ſit illorum energia, modo vera atque debita, juſtis atque proportionatis objectis adhibeantur. Quid auxilii conſtantis exhibent alterantia in *Hypochondriaco hyſtericis, Hypochondriaco-nephriticis, hæmorrhoidalibus* atque *menſtrualibus* pathematibus? Quid præſtant ac perficiunt in *arthriticis, Iſchiaticis, podagricis* doloribus? Quantum ſatisfaciunt pleriſque *pectoris* malis, jam *incraſſandi*, jam *attenuandi* vana ſpe affatim præſcripta; cum contra, *expectorantia* non modo ſatis prompte, ſed ſubinde plus quam expediat, officium ſuum facere ſoleant, modo medicus etiam in diagnoſi, & judicanda materiæ talis præſentia, officio ſuo perfunctus ſit.

Profecto ſecurum me eſſe ſcio conſenſus omnium peritorum atque circumſpectorum Practicorum, quod in omnibus his, & pluribus, qui cum his colludunt atque cohærent, affectibus, nullus ſit ſolidus atque

atque conſtans directus uſus atque effectus *alterantium*, nec ulla inſignis ſpes in iſtis collocanda.

VI. De *Febribus* vereor loqui. Scio, utique audiri illam formulam, etiam à Practicis ab ipſa ætate venerabilibus, quà potiunculas illas *Sylvianas*, diluentes, abſorbentes, reſolventes, laudatiſſimo verò *Laudano*, niſi quidem anima ſua deſtitui debeant, non ſpoliandas, adeò extollunt, ut etiam omnibus aliis remediis anteferre, imò præ his nullum hic aliud remedium laudem aliquam mereri, aſſerere, officii ſui ducant: *Quod vero haberemus remedium febribus ſalutare*, ajunt, *ſi hoc non haberemus?* At vero patientes, qui ſine *tali*, imò ſine *omni* conſilio aut ope *Medici*, reſtituuntur à febribus, certè immenſum quantum ſuperant illorum numerum, qui talium uſu reſtituuntur. Plus dico; qui hiſce rebus adjuvari judicantur, tantum abeſt, ut melioribus conditionibus, ſive ſub morbo, ſive à morbo, degant, ut potius non raro, ipſum *decurſum* morbi magis anxium & *ambiguum* ſentiant, & illum velut eluctari penitus non poſſint: ſed præter ſolitum, & allegatorum illorum aliorum exemplum, præter conſuetam talium febrium *periodum*, non ſolum cum alia mala valetudine, ſed cum ipſa adhuc inſolita febrili paſſione, diu multumque conflictentur.

Plures morborum claſſes nedum ſpecies allegare, meritò vereor. Longe brevius enim eſt dicere ac enumerare quibus conducant. & imprimis quomodo conducant, alterantia, quam quibus inutilia ſint. Siquidem longè maximus eſt poſteriorum horum, quibus *nihil proſunt*, numerus: minimus autem priorum, qui ab illis ſublevantur.

CAP. III.

De vero uſu & efficacia alterantium evacuationibus ſubveniente.

VAleant ea quæ hactenus diximus, de irrito uſu alterantium, quando illa talibus morbis deſtinatur, quos *nudo* quodam *mutationis* actu, ſubigere atque perſanare debeant; *correcta* nimirum abſolute ipſa tota *materia*, ut maligna ejus & noxia efficacia ita ſubigatur, ut in corpore tolerari, imò illi utilis evadere poſſit: aut ad minimum non niſi *ordinariis* viis atque motibus *excretoriis*, tacite ſecedat.

Fruſtra eſſe diximus, quicunque res ita in proclivii poſitas ſibi fingunt. Tanto magis verò aberrant, quando quidquam hujuſmodi effectum ab alterantibus ita *certo* expectant, ut illi *perpetuo* fidere, & in *omnibus* talia præſtolari liceat. Quamvis enim forte apud unum vel alterum *robuſtiorem*, aut *ſtupidiorem* patientem, ejuſmodi effectus ſeſe

 ſiſtant;

ſiſtant ; econtra apud longe maximum numerum aliorum, fruſtra eſt omnis ſpes: abſolutè verè fruſtranea omnis *certa fiducia.* Interim, quando, per imprudentiam, fiduciam in *ſola alteratione*, ex tali perſuaſione, medicus ponit; & ſub ejuſmodi bona ſpe, reliquam præcipuam horum medicamentorum juſtam gubernationem negligit; evenit toto die, ut & *alterantia* nihil efficiant: & *evacuationes*, ſponte non ſuccedentes, nec à medico decenter invitatæ, pariter emanendo, univerſo tandem negotio malum exitum concilient.

Ut itaque *poſitivè* quoque enunciemus, quemnam tandem uſum ab *alterantibus* expectare ſit integrum, dicimus, quod *verus uſus alterantium, imprimis reſpiciat ſubjungendam efficaciam, evacuationum*: ita, ut ipſa alterantia evacuationibus *ſubſerviant*, atque illorum effectum faciliorem reddant.

Faciunt autem hoc maxime omnium, per diſpoſitionem *materiæ* convenientem, ut illa non ſolum *motibus*, ſed *viis* etiam debitis magiſque reſpondeat atque obediat: imo vero, ſi alterantia talia, quod quidem longe ſæpiſſime faciunt, ſimul habeant aliquam poteſtatem *motus* ipſos *alterandi*, plurimum in eo ſitum eſt, ut in morbis, quibus *certæ* evacuationes conveniunt, non ſolum alterantia vitentur, quæ *evacuationi* tali quoquo modo *adverſari* poſſint: ſed etiam potius poſitive conſideretur, an aliqua fortaſſis alterantia *utriſque* ejuſmodi ſcopis, *placidé* tamen & commodè, *ſimul* inſervire poſſint.

Eximium harum rerum exemplum præbent, ex vulgo ſic dictis *abſorbentibus*, quatuor illa diverſa horum genera, *Terrea, Martialia, alcalia fixa, & Volatilia urinoſa.* Omnia talia utique abſorbent; interim qui omnibus indifferenter uti, & à ſingulis unum eundemque effectum reportare, in animum induxerit, illam ſpes hæc ſua graviſſime fruſtretur, neceſſe eſt.

Cum enim *Martialia*, valdè adſtringentem, *Volatilia* eminenter *tonico-nervinum*, effective pariter ſubadſtringentem: *Alcalia fixa*, cauſtico-irritativum & ſtimulantem diureticum, effectum, una cum ſuppoſito illo abſorbente eventu, habeant: fit inde, ut non ſolum pro morborum, ſed etiam perſonarum, differentia, talia medicamenta ſæpiſſime nimium quam diverſos effectus exhibeant, imprimis autem *ſecretiorum & excretionum* negotia, inauſpicato perturbent.

Torſit hoc jam ab aliquo tempore paulum attentiores, qui fiat, ut *Martialia* in ſubjectis diverſis, adeo ſenſibiliter diverſos effectus edant, ut alibi anguſtias atque pathemata augeant & intendant, alibi eadem leniant? Quem eundem effectum, circumſpectiores etiam in ipſis omnino *Volatilibus* ſatis ſenſibiliter deprehendunt; utrumque cum primis in ſubjectis *ſpongioſioris* habitus &c.

Juxta hanc itaque conſiderationem, ſi ante omnia Medicus cognoverit habitum morborum ad *evacutationes*; & convenientia evacuationum

tionum celebrandarum *tempora*, convenientes illarum *gradus* & *ſucceſſus*: poterit ille non ſolum talium alterantium ſelectum facere, quæ *materiæ* ad convenientes ſecretiones & excretiones diſponendæ ſatisfaciant; ſed etiam, ad leniter invitandas has ipſas *evacuationes* ſive *viarum* prædiſpoſitione, ſive *motus* ipſius placida ſuſcitatione, inſerviant.

Cenſum harum rerum ſigillatim agere, & ipſa nomina deferre, non patitur temporis noſtri ratio; præcipue cum novus oriretur labor, circa alibi quidem adotnandam commentationem, alibi addendam juſtam reprobationem. Quam laborioſum verò atque difficile hoc ſit, vel uno exemplo declarabo.

Optimam certe circa hoc negotium intentionem habuit *B. Ludovici*; & recidit jure meritoque non pauca, quæ hinc inde alias variis encomiis ornari ſolebant. Interim uti *B. Ettmüllerus* non injuria varia ab iſto rude donata, quadantenus in locum reſtituit, ut alibi *Diſſert. de Lumbricis Terreſtribus* innuimus; ita non ſemel miratus ſum, quid in ſelectu medicamentorum inſtituendo laudis aut prærogativæ apud hunc virum promereri potuerit, imprimis hodiernum illud triviale & adulterationibus non tam ſuſpectum, quam ſatis notum, *uni-cornu foſſile.* Sicut enim ego certe in *cornu cervi philoſophicè*, ut nugamur, *calcinato* commendando, abſolutiſſime nihil, niſi puram atque nudam phantaſiam agnoſcere valeo; ita certe ex quo fonte, oſſibus magis *putrefactis* quam petrefactis, peculiares uſus adſcribere fas ſit, nunquam adhuc comprehendere potui. Interim concinnat vir optimus ex hoc *unicornu*, *terra*, *ſigillata &c.* pulverem pro infantibus. *Infantes*, jam *male habentes*, inſigni *ſenſu* circa vitales actiones affectos eſſe puto neminem eſſe practicorum qui neſciat. *Cohibitionem ſecretionum* & *excretionum*, exceptis directis fluidis morbis, huic ætati minime tutam eſſe, plerique pariter conſenſerint. *Terram* vero *ſigillatam*, tali ſtatu & corpore, reliquam ſuam *ſubadſtrictionem*, efficacius exerere, quis neſcit? Si vero non *adſtringant*, alia quacunque efficacia ne nuce caſſa dignam (nempe ab antiqua *pretioſa & efficaci*, juxta *Valleriolæ* teſtimonium, longiſſime diſtantem) quis negabit. E contra, ſunt è recentioribus, qui *antimonium diaphoreticum* inane prorſus, & nullius efficaciæ compos declarant; interim fruſtra profectò *Bezoardico Minerali* faventes: at vero pulvis ex *oculis cancri* & *antimonio diaphoretico* paratus, modico *cinnabaris* imbutus, quantò plus utilitatis præſtet in infantibus, quam ante dictus, quotidiana teſtatur experientia. Nemo vero non videt, quod in illo quidem defectus hæreat in inſufficiente *correctione*, & nulla quin impediat *eductione*: hic, verò *utrique* huic ſcopo, & *leniter* quidem, ut in tali corpore deceat, ſatis faciat.

In genere hoc monemus, ab alterantibus, quæ *humores* forſitan

alterando. motus ſecretorios & excretorios quacumque ratione *minuant*; imò verò illud quidem nonniſi *ex opinione*, hoc vero certius & *evidentius* præſtent, conſultiſſimè abſtineri. Neque minus in affectibus *intempeſtivas commotiones* non admittentibus, ab harum *provocatione*, per medicamenta, talis efficaciæ, ſub reliqua alteratione, ſuſpecta, cavendum.

Maximum autem uſum, qui nempè ab *alterantibus* expectari poſſit, concedimus imprimis *temperantibus*; nimirum *abſorbentibus*, quæ neque per ſe, neque concretione ſua cum ſalibus, qualemcunque *adſtrictionem* exerant; *emulſivis* (non ranceſcentibus, aut muceſcentibus, qualia præbent ſem. *frigid. dicta*) ad gratiam edulcoratis, & temperaratis aquis carminativo analepticis inſtructis: *acidis* mediocribus, imprimis (unde quidem potiones *Thoneri*, modo non nimis dulces, *Sylvianas* longiſſimo intervallo poſt ſe relinquunt, in *febribus acutis*) *alcalibus volatilibus*, cum tinctura alcalica acri; moderatis doſibus, in *chronicis*. *Diluentibus*, pro temporis & perſonarum ratione, frigidis aut calidis, lacteis, ſeroſis &c. *alvum* etiam *humectantibus*; & *urinæ* ardores demulcentibus; *ſomnum* non ſtupidum aut delirum, ſed placidum, quantumcunque promoventibus, vel etiam per indirectum foventibus: *inteſtinorum* & *hypochòndriorum* incommoda flatulenta & *atonias*, cum conſervata alvi libertate, *lenientibus*, & *tranſpirationis* placido ſucceſſui ſubvenientibus,

Hujus generis atque indolis alterantia ſicut evacuationibus, immediate aut mediate plurimum utique emolumenti afferunt, ita illas laude omnino dignas ducimus, & prudentem illarum uſum commendamus: ita tamen ut Medicus ſemper meminerit, quod hujuſmodi alterantia non ſolùm evacuationibus ſubſervire, & ut veteres loquuntur, humores aut vias ad meliorem ſucceſſum evacuationum *præparare* debeant; ſed etiam evacuationes illæ, juſtæ & convenientes omnino ſuccedere debeant: adeo ut medicus illas non ſolum expectare, & ex illarum juſto eventu, de exitu totius morbi argumentari neceſſe habeat: ſed etiam officii ſui ducere debeat, illas minus prompte ſponte procedentes, omnibus convenientibus modis atque methodis, placidis tamen quam maxime, tempeſtivis, & opportunis, ſuſcitare atque promovere.

SECTIO III.

De Specificis in genere.

QUando ratio experientiæ ita ſuccenturiatur, ut experientia quidem veritatem facti, ſeu hiſtoriam, tradat; ratio verò, reſpectus

tus atque nexus cauſales, quomodo & quamobrem è talibus circumſtantiis tales effectus ſequantur, maxime perpendat: naſcitur ex ejuſmodi debita harmonia, ſcientia, atque debitus de rebus ſubſtratis intellectus. Quando vero methodus hæc temere pervertitur, ut loco experientiæ rationi, ſeu potius fictioni, primus locus deferatur, ibi in rebus naturalibus nihil abſolute obtinere poteſt, è quo ſolidus conceptus locum inveniat, ſed naſcuntur ſolum, in affirmativis quidem Hypotheſibus, meræ ſpeculationes de eo quod fieri *poſſet*; in negativis autem, meræ dubitationes imo negationes, de eo quod fieri *ſolet*. Omnium certe rationis aberrationum, graviſſima merito judicari debet hæc præcipitantia, qua veritatem facti negare audet, eo argumento, quod ſibi de modo atque circumſtantiis, non conſtet, illaque ſibi concipere non poſſit, quomodo res certa naturalis fieri queat: id eſt in terminis categoricis, quicquid ipſa non poſſit ſecundum omnes ſuas cauſas perſpicere, illud plane in rerum natura non dari aut exiſtere, quicquid ipſa non ſciat, illud neque eſſe. Nemo certe crederet poſſe talem aſſertionem cuiquam circumſpecto homini in mentem venire: interim monſtrari poteſt hæc ſuppoſitio practice, pro fundamento dubitationum variarum in hodierna theoria phyſica atque medica, paſſim aſſumpta. De medicamentis certe, quæ antiqui appellant ſpecifica, notiſſima eſt res; & poſſet ſtatim ex publicis ſcriptis argumentum hoc, ſi neceſſarium videretur, allegari: non poſſe dari ſpecifica, quia ſana ratio refragetur credere, dari res ita activas, de quarum tamen agendi modo, plane nullum conceptum ſibi formare queat ratio noſtra.

Invertenda verò eſt hæc argumentatio, & cognoſcendum potius, multa dari & verè exiſtere in rerum natura, quorum veras eſſendi & agendi rationes, noſter intellectus adeò non aſſequatur, ut potius, quæcunque de illis ſibi præfigurat, vel abſolutè fictitia ſint, vel adeò generalia, ut coram accuratiore judicio, ne quidem comparere debeant. Exemplum magis luculentum dari non poteſt, quam tota illa ſcena modernæ noſtræ Theoriæ, de modo operandi medicamentorum.

Enimvero ſepoſitis omnibus ejuſmodi tricis, nos methodum veritatis preſsè ſequentes, potius à veritate facti ipſius facto initio, dicimus: *Dari Specifica.*

Intelliguntur autem, non à nobis ſolùm, ſed omnibus, qui de hoc remediorum genere loquuntur, per *Specifica*, ejuſmodi medicamenta, quæ certæ cuidam ſpeciei morbi, ita propriè exquiſite, & unicè communiter, ſatisfaciunt, ut, ſi modo ulli remedio, ille morbus adhuc auſcultat, eundem ita abſolute ac in ſolidum tollant, ut quaſi ſimul & ſemel, aut certe ſine aliis adminiculis, continuato ſaltem uſu, morbum vel penitus atque radicitus extirpent: vel ad minimum ita coërceant, ut longe plurimum imminuto impetu, atque univerſa ſua vi, maxime debilitatus atque enervatus, appareat.

Funda-

Fundamentum, cui hanc noſtram aſſertionem ſuperſtruimus, eſt ſolida, certa, atque conſtans *experientia.* Quæ non ſolum medicamentorum horum veritatem, ſed ſimul etiam certas illorum circumſtantias, requiſita, atque adhibendi methodos, commonſtrat: adeoque confirmat, quod harum quoque rerum non cæca quædam, incerta, fortuita, nedum imaginaria, ſit efficacia, aut potius nudus contingens eventus: ſed quod potius ſit effectus, & fini certo, proportionatis mediis, atque ſubordinatis methodis & ſucceſſibus, cauſali plane modo atque nexu innitens.

Agemus itaque etiam de hiſce remediis, & quæ de illis in genere ſciri atque obſervari poſſint & debeant, concinna tamen brevitate.

CAPUT I.

De Specificorum Veritate.

PRovocavimus paulò ante ad experientiam, quod ne fruſtra feciſſe inculpari poſſimus, dabimus ejus rei quædam exempla, in genere tamen, & quantam de illis notum atque certum eſſe ſufficere poteſt.

Riverius recenſet in obſervationibus, quod gravem dolorem *hæmorrhoidum cæcarum* citò profligaverit, tenui decocto, ſeu potius fervido *infuſo*, ad modum herbæ Thee uſurpato, parato ex *millefolio.* Cujus efficaciæ mentionem, quod etiam Autor allegat jam pridem *Arnoldus Villanovanus* fecit. Eundem ex hac herba effectum, certiſſimum æque atque præſentiſſimum, à ſe quoque impetratum eſſe, confirmat *D. D. Præſes.*

Ab extracto *Peti*, recte præparato, ut emetica vi privatum ſit, ceſſat *tuſſis pectoralis* humida, præcipue *ſimplex*; nullo ſoporifero aut narcotico effectu, quem vel magna hujus medicamenti doſis, nullo modo movet aut producit: imò nec alias excretiones inhibet aut minuit.

Experientiam habemus, de efficacia certæ cujusdam ligneæ feſtucæ, (ſunt, qui lignum quernum fulmine tactum eſſe, affirment, ſed experientia non confirmante) qua levi compunctione, vehementiſſimus *dolor dentium* non ſolum *paucis momentis* ſublatus eſt; ſed etiam jam per totos viginti quatuor, & quod excurrit, annos nunquam ampliùs reverſus.

Medicamentum in uſu eſt D. D. Præſidi, adverſus *morbum epilepticum caducum*, verum atque vehementem; cujus doſi una, non ſolùm immediate inſtans *paroxyſmus* cohibetur; ſed etiam aliquot repetitis doſibus, totum malum, aſſiſtente divina gratia, profligatur: imprimis autem ſignum bonæ operationis atque juſti effectus, eſt, *ſudor in fronte* erumpens: cum remedium ex ſua natura, & imprimis in reliquo corpore, nihil quicquam ſudoris provocet aut inducat.

Ita

Ita expertus eſt efficaciam planè peculiarem, D.D. Præſes, medicamenti, à ſe tamen non præparati, in *tumoribus œdematoſis aſciticis*; quandoquidem hoc remedium, paucorum dierum ſpatio, ſine alio, quàm leniſſimæ laxationis effectu, quo neque ſæpè, neque multum patiens evacuatur, totum illum *tumorem*, non aliter, quam velut evaneſcere fecit; redeuntibus ſimul partibus in naturalem ſuum tonum atque robur, ſine marcore aut laxitate, imprimis autem ſine ullo veſtigio, alicujus redundationis ſeu retroceſſionis intra corpus.

Quodnam vero tandem luculentius exemplar, exiſtentiæ æque atque veræ indolis *Specificorum*, producere potuerimus, quam illam energiam, *partium*, aut *integrorum* corporum *animalium venenatorum*? Nempe v. g. pulveris, aut *hepatis*, *ſerpentum & viperarum*, *contra morſum* viperarum & ſerpentum; *ſcorpionum*, contra morſum ſuæ ſpeciei: hepatis aut cordis *canis rabidi*, imò pilorum quoque ejusdem, contra morſum ſimilis canis &c. Quorum omnium inſignem hic eſſe efficaciam, imò ſi tempeſtive uſurpentur infallibilem, omnis experientia confirmat.

Sufficerit hæc citaſſe, quorum, propria etiam experientia multiplici, confirmatum habemus certum & conſtantem effectum: nec opus eſt plura allegare. Illud verò utique taceri non debet, quod non pauci opponere ſoleant ſuam experientiam in contrarium; quod nempe pariter remedia talia tentaverint, ſed vel ſine ullo, vel abſque conſtanti & nunquam ſpem deſtituente, effectu.

Interim, ne quidem in dubium abſolutè vocatis horum aſſertionibus, ſubſiſtere nihilominus poteſt, imò debet, noſtra aſſeveratio; imò potius ſolida experientiæ confirmatio atque infallibilis eventus. Differentia ſolum ſita eſt in *acceptione* diverſa, fundata ſuper *adminiſtratione* inverſa. Volunt nempe tales experimentatores, illa demum pro ſpecificis agnoſcere, quæ ita *rudi atque cruda* ingeſtione, morbum totum, quolibet ejus *tempore*, *impetu*, patientis *viribus*, perverſarum medicationum *erroribus* & *obturbationibus*, *habitualibus* pertinacibus recurſibus, ita ſimul & ſemel diffient, & in nihilum redigant, ut ſanitas, ex hoc medicamento, per modum *irradiationis* corpus non aliter expleat, quam lumen luculentum, nocturno tempore tenebroſo conclavi illatum, hoc illuſtrat. Quantumvis autem nec de tali quorundam efficacia dubitare nos ſinat, tum allegati illius *odontalgici*, & præſentiſſima & conſtantiſſima efficacia; nec minor, ſano ſenſu, *antepileptici* citati energia: tamen certum eſt & illud, quod etiam hic, contradicentibus juſtiſſima ſuppetat exceptio; quandoquidem & frequentes occurrant caſus, quibus illud remedium *odontalgiæ* ne ſaltem ad leviſſimum ſenſum remiſſionis cujuſcunque ſubveniat: Et *antepilepticum* illud, vel centupla doſi, ne minimam quidem alterationem, nedum morbi curationem præſtet.

Sed hæc etiam ipſa circumſtantia pro veritate unice militat; quandoquidem propterea cumprimis, exquiſitiſſima nominis acceptione *ſpecifica*

dari, perſeveramus adſtruere : quod non niſi *veræ certæ* ſpeciei alicujus morbi, ſatisfaciant : non verò cuicunque ejus ſchemati, aut accidentali commotioni. De qua itaque circumſtantia præſtiterit unum adhuc verbum ſeorſim monuiſſe.

CAPUT II.

De Speciali Specificorum ad ſpecialiſſimos affectus determinatione.

CUm *Specifica*, morbis exquiſitè ſpecialisſima ratione mederi debeant; probabile eſt, vel à priori, & ſecundum ſanam rationem in genere, quod efficaciam hanc ſuam, ſimiliter non, niſi ad plane *ſpecialisſimas* affectuum hujuſmodi ſingulorum, & plane *ſingulares circumſtantias*, dirigere & velut applicare debeant. Unde quidem ſpontè conſequi videtur, quod non tam promiſcuè & indifferenter, quibuslibet *circumſtantiis*, *temporibus*, *progreſſibus*, minime omnium verò *diverſis* plane *ſpeciebus* affectuum, licet in genere convenientium, pari efficacia ſubvenire poſſint : ſed potiùs *certis* morborum & ſymptomatum circumſtantiis, certa etiam remedia talia, veluti ſeorſim, debeantur atque deſtinanda veniant.

Hoc ipſum, ſicut ſana *ratio* ſuadere videtur, ita adſtipulatur huic etiam *experientia*, quæ nimirum utique confirmat, quod in plurimis *Specificis*, non ſolùm *valde*, ſed in aliquibus etiam *abſolute, neceſſaria* ſit, exquiſita dignotio veræ *ſpecialiſſimæ ſpeciei* ipſius morbi, cui proprie quadret illud remedium, alii verò non æque, aut abſolute non. Certe verò, non habet hic locum, cruda illa acceptio & opinio imperitorum; qui, dum in communi praxi vident, quomodo ſpecioſiſſimè laudata atque commendata varia remedia, vix generales quoſdam effectus exhibeant, & proinde tum his, ad quos commendantur, tum aliis, quacunque ſimilitudine conſpicuis affectibus, adhiberi poſſint, vel pari generali & exigua, vel utrinque nulla ſolida & evidenti, efficacia : formata inde ſubſumptione, ſeu potiùs ſimilitudine, idem de *ſpecificis* ſibi imaginantur. Sed non accommodat ſeſe natura rerum phantaſiis & opinionibus humanis; unde etiam hac in parte iſtas deſtituere non eſt mirum.

Poſſumus certe ita allegare experientiam, dum non ſolùm citatum *extractum Peti* ſeu *Tabaci*, *hypochondriacam* tuſſim, exquiſitisſimè nihil alterat aut ſublevat; *pectoralem* vero ſimplicem, præſentiſſimè; ſed remedium etiam de quo diximus *odontalgicum*, doloris dentium *idiopathici*, certum præſentaneum, & perpetuum remedium; ſympto-

ſymptomaticas, deuteropathicas, verbò *hemicranicas* odontalgias, exquiſitiſſimè nihil juvat aut ſublevat, imò ne leviſſimè quidem alterat. Allegatum remedium *antepilepticum*, epilepſiam *veram*, *caducam*, valde *convulſivam*, efficaciter domans, in convulſionibus *ſymptomaticis*, aut epilepſiâ directe *conſenſuali* (exemplar habuimus in epilepſia *verminoſa*) vel plane nihil, vel nihil ſolidi, efficit; imo in *idiopathica* etiam epilepſia, niſi cum plane peculiaribus circumſtantiis morbi, & exhibitionis, nullum operæ pretium facit &c, ut de hiſtoria Tarantularum diverſarum, nihil dicamus.

Ita certè, vel ex hiſce ſpeciminibus & exemplis, ſubſumere licuerit, quid etiam de variis aliis, efficaciæ ſpecificæ compotibus medicamentis, conſiderandum ſit. Non frivola enim inde naſcitur ſuſpicio, quod etiam alia varia hinc inde, præſertim inter vulgus, adhuc lateant ejuſmodi medicamenta, quorum efficacia *ſpecifica*, aliquando veluti nuda bona fortuna feliciter cedit, & inexpectatos penitus effectus producit: quod verò non ſemper pari promptitudine, aut certitudine, expectationi ſatisfaciant, non immerito imperitiæ conſciorum adſcribendum videtur; qui neque certam *ſpecialiſſimam indolem* affectus, neque juſtum *colligendi* medicamenti, neque *exhibendi*, *tempus*, convenientem *doſin*, juſtum *regimen*, *continuationes* aut *reiterationes* fructuoſas didicerunt aut obſervarunt: nec etiam ipſorum ſubjectorum patientium convenientem conſiderationem habere intelligunt.

Certè enim non ſolum *Specificorum*, ſed tanto magis *amuleticorum*, *ſympatheticorum*, *magneticorum*, dictorum, energiam, longe plurimum promovet, indoles patientium, circa rationalia quidem exercitia, ſi non *ſtupidior*, tamen *tranquillior*, imò *otioſior*: circa vitales verò actus *ſenſibilior*, quæ vulgo dicitur debilis, & νοσηρὸς *kräncklich*, *vveichlich.* Cum ex adverſo *impatientia*, turbulenta, ferocia, ingenia, ab ejusmodi remediorum veluti ſenſu alieniora ſint, iisque nihil auſcultent, ut germani dicunt, *ſie kehren ſich nichts dran*: ſed potius in pertinacibus ſuis efferis, tumultuariis excutiendi moliminibus atque moribus perſiſtendo, placidiores ejuſmodi avocationes, & ad certos placidos motus invitationes, aſpernantur.

Eodem reſpexerunt veteres practici, quando pro efficaci uſu *ſpecificorum* obtinendo, abſolute monuerunt, *univerſalia* præmittenda eſſe. Intelligentes videlicet, quando adhuc quæcunque copioſa materia, fovendo vel augendo morbo idonea, in corpore reſtat aut reſtagnat: vel etiam *generalioribus*, cacochymicæ communis ſaburræ excuſſionibus implicata eſt & œconomia motuum vitalium, fruſtra ab illa expectari, ut *ſpecialiſſimum* quendam fomitem, *ſpecialiſſimo* quodam motu, planè ſeorſim, & exacta quadam, ac veluti tranquilla, intentione atque directione, proſequatur. Quæ ſane methodus inter reliquas hactenus allatas circumſtantias, praxeos & efficaciæ ſpecificorum

ſtudioſis atque curioſis , ſemper cynoſuræ loco eſſe debet , ſi quidem experientiam de hiſce rebus ſolidam adipiſci exoptant.

CAPUT III.

De *Specificorum operandi ratione in genere.*

UT ſub initium hujus ſectionis meritò monuimus , quod ſpecialiſſimæ ſeu formalis rationis , tam texturæ quam efficaciæ medicamentorum , nulla detur ſolida Theoria ; ita tanto magis ad ipſum hoc loco repetimus : ſimul verò etiam ab inanibus iſtis formulis abſtrahimus , quibus dicuntur *idealiter* agere , *ſpiritus* delinire , concentrare , figere , imò *ſigillo* ſeu *charactere* novo obſignare , & quæ ſunt ſimiles ῥητορεῖαι , certe nihil ſignificantes. Sed ſuffecerit nobis , de *generaliore* illo *modo* ſententiam noſtram dixiſſe , quo *ſpecifica* non ſolùm operationes ſuas abſolvunt , ſed etiam circa ipſam practicam ſui adminiſtrationem eo ipſo intuitu ita inſtrui atque dirigi debent , ut laudatum ſuum effectum conſequi poſſint.

Sentimus autem , quod *ſpecifica* , non tàm agant in *materias* , eaſque alterent aut invertant ; ſed maximè in *motus* vitales , *ſpeciales* nimirum , contra qualemcunque *ſubtilem* effectum , *paucioris* alicujus materiæ directos , & circa illam , quacunque *ſpaſtica* atque *vibrativa motitatione* , *ſtrictura* &c. occupatos.

Si enim tales motus , vel præter veram atque juſtam æſtimationem inſtantis aut vigentis læſionis corporalis , nimis *anxie* ſuſcipiuntur ; vel *trepide* , atque cum tergiverſatione quadam , adminiſtrantur : vibrativis magis , quam debite *directivis* & *expreſſivis* motibus : aut incommoda *ſtrictura* , ad *expreſſionem* ſubtilis materiæ inſufficiente , *exhalationem* ejus ſupprimendo , efficaciæ humores intimiùs corrumpendi , ſufficientem moram relinquunt : ita ſanè , quando hi *motus* vitioſi , in his ſui aberrationibus corriguntur , cedunt omnia proſperius , & obtinetur commodè juſta rerum noxiarum *ſecretio & excretio* , nempè unicum ſolidum *vitæ* conſervandæ adminiculum & inſtrumentum.

Ex eodem fonte ſunt certe remedia *Specifica* , unicum ſolamen affectuum *conſuetudine* jam introductorum. Sicut enim *conſuetudo* nihil aliud eſt , quam *motuum inſolitorum* , *per multiplex exercitium inducta agilitas* , & *activitas* , *ſeu promptitudo* : unde etiam longiſſime à ſcopo aberrant , qui promptam illam recrudeſcendi efficaciam in *materiæ* irritantis *acrimonia* , *quantitate* , & *qualitate* , collocant : econtra *promptitudinem* hanc , ſimpliciter *ad agendum* , etiam ſine *materiæ* proportionata ſive quantitate ſive qualitate

qualitate, tam citò provocant, & exſtimulant, nudæ *intentiones agendi* præcipites, nempe *animi pathemata*: ita quadrant omninò hæc remedia *Specifica*, tanto commodius hujuſmodi negotio, ut nempe promptam ad ſpeciales *motus* indolem, à motu cohibeant atque revocent.

Hac ipſa de cauſa, videmus haud rarò contingere, ut *Specifica* morbo cuidam jam altius exardeſcenti, nullum amplius, aut vix leviſſimum ſubſidium adferant; cui, tempeſtiva exhibitione, præoccupando ſatisfacere potuiſſent; ſicut in *morſu* animalium *venenatorum*, *canis rabidi*, hydrophobiâ jam coorta, imò ferociente, inanis aut ſumme certe ambiguus eſt, ſpecificorum adverſus talia mala, uſus & effectus. Alibi, v. g. in *pleuritide*, ſi vel maximè opportuno uſu *ſeminis cardui mariæ*, *dolores punctorii* deſiſtant; *febris* tamen non deſiſtit, ſed decurrit periodum ſuam, recrudeſcentibus quin etiam ſubinde ipſis punctionibus &c.

Econtrà, quando morbi reliquus impetus, ſpecialem illam cauſam, velut ex conſequente demum ſecutus, jam maximam partem deferbuit; ibi habet frequentisſime hujusmodi quoque *Specificorum* remediorum tempeſtivus uſus, utilitatem maximam: ut affectus non ſolùm tantò *citius* finiatur, ſed etiam tanto *certius plenius* atque *ſolidius*, in univerſum tollatur. Unde quidem prudens uſus convenientium *Specificorum*, non ſolùm in *declinatione* morbi, ſed etiam certiore jam *convaleſcendi* ſpe reverſa, non contemnendæ ſubinde eſt efficaciæ.

Sunt verò hac ipſa ſua, *anomalos motus placandi* efficacia, *ſpecifica* vera, longe optima atque optatiſſima *anodyna*; variorum, tum *dolorum* ab anomalis motibus pendentium, tum anomalorum *motuum*, ſubtilibus imprimis ſenſationibus ſi pervenientium. Cum enim nuda atque pura *anodyna*, non niſi motus *in genere* conſopiant, & ſenſus ſtupefaciant; *ſpecifica* econtrà, ſpecialiter tale quid præſtando, longe ſpecialiorem utique utilitatem etiam afferunt.

De reliquo, & pro concluſione totius noſtræ tractationis, notamus, & monitos volumus practicos curioſos, ut præter hactenus dictam, *ſimplicionem* efficaciam ſpecificorum, ſolerter diſpiciant de *compoſita*, ſeu conjuncta quadam alia energia, unà cum ſpecifica illa virtute. Neque minus in uſurpandis ſpecificis etiam *ſimplicioribus*, diſpiciant diligentisſime, an etiam ſecurum ſit *ſpecifico* unum affectum tollere; cui ſublato alii graviores atque pertinaciores ſuccedere poſſint Exemplum habemus in *hæmorrhoidum fluxu*; quem promptè & pertinaciter ſupprimere, certe non uno ſolo, & profectò exquiſitè *ſpecifico* remedio, in proclivi poſitum eſt: quæ verò graviores turbæ, & profectò, in diu *aſſuetis imprimis*, *habitioribus*, jam *ſenioribus*, (quod quidem nos nunquam aliter vidimus:) *incurabiles*, & non modo commorientes, ſed lethiferæ paſſiones atque morbi, certò ſuccedant, teſtem provocamus circumſpectiorem poſteritatem.

Cœterum in genere ſanæ rationi adverſum reputabitur, ſi qui forte motus, propter certam aliquam materiam *evacuandam* in corpore fiunt, ſive generalioribus *ſiſtentibus*, aut *adſtringentibus*, ſive *ſpecificis*, illos cohibere, adeoque *materiam* noxiam in corpore retinere.

Ita quidem hujus etiam remediorum generis, tanquam *motuum* ſpecialium *alterativi*, tractatione, quantum propoſiti ratio poſcebat, perfuncti, finem tandem facimus, pro præſtita gratia atque benigno auxilio, divinam clementiam humillimo animo celebrantes.

CCXXXI.

ANTONII RIDIGER

DE

VERITATE VIRTUTIS MEDICAMENTORUM.

LIPSIÆ 1750.

§. I.

Ad propriam morborum & auxiliorum contemplationem, niſi medicinalis ars facienda perveniat, & proprietatis hominum notitiam ſibi neceſſariam ducat, (*a*) vix unquam utiliter ſatis perpetua præcepta recipiet. Quamvis & ceteroquin inficias ire nollem, quod ibi quoque, ubi fœcundæ utilitatis perpetuum quid nos denique inveniſſe credimus, & hoc omnino non perpetuum eſſe ſæpenumero inveniamus, (*b*) attamen ſi ad maxime reſtrictas, per variam experientiæ fidem, ſententias tranſimus, ſtabile quid tandem, ſed tantum caute & ſufficienter attentis, ac maxime provido ratiocinio uſis, elucet. Hujus autem perpetui & immutabilis inventioni multum officere ſolet, præpoſterum, non neceſſarium & tempeſtivum, ſed potius inutile quoddam novitatis ſtudium. Continuæ puta rerum viciſſitudinis avidiſſimi, & qui utiliſſima quæque, ab antiquis propoſita, ideo contemnunt, quod nova non ſunt, a ſapientiæ laude remoti eſſe, & magis puerilia mihi tractare videntur ac ludicra (*c*). Summa nimirum in rerum uſu inconſtantia quædam efficit, ut quid conſtanter verum, & ſub quibus limitibus tale ſit, experiri in arte *Inſtituti ratio.*

(*a*) Celsus Præfat. Inveniuntur tamen, inquit, in quibus aliter atque in ceteris idem eveniat. In his ergo communium inſpectio contraria eſt, propriorum tantum ſalutaris.

(*b*) Celsus loc. cit. Eſt enim hæc ars conjecturalis, neque reſpondet ei plerumque non ſolum conjectura, ſed etiam experientia.

(*c*) L. Annæi Senecæ verba huc referri merentur, quæ extant Tom. II. Epiſt. XLVIII. & XLIX. Quid mihi luſoria illa proponis, non eſt jocandi locus. Non vaco ad iſtas ineptias, ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? mors me ſequitur, fugit vita, adverſus hæc me doce aliquid, effice, ne ego mortem fugiam, vita me non effugiat.

arte nequeant; ſed prout quid ceſſit aliquando, ita pro perpetuo, magno admiſſo hiatu, venditent. Scitu autem neceſſaria, quæ ſæpe tamen pleriſque explorata & definita omnino non ſunt, (*d*) cum recta ratione experiendo, & ea quoque, quæ jam aliqua ratione utiliter inventa fuerunt, perfectius indagando, ultra progredi, hoc non inutilis novitatis, ſed potius veritatis neceſſariæ ſtudium reddit manifeſtum, id quod & artis eſt atque virtutis opus (*e*). Cum igitur ad talia ſcribenda animum applicarem, quæ maxime utilia, neque tamen ſufficienter hactenus ab aliis eſſent tradita, definita atque diſtincta, (*f*) & uſum medicamentorum proprium, ſcitu tantopere neceſſarium, non ſolum plerumque minus perſpectum, ſed etiam ipſam hujus rei recta ratione & experientia fundatam veritatem, ex parte in dubium vocari invenirem, facile eo induci potui, ut ex veris obſervationibus æque ac meditationibus hanc propriam medicamentorum efficaciam ſtabilirem, ſimulque ſingulares illas, ex quibus medicamenta ſunt, facultates obſervandi rationem oſtenderem. Sane enim, cum ex indole earum rerum, quæ medicamenta vel alimenta conſtituunt, curatius cognita, & ad morborum cauſas relata, non ſolum verus & genuinus pateat in corpore afflicto uſus, ſed quoque haud raro in occultis, quoad cauſæ originem, morbis, egregium ex juvantibus & nocen-

(*d*) Multi quidem in illa opinione verſantur, ac ſi in arte ſalutari omnia, ad recte faciendam medicinam, ſcitu neceſſaria, jam explorata abunde, definita atque diſtincta ſint; at enim vero, quoniam *plerumque vivere incipimus, cum deſinendum eſt:* uti ait SENECA de Brevitate vitæ Cap. IV. & quoniam *magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus*, uti idem differit Epiſt. I. ad Lucil. quid mirum, quod & hodie adhuc ars longa & vita brevis ſit, & quod nova ad recte faciendam medicinam neceſſaria multa reſtent, vel fortuito, vel ex artis regulis invenienda. Quisnam hactenus ſatis de omnibus noſtro tempore uſitatis tantum ſimplicioribus remediorum materiis oſtendit, ſub quibus indiciis eorum uſus perpetuo ſalutaris habeatur, & quæ vera unius cujusque medicamenti particularis atque ſpecifica virtus ſit? Quis plurium v. c. malignorum morborum cauſas multum abſconditas, ex intaminata experientia probe illuſtravit? Nonne hæ res manifeſto utiles ſunt? SENECA Tom. II. Epiſt. XXXIII. *patet omnibus*, inquit, *veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa, etiam futuris relictum eſt.* Sed omnino etiam ex neglecta veterum lectione evenire ſolet, ut multis varia explorata & definita, in Semioticis præſertim doctrinis non ſint. Inutilium enim novationum & verbalium abſtractionum ſtudioſi, artis recte præſagiendi in morbis inventorem HIPPOCRATEM, alioſque veteres cum ſenſu veri legere & relegere neſciunt. Conf. CELSUS Lib. II. Præf.

(*e*) HIPPOCRATES de arte. *ἐμοὶ δὲ τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, ὅ, τι καὶ εὑρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον εἶναι. Καὶ τὸ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι ὡσαύτως.*

(*f*) HIPPOCRATES de ration. vict. in acutis. IV. *Δοκέει δέ μοι, ἄξια γραφῆς εἶναι ταῦτα μάλιστα, ὁκόσα τε ἀκαταμάθητα ἐστὶ τοῖσιν ἰητροῖσιν.* Conf. EXCELLENTISSIMI Güntzii, ad hunc Hippocratis locum Scholion I. p. 287.

nocentibus indicationis formandæ adminiculum duci queat, (*g*) facile liquet, rem omnino in medicina facienda frugiferam atque fructuoſam eſſe, alimentorum & medicamentorum propriam, quæ præcipue a relatione ad has vel illas hominum temperies & ægrotantium proprietates dependet, (*h*) indolem perſpicere.

§. II.

De vario auxiliorum genere, & diverſa virium medicinalium conſideratione.

De veritate igitur virtutis medicamentorum propriæ expoſituro; quid medicamenta ſint, & quot diverſas conſiderationes eorum facultates recipiant, protinus dicendum eſt. Medicamenta de ſummo remediorum genere ſunt, & naturalia mixta denotant, quæ, recte a medente oblata, (*i*) ſalutares in motu partium mutationes præſtant, & hinc vel fluidorum & ſolidorum ſanitatem ſuſtinent, vel ad ſenſum jam labefactatam omnino reſtituunt. Etenim cum vel victus, vel motus, quietis, vigiliarum & ſomni decenter habita ratione, ſolidorum ac fluidorum ſanitatem recuperemus & conſervemus; vel etiam cum multum admodum, in variis corporis malis, ægrotantium ſitus, varia chirurgorum ſuppellex, inſtrumentorum, faſciarum & linamentorum apparatus, quem recte præcipere, applicare, & quo convenienter uti didicimus, proficiat: imo cum frictiones adhibere ſæpenumero expediat, cum denique ſingularis quædam aeris efficacia in corpus humanum attendenda quam maxime ſit, (*k*) quod aeris mutatio multis morbis ſæpe medelam affert, & neglecta contra ejusdem ratio morborum curas graviſſime impedit, adeo, ut mortalibus vitæ, & ægrotis morborum autorem aerem eſſe HIPOCRATES dixe-

(*g*) Conf. BOERHAAV. qui in inſtitut. medic. §. 1086. de methodo medendi aſſerit, quod juvantia & nocentia præcipue indicent.

(*h*) HIPPOCRATES de veteri medicina XXXVI. ἐπεί τοι γέ μοι δοκέει ἀναγκαῖον πάντι ἰητρῷ, περὶ φύσιος εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι, ὡς εἴσηται, εἴ περ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν ὅ τί ἐστιν ἄνθρωπος πρὸς τὰ ἐσθιέμενα καὶ πινόμενα καὶ ὅ τι ἀφ ἑκάστου ἑκάστῳ συμβήσεται. καὶ μὴ ἁπλῶς οὕτω δοκέειν, ὅτι πονηρὸν βρῶμα τυρός. Dignum ſane animo ut volvant & revolvant medentes ſapientiſſimum hoc, & alia in libr. I. de Diæta, de alimentis monita, & quæ etiam de medicamentis veriſſime dici poſſunt. Sine relatione enim ad ægrotantium proprietates, nullum omnino medicamenti effectum conſtanter experientiæ conſonum deprehendemus.

(*i*) Medicamenta ſemper tempeſtivum quendam uſum involvunt, ſicut venena mixtorum & corporum naturalium abuſum. Sic v. g. Arſenicum in minima doſi venenum ſæpiſſime eſt, quatenus corpori humano, quod tali aſſumendo rariſſime aptum & adſuetum eſt, extus aut intus applicatur. In ſe vero Arſenicum ſpectatum, ut mixtum, ſine relatione ad corpus animale, nec medicamentum, nec dici poterit venenum.

(*k*) Conf GOTTLIEB EPHRAIM BERNERI exercitatio phyſico medica de efficacia & uſu aeris mechanico in corpore humano. p. 309. §. CXXXVII.

dixerit; (*l*) apparet utique, auxiliorum atque remediorum varia genera haberi, ad quæ plus minus ſimplices atque compoſitæ facultates quarumcunque rerum, ex quibus pharmaca ſunt, bona methodo extus adhibenda, vel intus recipienda, referri tandem quoque merentur. Cognitis adeo variis auxiliorum generibus, ad medicamentorum præſertim vires, earumdemque diverſas conſiderationes tranſeundum eſt. Una harum facultatum omnibus non ſolum medicamentis, ſed inſimul reliquis quoque auxiliis eſt communis; aliæ vires non quidem omnibus, ſed tamen pluribus communes, propiora quædam virium genera conſtituunt, quæ denuo ſingulares quaſdam facultates, non tamen omnino perpetuas atque conſtantes comprehendunt, §. IV illæ contra medicamentorum virtutes, quæ certo cuidam vaſorum ſyſtemati tantum, & eorundem fluidis, iisdemque ſimul in ſingulis viſceribus & organicis partibus propriæ ſunt, raro ſatis notæ (*m*) *particulares* atque *ſpecificæ* facultates dictæ, §. V. ubi veriſſime obſerventur, magis perpetui quid in uſu oſtendunt. De ſingulis nunc dicam, & de omnibus communi medicamentorum facultate exordiar.

§. III.

De medicamentorum virtute communi, in genera quædam deducta & panaceæ præjudicio

Non ſolum ad motus ſimpliciter evacuantes, ſed quoque ad vitam ſuſtinentes, & ad morboſis oppoſitos quoſdam alios motus, atque materias, quibus mutandi fluida, cum conſtantis ſanitatis fiducia, virtus ineſt, in variis convaleſcendi rationibus reſpici utique oportet (*n*) Sicuti vero plurimis auxiliis, imo quoque venenis, ita etiam omnibus medicamentis, vel demant aliquid, vel adjiciant, *communis* eſt illa *in*

motu

(*l*) Hippocrates de flatibus. Spiritus qui in corporibus ſunt, flatus vocari dicit, ſpiritus extra corpus exiſtentes, aërem nominat: De aëre autem aſſerit: τοῖσι δ' ἂν θνητοῖσιν ἕτος αἴτιος τῦτε βίυ καὶ τῶν νόσων τοῖσι νοσέυσι.

(*m*) Non equidem ignoro, quod Georg Wolfg. Wedel. in amœnitat. mater. medic. aliique innumeri de ſpecificis medicamentorum facultatibus commentati ſint; at enim vero quamvis interdum quorundam ſimplicium proprias vires utique recte & veriſſime ex parte indicaverint, multa tamen quoque rationali medico indigna, nomina induxerunt, v. g. febrifuga, antiarthritica, antihyſterica, multoties quædam medicamenta ad ſtomachica, hepatica, ſplenetica, cephalica retulerunt, quæ directe prorſus non ad ea referenda ſunt, vid. §. XIII. & de exiſtentia & veritate propriarum virtutum ſolidam doctrinam neglexerunt, multo minus ex genuinis obſervationibus illuſtrarunt. Wedelius ſpecificarum virtutum indolem, neſcio a quo archeo particulari viſcerum Helmontiano, Libr. I. Sect. III. Cap. I. n. 120. 121. repetit, & alii meliora vix docuerunt. Ergo parum adhuc veræ ſpecificæ & propriæ medicamentorum virtutes notæ, traditæ, definitæ atque diſtinctæ ſunt

(*n*) Conf. Diſſertation. de evacuationum criticarum viciſſitudine, ſub præſidio Magnifici Quelmalzii a Joanne Gabriele Thilo habitæ §. I.

motu mutationem producendi vis (*o*); vel igitur augeant, vel temperent, vel ſuſtineant motus medicamenta, evacuent vel alterent corpus, ſemper tamen quandam mutationem in motu partium ſolidarum, & fluidarum per vaſa, inde evenire perpetuum eſt. Hinc igitur veritati quam maxime conſonum illud eſſe ſentio, quod alio loco (*p*) dixi, & cum ILLUSTRI STAHLIO aſſerui, quod nimirum in earum facultatum, quibus medicamenta gaudent, obſervatione, motus magis, quam materias animadvertere debeamus, cum frequentius mutationes in motu attendere liceat, non æque vero craſin materiarum mutatam. Ut eo luculentius hoc pateat, perpendamus modo, quod ad læſam mechanicam fibrarum per gluten cohæſionem, vel ad organiſmum læſum, vel ad præternaturalem quacunque ratione factam ipſam vitalis motus menſuram, vel ad depravatam humorum mixtionem, imo denique quantitatis humorum vitium, & has cauſas varia ratione compoſitas, proximæ in univerſum morborum origines reduci poſſint, & cum hæ cauſæ, ſimplices vel ſociæ, motus vitalis quandam læſionem in fluidis vel in ſolidis neceſſario ſemper involvant; apparet hinc, omnia medicamenta, aut convenientes motus vitales in toto corpore reſtaurare, aut motuum ἀταξίας tollere, & illud vel demendo quid, vel adjiciendo (*q*) facere. Salutaris igitur in motu mutatio eſt effectus efficaciæ verorum medicamentorum communis. Cum vero motum ſolidorum & fluidorum nimium ac perverſum, vel per alios motus cauſas tollentes directe exolvamus (*r*), vel per materias movendas additas mitigemus, & ſolidorum ac flui-

 dorum

(*o*) Seu uti GALENUS de materia remediorum ſentit, Libr. I. Cap. I. de ſimpl. med. facult. φαρμακὸν μὲν δὴ πᾶν ὅ, τιπερ ἂν ἀλλοιωτικὸν ἦ τῆς φύσεως ὀνομάζομεν, cum nimirum natura ſeu φύσις ſecundum antiquiſſimos principium motus aut quietis ſit in quolibet ſubjecto. Vid ILLUSTR. STAHL. Opuſcul. Chymico phyſico medicum, & Obſervat. I. Ariſtotelis error circa definitionem naturæ correctus. p. 202. Recte mihi videtur de materia remediorum ſentire GALENUS, dum pharmacum dicit, omne quodcunque tantum principium motus & quieti mutat, adeoque mutationem in motu neceſſario producit. Τὸ φάρμακον vero materiam medicamenti ac veneni indicat. Hinc HOMERUS ait.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἔσθλα μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Maxime quoque mecum conſentit HIPPOCRATES de locis in homine, LV. p. 397 inquiens πάντα φάρμακά ἐισι τὰ μετακινέοντα τὸ παρεόν: materiæ remediorum ſunt illæ, quæ præſentes motus mutant, ſeu ſtatum præſentem transmovent. Ad motus igitur magis, quam ad materias in definienda pharmacorum virtute reſpici oportere, quoque vult HIPPOCRATES.

(*p*) In diſſertatione mea, cui titulus eſt, Artis inveniendi ſeu experiendi nova Tentamin. Cap. III §. 2. p. 44. de experimento ſufficienti.

(*q*) HIPPOCRATES de Flatibus. Edit. Lind. p. 40. ἰητρικὴ γάρ ἐςι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις.

(*r*) CELSUS Libr. II. Cap. VIII. Febrem ardentem, quam Græci καυσώδη vocant, ſubitus horror exolvit.

dorum languidum motum vel directe excitemus, vel copiam materiæ ſubtrahendo, hunc motum reſtauremus, vel tandem mutationem in motu, ſimul demendo, ſimul adjiciendo quid, præſtemus, factum inde fuit, ut in ſumma quædam genera *evacuantium* ex *alterantium* diducta medicamentorum virtus communis a medentibus fuerit; atque cum medicamenta, quæ motus evacuationi inſervientes excitant, profundas ſimul in materiis mutationes producere ſæpenumero ſoleant (*s*), evacuantibus & alterantibus tertium genus neceſſario adjici debet, eorum nempe, quæ ſimul evacuant & alterant. Maximam vero animadverſionem meretur illud, quod evacuantia, & ex iiſdem & alterantibus compoſita, ſummum & notatu digniſſimum diſcrimen recipiant, ſi ſingulares excretiones, quibus inſtaurandis in his vel illis partibus inſervire ſolent, & defectus earum virtutum, quas tantum reſtitui natura exigit, ſeu ſpecificas ſecretiones conſideramus. Hoc enim ubi exacte perpendimus, univerſalis cujuſdam medicinæ aſſertionem riſu eſſe atque exploſione dignam, non opinamur, ſed comprehendimus. Namque impoſſibile eſt, medicamentum unum eſſe, quod excutiendis ſimplicioribus tantum, & ſimul quoque complicatis materiis morboſis, compeſcendis & inſtaurandis uno eodemque reſpectu motibus in iiſdem vaſis & fluidis ac viſceribus reſponderet, adeoque πανακής, ſeu univerſalis medicina dici poſſet. Spem (*t*) igitur & rem univerſalis cujuſdam, non autem polychreſtæ, medicinæ nego. Illi enim, qui erroneam hancce ſententiam fovent, non ſatis mihi diſtinguere videntur, medicamenta, quæ ſalutariter demunt aliquid, vel adjiciunt; quod demi aut adjici natura rerum poſtulat, & *mixta naturalia*, quæ applicata corpori, ubique aliquid adjiciunt, vel demunt, neque vero id, quod demi aut addi debebat. His ita proviſis recte ratiocinando ſequitur, *mixtum* quidem *univerſale*, non autem *medicamentum univerſale*, poſſibile eſſe; & mixtum univerſale, in minima mole ponderoſum, ſolubile & penetrabile valde, tempeſtive adhibitum, divinum quidem & potentiſſimum præbere multoties medicamentum, minime vero univerſale, hoc eſt, tale, quod exactiſſime in omnibus quibuscunque morbis conveniret, & non complicatis ſolum, ſed ſimplicis quoque cujuſdam cauſæ origini reſponderet.

§. IV.

(*s*) Rhabarbarum v. g. eſt evacuans & roborans ſimul; mercurius dulcis tempeſtive datus, reſolvit, & expellit per ſalivationem aut alvi ductionem; diuretica cum potu aquoſo diluente data, mutant humores atque evacuant & quæ ſunt alia.

(*t*) Vana eſt & miſera quorundam, qui adeptorum nomen mereri optant, ſpes, quæ cogitatione impoſſibilium nititur, de cordis motu inſigniter augendo, per concentratum, ut loqui amant, naturæ balſamum, quo omne morboſum expelli, & hoc ipſo univerſalis medicina haberi debet. At enim veros ſæpe vitam debilem vivere, ſumma medicina eſt, ergo tale cardiacum naturæ reſtaurativum in hæmorrhagiis periculoſis noceret.

§. IV.

Conſideratis adeo illis medicamentorum virtutibus, quæ omnibus, & quæ pluribus ſunt communes, ad ſingularium vires, hiſce generibus comprehenſas, pervenio. Inter ſic dicta evacuantia nimirum referri ſolent, emetica, alvum aperientia, diuretica, diaphoretica, carminativa, emmenagoga, expectorantia, & quæ ſunt alia, ſternutatoria, ſalivam moventia, anthelmintica. De plurimis autem ſingulorum horum evacuantium, ſi pleroſque materiæ medicæ ſcriptores conſulamus, genera virtutum, præparationes, odores, ſapores, & quædam mixtionum nomina, bonitatis notas, & doſes indicant; proprium vero uniuscujuſque vomitorii, alvum ducentis, diuretici, vel diaphoretici, carminativi &c. medicamenti uſum §. V. raro attingunt, nunquam exhauriunt. Hinc utique diſcentes, qui proprium harum rerum uſum neſciunt, in tanta v. c. diaphoreticorum & diureticorum copia hæſitant; quo potiſſimum in hoc vel illo morbo, ubi vel diaphoretica, vel diuretica indicantur, uti debeant, & ſub quibus indiciis hoc potius, quam illud adhibere expediat. Aut igitur efficaciſſima negligenter extimeſcunt timidi, & leniora quæ multoties proprietati morbi ne minimum ſunt apta, arripiunt, & inde lentam morborum corruptionem inducunt; aut quoque temerarii, efficaciora quæ aliquando fuerunt, ſeligunt, & cum eadem ſæpenumero ad propriam morbi indolem oppugnandam nihil omnino conferant, vires ægri inaniter convellunt, & quaſcunque noxas hinc inde ſubortas morbi gravitati, ne quicquam vero alieno auxiliorum uſui tribuunt. Si denique ſunt, qui forte fortuna in talia medicamenta incidunt, quæ non ſolum indicationi generali, ſed etiam propriæ morbi indoli reſpondent, rationem ſucceſſus nullam aliam reddunt, quam quod, ſine propriorum inſpectione, plus minus fortiora v. g. diuretica, vel diaphoretica ſic dicta adhibuiſſent, adeoque ſibi aliisque veri perpetui, ex proprietatum contemplatione utiliſſime tantum inveniendi opportunitatem eripiunt. Ad eruenda enim perfecta auxilia opus eſt, quo uniuscujuſque ægroti indoles, morbique, uti in ſingulis variant, mores, ad propriam hanc vel illam auxiliorum virtutem referantur (*u*). Hinc igitur, ut intimam materiarum, quibus medicamenta conſtant, naturam medentes diſquirant, & quibus organis, meatibus, ac primario motibus conveniant, experiantur, ac operationum proportiones, & mutuas ſubordinationes atque concurſus in agendo, ingenue & conjunctis viribus notent, non tam proficuum, quam

De minus perpetuis quibusdam medicamentorum virtutibus.

(*u*) Confer. hic MAGNIFICI & EXCELLENTISSIMI HEBENSTREIT, patroni mei æternum colendi, παλαιολογιας Therapiæ ſpecimen XIX. de indicatione formanda p. 6.

quam neceſſarium eſſe ſentio. Cum enim ex ignorantia propriæ medicamentorum efficaciæ perverſus ſæpenumero exiſtat uſus, hæc res quotidie efficit, ut quædam, quæ tempeſtive adhibita, non ſolum medicamenta, ſed divina & efficaciſſima auxilia ſunt, ſine diſcrimine noxia non ſolum dicta, ſed etiam omnino fuerint ab ignorantibus exploſa; non aliter ac ſi Deus & natura ridiculas mixtiones producere potuiſſent, cum tamen uſus tantum ridiculus, noxius atque perverſus ſit, neutiquam illud naturale mixtum. Sæpe quoque evenire ſolet, ut laudata diaphoretica, diuretica, nec diaphoreſin, nec diureſin excitent, ſed præter omnem opinionem, quamvis nec in victu, nec in regimine vitium fuerit admiſſum, alvum moveant (*x*). Hæc ſi junior medicus, qui faciendæ medicinæ recenter ſe tradidit, experiri ſolet, pariterque de aliis v. c. emmenagogis, expectorantibus id tantum didicit, quod aliquando priora ad provocandum fluxum menſtruum, poſteriora ad viſcidum ex pulmonibus excutiendum, aut acre ibi demulcendum profuerint, & pro diverſis horum illorumve vaſorum obſtructionibus, pro varia morborum indole propria, id omnino ſæpe non fieri ſolet, de arte medica valde dubia male cogitare, ſed ſcire ſe nihil ſcire ſapienter incipit. Etenim non eſt, quod arti tribuamus, ſed illi de occultis utiliter evolvendis negligentiæ. Medicamentorum uſus proprius plene perſpectus, ex relatione eorundem ad cauſarum morbificarum proprietates, conſtantiſſime ſalutaris eſt, & raro fallit, niſi cauſæ omni poteſtate medica majores ſint. Medendi igitur potentia, in quantum limitata ſit, non ignorare, & ratione horum limitum HIPPOCRATIS monitum (*y*) ſequi artifex debet. Sed ut breviſſimis nunc me expediam, aſſero: non eſſe v. g diaphoretica perpetua, quæ in omnibus ſubjectis hac vel illa temperie gaudentibus, ad iſtam excretionem proclivibus & minus pronis, diaphoreſin præſtare ſemper & ubique conſtanter poſſint. De vomitoriis igitur & diureticis, imo de illis quoque medicamentis, quæ ut cita alvus eveniat, efficiunt, notandum quam maxime eſt, hæc omnia tanto cum ſelectu, quanto id fieri poteſt, adhibenda ſemper eſſe, cum certis tantum materiis evacuandis, & certo vaſorum generi, hac vel illa ratione ſtimulando reſpondeant. De alterantibus plerisque fere idem dicendum eſt; cum enim inter hæc referantur abſorbentia, demulcentia, incraſſantia, tonica, reſolventia, & adſtringentia, ſæpe nocentiſſima erunt hæc mixta oblata, niſi, ſimul ad indolem propriam uniuscujuſque v. g. reſolventis, demulcentis, quos nimirum humores reſolvat, quam fluidorum acrimoniam, in quibuſnam vaſis demulceat, reſpicere velis. Sic etiam

(*x*) Conf. GEORG. WOLFF. C. WEDEL. Amœnit. mater. med. Libr. I. Sect. I. Cap. I. p. 14.

[*y*] HIPPOCRATES de arte. ὅταν ἂν τι πάθῃ ἄνθρωπος κακὸν ὃ κρέσσον ἐστῶν ἐν τῇ ἰητρικῇ ὀργάνων οὐδὲ προσδοκᾶσθαι δεῖ ὑπὸ ἰατρικῆς κρατηθῆναι ἄν.

etiam analeptica, antiſpaſmodica nunquam dantur univerſalia, a variis enim cauſis ſpaſmi & virium imbecillitas provenire poſſunt, ergo pro varietate cauſarum, analeptica & ſpaſmis oppoſita auxilia eſſe quoque debent varia. Hinc inter initia, ubi morbi & ægrotantis indoles propria ſæpe adhuc medentibus ſolet eſſe obſcura, & ægrotantes tamen ſine remediorum materiis eſſe omnino nolunt, is qui propria non novit, communia quidem intueri debet, ſed ſimulac ad proprietatis notitiam perveniat, talia ſeligat neceſſe eſt, quæ prorſus ſingulari morborum & temperierum indoli reſpondent: hæc enim perpetuo boni quid præſtant, & nihilominus reliqua, quæ in agendo evidenter concurrunt, bene quoque conſpirare, & convenire ad fines debent.

§. V.

De propriis, hinc magis perpetuis medicamentorum viribus in genere, & veritate particularis virtutis in ſpecie.

Niſi igitur ad proprias medicamentorum virtutes eruendas, & ad quandam obſervationis dexteritatem adſpiremus, perpetua erunt inter medentes de facultatum, quæ pharmacis inſunt, uſu ſalutari diffidia. Haud ideo ſufficit ſcire, quod medicamenta in univerſum ſalutares in motu mutationes præſtent, quod hanc illamve materiam aliquatenus mutent, vel ſurſum, aut deorſum excutiant; ſed cum potiſſimum in hoc vel illo vaſorum genere, in his vel illis viſceribus & organicis partibus, ubi vaſa atque humores continentur, materiæ morboſæ hæreant, vel laudabiles mixtiones deficiant, & adeo ſingulares prorſus & propriæ materiarum excuſſiones & reſtitutiones omnino neceſſariæ ſint, quisquis verum ſine ambitione fateri cupit, proprias quaſdam medicamentorum virtutes, præter communem quandam §. III. & illas, ſecundum certa tantum genera §. IV. diductas facultates agnoſcet. Hæ ipſæ vero facultates medicamentorum propriæ, quas jamjam definitas dedi, vix unquam hactenus ſufficienter cognitæ, quoniam ne quidem ſemper genuina obſervatione dignæ fuerunt habitæ. Præſertim illa certis organicis partibus atque viſceribus dicata & deſtinata pharmaca, ſub vexato & valde interdum ſuperſtitioſo ſpecificorum nomine indigitata vehementer fuerunt impugnata (z). Sed nihilominus intaminata experientia & recta ratione convictus non ſolum particulares, ſed quoque ſpecificas proprias

(z) Confer. Aug. Quirin. Rivini. Diſſ. quæ inſcribitur. Cenſura medicam. officinal. Cap V. ubi agit de ſpecificis ſuperſtitioſis, & genuinam inventionem ſpecifici ex ſignatura & ſimilitudine ſola, ſine experientiæ ſuffragio, imo ex verborum ſimilitudine prorſus ineptam, merito reprehendit. De reliquo, quod ad prima inventionum initia attinet, ſeu ad veras hypotheſes, ex colore, odore, ſapore aliisque ſenſu claris conditionibus ortas, iterumque notandum eſt, has

proprias virtutes una cum aliis (*a*) agnoſcere cogor. Cum primigenia enim omnium ſecretorum humorum materia in ſanguine ſit, & minimi ſolidorum canaliculi in ſimplices tandem fibras, & hæ ipſæ in humores, præſertim eos, qui ad naturam ſolidi propius accedunt, qualis ſanguis noſter eſt, deſinant, & diverſæ pharmacorum materiæ in compoſitione ſua, ſecretis ex ſanguine humoribus, nunc conſpicuis, evidenter, proprie & conſtanter ſimiles ſint; facile hinc inde particularium virtutum, quæ medicamentis inſunt, indolem cognoſcimus, Nimirum particulares mixtiones voco, quæ *primigeniis ſanguine contentis humorum materiis, propter compoſitionis cum jam ſecretis humoribus veram analogiam, reſpondent,* & eo ipſo diverſo quoque vaſorum generi, variis corporis partibus communi, quorum vaſorum ultimæ portiones fibroſæ tandem in primigenias proprias ſuas mixtiones deſinunt, conveniunt, & propter ſimilitudinem, *generales quaſcunque combinatas ſuas virtutes medicinales, variis ſanguine contentis primigeniis humorum mixtionibus, vel omnibus ſimul, ſeu ipſi compoſito ſanguini intime uniunt,* & hac ratione proprias quaſdam aut excutientes aut alterantes diverſas virtutes exerunt (*b*) Harum *unientium* facultatum particularium, quibus medicamenta inſtructa ſunt, veritas, quamvis a pleriſque, imo ab illis quoque, qui alias ſpecificas virtutes pertinaciter negant, omnino in dubium vocata non fuerit (*c*), nullibi tamen has virtutes evidenter definitas atque diſtinctas, multo minus earundem veritatem ex recta ratione demonſtratam & obſervationibus illuſtratam invenio. Ex recta ratione igitur & intaminata experientia breviſſimis tantum oſtendam, omnino eſſe particulares quaſdam medicamentorum virtutes. Sunt nimirum in ſanguine ad ſenſum homogeneo variæ & diverſiſſimæ materiæ primigeniæ, quæ in certis viſceribus, & complicatæ fabricæ partibus, ulterius elaboratæ, & poſt ſpecialiſſima eſſentiali ſua indole donatæ, prorſus ſingularia fiunt

has ipſas, licet ſint ex perfectiſſimo analogiſmo conceptæ, nunquam inventionem quandam abſolvere debere, ſicut alio loco publice jam oſtendi.

(*y*) Illustris Stahlius in prolegomenis Caſualis ſic dicti minoris ait: experta, circumſpecta, dogmaticæ ſubordinata curatio per medicamenta ſpecifica, nullo modo ſpernenda, aut negligenda, ſed maximopere perquirenda, enucleanda & illuſtranda, in qua parte plerique hodiernorum, tumultuariorum medicorum hactenus hallucinantur, dum fruſtra experimentis quotidianis fidem denegant.

(*z*) *Medicamentorum vires diverſas non ſolum ſecundum viſcera, ſed ſecundum humores quoque explorari debere,* & ſentit Pater meus Andreas Ridiger in Phyſ. Div. I. III. C. XV. §. 39.

(*z*) Conf. Diſſ. inaug. quam præſide D. Joanne Schulze habuit Gotthold Melchior Drechsler, de erroribus quibusdam in medicina & chirurgia haud vulgaribus. §. V. p. 29.

fiunt ſecreta ; ſed inveniuntur quoque diverſæ medicamentorum materiæ, hiſce humoribus ex ſanguine nunc ſecretis, quoad accidentia nobiliora evidenter atque conſtanter ſimiles. Amara enim cum bile propriam & evidentem habent convenientiam. Gummata ſeminali corporis noſtri materiæ evidenter ſimilia ſunt ; ſemina lac emulſum præbentia, & ſucci lactei cum chylo veram omnino quandam oſtendunt analogiam ; dulcia ſucco pancreatico, & humori in arteriis lymphaticis reperiundo diſſimiles omnino mixtiones non ſunt ; unctuoſa & gelatinoſa medicamenta vel alimenta toti ſanguini data recte videntur ; pinguia, reſinoſa, ad animalem pinguedinem accedunt, a quibus balſamica non valde abludunt, eadem ratione ſicut pinguedo ab oſſium medulla non inſigniter, quoad ſenſum ſcilicet differt. Variæ deinceps compoſitæ mixtiones notari quoque debent. Balſamica cum dulcibus, dulcia cum amaris, ſucci lactei cum ſale amaro, unctuoſa cum viſcoſis combinata & quæ ſunt alia, ſingularem animadverſionem merentur. Imo quoque materiæ vel fixæ, vel volatiles, vel ſemivolatiles ſunt, & hinc vel ad naturam ſolidi accedentibus magis partibus, vel potius a natura fluidi propioribus, vel utriſque ſimul reſpondere videntur. Vid. §. VI. notam adjectam. Sed quamvis hæc ita ſint, ut variæ medicamentorum materiæ, his a ſanguine ſecretis humoribus ſimiles ſint, hinc tamen non niſi illud concludo, quod externe ſimiles ſpecificis ſecretis humoribus materiæ medicinales, ad minimum ſemper certo *primigeniis ſanguine contentis materiis, quæ nondum ſpecificam indolem adeptæ ſunt, perfecte reſpondeant*, & interdum quoque ſpecialiſſimis ſecretis, quibus ſimiles ſunt, ſimul ita reſpondere poſſint. Cum enim compoſitiones tantum, neque vero mixtiones intimas videamus, caute hic ſemper ratiocinari debemus, nimirum ad generalem quandam materiarum convenientiam, non ſtatim autem ad ſpecificam. Hæc ipſa igitur externa, quam ſenſus docet, materiarum convenientia, eſt ratio, cur particulares medicamentorum virtutes concipiamus, tales ſcilicet, quæ diverſis ſanguine contentis materiis & primigeniis mixtis reſpondent, quod ex analogia medicinalium materiarum cum ſpecificis ſecretis non ſine fiducia veri concludimus. Sed id quod ratio docuit, exactiſſime inſtituta obſervatio penitus confirmavit. Siſtamus enim nobis taraxacum, ſeu dentem leonis, ubique obviam plantam. Si recte adhibetur, ad medicamenta potiſſimum, quoad virtutes communes, expellentia referenda erit. Ex ipſa porro ſucci lactei, amaricantis quidem, ſed nihilominus maxime blandi indole jam facile colligi poterit, quod & experientia quotidie confirmat, acriori cuidam ſali expellendo aptum eſſe taraxacum, bona methodo adhibitum. Notum quoque & ſatis pervulgatum eſt, taraxaci vires ad illos præſertim motus accedere, qui una cum lotio morborum materias ex toto corpore proſcribunt ; adeoque omnino de dente leonis conſtat, quod acriora ſalia per diureſin evacuet. Sed hæ particulares taraxaci vires non ſunt, ſed plura adhuc ſcitu neceſſaria requiruntur, nimirum

Obſervatio de uſu taraxaci propria

ex quanam præprimis ſanguinis primigenia mixtione taraxacum, ſal acre putridum expellat, ſi diureſin movet, utrum ex feroſa, an ex biliofa aliave materia excutiat, & ingenue profiteor, me cum frequentiſſime hac planta uſus fuerim, obſervaiſe, in morbis a bilioſæ materiæ acrimonia, quam plerumque amarities oris, ſimulque præcordiorum anxietates cum reſpiratione citata, eo tempore, quo nulli critici motus adſunt, docent, taraxacum optime proficere, & ubi diureſin, quod plerumque fit, movet, bilioſæ mixtionis acrimoniæ demulcendæ & excutiendæ aptum eſſe, ſi præſertim attendamus, num ægrotans ſimul, tempore non critico, §. XIV. de nervoſarum partium dolore & quadam laſſitudine conqueratur. Tunc enim extractum taraxaci, & ejus quidem ʒj cum aquæ de recenti taraxaco deſtillatæ pauxillo ſi adhibeas, tribus per diem vicibus, a vino vero abſtinentiam, & quietem corporis præcipias, egregias omnino vires exerit. Id etiam obſervavi, ad exſiccandam purpuram rubram, cui maculæ rubræ petechizantes interſperſæ ſunt, & albæ purpuræ exanthemata nullibi conſpiciuntur, ſingulares & particulares vires, (d) hac methodo oblatum, obtinere taraxacum. Ex radicis quoque rubiæ tinctorum ſatis notæ effectu crederem ſane virtutis pharmacorum particularis veritatem, quam hactenus aſſerui, patere omnibus. Hæc enim radix a junioribus animalibus una cum paſtu ſumta, non ſolum colore ſuo inficit animalium oſſa, ſed ipſum quoque naſcentem in mollioribus adhuc oſſibus, vi adhibita diffractis, callum, colore ſuo ita penetrat, ut intima principii colorantis unio cum eodem obtineat. Cum autem de genere primigeniarum materiarum, quæ cum ſanguine per vaſa moventur, etiam ille ſuccus terreſtris, ſeu futurorum oſſium materia ſit, ex qua ipſa callus ſine dubio fit, & tingentis hujus radicis color huic materiæ intime uniatur, ſicuti experientia cum recta ratione juncta unum quemque docebit, efficaciæ cujuſdam particularis veritatem, extra omnem dubitationem poſitam eſſe, ſentio.

§. VI.

De veritate virtutis medicamentorum ſpecificæ.

Hæ ipſæ vero particulares medicamentorum facultates, quas utique eſſe probavi, ſemper ſimul ſpecificas quaſdam vires, ſeu *dimenſionibus motuum propriis in his vel illis tantum viſceribus, & organicis partibus dicatas* obtinent.

[d] Similem omnino particularem atque veriſſimam obſervationem de antimonio diaphoretico, purpuram rubram, ſi alba abeſt, tuto exſiccante, experti ſciunt. Mihi tamen imperare nequeo, quin moneam: ubi purpura alba erupit, poſt exhibitum hoc ſtibium diaphoreticum, exanthemata illa pallida nocentiſſime ſtatim ex parte diſparuiſſe, repetitis vicibus expertus ſum.

tinent. Quamvis enim multi ſpecificis medicamentorum facultatibus nimium tribuant, & plurimi de his virtutibus minus clare ſentiant, alii tamen inde, ejuſmodi auxilia nihil eſſe, inaniter contendunt. Alterutri opinioni cum neutiquam addictus ſim, & diſſertationis hujus ſcopus id exigat, mediam inter diverſas ſententiam exactius nunc ſcrutabor. Morborum ſpecifica atque perpetua auxilia neutiquam extant. Unus enim idemque qui dicitur morbus, cum non ſolum ex variis, imo ſæpe oppoſitis oriatur cauſis, ſed quoque ſocias alias frequentiſſime habet junctas, nunquam ſapiens medicus abſona ejuſmodi ſpecifica morborum, antepileptica, v. g. antihydropica, antihyſterica, antifebrilia (*e*) admittere poterit. An igitur talia ſaltem viſcerum ac organicarum partium propria pharmaca inveniuntur, quæ diutius his vel illis partibus compoſitæ fabricæ, aut viſceribus, in iisdemque ſpecificis ſecretis, unita manent, ſicut nominantur, non autem clare definiuntur, hepatica, ſplenetica, uterina, cephalica, pneumonica, & quæ ſunt alia? Quidni inveniantur? Notum enim ac pervulgatum ſatis, & veluti celebre ac evidentiſſimum in cantharidibus habemus tale certarum partium ſpecificum pharmacum, quibus externe per multas horas impoſitis, inflammari & exulcerari quidem cutis ſolet; quam prompte vero & expeditiſſime in certis quibusdam ſubjectis, (*f*) miro experimentorum eventu accidat, ut ubi diutius ſuperhabentur, inde a cute tranſiendo per relaxata vaſorum oſcula, & reliqua tenerrima vaſa, nihil plerumque in hiſce, aliarumque partium meatibus lædant, ſed ſimulac ad renes atque veſicam pervenerint, ibi præſertim nocentiſſimos tandem effectus ſuos exerant, adeo ut nunc cum ſummo dolore urina reddatur, & denique ſanguis deſcendat. Quamvis hujus

M 2 phœnomeni

(*e*) Hæc ſunt illa medicamenta ſpecifica inania ad ignorantiam medicorum occultandam reperta, uti eadem vocat EXCELLENTISSIMUS LUDWIG in Paneg. ILL. WALTHERO dicto p. XVI.

(*f*) In multis enim efficaciſſimi medicamenti virtutes cantharides edunt, ſi tempeſtive, nec niſi externe adhibentur. Eo nimirum tempore, ubi natura in morbis non agit, non brevi ante in actione fuit, ſed proſtrata quaſi a morbi efficacia eſt, §. XIV. Si urina pallida, alvus obſtructa, ſitis ingens, ſomnus turbatus, & pulſus erecto corpore debilis eſt, cubante vero fortior fit, & ſi præcipue in renibus hæret viſcidum expellendum & mutandum, nullus autem inflammationis metus terret, uſus cantharidum externus, docente ratione & ſuffragante experientia, perpetuo ſalutaris erit atque tutus. Poſt externe vero decenter applicatas cantharides, ex Hiſpania, Italiave adlatas, æſtate calidiſſima captas, nondum vetuſtas, plerumque ſexta circiter hora, epidermis in bullam levatur, ſed quo lentius cantharides non exoletæ, operantur, eo melior effectus ab iisdem ſperari poterit. Sic memini, juvenem quendam, qui bile abundabat, faciem pallidam, nec tamen prætumidam proferebat, triſtibus de reliquo cogitationibus inhærere ſolebat, poſt ſcabiem humidam externis inunctionibus male repreſſam, viribus proſtratum jacuiſſe, ſiti ingenti afflictum, urinam tamen reddidiſſe pallidam, alvo obſtructa atque vigiliis vexatum

Obſervatio de uſu cantharidum externo ſalutari.

phœnomeni illa ratio reddi poſſe videatur, quod tubuloſo vaſculoſa tenerrima renum ſubſtantia, & ipſe ad renes delatus ſanguis, jam tum acrioribus ſalibus ſcatens, facilem renum, & omnino majorem, quam reliquarum partium, ad recipiendum cantharidum virus, diſpoſitionem arguat; neutiquam tamen hæc ipſa ratio ſufficere poterit, ſi rem exactius rimari placeat. Nonne enim hinc ſequeretur, & alia ſimilia epiſpaſtica medicamenta, ſi corpori extus vel intus, applicarentur, ſatis efficacia, euphorbii & ranunculi cauſtici pulverem, propter generaliter diſpoſitam renum fabricam, ſimilem certa ratione effectum, præſertim ſatis expeditum in renibus producere debere? quod autem experientiæ evidenter contrarium eſſe deprehendimus. Alia igitur omnino hujus plane ſingularis phœnomeni ratio reddi debet. Ubi autem perpendimus, quod extus ſuperhabitæ cantharides nullam in cute inſignem inflammotionem excitare ſoleant, niſi per certum temporis decurſum unitæ manſerint, & in interioribus partibus quandam unionis durationem, quamvis utique minorem, ad eroſionis & inflammationis ac urinæ mutationis effectum actu præſtandum, neceſſariam eſſe, intelligimus. Nullam aliam ideo ob cauſam, reliquis partibus plerumque illæſis, renum & veſicæ ſubſtantiam in certis ſubjectis corrodendo inflammant cantharides, quam quod per reliquas partes, ſine inſigni mora, feruntur, cum renum contra & veſicæ urinariæ vaſis diutius unitæ manere, altiusque inſidere, propter ſingularem indolem ſolent. Sed objicitur, cor contractione ſua humores quaqua verſum propellere, hinc nequicquam eſſe videri, quod pharmaca cruori admixta diutius retineat, ut parietibus horum illorumve vaſorum pertinacius adhæreant, & moram ibi plus minus ſalutarem nectant. At enim vero non ſolum generaliter a cordis motu, ſed etiam a motibus harum vel illarum corporis animalis partium ſingulariter prorſus dimenſis, medicamentorum virtus pendere debet. Ipſa enim diverſiſſima vaſorum directio, eorundem flexiones, anguli, variæ denſitates efficiunt, ut non una eademque in diverſæ fabricæ & præſertim compoſitæ partibus, motus proportio obtinere poſſit. Si igitur hoc vel illud medicamentum in ſua

xatum eſſe, pulſum erecto corpore debilem, cubante magis fortem habuiſſe. Hujus juvenis ſuræ ſuperhabitæ per octo horarum ſpatium cantharides, nullam effecerunt, præter maculas quasdam rubras, inſignem ab inflammatione læſionem, in ſatis tenera quamvis cuticula, poſt autem iterum per novem horas recentes ſuperhabitas cantharides, epidermis tandem in bullam utique levata fuit. Hæc lenta operatio compoſitionis ſatis fortis ♃ ♁ver. Cantharid. ʒiß. Empl. de Melilot ℥ß effecit, ut præſtantiſſimum effectum cantharides in hoc juvene ederent. Sitis enim ingens, a morbi efficacia, non vi vitæ proveniens, protinus fuit mitigata, pulſus fortis factus, & urinæ plane aquoſus color, in læte citrineſcentem mutatus, alvus reſpondebat, ſomnus fiebat placidus, facies læto nunc erat ſuffuſa colore, novasque æger percipiebat vires. Sed ſudores fætidi convenienti regimine adjuti, & ſic dictis diaphoreticis fixis, ſine novo ſcabiei proventu, morbi ſolutionem præſtabant.

ſua actione, ſpecialiſſime dimenſo cuidam motui reſponderet, facilioris omnino adhæſionis & intimioris unionis ratio adeſſet evidentiſſima. Nonne vero medicamenta, diverſo ſuo, & ſingulari & utique ſpecifico ſapore, odore, imo & colore, organis noſtris ſenſoriis diverſos & definitos utique motus imprimunt? Hinc omnino neutiquam inepte concludi poſſe arbitror, ea quæ diverſimode & determinate noſtros ſenſus movent, & afficiunt, interiorum quoque partium motibus definitis varia & peculiari ratione reſpondere, & hac de cauſa diutius huic vel illi quam alii parti unita manere poſſe. Sed cum jam, experientia & ratione teſte, utique certum ſit, quod hoc vel illud medicamentum diutius unitum huic vel illi viſceri maneat, & cum quidam partium definitus motus ſit, ſequitur, ut vis ejusmodi medicamenti agens, a ſingulari & definito partium motu non debeat expelli, hoc autem vel propter partis cujusdam renitendi imbecillitatem, vel conſenſum motus vitalis ſingulariter dimenſi cum actione medicamenti fiat, neceſſe eſt, ſed cum in hominibus quoque ſanis, & valido viſcerum robore gaudentibus, hujus vel illius medicamenti vis diutius unita his vel illis partibus, experientia & ratione probante, maneat, neceſſario colligi poteſt, quod in ejusmodi viſcerum conditione, talis medicamenti vis, in ſua actione cum naturali motu partium ſingulariter dimenſo conſpirare, & hac de cauſa facilius ſine particulari vitæ reſiſtentia adhærere, & hinc altius inſidere, & prout vires medicamenti generales ſunt, vel languentes motus excitare, vel ferocientes compeſcere, vel naturales debeat ſuſtinere. Sed quamvis hæc ita ſint, ut diverſa vaſorum directio, denſitas partium ſolidarum proportionata, & varii vaſorum anguli, in compoſitæ fabricæ partibus, propter ſingularis & omnino ſpecificæ functionis finem, per motus ſingulariter dimenſos obtinendum, adſint, non tamen omnino abſolute immutabilem, quamvis ceteroquin facilem & ſatis adhuc perpetuam motus dimenſi neceſſitatem inducunt, ut adeo rectiſſime ALBERTUS HALLER (g) de ſecretione moneat: *nihil omnino eſſe in fabrica quacunque cujuscunque viſceris aut glandulæ, quod indolem ſecreti liquidi abſolute determinet; velocitas enim major, minor, ſtrictura nervorum mutata, alia ſemper liquida in integerrimis organis producit.* Idem illud quoque de ſpecificarum facultatum efficacia tenendum eſſe cenſeo. Altius enim & facilius penetrandi virtute gaudent medicamenta, his vel illis organicarum partium ſeu viſcerum motibus dimenſis, qui in partibus, ſingularem functionem, hinc ſpecificam ſecretionem & excretionem abſolventibus, vigent, dicata. At enim vero tam neceſſariam ad has vel illas partes relationem neutiquam involvunt, ut ſi ſpecifica ſint, & methodus varietur, nullum prorſus in aliis quoque relaxatis, & infirmatis præſertim viſceribus & partibus, effectum producere poſſent. Hæc eſt igitur mea qualiscunque de virium

(g) Conf. Prim. Lin. Phyſiolog. Cap. VIII. de Secretion. p. 104.

ſpecificarum, quibus medicamenta prædita ſunt, ſecretionum & excretionum ſpecificarum legibus conveniens ſententia, quam experientiæ fides ulterius confirmat. Sic v. g. de cantharidibus, ſub eſſentiæ diureticæ vocula, ſatis ſceleſta, intus exhibitis, nemo ignorat, easdem interdum etiam faucium & ventriculi inflammationem excitare, præſertim ſi propter ante jam relaxatas & infirmatas partes, quæ ſatis reniti nequeunt, aut ſingularem medicamenti præparationem, diutius ibi hærere ſolent. Nunquam ideo ſpecifica vis tam inepte diſquiri debet, ut abſolute, hoc eſt, ſub quacunque methodo, ſub quacunque partium conditione applicata ſit, nullas alias partes ferire poſſet, a qua falſa opinione, licet alii eam foveant, longe alienus ſemper fui. Medicamenti igitur talis *vis, quæ in ſingularis & compoſitæ fabricæ partibus, dimenſionibus motuum propriis, quatenus ſpecificæ functioni, hinc ſecretioni quoque & excretioni ſpecialiſſimæ, primario inſerviunt, reſpondet, & hac de cauſa ſibi intime junctas communes atque particulares vires penitius atque facilius unit*, in ſano ſenſu eſt ſpecifica. Ex quibus intelligere facile eſt, ad medicamentorum vim ſpecificam explicandam, veræ rerum naturæ cognitionem, non illum obſcurum viſcerum Archæum Helmontianum, (*h*) nec minus ſufficientem de volatili & fixo doctrinam, (*i*) requiri.

§. VII.

Aliis dubiis circa utilitatem, & ſpecificorum veritatem motis, obviam itur.

At enim vero cum talia ſint morborum remedia, quæ totum corpus movere, & in omnibus adeo partibus neceſſarium effectum præſtare ſolent, cur indagare volumus ſpecifica? Venæ ſectio neque dicitur cephalicum, neque hepaticum, & nihilominus in inflammatione capitis & hepatis, imo in quarumcunque partium veris inflammationibus a venæ ſectione præprimis, commune quoddam præſidium repetimus. Eleganter jam

(*h*) Conf. WEDEL. in amœnit. mater. med. Libr. I. Sect. III. Cap. I. p. 120. 121.

(*i*) An Chymicorum de fixo, volatili, & ſemivolatili doctrina, explicandæ ſpecificorum medicamentorum indoli ſufficiat, ita ut volatilia forſitan cephalica, ſublimabilia pectoralia, thoracica, & fixa inferioribus partibus dicata dici poſſint, dubitanter a quibusdam memini propoſitum fuiſſe. At enim vero hæc hypothesis, quod volatilia tantum caput petant, ſublimabilia pectus, & fixa inferiores partes, in ſe experientiæ ſemper & ubique conformis non eſt, & ad ſpecifica medicamenta applicata, inſignes parit errores, v. c. quod quæ pulmonum motui reſpondent medicamenta, etiam cordis motui mutando prorſus ſingulari, & a pulmonum motu diverſo, apta eſſe deberent, cum utraque viſcera in thorace ſint; deinceps nimis ſterilis & nimis generalis eſt. Ceteroquin virtutes medicamentorum communes in volatiles, fixas & medias dividere expedit. Volatiles ſemper fluida reſpicere, fixas ſolida, medias utraque ſimul, probabile videtur, ſi ipſa volatilis, fixi, & medii ſublimabilis mixtio intima expendatur.

jam CELSUS (*k*) hunc nodum gordium ſolvit, ita ſentiens: *eum qui propria non novit, communia tantum intueri debere, eumque qui noſſe propria poteſt, illa quidem non oportere negligere, ſed his quoque inſiſtere.* Alii contra ex illa præſertim ratione ſpecifica impugnant, quod eorum numerus minus ſufficiat, brachiis enim, pedibus, naribus & mammis quænam reſpondeant, nullibi indigitata eſſe inveniunt, cum tamen & externarum partium ſpecifica, naribus v. g. & mammis dicata medicamenta, eſſe deberent, & quod illud inflammationem in brachio tollens medicamentum, etiam huic, quæ in crure & mammis eſt, medeatur, omnia quæ de ſpecificis medicamentis proponerentur, riſu & exploſione digna eſſe colligunt (*l*). Quamvis hæc omnia ſpeciem veri præ ſe ferre videantur, nihilominus tenebræ ſunt, facile diſſipandæ. Animadverſionem enim ſingularem merentur partes externæ, quibus medicamenta a chirurgi manu protinus ſuperhaberi poſſunt. Enim vero in hiſce partibus, & communes quædam, vel ad ſummum medicamentorum particulares vires, quæ cauſæ, & huic vel illi vaſorum generi reſpondent, ſi bona methodo applicantur, idem fere, quod ſpecificæ facultates, ſine manu chirurgi, in internis partibus præſtant, efficere ſolent. Inde etſi probe ſciam, quod, quidquid v. g. eriſypelas in pede tollit extremo, etiam in mammarum eriſypelate bene proficiat; nihilominus id, quod in externis partibus chirurgi manus complet, in internarum partium morbis, ſine ſpecificis, difficulter tentabit medicus, quatenus intimior virium medicatarum unio cum parte affecta requiritur, & adeo ſpecifica quædam vis evidenter indicatur. Veluti in internarum partium incipientibus obſtructionibus, ad ſcirrhoſam quandam indurationem tendentibus, omnino ſpecificis ejusmodi reſolventibus, circumſpecta tamen methodo adminiſtrandis, opus eſt. Quod vero ad numerum verarum facultatum ſpecificarum attinet, ille quidem tam inſignis non eſt quam quidem falſo exiſtimant quidam. Plures enim corporis noſtri partes evidenter ratione humoris in illis ſecreti & excreti, vel ratione facilitatis ad easdem motuum menſuras admittendas, conſpirant. Quamvis adeo hujus conſenſus plures cauſæ & modi ſint, multum tamen ſi ad motuum convenientiam præſertim reſpicias, & nervorum numero, directioni atque ſtructuræ (*m*) & celluloſæ partes nectenti telæ tribuendum eſſe apparet. Quæ cum

 ita

(*k*) Lib. I. præf.

(*l*) Conf. Diſſert. inaugural. medica, qua errores quidam haud vulgares in medicina & chirurgia commonſtrantur, quam Præſ. de JOANNE HENRICO SCHULZE. eruditorum examini ſubmiſit GOTTHOLD MELCHIOR DRECHSLER. Halæ. Ao. MDCCXLII

[*m*] Non enim unam eandemque ubique nervorum ſtructuram eſſe, docent nervi hepatis, qui ad motricium fibrarum carnearum naturam propius & aliquando ſatis evidenter

ita ſint, ut variæ corporis humani partes in ſecretionibus & excretionibus, ſimilis motuum menſuræ ope perficiendis, præſertim conſpirent, certum eſſe judico, quod, invento unius partis proprio medicamento, aliarum quoque cum hac parte conſentientium pharmacum ſpecificum ſit repertum.

§. VIII.

Quæ ex hactenus dictis fluunt, colliguntur, & doctrinæ utilitas oſtenditur.

Ut adeo omnem rerum ſummam colligam, omnes illæ virtutes, quas mens ab tractionis vi diſcernit, hoc vel illo medicamento contentæ, conjunctim agunt, quæ tamen melioris & clarioris doctrinæ cauſa, & ut unusquisque perfecta remedia meditando & experiendo commode invenire poſſit, ſeparatim conſiderari merentur. Medicamenta nimirum vel demendo, vel adjiciendo quid, motus mutant, adeoque plus vel minus movendo, vel alterando, in ſolida aut fluida, vel utraque ſimul agunt, ſæpe etiam ſimul demendo ſimul addendo quid, haſce motuum mutationes præſtant. Evacuantia vel ſurſum, v. g. per vomitum, diaphoreſin, diapnoën & ſuperiorum partium excretiones, vel deorſum per alvum, diureſin, menſium, hæmorrhoidum fluxum, aliasque deſtillationes, quæ ex inferioribus partibus fiunt, aut quoque ſurſum & deorſum ſimul excutiunt. Alterantia denſant vel tenuant in genere humores, adſtringunt vel laxant ſolida, vel ad juſtam conſiſtentiam humores, & ad juſtum robur ſolida reducunt. Evacuantia igitur & alterantia vel humorum fluiditatis motum, vel ſolidorum elaſticitatem atque vitalem vim mutant; & particulares vires, quatenus cum evacuanti vel alteranti virtute ſemper junctæ ſunt, harum tantum vel illarum mixtionum fluiditatis motum, hujus vel illius ſyſtematis vaſorum elaſticam atque vitalem vim evidenter & facile mutant, ac evacuantes & alterantes vires, uti id ex adhæſionis legibus clare conſtat, uniunt. Specificæ denique evacuantium aut alterantium virtutes, organicas partes compoſitas & viſcera reſpiciunt, in quibus diverſi humores & diverſa vaſorum ſyſtemata ſunt, & quæ ſemper, quoad potiores partes, ſpecialiſſimæ cuidam functioni inſerviunt, harum potiorum partium ſingulariter dimenſis motibus dum quædam vires medicamentorum reſpondent, §. VI. eo ipſo omnem reliquam medicamenti virtutem penitius compoſitæ fabricæ partibus uniunt. Hanc igitur facultatum, quæ medicamentis inſunt, ſeriem, & ea quæ de propriæ ſeu *unientis* medicamentorum *virtutis* veritate hactenus demonſtravi, quisquis exacte perpendit, inſignis utilitatis eſſe hanc doctrinam inveniet.

evidenter accedunt. Latent multa adhuc ſub diverſa nervorum ſtructura, varioque cum aliis nexu, quæ motus perpetui, qualis in corde eſt, & voluntarii non perpetui, cauſarum & diſcriminum explicationi apta eſſent. Unum eſt agens, cujus effectus differunt, prout phyſicæ & mechanicæ conditiones, quibus implicitum eſt, variant.

nveniet. Generales enim de medicamentorum viribus conceptus, niſi ſimul proprias *unientes virtutes* conſideremus, in facienda medicina ſufficienter utiles non ſunt, & ſæpe perverſo uſui viam ſternunt, §. IV. imo ſtabile quid neutiquam oſtendunt. Ad magis perpetuam igitur medicamentorum quandam efficaciam, quisquis attendere cupit, ut harum rerum experientiam ſæpius repetere, cum ſumma de veritatis quadam notabili conſtantia percepta voluptate poſſit, particulares atque ſpecificas *generaliorum unientes vires* omnino diſquirat neceſſe eſt. Et maxima hæc ratio fuit, cur harum virium veritatem vindicandam ſuſceperim, cum præterea quamplurimi ſint, qui de conſtantia atque concordia medicorum, & de artis firma ac ſtabili veritate dubitant, & omnia in facienda medicina eſſe incerta ac vaga ſæpius obganniunt. Id quoque ex hactenus de indole ſpecificarum facultatum dictis apparet, quod illi, qui numero uni parti dicata ſpecifica habent, & pluribus eadem reſpondere poſſe negant, imo qui vires illas, ſub quacunque methodo fingunt abſolutas; & qui quoscunque morbos uno eodemque ſpecifico ex hac vel illa machinæ noſtræ parte intendunt profligare, & hinc v. c. acria, ſpirituoſa, quæ male ſæpe cephalica nuncupant, in omnibus vel idiopathicis, vel ſympathicis capitis morbis, inflammatoriis præſertim, anicularum inſtar, adhibere ſolent, quod hi ipſi, inquam, a veritate medica, rectæ rationi & experientiæ conſona, longiſſime abſint. Denique conſtat, omnis medicamenti, ſi perfecte debet eſſe exploratum, generales non ſolum virtutes indicandas eſſe, utrum nempe inter evacuantia, an potius inter alterantia referri debeat, quamnam evacuationem aut alterationem præſtet, cuinam morborum cauſæ materiali in genere oppoſitum ſit? Sed etiam propriæ medicamentorum virtutes exponendæ, quibusnam vaſis, meatibus, quibusnam primigeniis mixtis, hæc vel illa medicamenta reſpondeant, quorumnam ſolidorum elaſticam atque vitalem vim, quorumnam mixtionum fluiditatis motum mutent? Immo tandem non ignorari oportet, cujusnam viſceris, quarumnam compoſitæ fabricæ partium motibus ſpecialiſſime dimenſis, medicamentum conveniat. Ut autem hanc exactiſſimam cognitionem non ſolum in intellectu, ſed etiam in ſenſu eſſe, ex ſpeciminibus ipſis ſtatim innoteſcat, antequam ad vires proprias explorandi methodum perveniam, ex obſervatis v. g. valde uſitatorum quorundam medicamentorum, corticis peruviani, & camphoræ viribus genuinis, adhuc breviſſimis oſtendam, qua ratione eorum præſertim, quæ quotidie in uſu ſunt, medicamentorum virtutes, cum ſumma inde exurgenti utilitate exponi poſſint.

Obſervatio de viribus corticis peruviani genuinis cum meditatione de iisdem.

§. IX.

Chinchinæ ſeu corticis peruviani ſapor amariſſimus, cum ſenſu adſtrictionis cujusdam in lingua percipiendus, qui tamen pro varia bonitatis corticis,

corticis, gradu omnino varius eſt, ſine dubio docet, vires reſolventes cum adſtringendi virtute ita eſſe in Chinchina combinatas, ut nunc media quædam vis, quæ calorem certarum partium inſtaurando roborat, evidens ſatis & manifeſta ſit; roborare corticem ita puto, ut ſimul certas partes incaleſcere faciat, id quod quidem clare hactenus indigitatum a plurimis non fuit. Illustris tantum Platnerus, ubi ſententiam ſuam de uſu corticis peruviani interno in gangræna præſertim ſenum exponit, (*n*) ſe conjectura aſſequi perhibet, corticis peruviani uſum in gangræna ſuſpectum eſſe, ſi inflammationis & febris indicia graviora terrent. Sed quomodocunque hæc ſe habeant, hoc certum eſt, quod quamvis cortex febres intermittentes quasdam interdum tollat, is ipſe tamen intempeſtive oblatus, continuas febres atque quotidianas ſæpe excitare ſoleat, & adeo certarum omnino partium calorem augeat; id quod jam ſapor amariſſimus in bonæ notæ cortice ſuadet. Eſt itaque propter ſaporem amarum cum adſtrictionis ſenſu combinatum, ſuffragante experientia, quoad vires primum communes, roborans, calefaciens, exſiccans cortex (*o*). Hinc igitur nunquam prodeſt, ubi materia morboſa nondum ſufficienter fuit evacuata; veluti in febribus, ubi ſicca ſcabies ſubeſt, prius illa perfecte expelli debet. Pariter notum & pervulgatum ſatis eſt, chinchinæ uſum, ubi viſcerum obſtructiones inflammatoriæ, aliæque nondum expeditæ ſunt, in quocunque ſubjecto noxium eſſe atque pernicioſum. At cum plerumque in febribus intermittentibus adhiberi ſoleat cortex, illud utique definitum non eſt, ſub quibus indiciis cortex perpetuo ſit ſalutaris, & e contrario ſub quibus conſtanter noxius. Ubi in quibusdam febrium intermittentium, cortex peruvianus non motibus febrilibus ſpecifice obſtat, ejus quidem uſus plerumque ſolet eſſe tempeſtivus, quando nimirum ſub ipſa febrili acceſſione reſpiratio citata ſit, æger ardentius ſitit, partium motus voluntarius dolorificus eſt, & nullus capitis dolor urget, chinchinæ uſum, decenter expulſa febrium cauſa, & expeditis, ſi quæ ſunt, viſcerum obſtructionibus, nullo non tempore inveni tutum & ſalutarem. Quam maxime autem pernicioſum hic ipſe cortex edit effectum, ſi poſitæ a me conditiones, non ſub ipſa febrili acceſſione, ſed tempore apyrexias aliquatenus adſunt, & contrariæ notæ accedente febre apparent. Si nimirum reſpiratio difficilis, nulla vel valde obſcura bibendi cupido, partium motui voluntario ſubjectarum rigor, & inſignis ac prorſus excrucians

(*n*) Conf. *Gründliche Einleitung in die* Chirurgie *erſter Theil* p. 172.

(*o*) Separatim exſiccantes virtutes Illustris Platnerus de cortice notavit l. c. p. ubi in vulneribus vaſorum lymphaticorum, quæ circa ligamenta præſertim & tendines fiunt, ab affluxu lymphæ perpetuo madentibus, corticis peruviani internum uſum ſatis efficacem eſſe, experientiam docuiſſe indicat.

crucians capitis dolor, tempore apyrexias, quod probe notandum, ſed in ipſo paroxyſmo urgent, alienum chinchinæ uſum eſſe, cum conſtantia quadam obſervavi. Id etiam non ignorari præſtat, quod corticis uſum illis præſertim diſſuadendum eſſe experientia docuerit, quos frequens alvi obſtructio per multos dies exercet. Ex his omnibus a me obſervatis, decantati illius febrifugi uſus particularis, proprius, perpetuus atque directus apparet; in bilioſum enim humorem magnam hic cortex efficaciam habet. Si igitur bilis acris eſt, ſemper & ubique nocet, quæ acrimonia in febribus intermittentibus peccans cognoſcitur, ſi reſpiratio tempore apyrexias citata eſt, quædam præcordioruum anxietates cum amaritie oris eo tempore, quo non vitæ, ſed morbi vis agit, adſunt. Quod ad vires corticis ſpecificas genuinas attinet, ſub hiſce neutiquam intelligo illas imaginarias vires, ratione cauſarum morbificarum omnium intermittentium, febrifugas, quas omnino nullas eſſe §. VI. oſtendi, ſed illam vim, quæ roborantes & calefacientes ſibi junctas virtutes, certo partium motui dimenſo, penitius unit §. VI. Res autem ſatis nota eſt, quod quarundam febrium intermittentium horror & frigus, cum nervorum, eorum præſertim, qui e ſpinali medulla egrediuntur, ſpaſtica quadam contractione incipiant, prout id ægrotantium ſenſus evidenter probat, ita ut prima quorundam febrilium motuum, non vero cauſarum morbificarum origo, ab ipſis hiſce nervis repetenda utique eſſe videatur. Cum igitur peruvianus cortex, multiplici experientia teſte, non quidem ſpecifice febres, *ut morbos*, quod abſonum eſſet dicere, tollit, ſed tantum ſpecifice compeſcit quasdam intermittentes febres, non omnes vero, *ut motus*, præſertim illos ſpaſticos, horrorem puta, quorum motuum origo interdum nervi ſunt, qui e medulla ſpinali egrediuntur, ſequitur omnino, peruvianum corticem *ſpecificum eſſe nervinum*, *quatenus nervorum motus ſingulariter dimenſos*, prout ſub horrore febrili, ſingularem ob finem, eſſe ſolent, *reſpicimus*. Chinchina igitur, quo nervorum tonus incaleſcat, efficit, & ſpaſticos inde muſculorum, quibus voluntas imperat, motus aufert, ſed dehinc tenſæ ac ſtrictæ fiunt arteriæ, quæ res liberiorem cordis & arteriarum motum, ad calorem febrilem maximopere neceſſarium impedit, eaque ratione febres compeſcit. Eſt enim inter nervos, qui voluntario motui præſunt, & inter motrices arteriarum fibras quidam antagoniſmus, ſeu quædam antipraxia, ita ut ſi nervorum voluntati ſubjectorum tonus incaleſcat, fibræ cordis & arteriarum motrices ſpaſtice ſæpenumero ſtringantur, uti multoties obſervavi, phœnomenon illud admiratus. De hoc motuum antagoniſmo indagando & cognoſcendo, (*p*) ut & de illa veterum antipraxia partium veriſſima, &

(*p*) Si quis ad illam motuum antipraxiam attendere velit, eandem interdum in quibusdam morbis evidentiſſimam eſſe inveniet. Pulſus enim fortis atque tardus

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
1813
SCHOOL OF MEDICINE

& experientiæ omnino conſona, pleroſque ex recentioribus medicis parum ſollicitos eſſe, cum tamen res ſit, quæ non exiguam partem ad cognoſcendas variorum effectuum in morbis & curationibus cauſas confert, notum eſt. Ex hactenus vero de communi, particulari atque ſpecifica corticis virtute propoſitis, facile colligi poterit, quod adverſus ipſam gangrænam (q) in cortice noſtro, *ſpecifice nervino medicamento*, efficaciſſimum habeamus remedium, & non ſolum adverſus gangrænam ſenum, ſed etiam aliud ejuſdem genus, quando nervoſas & muſculoſas tantum partes gangræna præſertim occupavit, easdemque obrigentes fecit.

§. X.

Obſervatio de camphoræ viribus genuinis cum meditatione de iisdem.

Semivolatilis ille reſinoſus vegetabilis ſuccus, quem camphoram dicunt, qui totus conflagrari igne ſolet, ſi recte adhibetur, efficaciſſimum quoque medicamentum eſt. Quoad virtutes communes, in externarum vel internarum partium inflammatione, primo reſolventes, poſt expellentes virtutes camphora exercet, ita ut per collaterales arterias ſoluta & tenuata materia phlogiſtica, ex toto corpore poſſit proſcribi. Camphoram enim aliquando in inflammatione ventriculi, poſt iram & protinus aſſumtum potum cum vomituritione anxia orta, adhibui, & cum antea

tardus convenire utique ſæpenumero ſolet, cum motu voluntario tonico maxime imbecillo, & præter voluntatem quaſi ſponte citato. Cordis & arteriarum magnus & mollis liberior omnino pulſus, in paroxyſmis febrilibus convenire ſæpe ſolet cum fortiter ſe contringente, imo quandam in muſculos duritiem inducente motu voluntario tonico, ad quendam ſpaſmi gradum accedente. Alius pulſus minor & durus interdum concurrere ſolet, cum motu tonico voluntario liberiore, partes voluntati ſubjectas flexiles & quodammodo molles reddente. Et hoc utique fieri ſolet in ſimplicioribus quibusdam morbis perpetuo, ſed in magis complicatis, imo in acutiſſimis inflammatoriis, & in diverſis motuum principiis unus idemque motus concurrit. Idem quoque tenendum eſt de ſpeciali antipraxia partium. Vomituriens eſt ventriculus, alvus obſtructa; alvus laxa eſt, ventriculus haud nauſeabundus, ſed ſæpe quoque ventriculus & alvus certa ratione conſpirant. Idem etiam in antagoniſmo muſculorum ſatis celebri videmus, ex cujus vera analogia, ſeu conſtanti, propria & evidenti ſimilitudine, quæ ad hæc curatius attendendi occaſionem fecit, illuſtrari optime ea, quæ prorſus obſcura quibusdam de motuum & partium antipraxia videntur, poſſunt. Uno muſculo enim adſtricto relaxatur alter & vice verſa; in complicato malo v. g. paralyſi utriuſque actio ceſſat; ſæpe quidam in motu concurſus eſt, ita ut antagoniſtæ ſibi invicem obnitantur, ea tamen ratione, ut non unus agat, alter multum quieſcat, ſed ſe invicem ſubito excipiant, veluti in convulſis partibus apparet.

(q) Vid. CELEBERR. VATERI Diſſ. de efficacia admiranda chinchinæ ad gangrænam ſiſtendam. Witteberg. Ao. MDCCXXXIV. & alios adhuc quos ILLUSTR. PLATNERUS Inſtitut. Chirurg. §. 205. in adjecta nota p. [illegible] nominat.

antea ardorem atque dolorem ſentiret æger, & in regione ventriculi re vera conſpiciendum tumorem oſtenderet, & vomitus cum anxia reſpiratione perpetuo exerceret. in ejusmodi expeditam auxilii inventionem urgente malo, ſub emulſionis velamine ex ſemine Cannabis cum ▽ Flor. Calendul. cohobata, expreſſo, & quidem in larga ſatis, ad ℈ß doſi, camphoram aſſumi curavi. Quod ſimulac factum eſſet, tumor extus quoque cum quodam rubore conſpiciendus, poſt quadrantem horæ diſparuit, dolor cum ſenſu ardoris ceſſavit, ſed ſtatim & continuo febris acuta oriebatur, quæ cum per duodecim horas duraſſet, largo ſudore ſoluta penitus atque finita fuit, & cum leniſſimum ἀντιφλογιστικὸν catharcticum poſt ſuperatam febrem aſſumere juberem, ſine inſtituta venæ ſectione, a diriſſimo malo ægrotans convaluit. Idem memini in inflammatione teſticulorum venerea, ab intus recepta camphora in pulvere, ſtatim ſub iisdem conditionibus eveniſſe. Haud igitur æſtum excitat camphora, niſi in certis partibus, quibus propria eſt, ſimul tenuata atque diſſipata inflammatione. Hinc a materia phlogiſtica, quæ antea manifeſte, cum rubore, tumore, dolore atque calore in certa parte collecta erat, vi camphoræ tenuata, & late per totum corpus diducta, in aliis partibus æſtus, in aliis contra refrigerium per accidens (r) evenire videtur. Hæ igitur generales camphoræ virtutes veriſſimæ ſunt, quibus adhuc addo, quod reſinoſa ſemivolatilis camphoræ ſubſtantia, & gravis odor, exſiccantes huic vegetabili ſucco vires utique ineſſe, ſuadeant, id quod & experientiæ fides confirmat. Inflammatorias ſtaſes reſolvere, materiam phlogiſticam expellere, & nimiam, quæ cum materia phlogiſtica ſimul eſſe ſolet, humiditatem exſiccare, (s) ſunt generales camphoræ virtutes. Sed nunc maxime quæritur de propria camphoræ efficacia, in relatione ad hos vel illos ægrotantes, ſicut HIPPOCRATES præcepit de alimentis §. I. attendenda. Illis igitur camphoram convenire obſervavi, quibus nervi infirmi, nimisque mobiles, ſed ſatis tamen humidi ſunt, & quos citata ſimul exercet ab efficacia morbi reſpiratio. Nam in illis præſertim, ſi inflammatione quadam ſingulari laborent, de qua protinus dicam, ſequentia auget, ſi in ægro non ſatis vigent, ſymptomata critica, in nervis rigorem producit, reſpirationem lentiorem, ſæpe difficilem reddit, & materiam phlogiſticam per reliquas corporis partes cum ſenſu caloris diſpellit. Biliofis igitur, & partium tono facile incaleſcenti obnoxiis, ſi inflammatione tentantur, prorſus particularia bona præſtare camphora ſolet. Sed ratione ſtatus morbi notandum eſt, quod ubi jam ad

(r) GEORG. WOLFFG. WEDEL. in amœnit. mater. med. Libr. I. Sect. I. Cap. I. in ea opinione eſt, quod camphora calefaciat per ſe, refrigeret per accidens; diſſipando, inquit, & rarefaciendo, ſed cum diſſipando materiam phlogiſticam & tenuando eandem agat, hinc potius concludo, per accidens & calefacere & refrigerare.

(s) Conf. BOERHAAV. *Operat. Chemic.* Part. I. in vegetantia, p. 215.

ad gangrænam & ſphacelum , vel ſcirrhum inclinata inflammatio fuit , alienus ſolius camphoræ uſus ſine combinatione aliarum virium ſit. Maximam tandem, quod ad uſum internum attinet, animadverſionem meretur camphoræ, in ſano ſenſu ſumta, vis ſpecifica, quæ de genere propriæ facultatis eſt, §. V. Citius, facilius & profundius penetrat ad inflammatos teſticulos in viris, ad uterum in feminis, & ſingulariter dimenſis ventriculi motibus, quatenus ſpecialiſſimæ functioni inſerviunt §. VI. reſpondet camphora, diutius hiſce partibus unita manens, quam aliis viſceribus, v. g. lieni, renibus, inteſtinis tenuibus, in quibus, ſi ſtaſis inflammatoria eſt, non evidentem effectum præſtat Ex his repetitis experientiis nunc tandem luculentiſſime intelligi poterit illa ſatis explorata camphoræ virtus, antaphrodiſiaca dicta, ſpecificæ facultati utique ſubordinata, ſi ad definitam ſalacitatis cauſam, ad excedentes motus nimirum & attritus eorum vaſorum, quæ excretioni ſeminis inſerviunt, reſpiciamus; hos enim motus inſigniter compeſcit camphora, & quo minus cum attritu incaleſcat partium tonus impedit; pro hoc ſcopo tamen & minima doſis ſufficit, nec unquam, cum efficaciſſimum ſit medicamentum, quotidie adhiberi debet Urgente vero partium, quibus dicata camphora eſt, profundiori paulo inflammatione, non ſicut meticuloſe olim a me ipſo, & aliis factum fuit, ad gr. ij vel iij, ſed ad ℈ß & ℈j, ſi modo huic vel illi ægrotanti nauſeam haud creet, ſub poſitis tamen a me indiciis, & præſertim ſi gravioris inflammationis notæ terreant, tuto, & ſine omni noxa, cum felici ſucceſſu ſuppeditari poterit.

§. XI.

Dantur quoque ſpecificæ metallicarum mixtionum vires.

Cum igitur hactenus veritatem, virtutis medicamentorum propriæ, meditationibus, & præſertim obſervationibus, quæ cum mixtis regni vegetabilis & animalis inſtitutæ ſunt, ſtabilitam dederim, nemo velim hinc inde concludat, mixtionum metallicarum atque foſſilium vires proprias atque foſſilium vires proprias atque ſpecificas eſſe nullas. Evidentem ſatis, quamvis inſigniter venenatam, omnino tamen propriam efficaciam de arſenico, corpori humano nefanda ratione ab agyrtis & circulatoribus applicato, exploratam proh dolor! habemus. Præter effectus enim communes, anxietates, lipothymias, virium ſummam, & omnino præcipitem dejectionem, & alios particulares, in viris *ſpecialiſſima repentina ſphacelatio*, & *poſt mortem præceps putredo in genitalibus fuit obſervata* (*t*). De aliis, quæ non venena ſunt, ſed optima ſi tempeſtive adhibentur, medicamenta, ♂tialibus, ♄nialibus, mercurialibus jam non dicam; vulgares enim horum corporum præparationes non ſemper ſimpliciori cuidam mor-

(*t*) Conf. ILLUSTR. STAHL. Opuſcul. Chymic. phyſic. med. p. 454.

morborum origini ſatis accommodatæ ſunt, quoniam hodierna chymia intimæ mixtionis compagi ſolvendæ raro ſufficit (*u*). Clara enim & extra omnem dubitationis aleam poſita virtus ſpecifica apparet, quando intimas mixtiones diſſolvere, & uniuscujuſque ſalis vel ſulphuris ſeparatim intueri licet. Quicumque igitur artifex hæc naturæ mixta perfecte ſeparare, eorundemque uſum circumſpecte obſervare didicit, compendium quoddam efficaciſſimorum auxiliorum, ſeu omnes materiæ medicæ vires, ex numero paucis impetrabit. Hiſce de veritate hujus virtutis medicamentorum propriæ igitur præmiſſis, ad rationem & methodum hanc explorandi & obſervandi nunc accedo, neque incongruum eſſe arbitror, & huic doctrinæ, quasdam a me factas ſingulares obſervationes, adjicere.

§. XII.

Simplicis medicamenti uſus, attentio ad bonitatis notas, & medicamentorum doſes, requiruntur ad proprias vires explorandas.

Subtiliori autem obſervatione opus eſt, ſi vires medicamentorum proprias explorare volumus. Simplicium enim uſus, bonitatis notæ, & medicamentorum doſes, circumſpecte quidem, non tamen meticuloſe attendendæ, ſingularem animadverſionem merentur. Nefandi enim primum errores exinde in materiæ medicæ cognitionem redundarunt, cum quibusdam compoſitionibus uſi, & vires totius compoſiti experti, ſingulis deinde ſpeciebus, easdem pro arbitrio adſcribimus, quæ tamen compoſito competunt. Tumultuaria hæc obſervandi ratio effecit, ut ex multorum de viribus medicamentorum doctrina, non id, quod evidenter compertum, ſed quod quisque habuit perſuaſum, apparuerit. Si quis v. g. ſimplicis Rad. Rhabarbari vires proprias, ex infuſis illis vinoſis valde uſitatis, & ſæpenumero cum alienis a medentium indicatione medicamentis confuſis, cognoſcere vellet, rem riſu & exploſione dignam, conſentientibus omnibus, ageret, cum nec inde roborantes, & per alvum ac vias urinarias evacuantes vires Rhabarbari communes perſpicere, nedum proprias iſtius radicis facultates hinc inde comprehendere poſſet, quas experiri tantum licet, ſi ſolum exhibetur, nullis aliis admixtis.

Obſervatio de uſu Rhabarbari proprio perpetuo.

Obſervavi vero & deprehendi, ſolius Rhabarbari uſum plane mirabilem eſſe, ſi tempore, quo natura non agit, ſed morbi vis evidens eſt, urina pallida, aquoſa mingitur, ſimulque vehementiori ſiti æger affligitur, nervi non nimis mobiles, ſed rigidi & ſatis validi ſunt. Sed ubi renes ad inflammationem inclinant, & urina rubra, ignea, ſine criſi ſæpius per diem deliqueſcens, & brevi poſt emiſſionem lacteſcens, cum quadam nervorum infirmitate eſt, nocentiſſimum, alias benedictum, Rhabarbari uſum eſſe, ſemper cognovi. Fictio autem eſt de ſpecifica hujus radicis virtute,

(*u*) Conf. Ejusd. Opuſc. citat. p. 307. de experimento novo verum Sulphur. arte producendi.

virtute, ſi animam, patrem, vitam & theriacam hepatis dicunt (*x*). Citius contra ad renes penetrat, id quod evidenter apparet ex urina, quæ ſtatim poſt Rhabarbarum aſſumtum, proprium hujus radicis colorem conſpiciendum præbet. Quod autem ad varias bonitatis ſimplicium notas attinet, harum neglecta conſideratione, fallaciſſima ſæpe a medentibus inſtituta fuerunt experimenta, quibus deinde factum eſt, ut alii ipſis medicamentis, mox majorem efficaciam, mox minorem adſcripſerint; alii & ſaluberrima medicamenta, ſi tempeſtive adhibentur, pro pernicioſis habuerint. Innumera harum fallaciarum exempla artis peritis ſatis cognita ſunt, & in hac ipſa diſſertatione §. VI. not. adject. & §. IX. notavi, bonitatis ſimplicium notas obſervatori neutiquam eſſe negligendas. Sed ſæpe quoque ex minus tempeſtiva cautione varii proficiſcuntur errores. In vulgus enim receptæ medicamentorum doſes, quatenus illis, prouti formula eſt, ſemper & ubique inhæremus, utique efficiunt, ut hujus vel illius ſimplicis medicamenti vires, ad has vel illas morborum cauſas domandas, minus ſufficientes eſſe credamus, cum tamen, ſi inſolitam quandam doſin medicamenti, quoad proprias atque communes vires, exactiſſime cogniti, ejusmodi ægrotantibus, quorum indoles propria nobis ſatis & penitus eſt perſpecta, exhiberemus, mirabiles, & præter omnem opinionem graviſſimis morbis profligandis ſufficientes effectus experiremur. Sed quamvis nulla unquam unicuique ætati perpetua, & abſolute definita medicamenti doſis poni poſſit, cum cauſarum morbificarum quantitas, vitale ægrotantium robur, tantopere non ſolum variet, ſed ſæpe quoque periculum in mora ſit, & morbi graviſſimi vis in unum collecta, non minimæ molis vires exigat, nihilo minus graviter monendi ſunt illi, qui horum vel illorum ſummæ efficaciæ medicamentorum uſum proprium ignorant, & indolem ac idioſyncraſiam ægrotantium, & morbi quantitatem ſatis perſpectam non habent, & hæc omnia ad ſe invicem referre, & ponderare neſciunt, ut quam maxime ſibi ab iisdem caveant, &, ſi dare volunt, minorem, quam

(*x*) Conf. ZORN. Botanalog. med. p. 566. Et verboſus ille Democritus redivivus, CHRISTIANUS DIPPEL. in vitæ animalis morbo & medicina p. 82. aſſerens: Rhabarbarum ſufficienti quantitate decocti uvarum corinthiacarum extractum & ad conſiſtentiam Syrupi inſpiſſatum, ſcirrhos hepatis tractu temporis reſolvere. Miror EXCELLENTIS. D. SCHULZIUM in theſibus materiæ medicæ p. 176. huic fictionum patrono DIPPELIO fidem habere. Non enim experientia, ſed paralogiſmus ſubeſt; quamvis enim ictericis & hydropicis interdum egregie proſit rheum, non tamen ſemper uterque morbus ab hepatis vitio provenire ſolet. AUR. CORN. CELS. Libr IV. Cap. XXI. WEDELIUS in ſyllab. mater. med. ſelect. p. 32. Cap. XXVI. Rad. Rhabarbari ad hepatica quoque refert, & multa alia. ♁niata. & ♂tialia directe hepatica dicit, ſed ex obſervationibus evidentiſſimis nunquam probavit.

quam vulgo præſcribitur, doſin exhibeant, quo, ſi juvare nequeant, hominum vitæ & ſanitati inſidias ſtruxiſſe neutiquam videantur. De reliquo, ſi quis medicamentorum doſes ad amuſſim definiri vellet, candide profiteor, rem omnino difficillimam eſſe atque dubiam, veluti & exercitatiſſimi viri in facienda arte arbitrantur. Sed quanquam ex hactenus dictis appareat, non uni eidemque doſi præſcriptæ ſemper inhærendum eſſe, convenit tamen, obſervatorem quam maxime notare, in qua doſi & quantitate, pharmaca cum maximo emolumento his vel illis ægrotis fuerint oblata.

§. XIII.

Cum porro medentibus non ſemper liceat, & propter ægrotantium nauſeam, & ipſas morborum ſæpe complicatas naturas, ſimpliciumque cognitorum indoles, una eademque forma medicamenti uti, & variæ adeo præparandi rationes valde neceſſariæ ſint, illud præſertim ſummam animadverſionem mereri ſentio, ſub qua forma medicamentum fuerit adhibitum, utrum ſub fluida, an pulverulenta, ſub infuſo theiformi, vel vinoſo, an ex aqua, vel lacte ejuſque ſero fuerit coctum; hac vel illa ratione præparatum, an in hoc vel illo menſtruo ſolutum. Tota enim vis plantæ ſimplicis, fini medentis inepta redditur, ſi huic perverſa præparatio adhibetur. Abſonum plerumque v. g. eſt, Bardanæ, Graminis & Liquiritiæ radices & Agrimoniæ herbam, aliasque ſimiles ſub forma infuſi theiformis præſcribere, cum acriora ſalia demulcentes, & maxime per diureſin, cum tono partium aucto, expellentes virtutes hiſce plantis ineſſe experientia doceat. Quamvis igitur infuſa theiformia diureſi quam maxime interdum favere probe ſciam, ipſa tamen ratio, qua diureſis, mox convenienter atque feliciter, mox nocentiſſime & minus proſpere movetur, diligenter attendi debet. Nemo v. g. ignorat, illas medicamentorum formas, quas dicere ſolemus emulſiones, de quarum genere Perſicorum nuclei cum aqua Agrimoniæ cohobata, vel alia convenienti, expreſſi, omnino ſunt, blande movendæ diureſi inſervire. Sed radix Pimpinellæ albæ, oleum Therebinthinæ, Cantharides diureſin quoque movent, non autem ſine æſtus febrilis, imo in certis ſubjectis non ſine inflammationis metu, cum contra a priorum emulſionum diuretica vi, omnis præternaturalis caloris ſuſpicio abſit. Quanta igitur in ratione diureſin excitandi differentia ſit, cum vel emolliendo, vel tonum partium augendo, vel renum tubulos acerrime ſtimulando, diureſis moveatur, facile non ſolum apparet, ſed etiam cur infuſa theiformia calida, non ubique, ubi diureſis in genere indicatur, ſint ſuadenda, exinde luculenter patet. Aquam frigidam, vel radicum quarundam, & herbarum demulcentium, ex decocto frigido ſumtarum vim, ſuavem quandam diureſin excitare, ſæpe neceſſarium eſt, ubi calidiora quæ-

Incongrua medicamenti præparatio, falſa de propriis viribus judicia excitat.

quæcunque infuſa theiformia aliena ſunt, ſiquidem per renes materias peccantes prorſus expedire nequeunt, cum robur mechanicum & vitale infirmatum, ulterius debilitant. Fœcundum igitur & utile experiendi & meditandi argumentum eſſe judico, & quod multum experti artificis opus eſſet, ſi quis doceret, quænam præparatio per menſtrua, his vel illis plantarum viribus ſimplicioribus extrahendis, & ſimul ſine mutatione mixtionis conſervandis & exaltandis eſſet aptiſſima, & quænam e contrario præparationes harum vel illarum plantarum facultates corrumperent, & vires dubias, vel ad minimum magis compoſitas ſiſterent. Hoc enim non ignoro, quascunque uſitatas præparationes certo tempore, in certis ſubjectis, & morborum concurrentibus cauſis, aliquando omnino prodeſſe poſſe. Quomodocunque hæc ſe habeant, quisquis medicamentorum facultates rite obſervare cupit, formas & præparationem per menſtrua caute omnino attendere, & circumſpecte notare debet. Et cum tantopere delicatulorum palato arrideant eſſentiarum formæ, pulveres, decocta, infuſa plerumque diſpliceant, neque etiam ubique ſatis commodus eorundem uſus ſit, non equidem, ut medentes hic genio ægrotantium ubique, & ſemper ſine diſcrimine indulgeant, propono, cum ejusmodi medicamentorum formæ, quamvis nauſeoſæ, ſæpe quam maxime ægrotantium conditioni accommodatæ & neceſſariæ eſſe ſoleant; id tantum urgeo, non uni ſoli ſimplicium per ſpiritum vini gallici aut frumenti extractioni in officinis frequentiſſimæ inhæreant; cum ſæpe, ſi quorundam ſimplicium propriæ vires exploratæ conſiderantur, omnino abſonam per ſpiritus ardentes multoties extractionem eſſe appareat. Imo cum verum ingenue fateri deceat, ſciendum eſt, quod, quia eſſentiarum cum ſpiritu ardente factarum uſus frequentiſſimus eſt, multorum ſimplicium vires præſtantiſſimæ, quaſi minus efficaces in contemptum venerint. At enim vero, ſi modo ſcirent harum rerum ignari, quo potiſſimum menſtruo ad has vel illas plantarum virtutes non corrumpendas, ſed potius exaltandas uti deberent, mirarentur certe inſignes a creatore donatas ſimplicium, iisdemque exacte reſpondentium menſtruorum virtutes. Ea omnia, quæ huc ſpectant, jam recenſere nolo, deberem enim hujus inauguralis diſſertationis limites transgredi. Ut autem veritas conſtet, pauca in medium prolata ſufficiant. Reſina gialapæ v. g. uti JOANNES HENRICUS SCHULZIUS in theſibus materiæ medicæ refert, ad gr. iij-iv. cum pinearum no. ij-vi. & aqua flor. Acaciæ trita longe efficacius operatur, quam ſi reſina in pulvere, vel pilulis exhibetur (*y*). Sic croci reſolventes & calefacientes vires nemo ignorat; ſi igitur eſſentia exigitur ab ægrotantibus, illa cum ſpiritu vini vel frumenti ſuppeditari plerumque ſolet. Etſi vero huic eſſentiæ, quæ in

(*y*) Loc. citat. p. 157. 158.

in officinis proſtat, bene præparatæ, ſuas quoque laudes derogare nolim, minus tamen eſt commoda extractio pro viribus croci ſimplicioribus extrahendis: quis enim neſcit, reſolventes virtutes a ſpiritu vini infirmari, qui in corpore vivo animali denſandi potius humores virtutem obtinet. Hinc ego croci eſſentiam aliam præparare ſoleo, de qua quod nativæ proprietates inſint, experientia & ratione conſtitit. Nimirum vel liquore terræ fol. tartar. pro extrahendo croco, ſi emmenagogam virtutem, certæ temperiei hominibus aptam obtinere volo; pro alio ſcopo ſpiritu ſalſo volatili, ex ſincero alcalino ſpiritu cum ſale fixo tartar. vel ciner. clavellat. ex ammoniaco ſale parato, & aceti ſpiritu ſaturato, (z) uti ſoleo. Talis menſtrui vi, poſt ſufficientem ſine omni calore externo digeſtionem, extractam croci virtutem quisquis experiri velit, ſi tempeſtive utatur, admirabitur. Aliena eſt hæc eſſentia, ubi a vi morbi reſpiratio citata eſt, & ubi de genere nervoſo infirmo nimisque mobili certi ſumus, & ſimul cum hiſce urina pallida crebrius per diem mingitur. Eximie autem prodeſt, ſi hiſce contraria adſunt, & præſertim orthopnoea, ſeu difficilis a materia viſcoſa, in ſanguine per pulmones movendo, hærente, reſpiratio affligit. Ventriculi de reliquo & uteri, ſi validi harum partium nervi ſunt, ſatis proprium medicamentum eſt, ſi modo ex reſoluto ſanguine nulla extimeſcenda noxa venit. Quisquis hæc exacte & circumſpecte obſervat, ad tempeſtivum, quem indicavi, uſum, & ad regimen in diæta conveniens, ad potum diluentem frigidum, ad imbecilli generis cibum ſimul attentus, utilem hanc doctrinam, & nullo fuco contaminatam eſſe inveniet. Eadem ratione, ſicut Crocum, ita etiam Abſinthium & Caſtoreum cum ſpiritu vini extrahere, raro ſatis bonum eſt.

Obſervatio de quadam eſſentia croci ejuſdemque uſu proprio.

§. XIV.

Ubicunque porro medicamentorum vires atque virtutes obſervamus, diætæ regimen quoque maximam animadverſionem meretur. Si enim imitari quis vellet uſum hujus vel illius medicamenti, ſub his vel illis ſignis, in hoc vel illo morbo laudati, & regimen ac victus rationem negligeret, nonne is minimum talia, quæ obſervationi ſub convenienti victu, & in diæta regimine neutiquam reſponderent, experiri deberet? Optimum enim in diæta regimen, ciborum & potulentorum modus, & ſelecta indoles, aeris ſalubrioris corpus ambientis, & omni momento inſpirandi uſus, corporis exercitatio vel quies, ſomni, vigiliarum & pathematum animi quotidie habita ratio, ſine dubio ad impugnandas & oppugnandas morborum cauſas plus ſemper valebunt,

Sub quo regimine in diæta, & in qua temperie, & ſub quibus naturæ ad morbum vincendum motibus, in quo ſtatu morbi adhibitum medicamentum pro-

(z) Conf. Boerhaav. Operat. Chem. P. II. in animalia Proc. CVIII. p. 294. 295. de præparatione & uſu tum interno tum externo hujus menſtrui.

fecerit, notare, ad invenienda perpetuas vires maxime facit.

bunt, quam exigua illa plerumque medicamentorum facultatum virtus & copia. Potiſſimum corporum ratio eſt habenda, quorum naturam ſcire quam maxime convenit, cum ab hac præſertim notitia uſus medicamentorum verus ſit repetendus. Animadverſionem igitur ſedulam adhibeamus præſertim nervis neceſſe eſt, validi ne ſint minuſque mobiles, an infirmi, cum facili ſenſu mobiles, alvus quoque utrum adſtricta, an reſoluta exerceat, an ad vomitum facilis, an minus, ſit æger, notare expedit. (*a*) Obſervationem porro deſiderant actiones, per quas ſpiritum trahimus & emittimus; imo quædam proprietatis notitia neceſſaria eſt, ſi pulſum arteriarum & cordis, qua ratione ſe modo ſubmittat, modo attollat, diſpicimus. Vrinæ colores quoque, & quæ continentur, attendere, utrum craſſa trahat, an tenuis ſit, turbida an clara atque perſpicua appareat. Hæc omnia non ignorari debent, ut deinceps medicamentum, quale in relatione ad hos vel illos homines ſit, ſecundum proprietates ejus, explorare poſſimus. Præſertim autem in febribus ægrotantium indolem propriam quiſquis rite obſervare cupit, tempora & motus agentis naturæ, & agentis morbi, ſollicite debet diſtinguere. Critica nimirum ſic dicta ſymptomata, ab illis effectibus, qui a vi morbi proveniunt, caute & circumſpecte diſcernat, ut neutiquam in uſu medicamentorum huc vel illuc quaſi fluctuet, ſed conſtantiſſimus eſſe poſſit medicus. Maximi enim, imo ægrotantibus ſæpe funeſti errores oriri ſolent, ſi medentes illa tempora critica, & motus criticos, cum aliis morbi motibus confundunt; Hinc medicamenta, quæ ſalutares in motu mutationes producunt, & criticos non ſatis vigentes motus ſæpe augent, fere in horas mutant, cum ſalutaria a perniciciosis recte ratiocinando & obſervando diſcernere neſciant, & ſaluberrimis cordis & arteriarum ad eliminandas materias niſibus opprimendis, operam navant, mox iterum conſilium mutant, & alia tumultuaria ratione tentant; ſine proprietatum enim notitia, ſine immutabilis certo reſpectu veritatis cognitione, hinc ſine conſtantia, cum huc & illuc fluctuantibus opinionibus ſuis extravagantur. Veritati tamen utique conſonum, quod primam morbificæ cauſæ originem, agens in morbis natura, medentis notitiæ ſubtrahere per totum quandoque morbum, ſed ſæpius certo tantum tempore ſoleat, quo cordis dimenſus motus morborum cauſis medetur, adeo ut id ipſum, a quo cauſæ notitiam ducere deberent medentes, occultetur; id quod ſumma animadverſione dignum eſt, quatenus interdum exinde rationem difficultatis ſtudii, quod ſignis cauſarum morbificarum eruendis adhibemus, perſpicere licet. De reliquo non ſolum in febribus, ſed morbis aliis, diuturnis etiam & longis, ſalutaria vitæ molimina,

(*a*) Quomodo æger interrogandus ſit, ut recte conſulamus, præclare expoſuit HIPPOCRATES de affectionibus XXXVI.

mina, a pernicioſa morbi efficacia diſcernenda, ſollicite attendentibus obſervantur. (*b*) Cuicunque igitur virtutes medicamentorum proprias explorare animus eſt, ſub quibus omnino vitæ ad morbum vincendum motibus, & ſub quibus proprietatis morbi indiciis, hoc vel illud medicamentum profecerit, primario attendat neceſſe eſt. Hæc enim eſt quaſi via regia, qua ad perpetui cognitionem, ratione virium medicinalium, pervenire facile poſſumus. Nam naturæ leges, motus & medendi rationes, quæ conſtantes ſunt, quiſquis attendit, & ſimul de medicamento quodam obſervat, quod ſymptomata ſic dicta critica, & ſalutares motus non ſatis ad expellendas & mutandas materias vigentes, adauxerit, ſimulque diſcernit, quales præſertim hi motus fuerint, quaſnam e contrario conditiones motuum a vi morbi provenientes temperaverit, (*c*) mutaverit, & num forſitan vitales tantum motus ſuſtentaverit, & in quanam præſertim quantitate, generaliter tantum definienda, hæc omnia evenerint, ille ſine dubio ad ſatis perpetuos, quos ratio eſſe debere docet, effectus attendit, & eo ipſo uſum medicamentorum perpetuum diſcit. Nec tamen morbi ſtatus, qui fuerit, cum medicamentum adhiberetur, negligi debet, ſed num morbus increverit, vel ſubſtiterit, vel ad ſanitatem jam inclinaverit, notare expedit. Id etiam obſervationem requirit, in qua parte evidentiſſime affecta, & ſub quo morboſo partis affectæ ſenſu, utrum externe an interne, adhibitum medicamentum profecerit; ubi enim non ſolum ſat cito medicamentum parti cuidam intus affectæ ſubvenit, & totius corporis vires in motum neutiquam ciet, & tamen in ejuſmodi malo juvat, quod ſine peculiari & continuato motu, ſolvi omnino nequit, ſpecificam ſane virtutem hoc ipſum obtinere, a vero propius eſt. Magis autem certi de propria virtute eſſe poſſumus, ſi repetita experientia idem perpetuo ſub iiſdem conditionibus confirmat.

§. XV.

Temporis quoque & partis affectæ ratio habenda eſt.

Sed quamvis hæc omnia multo labore, & indefeſſæ attentionis & meditationis ope, arti ſalutari deditus exegerit, nihilominus tamen caute adhuc circumſpiciat, neceſſe eſt, ne quædam forſitan aëris, ſeu temporis phyſici mutatio ipſi imponat, & morbi cujuſdam vires infringat, quas ille a medicamento adhibito fractas eſſe crederet. Neminem enim latet, quam inſignem generaliores quoque aeris mutationes in corpora efficaciam habeant, ut quidam, ſine admiſſo in diæta &

(*b*) Conf. MAGNIF. DECANI D. JOANN. ERNEST. HEBENSTREIT παλαιολογίας Therapiæ ſpecimen X. de motibus criticis in genere p. 15.

(*c*) HIPPOCRATES Aphoriſm. Sect. IV. 2. Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος, ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα, τὰ δ᾽ ἀνωνίως ἐόντα παύειν.

corporis cura vitio, ſponte quaſi certo tempore graviter ægrotent, (*d*) & alio tempore ſine medico, non tamen ſine medicina, convaleſcant, & ſanitatis viciſſitudines cum temporis hybernalis, æſtivi, vernalis & autumnalis mutationibus ſæpe experiantur. (*e*) Temporis phyſici relatio ad ægrotantium temperies, & ad hos vel illos motus perficiendos, ſuſtinendos, vel imminuendos conveniens, diſquiſitione mihi ſemper videtur digniſſima. Eſt enim temperies uniuſcujuſque hominis quaſi tempus phyſicum proprium, & illa, quæ extra nos eſt, aeris temperies communis, vitæ perpetuus ille cibus, quem reſpirando omni momento tranimus, ad tempus phyſicum univerſale jure meritoque refertur. Cum autem quotidie vitam & ſanitatem hominum adminiſtrantes experiantur, quod uno tempore facilius atque felicius, alio tempore difficilius minusque proſpere operationes ſuas natura intrinſecus perficiat, & oſtenſivo effectu, ſeu criſi ſic dicta, manifeſtet, facile liquet, quod in obſervandis medicamentorum viribus, ſi ad perpetui cognitionem adſpiramus, temporis phyſici ratio quam maxime ſit habenda, ne uſum medicamenti, prout aliquando ceſſit, pro perpetuo venditemus; proinde diverſo tempore, in quantum conſtans atque ſtabilis ille effectus ſit, circumſpecte, repetitis vicibus obſervare decet.

(*d*) HIPPOCRATES Aphoriſm. Sect. III. XIX. Νυσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων ἢ γίνεται χαι παροξύνεται.

(*e*) HIPPOCRATES Aphoriſm. Sect. III. I. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα.

CCXXXII.

DAN. WILHELM. TRILLER

ET AUTORIS

J. JACOBI KLÜNGE

DE SPECIFICORUM DUBIA FIDE.

WITTEBERGÆ 1751.

JUVANTE DEO

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

REMEDIORUM SIC DICTORUM SPECIFICORUM

DUBIA FIDE ET AMBIGUO EFFECTU.

PROOEMIUM.

PROSTRATA *jam pæne humi jacet ad cœlum olim elata Medicina. E ſummo honoris faſtigio ad infimum dedecoris ignominiæque gradum fere delapſa mœret, & quæ antea inter Deorum, regum ſapientiſſimorumque virorum manus volvebatur, eorumque opus judicabatur, ſecundum* LANGIUM *in hiſtoria medica, quibuſvis nunc ad alia ineptis negotia, res tractatu perfacilis judicatur. Ad hanc præſtantiorem, cujus autor atque inventor ipſe Deus merito habetur, ſcientiam, a qua tanquam re ſacra vulgus olim abarcebatur, quibuſvis vetulis, obſtetricibuſque acceſſus hodie impune conceditur, ut perquam juſte & adæquate de hujuſmodi in Medicina abuſu ceciniſſe videatur Poeta ille, quiſquis fuerit,*

Fingit ſe Medicum quivis idiota, Sacerdos,
Miles, Monachus &c.

CUM

Cum vero *Medicina ab antiquitate tam venerabilis, ejuſque cultores & artifices, ex vetuſtiſſimi Homeri effato, multis aliis præcellentiores fuerint habiti, mirandum quam maxime, quo fato fieri potuerit, ut hæcce ſalutaris ars, divina ob excellentiam, egregiumque quem præſtat uſum, appellitata, noſtris quidem temporibus, tam parvi tam nihili pæne pendatur, ut de veteri dignitate vix umbra adhuc ſuperſit. Neque id factum eſſe propterea ego quidem judico, quod apud Romanos a ſordidis ſervorum abjectorum manibus veneranda Medicinæ ſacra olim tractata fuiſſe perhibeatur; de qua, ambigua & ambagioſa lite noſtra quoque ætate inter Anglos potiſſimum denuo acriter agitata, hic brevitatis ſtudio nunc non eſt dicendi locus. Neque hodierno ævo temperantia hominum, victusque ſimplicitas in priſtinum adeo eſt reſtituta, ut vel propter eam Medicis, eorumque ope facilius commodiuſque carere queamus. Luxuria potius, intemperantia, deperdita victus exactioris ratio corpus noſtrum, ita debilitavit deſtruxitque, ut vita plurimorum mortalium perpetuus ſit nominanda morbus. Rem acrius inveſtiganti, atque intimius paulo conſideranti perpendentique, quare noſtra præſenti ſeculo ars ad ſummum fere perfectionis culmen, præſtantiſſimorum opera diligentiaque anatomicorum atque mechanicorum medicorum, evecta, adeo vileſcat, nulla mihi cauſa potior atque probabilior occurrit, quam vana nimis ſubitaque perſuaſio præjudiciumque de medicamentis ſic dictis ſpecificis, longe lateque diffuſum, multorumque oculis caligine obducens. Hoc enim innitentes mirum quantum falluntur & fallunt tam Medici, quam rudes in arte. Gens medica fallitur, fallitque, quando uni, efficaci quidem, non autem præpotenti aut univerſali medicamento, nimium confidens, alia utilia magiſque accommodata, indoli atque origini morbi reſpondentia, ſimulque tempus medelæ idoneum negligit, eoque ipſo ægrotantes & pecunia & auxilio, ſanitate vitaque interdum ipſa privat. Decipiuntur turpiter ipſi ægri, properantes ad ejuſmodi glorioſos & inanes ſpecificorum jactatores, de quibus loco ſalutis damnum & ſerum illud pœnitere certo ſæpiuſque ingenti mercantur pretio. Doctrina de ſpecificis male intellecta, ſiniſtreque interpretata applicataque omnino in culpa eſt, quod eximia noſtra ars, totique generi humano adeo neceſſaria, non amplius in illo honoris gradu fulgeat, quo illam haberi fas erat. Poſtquam enim ex erronea illa opinione, quod certo cuique morbo certum ſit dicatum remedium, tonſor, balneatorve, carnifex (nefandum dictu!) atque caſtrator Medicinæ operam dare arroganter auſus eſt, cuncta illorum commiſſa perpetrataque vitia ac peccata arti innoxiæ ſunt imputata, haud ſine magno famæ detrimento. Pari effectu anus quælibet, præjudicio ſpecificorum ſuffulta, morbis ſuccurrere atque mederi conatur, omniaque ea, quæ vidit audivitque a medicis adhiberi, in ſimili, quem judicat, mali ſtatu in uſum vocat atque perverſe uſurpat. Hac in re conſentientem habeo celeberrimum* Hofmannum, *qui peræque, cum de damno in Medicina diſputat, hypotheſin de ſpecificis temere receptam pro noxia recte accuſat atque culpæ affinem declarat. Hæc cum ita ſint, de ſpecificis paulo copioſius commentari apud me conſtitui. Faxit Deus feliciter!*

§. I.

Atque ut ab initio rem exordiar, primo dicendum loco, quid per ſpecifica deſignetur. Per ſpecifica autem ejuſmodi deſignantur medicamenta, quæ contra certum morbum ſpecifica quadam vi pugnant atque eundem abigunt; quæ, ceteras corporis partes intactas relinquendo, ad partem læſam ſolum properant, eique ſolum ſuccurrunt atque opitulantur; quæ hunc illumve humorem tantum attingentia, reliquis immotis, commovent, corrigunt, alterant, evacuantque; quæ denique certo indubitatoque effectu, ægrum medicumque nunquam fallente, certo in morbo, a quacunque demum orto cauſa, poſſunt adhiberi. Hæc eſt communis, quam de ſpecificis foverunt foventque veteres ac recentiores ſententia.

§. II.

Dari hujuſmodi medicaminum claſſes, quibus haud inepte, ſive morbi, ſive ei oppoſiti remedii ſpeciem reſpicias, nomen ſpecifici imponitur, nemo medicorum inficias ibit. Namque id ratione atque experientia, duobus iſtis veritatis & exploratæ virtutis medicæ fulcris, conſtat; non omne medicamentum in omni poſſe adhiberi morbo, ſed diverſum diverſa poſtulare ſubſidia, quin imo certo reſpectu affirmemus licet, cuncta medicamenta eſſe ſpecifica, id eſt, in certa morbi ſpecie, conſentiente ægri conſtitutione morbique cauſa & origine, utilia neceſſariaque. Sic quoque in diſpartiendis in certas diſtinctasque claſſes medicamentis, variis utimur denominationibus, quippe cum alia aperientia, alia conſtipantia, diaphoretica, diuretica, diluentia, galactophora, ſpermatopœa, reſolventia, incraſſantia, & ſic porro, appellamus. Hæc medicamenta nihil ſunt aliud, quam ſpecifica quaſi, agunt ſub certa actionis ſpecie, non quidem, ut videtur ex ſententia veterum, occulta quadam virtute, aut propter conſimilem, quam cum viſcere aut parte corporis humani habent, figuram, ſed forſan potius, judicio Willisii, Boerhaavii, Borrichii, aliorumque ſummorum Medicorum, contradicentibus licet Hofmanno, Helmontio, Bartholino, Freindio, aliiſque præſtantiſſimis Medicis, ex ratione mechanica propter figuram & ſitum partium, quibus conſtant. Hinc venit, quod oleoſa pinguiaque intus ſumta, ob partes flexiles molleſque ſuperficiemque læves plerumque relaxent & ſubducant alvum, quod alia inter purgantia itidem numerata, ob aliam particularum figurationem ſtructuramque, alio operantia modo, non in quibuſvis præſtant ſubjectis, quapropter eadem omni jure titulum

laxantis ſpecifici merentur. Quæ autem corpora ſucculenta & phlegmatica ad excretionem alvinam ſtimulant, hæc maximam partem cholericæ ſiccæque homines conſtitutionis magis obſtructos reddunt. Sed de hac diverſa, pro diverſo ſubjectorum diſcrimine, operandi ratione in ſequentibus plura occurrent.

§. III.

Quemadmodum in præcedenti §. nomen ſpecifici libenter concesſerim, neque e rerum natura delendum exſtirpandumque judicaverim, ſiquidem ex illo neutiquam ullum in ægrotos damnum ſit metuendum, ita toto fere animo abhorreo ab illorum ſententia, qui affirmare non dubitant, talem reipſa exiſtere medicinam, quæ quibusdam tantum morbis ſit dicata, quæ certos reſpiciat corporis noſtri humores, eoſdemque ſolos noxios periculumque minitantes removere, e corpore eliminare aut corrigere, atque in laudabiles mutare valeat, quæ hanc vel illam partem ſolum pro ſcopo habeat, ibidemque ſubſiſtat ſuaſque exerceat perficiatque operationes. A Summo namque rerum Opifice machina noſtra artificioſiſſimi Automati ad inſtar ita eſt fabricata, ut ſecundum certas motuum leges regatur moveaturque. Idemque Summus rerum Moderator totum genus medicamentoſum ita conſtitutum eſſe voluit, ut ejuſdem vires & potentiæ non ſint abſolutæ & activæ, ſed reſpectivæ, ut ſic loqui liceat. Cum autem contextus partium humanum conſtituentium corpus, tam contentarum quam continentium, tam varius ſit ac multiplex, ut fere totidem diverſæ conſtitutiones ſint conſtituendæ, quot vivunt individua; hinc concludere licet, eadem remedia non eoſdem apud omnes edere poſſe effectus, idemque medicamentum, quod huic profuit, alteri obeſſe, naturamque medicinæ modo, modo veneni induere, nec medicum officio ſatisfacere ſuo, ſi omiſſa in cauſas atque origines mali cujuſvis perſcrutatione, nullo habito idioſyncraſiarum diſcrimine, morbum ſuperficiaria tantum opera attingat, pectoriſque in affectibus thoracica bechicaque, in capitis cephalica, in ſpaſmis antiſpaſmodica, in febribus antifebrilia generalia, & ſic porro, præſcribat atque propinet; adeoque nulla fere dari certa ſpecifica, ſed omnia, quotquot dantur, eſſe potius reſpectiva & particularia mihi equidem videtur.

§. IV.

Quod ut clarius evadat, aliquibus in medium prolatis adductisque ſpecificorum exemplis, eorumque perluſtrata virtute, operandique potentia demonſtrare allaborabo. Agmen inter ſpecifica ducit decantatus Peruvianus cortex, Kina ab *Indis* appellatus, non minus propter ampliſſimam

pliſſimam famam, communemque totius fere Europæ applauſum, quam propter frequentiſſimum, propter frequentiam ipſius morbi, cui opponitur, uſum notiſſimus. Hicce cortex per centum & quod excurrit annos in noſtro celeberrimus orbe, pro certiſſimo omnium intermittentium, quin & continuarum quarundam febrium antidoto prædicatur laudaturque. Nunc videamus, an hocce remedium par ſit multiplici morbi origini cauſæque. Superfluum foret hoc loco exactam medicamenti illius reſolutionem chemicam apponere atque ſuppeditare, cum. inſuper magnum medicos inter hac in re ſit diſcrimen ac diſcrepantia. Nobis ſat erit, noſſe, monuiſſeque, quod præcipua ejus virtus ſit adſtringens ac roborans, & ſi etiam, ſecundum hujus medicinæ patronorum aſſertum, virtute polleat reſolvente; quod tamen non evidenti argumento ex illius amarore evinci poteſt, quippe cum opium, eadem pæne amaritie præditum, probet contrarium, quænam quæſo eſſet proportio inter reſolventis quantitatem, & ipſius materiæ febrilis copiam? Febris autem morbus, etſi ab Asclepiade & Roderico a Veiga, quin & Campanella & ipſo celeb. Stahlio ejuſque aſſeclis, plane non inter morbos numeretur, maxime compoſitus, tam variis ſtipatus ſymptomrtibus, a diverſis oriundis cauſis tam materialibus quam procatarcticis, conſiſtens, ut probabile quidem videtur, in celeriori arteriarum pulſatione, caloreque præternaturali, vaſis ſanguiferis extremis forſan obſtructis, hincque regurgitanti ſanguini ad cordis receptacula, adſcribendo, combinatus plerumque cum canale alimentorum impuro, cruditatibus reliquiiſque ciborum non ſatis excoctis aut digeſtis & ſubactis inquinato obſeſſoque, variam requirit indicationem. Pro circumſtantiarum diſcrimine indicatione mutata, mutatur indicatum ſeu inſtrumentum, per quod actio perficienda. Plurimæ quippe febres intermittentes largiori vel minus convenienti cibo ingeſto, eoque ventriculo oppleto, hincque impuritatibus ibidem enatis, collectis ac ſubſiſtentibus ſuam debent originem, nonne hic judicatur evacuans præſentaneum, quovis impuritates modo, quaque data via eliminans, ab initio ſtatim adhibendum propinandumque? Sed deprehendiſne hanc in cortice chinæ virtutem? Febris porro ſatis ubique nota & obvia eſt, a quarto, quo redit die, quartana, alias etiam ob difficilem, quam admittit, medelam, ſcandalum medicorum dicta, quæ quia a viſcere obſtructo vel contabeſcente oritur, ſympathica audit. In cujus curatione qualem fructum, quale emolumentum expectabis, quæſo, aut experieris ab intempeſtivo uſu hujus ſpecifici antifebrilis? Præterea conſtat, febres optime curari procurata & æquabiliter continuata tranſpiratione, & quamdiu naturaliter tranſpiramus, ſecundum Sanctorium Sanctorium, tamdiu a febribus liberi ſumus, ſuppreſſa autem hac ſecretione ſubtiliori in eandem incidimus. Hiſtoriis edocti medicis ſcimus, aliquos in febrem incidiſſe nullo commiſſo in diæta errore, qui lecto

 compoſiti,

compoſiti, ſudoreque madidi, repentina mutatione in aërem frigidum neceſſitate coacti ſe contulerunt, in eo ſane caſu neque evacuandum, neque roborandum; ſed promovenda potius rurſum tranſpiratio inſenſibilis. Communiter autem omnes febricitantes magnum percipiunt levamen, quando paroxyſmum ſudore finiunt. Quapropter & apud vulgus celebratur illud parabile febrifugum, quod ſcilicet conſtat in vehementi corporis, curſu perficiendo, motu, cujus ſubſidio pori cutanei aperiuntur, magnamque cum ſero materiæ febrilis copiam evacuando, æger ſublevatur. Res adeo clara eſt atque perſpicua, ut nulla egeat demonſtratione, ſuffraganteque experientia, magiſtra rerum, affirmare pæne audemus, febrem per intempeſtivum chinæ uſum ſuſpenſam tantum ſuppreſſamque, niſi demum per alia medicamenta materia morbi fuerit prius correcta atque foras educta, ſæpius recurrere, conſuetoque more multo crudelius ſævire quam fecerit antea, neque id vetare poſſe principum archiatros, quemadmodum Galliæ, Hiſpaniæque perſonæ regiæ febricitantes, corticeque hoc exotico curatæ ſuis exemplis, quale etiam nuper relationes publicæ de Regina Hiſpaniæ narrarunt, teſtari poſſunt. Interim tamen haud plane negamus, ſplendidum illum ſpecifici ſic dicti antifebrilis titulum cortici huic Peruviano, præ reliquis fere omnibus, alias laudatiſſimis ſpecificis, vel ſoli competere, ſi nempe ille bene expurgato prius & præparato decenter ægroti ipſius corpore, juſto tempore, juſtaque imprimis & aliquanto copioſiore doſi, in legitimum & opportunum uſum advocatus fuerit. Quoniam innumera pæne proſtant feliciora eorum exempla, qui regulis iſtis, cautionibus & circumſtantiis omnibus ac ſingulis ſollicite & exacte obſervatis, expugnata prorſus ipſius efficacia, febre, ad ſanitatem priſtinam auſpicatiſſime reducti fuerunt, ut vel ex ipſius celeberrimi WERLHOFII eximiis de Febribus obſervationibus, ne alios plures hic commemorem, luculentiſſime patet. Liceat hic, cum de ſpecifico antifebrili egimus, illud quoque commemorare, medicamentum febrifugum vulgo etiam notiſſimum, quod a Gallo quodam, DU CLOS dicto, Berolini componitur, ſatisque charo venditur pretio, de quo certiſſimum auctor quibuſvis intermittentibus febribus correptis pollicetur auxilium. Idem remedium duplici conſtans portione, una curatoria, altera præſervatoria, ut loquuntur, non modo ſæpius laudata virtute deſtitutum, ſed etiam in mercatore mei oppidi quodam valde impotens deprehendi. Ille a febre vexatus tertiana, uſu remediorum, indoli cauſæque morbi adaptatorum a me præſcriptorum, ab ea intra quatuordecim dies liberatur, aliquot diebus poſt accipit bipartitum huncce pulverem ab amico miſſum, de eo non ſolum bene ſperans, ſed illi quoque maxime confidens, me conſulit, an adhuc hac uti medicina liceret. Optanti id concedo pulveris uſum præſervatorii pro ſcopo roborandi fiſtulæ cibalis fibras, quia idem maximam partem ex cortice Peruviano, adjectis radicibus & ſpeciebus roborantibus,

rantibus, ut videbatur quidem, conſtabat. Ingenti conſtantia & fiducia devorat non ſolum hunc, ſed præmittit etiam pulveris alteram portionem curatoriam, quo eo certius liber a febre vitam degeret. Interim tempore autumnali, Jove ſub pluvioſo frigidoque, commiſſo antea, urgente acri appetitu, vario in diæta errore, heu! nimium ſua hac confiſus medicina, Lipſiam proficiſcitur. Ibidem febris redux aggreditur hunc negotiatorem de novo, comitatur domum, ſuamque iterum ludit tragœdiam, quæ inceperat præterlapſis paucis diebus poſt ultimam hujus laudati commendatique pulveris doſin adhibitam. Quod ergo remedium ne quidem abarcere valet febrem jam ſopitam, qua ratione, quæſo, poteſtne ſuis latebris eam profligare? Quid tandem obſtat, ſi illud, quod aliquando, neſcio quo caſu, morbum forte expulit, ſtatim nomen ſpecifici meretur, quo minus piſces, lac, lacticinia, haleces, oſtrea, uvas, centumque alia, partim abſona, partim & contraria, ſuperbo ſpecifici antifebrilis titulo exornemus. Hæc enim ſuppreſſerunt quoque, vel, cum vulgo loquendo, repulerunt aliquando, forte fortuna, febrem. Hinc concludimus, febris medelam neque per corticem chinæ ſolum, ſi nempe nec juſto & opportuno tempore, nec præparato prius & expurgato ipſo corpore, ut ſupra paucis monui, adhibetur, neque per alia ſpecifica abſolvi, ſed in ejus curatione ſolida ante omnia neceſſariam eſſe præviam, exactam diſquiſitionem in ipſius febris originem, indolem, cauſaſque tam antecedentes, quam occaſionales, in ægrotantis variam ſanguinis texturam intemperiemque, & tunc bene deliberandum, dijudicandumque, quid opus ſit factu; an alterandum, an potius evacuandum, an per os, aut per anum, vel poros cutis hoc peragendum, an alteratio per acida, vel per alcalina fieri debeat, qua ſub ſpecie, quo vehiculo, & quæ ſunt plura.

§. V.

UTERUS, viſcus illud membranaceum, nec non ex parte aliqua carnoſum, piriforme, conceptioni, ſanguiniſque ſuperflui ſecretioni, collectioni, excretionique deſtinatum, tam multiplicibus obnoxius malis, quam multiplicem plerumque ridiculam muliercularum cohors de ejus forma & ſtructura habet opinionem, quamvis eundem neque cum DEMOCRITO innumerabilium, neque etiam, ſi dicere quidem liceat, omnium cum HIPPOCRATE, mulieres infeſtantium, morborum cauſam auctoremque pronunciare auſim. His fere in omnibus ad caſtoreum, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram medicaſtri atque illorum errore inductæ mulieres. Quanta tunc fiducia, quanta hujus medicamenti expectatio eſt! Sique, ut fere fit, expectationi non reſpondet eventus, incaſſumque adhibetur, majoremque mali exaſperationem, ſalutaris loco effectus, ſuſcitat, tum matrix irata atque implacabilis appellitatur

tatur, tuncque ſuo ſibi genio & ingenio relinquendam eſſe judicatur melius. Haud inutile forſitan foret, hoc quidem loco illius mentionem facere erroris, per quem multi adſcribuntur, tanquam cauſæ, utero morbi, qui alia in parte, ab utero diſtincta ſæpiusque remota, ſedem habent ſuam, inde enim luculenter pateret, quam irrito fruſtraneoque conatu illo in caſu in auxilium vocaretur caſtoreum, etiamſi ſpecialiſſimum foret uterinum. At enim vero præſtat, cum ſpecifica tractamus, quam frequenter vis caſtorei ſpecifica in ipſis uteri morbis fruſtra expectetur, ante oculos ponere. Plurimas ergo ab utero deducendas & ex eodem originem trahentes prætereo affectiones, easque tantum, quibus nullas fert caſtoreum ſuppetias, quin potius noxas auget, in publicum hic produco. Primo in mentem mihi venit ille morbus, quem medici furorem uterinum denominare aſſolent. Uterus quidem hic conſtituit ſedem mali, ſed quis, quæſo, erit tum uſus caſtorei, remedii ſale volatili oleoſo præditi, hincque maxime reſolventis diſcutientisque virtutis. Nulla certe in iſto affectu opus reſolutione, ſed præſtat componere motus inordinatos, ſerum acre hac in parte depoſitum, membranas uteri papillasque vaginæ nerveas vellicans, continuoque ad coëundi deſiderium impellens, eſt demulcendum, diluendum, victus regimine apto, medicamentis diluentibus, refrigerantibus ex lactuca, endivia, portulaca, ſeminibus frigidis IV. majoribus, minoribusve, nitroſis, ſeroſis, ceteris, conſtantibus, interne externeque, forma clyſmatis, adhibitis. Quis, quæſo, audebit hæmorrhagiam uteri, aut fluxum menſium nimium, ambos uteri ejusque vaginæ morbos, medicina e caſtoreo potiſſimum compoſita aggredi. Sed objiciat forte quis, non id de caſtoreo prædicari, quod in quibusvis ab utero oriundis morbis ſit ſalutare, ſed præcipuam ejus virtutem in reſtituendis provocandisque menſibus aut ſuppreſſis aut deficientibus conſiſtere. Cum autem variæ ſint ſuppreſſionis defectusque cauſæ perfacile erit judicatu, non omnibus peræque idem ſufficiens eſſe poſſe remedium. Ipſa plethora haud raro hanc excretionem impedit ac remoratur, quod ſatis ſuperque auxilium ab inciſa vena, evacuatoque ſanguine, impetrandum impetratumque confirmat, quæ menſium in ſtatu plethorico retentio non quidem ex providentia naturæ intelligentis, quæ in humorum abundantia nunquam hæmorrhagiam permittat, ex timore ſcilicet, ne nimia fiat, ut quidam medicorum cum JUNCKERO opinantur, ſed ex neceſſitate potius phyſica atque mechanica pendere videtur. Uteri inflationem, inflammationem, ulcus, hydropem, ſcirrhum, ceterasque calamitates, in quibus curandis ac debellandis intempeſtivum partim, partim inutile foret laudatum hocce commendatumque nimis antihyſtericum, jam ſtudio brevitatis prætermitto.

§. VI.

§. VI.

Hecticam contra febrem illam, inſidioſe hominem invadentem, lenteque emaciantem enecantemque, commendatur ſic dictum Poterii antihecticum, quali ſucceſſu, natura morbi remediique ipſa explicat. Quo enim modo morbus mere idiopathicus, cujus ortus in ſanguinis maſſa ſalibus forte referta limphaque alibili gelatinoſa deſtituta, quærendus, tolli poſſet medicamenti ope calciformis, ex regulo antimonii, ſtanno, nitroque fixato, ex deſcriptione Junckeri, conſtantis, quale Poterii eſt antihecticum, de cujus ſubſtantia indiſſolubili, nullique cedente menſtruo, nullæ vel pauciſſimæ auxiliatrices ad ſanguinem pervenient particulæ. Et ſi etiam ſales acrius pungentes, humores exagitantes, ſerumque tenue alibilique magis magisque diſſipantes, per renes & veſicam, quod Junckenius affirmat, deduceret, qua reſarciretur via ſerum deficiens atque gelatina. Quid dicendum, quid ſperandum de fructu hujus medicinæ in febre lenta tabifica ſympathica, viſceri obſtructo, ſcirrhoſo vel ulceroſo adſcribenda, adhibitæ. Quod autem iſtæ febres & frequentiores ſint, & cum hectica idiopathica ſæpius, quam par eſt, confundantur, ſub eodemque veniant nomine, adeoque eodem oppugnentur medicamine, nulla eget probatione. Idem ferme ferendum judicium de lacte, optimo alias gelatinam reſtituendi remedio, in tabe, pro phthiſi ſeu hectica, ut ſæpe accidit, habita, a cruditatibus primarum viarum, viſciditateque ſanguinis orta, præpoſtere adhibito. Minori rei convenientia vulpis pulmones, ſive recentes, ſive exſiccati, in uſum trahuntur, quando de pulmonali ſuſpicio eſt phthiſi. Certe ſi per eosdem ægri ægræque pulmo, ſuppuratione plane interdum conſumtus, poteſt reſtitui ſanarique, pari quoque, opiner, facilitate brachium pedemque, aliamque corporis humani partem deperditam amiſſamque, uſu ſimilis cujusvis animantis partis de novo creari producique quoque poſſe, haud impoſſibile factum videbitur.

§. VII.

Vix fide dignum, morbos adeo indeterminatos ſua habere ſpecifica. De ſcorbuto idem prædicare licet. Proſtant pulveres, tincturæ, eſſentiæ, pilulæ, potiones antiſcorbuticæ, neque certe inter medicos conſtat, quid per vocabulum ipſum proprie indicetur. Hoc quidem extra dubitationem poſitum eſt, quod ſcorbutus apud medicos morbus ſit maxime generalis, ita ut quamlibet humorum labem ſub eo comprehendant nomine. Hinc cacochymia, variaque ſanguinis intemperies, idem iisdem ſignificant. Icterus autem certo reſpectu, ſcabies, arthritis, lues quoque forſan venerea, diſtinctæ ſunt ſcorbuti ſpecies. Etſi etiam per ſcorbutum

ſcorbutum ſingularem intelligamus morbum, illum nempe, qui accolis maris, navigantibusque familiaris eſt atque endemius, cujus individui ſunt comites ſtomacace & ſcelotyrbe ut PLINIUS nempe loquitur, maxima tamen ſcorbuti, ratione indolis, ægrotantium dyſcraſiæ, graduumque, ſemper reſtat differentia, ut adeo nulla generalis medendi methodus, ſed cujuslibet conſtitutioni accommodata ſit determinanda, nullaque, ut videtur, dentur certa ac ſpecifica remedia antiſcorbutica. Niſi quis cochleariam, naſturtium aquaticum, trifolium fibrinum, acetoſam, acetoſellam & ſimilia inter ea referenda cenſeat.

§. VIII.

QUID uſitatius communi in praxi medica, quam oborta dyſenteria, ab hepatico fluxu aliisque diarrhæis, hæmorrhoidibus torminoſis, nec non ab illa ſingulari alvi fluxione, quæ a loco, in quo frequentius contingit ab aquis inprimis turbidis ac cænoſis, *le mal de Paris* appellatur, per ſigna propria atque pathognomonica bene diſtinguenda, ad purgantia, in ſpecie rhabarbarina, confugere? Eadem quidem haud improbanda eſſe duco in illa dyſenteria, quæ excitata eſt a fructibus horæis nimia copia ingeſtis. In iſto omnino ſtatu magna evacuantium tempeſtive propinatorum, cujuslibet conſtitutioni accomodatorum, eſt utilitas neceſſitasque, inter eademque optimum habetur ſuo jure rhabarbarum, utpote præter ſtimulantes acresque nonnihil particulas, & roborantibus ipſi ventriculo totique fiſtulæ cibali amicis ſimul præditum partibus. At enim vero nullum tum expectare poſſum in cauſa contraria emolumentum, quia potius certius exinde damnum jure metuendum videtur, quid enim, quæſo, rationi magis adverſum, quam acredinem in iſta dyſenteria jam præſentem tum magis exaſperari, motumque periſtalticum nimium, irritatione partium acrium, tunicas inteſtinorum vellicantium, jam excitatum, eo vehementius augeri? quod potiſſimum fit purgantibus, ſine diſcrimine judicioque adhibitis. Concederem eadem liberaliori manu, ſi quemadmodum dyſenteriæ ſedes in inteſtinis, ita etiam omnis materiæ peccantis quantitas uno tempore ibidem adeſſet, tunc enim ſimul & ſemel uſu cujuſdam draſtici purgantis remedii evacuari eadem poſſet. Cum autem limpha acris inteſtina arrodens lædensque e ſanguine, ope circuli ejus febre adaucti, per arteriarum ibidem diſſeminatarum extremitates continuo ſeparetur, ut quidem videtur, in eo imprimis omnibus laborandum viribus, ut eroſa jam jam inteſtina conſolidemus, ab ulteriori præmuniamus læſione, metuendamque inflammationem, comitantemque proximo pæne intervallo gangrænam, ſphacelum, mortemque ipſam præcaveamus atque avertamus. Iſtud autem fieri non debet, nec poteſt, per acria, per ſtimulantia, per irritantia, ſed potius per oleoſa, gelatinoſa, mucilaginoſa, abſorbentia, demulcentia, vel per anum injecta,

quippe

quippe quæ partim illud acre abſorbendo, involvendoque, partim inteſtina lubrica reddendo oblinendoque, ſcaturiginem ac fomitem mali ope ſtimuli jam impreſſi, motusque vermicularis, pedetentim e corpore educere atque profligare poſſe videntur. Haud majorem propemodum meretur laudem in medendo hocce cruento fluxu celeberrimum illud vulgo antidyſentericum Americanum hipecacuanha dictum, ſive enim reſpiciam ejus evacuantem potentiam, ſive conſiderem, quod motum ordinarium deorſum vergentem invertat, eoque ipſo aliam materiæ determinationem efficiat, eadem ſemper fere manet ſubſidium impotens, neutiquam in quovis ſubjecto, vetantibus ac diſſuadentibus variis contraindicantibus, adhibendum.

§. IX.

Ad Bezoartica jam mentem dirigo. Varius autem eſt eorum ſignificatus. Proprie ea hoc titulo inſigniuntur medicamenta, quorum compoſitionem ingreditur lapis orientalis. & noſtro tempore etiam occidentalis, Bezoar dictus. Poſtea plures ſpecies medicamentoſæ, ut margaritæ, cancrorum oculi, cornu cervi, ebur, mater perlarum, unicornu foſſile, ungula alcis, mandibulæ lucii piſcis, ceteræ, eodem fuerunt nomine donatæ. Atque quoniam inſignis ac plane mirabilis potentia virtusque lapidi Bezoar affingebatur, factum eſt, ut omnibus fere remediis, majori præ ceteris efficacia præditis, magisque manifeſto operantibus effectu, ſplendidum bezoarticorum nomen fuerit impoſitum, ita ſuperbiunt eodem abſinthium, baſilicum, marrubium, carduus benedictus, ſalvia, radix contraiervæ, tormentillæ, ariſtolochiæ, bardanæ, angelicæ, ſcorzoneræ, pimpinellæ, valerianæ, chinæ, zedoariæ, cortices citri atque aurantiorum, baccæ juniperi laurique & alia. Sed vix exigui eſt momenti diſtinctio eorum, qui bezoartica in reſolventia & temperantia, in acida & alcalina dividunt. Cum autem non ex profeſſo de bezoarticis agere noſtri eſt inſtituti, omiſſis reliquis, tantum eorum faciamus mentionem, quæ in febribus exanthematicis pro ſpecificis venditantur. In febribus exanthematicis uno omnes clamant ore, expellendum eſſe quantocyus virus morboſum, cordi infenſiſſimum, eo fine omnibus laborant viribus, anxie quærunt, poſtulant, propinant expellentia, obruunt ægrotos ægrotasque medicamentis bezoarticis, ſpiritu cornu cervi, viperarum, bezoartico Bussii, mixtura ſimplici, tinctura bezoartica, ſpiritu theriacali, ſale volatili oleoſo Sylvii, eſſentia myrrhæ, croci, balſamica, vinis medicatis ex herba C. B. C. M. abſinthii, rutæ, meliſſæ, radice helenii, zedoariæ & omnibus ſupra nominatis ſpeciebus confectis. His autem & ſimilibus non alium fere obtinent effectum, quam quod cordis jam auctam ſyſtolem magis intendant, humores antea jam commotos vehementiori impetu ad extrema

 arteriarum

arteriarum vaſa, immobili, & ad permeandum hinc inepto, viſcido obſtructa adigant, adeoque inflammationem ibidem jam præſentem, mox in gangrænam ſphacelumque finiendam, adaugeant, mortemque ipſam accelerent, quod in morbillorum variolarumque curatione ſollicite monendum, cavendumque omni cura, ne intempeſtivo atque incongruo expellentium uſu animam ægrotantis ipſam miſello corpore ante diem expellamus, prout vere præterito videre contigit in infantibus noſtris morbillis laborantibus, ubi plurimi, quibus ab initio pro expellendi ſcopo vinum helenii propinatum erat, morbo fatali ſuccumbebant, cum contra reliquorum nullus, moderato tantum calore tractatorum, ac vel nulla, vel parca ſaltim medicina emolliente, temperante ac diluente adjutorum, e vita diſcedere coactus fuerit, omnesque, absque relicta ulla labe, fuerint ſanitati proſperæ reſtituti. Intempeſtivo dehinc immoderatoque bezoarticorum volatilium uſui, eorumque quæ ſunt proſapiæ alcalinæ potiſſimum, adſcribendum eſſe judicant medicorum quidam, quod inferioris hominum conditionis infantes ſine bezoarticis melius ſe habeant, minorique perferant periculo morbillos, variolasque, quas contra nobilium divitumque progenies, pretioſiſſimis licet illis bezoarticis præmunita, vix ſuſtinere valeat.

§. X.

NOBILISSIMA illa corporis humani, quin totius hominis pars, caput omnino eſſe videtur: quippe cum in ea haud immerito ſumma potius rei convenientia animam immaterialem habitaculum habere ſuum affirmetur, nam ſi ulla corporis regio menti pro ſede fixa aſſignari æquum foret, nulla certe aptior inveniri excogitarique poſſet, quam ipſum caput. Cum enim anima per nervos ſentiat, nervorum vero origo atque ortus in cerebro exiſtat, cum porro omnes, tam voluntarii, quam involuntarii, motus ope nervorum propaginumque nervoſarum, ſucco illo ſpirituoſo defecatiſſimo irrigatarum, excitentur peraganturque, facili negotio in illam incidere opinionem poſſumus, mentem hic tanquam in regia reſidere totique corpori imperare, atque de omnibus, quæcunque in ipſo accidunt, accuratam notitiam per nervos internuncios acquirere poſſe. Iſtud animæ diverticulum tam innumeris obnoxium eſt affectibus, ut vix cogitatione omnes percipi queant, inter quos primario ſunt collocandi loco, cephalalgia, cephalæa, vertigo, apoplexia omnesque ejus ſpecies. Qui autem conſiderat capitis dolorem, modo a frigore modo a calore, in hoc ab abundantia, in illo a defectu humorum, in alio ab acrimonia diverſæ indolis generari, illum quoque oriri ex conſenſu, quem caput cum ceteris corporis partibus habet; ita uterus affectus, alvusque pertinaciter adſtricta excitant dolorem in capite. Qui ulterius animo contemplatur attento, vertiginem eſſe vel idiopathicam,

in

in ſuccis depravatis, vel ſympathicam in cruditatibus atque impuritatibus accumulatis ventriculoque ſubſiſtentibus, cauſam agnoſcentem, itemque, dari anſam vertigini, ſi vel cibis & potulentis ſpirituoſis, nec non interdum aquoſis ventriculum obruimus, vel inediam diutius quam ferre poſſumus, protrahimus, qui accuratiori mentis trutina ponderat, apoplexiam in ſanguineam, venæ ſectione ſuperfluorumque diminutione ſuccorum aggrediendam, atque in pituitoſam jure diſtingui, cujus medela potentioribus reſolventibus, diſcutientibus, ac volatilibus, ut ſunt ſalvia, ſtoechas arabica, lavendula, majorana, meliſſa, ſal volatile oleoſum Sylvii, eſſentia caſtorei volatilis, cantharides, quin imo ſartago ignita ad verticem applicanda ſuſcipitur, ille deprehendat inanem eſſe eam, quam de cephalicis in capitis morbis utilibus remediis certis ac ſpecificis multi foverunt opinionem, fruſtraneoque conatu in epilepſia, antepilectica, in paralyſi, nervina, in mania, antimaniaca, anxie quæri pioque animo deſiderari.

§. XI.

Ultimo tandem loco de thermis acidulisque diſputare nonnihil adhuc placet, quas vel propterea inter ſpecifica numerare fas duxi, quia hic vel ille fons, huic iſtive morbo mederi dicitur, quid dico uni, vel ducentos, ſi Diis placeat, ſingulæ medicatæ ſcaturigines debent, ſecundum relationem eorum, qui cuique viciniores habitant, profligare morbos, ſique nulla amplius in terris ſperanda ſalus fuerit, atque ex aquis iſta expectatur, vereque plerumque expectatur, nam rariſſime ipſam conſequi atque experiri contingit. Suæ potius conſcientiæ, quam ſanitati, hujusmodi ægrotantes, ad aquas ultimo confugientes, conſulere videntur, ſiquidem de illis tunc jure quodam poteſt affirmari, nihil quidem ipſos omiſiſſe, omnia potius in recuperanda ſanitate amiſſa ſtrenue tentaſſe, cunctaque, antequam perierint, eſſe expertos. His de ſalutaribus variisque medicamentoſis mineralibus imbutis aquis idem prædicare decet, quod de ſupra allegatis remediis affirmavimus, quod nempe huic vel iſti ſubjecto, non autem cuilibet conſtitutioni, cuilibet mali cauſæ ac indoli aptæ ſint atque adæquatæ. De ſalutari earum effectu teſtantur exempla, neque deficiunt caſus contrarium probantes. Multi ſunt iis ſublevati, plures malum exaſperarunt ſuum, uſurpantes easdem. Unde hoc eveniat, non eſt difficile judicatu. Nullum nempe conſtitutionis, originis mali atque indolis materiæ peccantis diſcrimen caute conſideratur. Sat eſt, morbum adeſſe inveteratum, chronicum, deſperatum, inſanabilem, aquis aliquando curatum, poſito hoc, ponitur uſus thermarum acidularumque; quin imo idem ſæpe fons duabus natura corporisque habitu diverſis, contrariisque laborantibus affectibus, commendatur perſonis, quale exemplum Stenzelius beatus, in cineribusque adhuc mihi colendus olim Præceptor, ſiſtit; idemne ambabus illis emolumentum

mentum poſſe enaſci putas? nonne unus ſalvabitur, alter peribit? Fingamus, ſeu potius ſiſtamus, nobis hominem phlegmaticæ, quam dicimus, conſtitutionis, multis ac frequentibus vexatum catarrhis, remedium in fonte medicato quærentem, eundemque largiter bibentem, corpus autem tunc temporis parcius moventem, nonne in eodem pars ſeroſa, liberali nimis aquæ ingurgitatione accumulata, vaſa diſtendendo rumpendoque, intra cutim diffundetur, corpusque ad anaſarcam & alia ſimilia mala diſponet? Quale, quæſo, ſuppeditabunt auxilium aquæ illi, qui viſceri ſcirrhoſo atque ulceroſo ſuccurrere tentat atque mederi. Macilenti, fibrisque aridis ſiccisque præditi, ſalium abundantia & acrimonia ſerique defectu laborantes, maleque inde ſe habentes ſunt ei præ reliquis fere omnibus, quibus conveniunt, quibus aquæ potæ proſunt. Qua de re uberius tractant omnes Thermographi, & præſertim illuſtris HOFMANNUS, qui, ceu ubivis notiſſimum, omnium optime de thermis & fontibus medicatis libros complures æternum victuros conſcripſit. Talem imprimis ſolidarum fabricam, fluidarumque conditionem LIPSIUM, illud eruditi orbis decus, habuiſſe memoriæ proditum eſt; hinc quoque tam inſignem ex uſu Spadanarum aquarum fructum reportabat, ut poſtea ſemper in votis habuerit, easdem frequentius haurire. Quo autem jure, quave injuria acidulis virtus, ventriculum inteſtinorumque canalem roborandi confortandique, perpetua & fallere quaſi neſcia queat attribui, equidem non ſatis clare perſpicere poſſum. Conſiderata enim aquarum natura, perpenſaque diligenter ventriculi reliquique tractus membranacei fabrica, contrarium potius apparere videtur. Neque hujusmodi eſt aquaria cura conditionis, quod ſi nullam opem præſtet, nullam quoque inferat noxam; obeſt ſcilicet omnino omnibus, atonia partium laborantibus ſolidarum, quibusque iners eſt & languidus vermicularis motus, propterea ſtatim ab initio hujusmodi homines male ſe habent, moleſtiam perſentiunt ex nauſea vomituque, appetitusque dejectus nullum penitus deſiderat alimentum. Quam triſtia ergo commiſerationeque digna ſunt illorum fata ægrotantium, qui, malo afflicti immedicabili, ad thermas acidulasque properantes, ſuadentibus id ipſis medicis, loco ſalutis expectatæ, certiſſimam perniciem, celerioremque interitum adipiſcuntur.

§. XII.

RESTARENT adhuc innumera propemodum ſpecifica, quorum vel nominibus enumerandis neutiquam hæ ſufficerent paginæ. Nos vero hic ſubſiſtimus, ſumusque interea contenti, quædam uſitatiora in ſcenam produxiſſe; quare ſpecifica anthelmintica, lithonthriptica, antimaniaca, anticolica, reliqua, ſilentio nunc præterimus, cum e ſupra recenſitis examinatisque jam conſtare uberius poſſit, univerſa fere, quotquot dantur,

tur, eſſe tantum particularia, particularique hinc plerumque conſtitutioni dicata remedia.

§. XIII.

Qualem itaque, rebus ſic ſe habentibus, cenſum, qualem applauſum mereantur ii, qui, inſatiabili ſacraque auri fame impulſi, arcana, panaceas, medicinasque ſuas univerſales, cunctis medentes morbis, cuilibet proficuas ſubjecto, a quoque morbo, longiſſime adhuc abſente & poſt aliquot demum luſtra forte metuendo, præſervantes jactitant, de iisdemque mirum in modum gloriantur, haud eſt difficile judicatu. Hi mihi quidem illius ſimiles quodammodo videntur Caligulæ, qui, quo execrabili ſuæ ſanguinolentæque ſatisfacere poſſet cupiditati, unam Romano toti populo cervicem optabat; hos peræque ſcilicet pertædet, non unam habere ægrotantes pellem, quam tondere, vel deglubere potius, poſſent ſoli, quocirca illis affingunt eandem, & per famam, illud antiquum ac velox innoteſcendi malum, atque phaleras, per ſchedulas nempe apertas literasque publicas, omnibus id notum faciunt, non autem, ut ſanctiſſime affirmant, turpi quodam lucri deſiderio ducti, ſed ingenti potius ingenuoque humani generis amore permoti, quo nemo ex inſcitia ipſorum auxilio carere neceſſe habeat. His inventis univerſum genus humanum tributarium ſibi reddere conantur. Mirari certe nunquam ſatis poſſum, eo proceſſiſſe audaciam hominum, talia inepta prudenti obtrudere velle mundo, ipſorumque quosdam medicorum omnem adeo depoſuiſſe pudorem, ut ſuis, ſuis quibus digna ſunt laudibus non derogandis, medicamentis, quibuscunque in morbis & ſubjectis ſalutiferam univerſalemque, contradicentibus licet ratione experientiaque, virtutem affingere ne quidem erubeſcant. Gens credula hodierna, cui decipi in voluptate eſt, anſam dedit ipſa ejusmodi impoſturæ; qua enim, obſecro, alias fiducia auderet ejusmodi egregius & ſuperciliofus deceptor, totiusque fere humani generis illuſor, qualem deſcriptum delineatumque in relationibus publicis nuper invenimus, affirmare, ſe, ope ſuarum guttularum plane mirificarum, ab Augusti aurea illa ætate, ad noſtra uſque tempora, incolumem inter vivos ſe ipſum ſuſtinuiſſe, eandemque immortalitatem poſſe, ſub ſui ſpecie liquoris, aliis quoque vendere hominibus? Eſtne credibile, unum unquam extitiſſe mortalem, niſi inſanientem, qui unam tantum guttam ſex imperialium ingenti pretio, hujus impoſtoris magni antidotum mortis, cur non & ipſius orci? emerit, quod tamen factum ſic aliquando fuiſſe, conjiciendum eſt. Sic decipi vult mundus!

 §. XIV.

§. XIV.

DEPONATUR itaque, rogo, inanis iſta vanaque de panaceis, medicinaque univerſali perſuaſio, tranſeat cum ceteris erroribus & ille, qui de generali atque univerſali morborum ſede ac cauſa fovetur, extinguatur penitus, funditusque extirpetur præconcepta de ſpecificis opinio. De his enim pene omnibus affirmare licet, quod & humani incolumitati generis, & medicæ famæ atque honori, artisque incremento ſalutaris ſint infenſiſſima atque perquam perniciosa. Certo enim certius conſtat, medicamentorum vires non eſſe activas, ſed receptivas, ut ita loquar, adeoque optima, non apto tempore propinata, converti poſſe in venena, ſecundum illud Ovidianum: Temporibus medicina valet, data tempore proſunt, & data non apto tempore vina nocent. Exactum ergo inſtituendum morbi examen, in eoque dijudicando acre adhibendum judicium, magna in expiſcandis ejus cauſis adhibenda ſolertia, multa neceſſaria circumſpectio in anamneſi, prognoſique, maximaque prudentia in formanda indicatione, comparando diligenter indicatum cum indicante, animumque adjiciendo applicandoque ad ea, quæ dicuntur contraindicantia. Tuncque ulterius cuique conſtitutioni convenientiſſimum eligendum. Ad quod perficiendum facit quam maxime perſpecta cujusvis individui temperaturæ ſanguinis, ſeu quod verius, ejusdem intemperiei cognitio. Arduo autem hic labore eſt opus, omnes hic ingenii animique vires impendere decet, quas cuique, ipſum ardentiſſimis precibus invocanti, ſummum ac benigniſſimum Numen, ſeſe clementiſſime aliquando largiturum, certiſſime ſpopondit.

CCXXXIII.

CCXXXII.

PAULI GYONGYÖSSI

DE

EMPIRICIS REMEDIIS

HARDERVIC 1753.

C A P. I.

DE MERCURIO.

§. I.

TItulum vides EXIMIE LECTOR; non eſt, quod mirere: eſt auguſtum & nobile nomen Εμπειρας: experientiam vocant. Hæc jecit prima fundamenta arti ſalutari, quam medicinam dogmaticam nominant filii Æſculapii: hæc natales ſuos debet (1) caſui fortuito. (2) Naturali inſtinctui hominum, ſive impulſui automatico communi cum animantibus. (3) Eventui haud præviſo (*a*).

Tria hæc conſtituunt Εμπειρίαν: hæc Sectæ dedit nomen empiricæ, & remediis empiricis, quæ ſola experientia nituntur.

Primus fuit HIPPOCRATES, parens ille medicinæ, qui junxit connubio haud injucundo Εμπειρίαν cum Αναλογια. Hoc nomine primus fuit fundator medicinæ dogmaticæ.

Secundum locum occupat immortalis HARVEUS. Hic eſt, qui novum & certum jecit fundamentum medicinæ Hippocraticæ, Divino iſto invento, circulationem ſanguinis vocant.

Huic fundamento ſuperſtuxit ſplendidam illam, & magnificam domum SYDENHAM, in qua caput extulit praxis medica dogmatica.

Huic ſplendido ædificio faſtigium tandem ſeculo noſtro impoſuit HERMANNUS BOERHAAVE PAR UNIVERSITATI RERUM NACTUS INGENIUM. SE IPSO MAJOR.

Ex hoc magnifico ædificio, tanquam ex equo Trojano prodierunt Heroes

(*a*) Inſtit. Med. Proleg. BOERHAAV. § 8.

Heroës iſti, quorum auſpiciis ars ſalutaris læte jam per totum orbem triumphat, & ſua iis certa præſidia debet, qubus miſerum genus humanum fulciatur, vitamque lætius tranſigat; cujus tamen amittendæ omnibus triſtis impendet neceſſitas, ob ſolam rigiditatem vaſorum, quæ vi ipſius vitæ, inevitabili fato inducitur.

Moriendum igitur eſſe homini liquet; quamvis nullis per vitam ſit obnoxius morbis. Cur morte naturali vel fato ſenili moritur homo? rogat BOERHAAVE (*b*). Rigiditatem partium ſolidarum e ſenio oriundam vi ipſius vitæ ſolam eſſe cauſam reſpondit.

Hæc rigiditas ſola etiam cauſa, cur omnibus ſenſibus in ſenectute decrepita privemur, & cur jactura iſtorum ſenſuum trahat etiam poſt ſe ruinam mentis.

§. II.

Duo ſunt, quæ arte ſalutari ad faſtigium a BOERHAAVIO evecta, morentur nihilominus filios ÆSCULAPII.

Primum eſt, quod in morbis manifeſtet ſe-ſe quiddam, cujus indoles ſugiat aciem ingenii humani. En tibi verba JOHANNIS DE GORTER, MAGNI BOERHAAVII DISCIPULI SUMMI: (*c*) „Unde veteres quoque faſſi ſunt aliquid DIVINUM eſſe imperſcrutabile „in morbis, quod ex qualitatibus ſuis explicare non potuere; neque „his temporibus valemus ex principiis mechanicis & hydraulicis ex„plicare, quod ex legibus vitæ dependet.

Alterum eſt; vis & miranda virtus quorumdam remediorum, quam ex effectis tantùm intelligas, & admirere: altum hic videas ſilere cauſas mechanicas; aciem hic obtundi neceſſe eſt, ISAACI ipſius NEWTONI; qui tamen BOERHAAVIO teſte, tantæ fuit in mathematicis & phyſicis penetrationis: ut humani ingenii ultimos tranſiiſſe videatur limites.

Semina daturæ a ſcortatore turpi ſilicernio virgini formoſiſſimæ, in cujus amplexus ruere mire cupiebat, in infuſione fabarum coffe propinata fuiſſe pro philtro narrat ABRAHAMUS KAVV BOERHAAVE (*d*) qui talia ordine expertus eſt in virgine ſymptomata. Oriebatur primo levis quaſi ebrietas, quam comitabantur oculorum ſcintillatio, rubor faciei, cantilena, libido venerea, impudentia cum denudatione

(*b*) Aphoriſ. BOERHAAV. §. 55.

(*c*) In Epiſt. Praxi Medicæ, præmiſſa Editionis Italicæ, Patavii A 1752. cum approbatione Inquiſitoris Generalis ſancti officii, qui contra Sanctam fidem catholicam, & principem nihil in eo libro reperiri teſtatur.

(*d*) In impetum faciente dicto Hippocrati p. 282. & ſeq.

datione turpi &c. Quis hæc mira phænomena explicaverit e fabrica, & mechanica vi daturæ?

Luis venereæ naturam intrinſecam, non ſibi magis perſpectam eſſe ait SYDENHAM, (e) quam eſſentiam plantæ cujuslibet, ſive animalis: neque eam ſubjugandam, niſi mediis iis, quorum efficaciæ, experientia medicorum Magiſtra ſuffragetur.

SWIETENIUS (f) agnoſcimus cauſam febris natæ in peſte aliiſque contagiis, ex ſola obſervatione effectus videmus, modum vero, quo talis cauſa corpori applicata illos effectus faciat, IGNORAMUS OMNINO (g).

§ III.

Ut jam telam meam decurram, ordiar a mercurio: SWIETENIUS, ſufficit medico, ait noviſſe, quid agat argentum vivum humano corpori applicatum, LICET MODUM, QUO AGAT, IGNORAVERIT.

Conatus eſt PITCARNIUS explicare e ſolo pondere, quod decies & quater ſuperat pondus ſanguinis: ergo decies & quater celerius vi ſuæ gravitatis ruens in ſanguinem attenuabit eum in lympham putridam: SWIETENIUS, loco citato excuſſit modeſte argumenta Pitcarnii, & oſtendit e ſola gravitate neutiquam poſſe attenuationem ſanguinis explicari: otium ergo nobis fecit SWIETENIUS ne diu ejus hypotheſi refutandæ inhæreamus: non tamen poſſum ſilentio præterire ea, quæ mihi expiriri licuit.

Erat Triga amabilis Sexus: *Catharina*, *Maria*, *Suſanna*, tenuis erant fortunæ, laborabant lue venerea; opem quam fruſtra ab aliis exſpectaverant, meam efflagitant: & qui omnium ſoleo misereri, præcipuè ſexûs amabilis, facile a me impetrant, ut meis impenſis hypocauſto includerem, cura miniſterii demandata vetulæ: annus tùm labebatur 1749. Menſis erat Decembris. Ita ſum exorſus Tragædiam: quatuor primis diebus juxta leges artis corpora earum ſpongioſa & bibula reddidi per decocta ſarſæparill. lign. guaj. rad. chin. liquirit. Quinto die jam eas reddidi hydropicas; veſpertinis horis fere per horam provocavi largiſſimum ſudorem ſub craticula, accenſo alcohole, ut plenæ rimarum undiquaque diffluerent. Die Sexto, qui erat 25 Decembr. porrexi cuilibet matutinis horis duo grana Mercurii dulcis deglutienda cum mica panis in pill. redacta: ita perrexi cum eadem doſi horis decima, quarta, octava & decima ejusdem diei, exhibito largo decocti jam memorati,

(e) Epiſt. 2. Reſp. p. m 414.
(f) Ad Aph. BOERH. § 586.
(g) §. I. p. 135.

rati, uſu. Die 26. 27. horis dictis porrexi 14 gr. die 28. 29. 30. exhibui iterum 16. gr. pane biſcocto, & uvarum corinthiacarum, cum pauxillo lactis eas nutriens. Hæc fuit prima, quæ ludebatur ſcena.

Secunda ſic eſt acta. *Maria* XXX. ann. ſiccioris temperamenti, cui jam oſſa naſi infecta erant, tetro ulcere ſtillante pus, tonſillis etiam ulceribus venereis affectis ſalivavit egregie. *Suſannæ* XXI. ann. plethoricæ, cujus collumella quoque jam erat deperdita, omnia ſimiliter e voto ſucceſſerunt, leviore diarrhoea ortâ, quam rheo facile ſedavi: ſed quid contigit *Catharinæ* XXV ann.? ulcera huic per totum corpus ſerpebant; gonorrhoea virulenta & verrucæ fœdabant antrum; obeſiuſcula cum eſſet miras experta eſt anxietates, quas liquido SYDENHAMI lenire ſum conatus; ſed incaſſum; venæ ſectionem igitur juſſi inſtitui ad unc. VIII. immunis nihilominus manſit a ſalivatione; nulli ſudores, diarrhoea nulla, quamobrem die 1 Jan. 1750. propinavi partitis vicibus integrum ſcrupulum; & gargarismate herbarum emollientium provocare conatus ſum ſalivationem; ſed omnis ſpes decollavit; perrexi eadem doſi die 2. & 3. ſpes eadem iterum fruſtravit; die quarto tandem, cum viderem me nihil poſſe proficere cum mercurio dulci, exhibui quatuor grana turpith. mineralis, atque mihi gratu'abar, Catharinæ gaudebam; nam ſalivatio jucundiſſime proceſſit. Quid plura? curavi hanc per ſeptem hebdomadarum ſpatium, ulceribus omnibus conſolidatis; gonorrhoea tamen ſuperſtite, & verrucis, quas etiam ſpatio trium hebdomadarum juxta regulas artis debellavi.

Duæ priores quoque redierunt in gratiam cum ſuis ſymptomatibus ſpatio 6. hebdomadarum. Sic eſt actus tandem finitus, perfecte reſtitutis ægris: ſcias velim, exciderat fere monere, *Suſannæ*, gravidæ ſeptem menſium ſub ipſa ſalivatione tertia hebdomade fœtum eſſe mortuum, quem forcipe, idque genus inſtrumentis, gangræna jam & tabe diffluentem anxius valde de matre, protraxi feliciter cum ſecundinis, matre ſuperſtite: ſecundinas adhuc ſervo in ſpiritu immunes a gangræna, cum embryo ea plane diffluerat.

Curavi alia quindecim corpora, in quibus tantam varietatem mercurii detexi; ut in nauta XXX. ann. cum XV. gr. tantam ſalivationem excitaverim, quantam in aliis unciis duabus excitare haud licuit: ſartori certe XXII. ann. triginta tantum granis tam ubere rivo fluxit ſaliva, ut purgante cohibere ſim coactus: verbo me expediam; theoriam Pitcarnii experimentis his inſtitutis plane everſam eſſe intellexi. Expertiſſimus & feliciſſimus practicus Le'denſis HAVER certiorem me reddidit, quatuor hebdomadarum intervallo, larga mercurii dulcis copia, nullam ſe potuiſſe movere ſalivationem: talia quotidie experiuntur qui miſellæ huic turbæ opem ferunt.

§. IV.

§. IV.

Amputo plurima, quæ in Pitcarnium, & eos qui ejus principiis innituntur, congeri poſſent: quæ nunc ſicco pede (proper..ndum enim eſſe fata jubent,) prætereo, atque ingenue, me profundiſſime ignorare pronuncio, qua ratione adhuc agat mercurius. Effectus ejus mirandos, video: quamobrem non pudebit ut antea jam monui, cum SWIETENIO profiteri: ſufficere medico noviſſe, quid agat argentum vivum humano corpori applicatum LICET MODUM, QUO AGAT, IGNORAVERIT. Videmus actionem ejus verſus gl ndulas determinari, ſed quare, & quomodo, qua vi phyſica & mechanica, quis explicet? Sic etiam J. DE GORTER rogat. An" mercurius concitando ſalivationem, hanc actionem particularem augeat ,, ſpecifica ſua virtute, non abſurdum erit credere: (*h*) aurea ſunt, ,, quæ addit (*i*). Quid quæſo ſcimus in omnibus medicamentorum operationibus ſine experimentis? certe nihil: unde vix detegi aliquam ,, ſpecialem in corpore functionem, quin veteres his adſcripſerint ſpecifica medicamenta; unde adhuc in praxi recepta ſunt ſtomachica, hepatica, pectoralia, cephalica, ſialogoga, diuretica & ſimilia; recentiores autem multi, ratiociniis magis quam experimentis ducti, ſpecificas in medicamentis virtutes negarunt, exiſtimantes ex majori minorive energia, vel immediata applicatione varias fieri in organis particularibus operationes: experimenta autem teſtantur, quædam vomitum, alvum, urinam, ſudorem, ſalivam ducere, alia magis ventriculum, inteſtina, pulmones, cerebrum in ſua actione actione roborare &c. Licebit jam nobis pedem promovere ad effectus admirandos MERCURII, qui ſola empiria ſunt detecti; qui cum varii deprehendantur in variis morbis, haud mirum eſt, quod circumforanei, qui mercurio omnes morbos curabant, dicti ſint primo QUICKZALVERS; & poſtea per contemptum QUACKZALVERS; genus hominum ad Indos & Garamantas amandandum.

CAP. II.

De Mercurio Domitore Variorum Morborum.

§. I.

In Lue Venerea.

Luis veneream domitor eſt potentiſſimus mercurius, mercurialium cultos

(*h*) Exercitat. med. V. de actione viventium particulari §. XIX.
(*i*) §. XLVIII.

cuſtos virorum, ut canit lyricorum princeps: Græcis olim pro veneno habitus: Arabes primi externo uſu in morbis cutaneis adhibuere, caſu ni fallor, quemadmodum omnia fere medicamenta a primis mortalibus reperta, vel ab animantibus hauſta, quæ ſuo automatico impulſu remedia ſibi ipſis quæſiverunt.

Lue venerea, in Europam, ex America delata, eo vero ex Africa translato, ut fert quorundam calculus, ex analogia morborum cutaneorum, qui ab Arabibus mercurio erant curati, felici ſucceſſu adhiberi etiam cœpit in hoc morbo: ſed externo tantum uſu, poſtea vero interno, repertis per chimiam variis præparationibus, de quibus videſis principem chimicorum BOERHAAVIUM intelligo; ASTRUCIUM vero de uſu ejus in lue venerea, conſulas, licet.

§. II.

In ſcorbuto

Scorbutum nullis remediis auſcultantem tollit. Licebit in ſequentibus mihi exemplis defungi i. e. obſervationibus fidis, quæ proram & puppim conſtituunt in effectibus mercurii detegendis. Vitam ſuam debet mercurio vir nobilis XL. ann. per integrum triennium, diſcruciant cum ulcera ſordida in iſthmo faucium: numeravi quinque ſatis profunda pone uvulam conſpicua. Nihil non tentatum eſt a ſummis in arte viris; omnia incaſſum. Prætereo Lugduni Batavorum tabernam chirurgi; oculos conjicio in virum nobilem ſedentem in ſella deſtinata iis, qui barbam & mentum novari cupiunt novacula: familiaris mihi chirurgus, ut intrem, orat. Quid rerum agatur? rogo. Ait ſe vitrioli hungarici pulvere ope penicilli mundare ulcera inveterata ſcorbutica: inſpicio ſine mora iſthmum faucium; ut manum de tabula quamprimum chirurgus tollat, mando; vidi enim pulvere puri mixto jam linguam erodi; ægro ſimul, de dolore, quem antea nunquam ſenſiſſet conquerente, ut absque mora aceto eos eluat, idemque ut decocto ficuum pinguium cum pauxillo melis molliat, facile ab eo impetro: hiſtoria morbi a viro nobili intellecta, proripio me ſtatim in pedes, ARCHIATRUM PRINCIPIS AURIACI & Profeſſorem WINTERUM conſulturus; cui, quid in taberna ſit actum, & de cujus corio ludatur, narro: & quæ mihi mens ſedeat, ad opem viro nobili ferendam, aperio; atque me ad mercurialia confugere velle indico, inductus aphoriſmo BOERHAAVII 1164. in quo hæc legerim. IN SCORBUTO MERCURIALIA ALIQUANDO PRODESSE: quamobrem mihi, ſi ita WINTERO videretur, ſolam ſpem in ſalivatione relictam eſſe pronuncio Annuit WINTERUS, & ſimul, ut decocto hoc antivenereo in ſtadio ſalivationis uteretur æger, auctor eſt.

℞. Rad.

℞. Rad. ſarſæ parill. unc. XII. lign. guajac. rad. bardan. ana unc. IV. decoq. ſ. q. aq. c. per hor. IV. circa finem adde, rad. liquir. drach. II. ebulliant adhuc leviter, dein colat. pintar. X. exhibe uſui. Nulla ego interjecta mora, diſpono corpus viri nobilis ad blandam ſalivationem; exhibui ei partitis vicibus LVI. pil. merc. dulc. cum mica panis paratas, grani unius. Die quinto ſalivatio e voto ſucceſſit: pergo auctiore doſi ad diem usque octavum; nono die introſpicio in fauces. Ita præ gaudio exſilio, ut nihil ſupra. Cum viderem tria jam ulcuscula eſſe curata, duobus tantum ſuperſtitibus, quæ etiam jam conſolidari cœperant, protraxi ſalivationem ſpatio adhuc duarum hebdomadarum. Perfecte æger curatus eſt, omnibus ulceribus conſolidatis; & cum a puero ſemper difficili pulmonum inſpiratione laboraſſet, ea quoque liberatus.

Haverus etiam inveteratum & ſymptomatibus aliis peſſimis totum corpus fere erodentem ſcorbutum mercuriali ſalivatione curatum mihi narravit. Auctor fuerim omnibus filiis Æſculapii, ut in refractariis morbis ſcorbuticis mercurii opem implorent; nullum eſt dubium, quin damnentur ſuorum omnium votorum.

§. III.

In Variolis.

Jucundum & blandum ſe etiam exhibet mercurius noſter in variolis. Dubitare non poſſum, quin Boerhaavio ſuſpicio prima ſit injecta per analogiam. (k) En ibi verba. In ſtibio „ & mercurio ad „ magnam penetrabilitatem arte deductis, nec tamen ſalium acrimonia „ nimium corroſivis; ſed bene unitis, ut quæramus, incitat aliquis „ horum aliquando ſucceſſus. His ni fallor inductus Theophilus Lobb, (l) invenit opem ejus præſentiſſimam. Vir certe eximius practicus Groninganus affirmavit Wintero, ſe tractaſſe infantem variolis correptum, cui etiam jam variolæ eruperant; dediſſe huic quotidie magnam ſatis copiam æthiopis mineralis, atque ſic obtinuiſſe, ut ulterior eruptio non modo impediretur; ſed eas etiam, quæ jam prodierant, diſparuiſſe, perfecte curato infante. Ego exiſtimem, excellentioris longe uſus futurum in eo, de quo conjicere poſſes, brevi eum contagium ſuſcepturum; tum vix dubitem mercurium vim ſuam antivarioloſam (liceat mihi primo hoc nomine inſignire vim hanc mercurii) oſtenſurum, antequam nempe miaſma radices ſuas egerit. Poſſet quoque experimentum inſtitui in iis, quibus variolæ per artem ſunt inſitæ.

(k) Aph. §. 1392.
(l) Treatiſe on the ſmal pox. i. e. tractatu de variolis.

§. IV.

In Peſte.

Ipſius peſtis quoque peſtis eſt, i. e peſſumdator mercurius : SCHREIBER Profeſſor Petropolitanus, cum (*m*) in UCRAINA peſtis fureret, ait ſe reperiſſe antidotum in mercurio : ex analogia reperit, quemadmodum ait, in lue venerea bubones & ulcera, obſtructiones glandularum curari a mercurio ; cum in peſte eadem ſæpe occurrant, conjecit uſum ejusdem quoque futurum haud contemnendum in eadem. Experimenta ſi rem confirment, erit quod mortalibus, quorum vita ſine peſte quoque ſatis brevis eſt, gratulemur. Nonne in lue boum poſſent medicaſtri boum experiri ?

§. V.

In Hydrope.

Quid ſi hydropem quoque fuget? vir ampliſſimus Scabinus & medicinæ doctor Schiedamenſis JOH. LE ROY, cum ſermones cæderemus de virtutibus miris medicamentorum, certiorem me reddidit, ſe hydropicum, cui tamen vires vitæ adhuc nondum detritæ erant, ſalivatione egregie curaſſe. Eadem opera quoque ſe feliciter defunctum novi chirurgum Lugdunenſem dexterrimum DE TOMBE. Caſus eſt ſatis rarus, & jucundus : hydropicus, non obſtante fibrarum laxitate, ſacerdotio tamen, ſed infelici veneris functus eſt : fructus hujus cum ſibi minus arridere intelligeret, nempe luem veneream, fraterculum additum hydropi in fugam dare, ſuum in animum induxit : ſalivationem periclitatur : cum ejus pleno jam rivo ſalirent glandulæ ſalivales, convenio eum, qui ſalibus joco mixtis, ajebat : hoc par nobile fratrum multas mihi faceſſit ineptias. Ego ei, non eſſe, quod turbetur, reſpondi : dicens *Gaudium eſt miſeris ſocios habuiſſe malorum.* Ille, ſubridens mihi, ait, *Myn Heer ich ben genoegſaam met eenen Sot gebruyt*, *ich heb 'er geen twee van nooden.* Damnavit eum ſuorum votorum Chirurgus, nam lue fugata, hydrops quoque abiit, exceſſit, evaſit, erupit cum Catilina, magno ægri bono, haud minore Chirurgi commodo. Hydrocephalum miræ magnitudinis ſanaſſe memini etiam doctorem NARCISSUM Amſtelodami, ſalivatione larga.

§. VI.

In Podagra.

Podagra, cujus ab omni ævo potentiſſimum fuit remedium patientia,

(*m*) In Libello de peſte, Petropoli impreſſo.

tientia, mercurium etiam experitur ſibi minus faventem: E. G. LAMBRECHTS Doctor Medic. & olim Profeſſor Anatomiæ & Chirurgiæ in gymnaſio illuſtri Bataviæ Orientalis Indiæ, inter alias Chinenſium curas mercurium quoque occupare locum, narrabat mihi ſe vidiſſe Chinenſium medicaſtros mercuriali inunctione podagram ſolere ſæpe curare larga ſalivatione producta: majorem tamen numerum eorum ſe vidiſſe teſtatus, qui convulſione miſere perierint ſub ipſa ſalivatione. Cum Amſtelodamum rediit, experiri voluit in hominibus fruges tantum conſumere natis: unum tandem, ſutor erat, reperit Baccho & Veneri haud inimicum; operam ſuam eioffert LAMBRECHTSIUS. ſutor pro officiis ei oblatis, multum ſe debere profeſſus, hoſpitem hunc ſibi minus, vel ob ſolam nobilitatem diſplicere pronuncians: quid multa! precibus tandem fatigatus doctoris, præſentiſſimam opem promittentis, ſutor annuit: externe cum non auderet, interne mercurium applicat dulcem, quem hoc ordine adhibet; ut æſtate tempore a paroxyſmo libero, (annus labebatur 1749.) quotidie porrigeret duo grana; ſic perrexit per ſpatium 4 bebdomadarum; gingivas inflammatas & dentes vacillantes cum videret, purgante cohibuit: poſt 7 vel 8 dies iterum granis duobus quotidie perrexit, per duos menſes protracto uſu, ſubinde purgante exhibitus. Redit autumno podagra, quæ dum tragœdiam ſuam luſiſſet, blandiore tamen vultu, quam ante ſolebat, quarto vel quinto paroxyſmo, magnum levamen ſenſit, ita ut brevi tempore morbo immunis fieret: ſequenti anno paroxyſmus rediit lenior; ut tantum arthriticum quendam mentiretur: quid poſtea cum eo factum fuerit, ignoro. Arthriticos certe & pertinaciſſimos vagos dolores mercurium etiam profligaſſe obſervationes me docent.

§. VII.

In Rabie Canina.

Hydrophobiæ atrociſſimo illi malo mercurium quoque opitulari; docuit primo, quantum novi, medicus Anglus *James* in *Transact. Anglic. Philoſophic.* qui turpetho minerali tantum profecit, ut commendatiſſimum ejus uſum de meliori nota eſſe juberet. Uſum ejus experimentis tandem firmavit PIERRE DESAULT (*n*) ſic dicto unguento Neapolitano: feliciſſimus urbis Leidenſis & mihi amiciſſimus, Doctor PETRUS DOZY canem rabidum præterito anno mercurio præcip. rubro pani indito curavit feliciter, hydrophobus jam erat: nunc fidelis cuſtos heri ſui.

§. VII.

(*n*) In Diſſert. Sur la rage.

§. VIII.

In Paralyſi.

Paralyſin Mercuriali ſalivatione ſanatam teſtatur HENKELIUS in ſuis obſervationibus Medicis & Chirurgicis Germanica lingua conſcriptis (*o*); quæ omnium medicorum ſalivam movere.

§. IX.

In ulceribus Carcinomatoïdeis.

ELLERUS Medicus Berolinenſis perfecte ſanavit in Noſocomio Berolinenſi ulcera carcinomatoïdea æthiope antimoniali, quod medicamentum e mercurio crudo & antimonio paratur. (*p*) Militi ſimile fere ulcere labii inferioris, laboranti, dum omnia irrito conatu admota fuiſſent, eodem pulvere ſuccurriſſe WINTERUM intellexi.

§. X.

In pervicaciſſimis Catarrhoſis fluxibus ad oculos.

Virgo Nobilis, ſexus ſui amabile ornamentum, Lugduni Batavorum, menſtruis ſuppreſſis laborans, ex catarrhoſis defluxionibus miræ acrimoniæ per 6. menſes aciem fere oculorum amiſit: nihil non tentatum: omnia in caſum abiere; Doctor Du RY Leidenſis juxta regulas artis, cum laterem lavaſſet, ad ſalivationem convertit animum: conſilium ſuum parentibus nobilis virginis aperit, uno ore ab utriſque repulſam patitur: verſat ſe medicus in omnes formas ut compos fieret voti: quærit e ſexu ſequiori, quæ ſcabie eſſet affecta: reperit tandem aliquam, quæ linteis reſarciendis ſuam operam locare ſolet, lana & tela victum quæritantem; hanc, ut parentes admoveant virginis miniſterio, ab iis facile impetrat, venditans eam maxime eſſe idoneam muneri obeundo circa virginem, cujus collum ſæpe fricando reſolveret obſtructas glandulas: admovetur ſcabioſa ſatrix, vulgo *eene Hayſter*: quid ei agendum ſit, Medicus imperat, illo dicto audiens brevi virginem ſcabioſam reddit. Medicus jam voti compos mercurialibus ſcabiem pulchre tollit, ſublata quoque ophthalmia pertinaciſſima. Pia fraus Medici ſaluti fuit virgini. Cataractam incipientem, ne ulterius ſerperet malum, reprimit. Doctor HAVER jam ſupuratum oculum,

(o) Parte II. Obſ. I. impreſſ. Berol. A. 1747.
(p) In ſuis Diſſertationibus. Berol. impreſſ.

lum, ni ſallor dextrum, ſalivatione curavit. Amauroſi ſalivationem præſentem opem tuliſſe, legas apud plurimos Auctores.

§. XI.

In Dyſenteria.

Conducere in dyſenteria epidemica teſtatur Medicus campenſis VALK: (*q*) utrum recte calculos ſubduxerit, ignoro, dum morbum vermibus deberi exiſtimat: parum intereſt unde eam arceſſas; ſcias tamen mercurium opem tuliſſe; ſi quidem experimenta ſint rite ab auctore capta.

§. XII.

In febribus petechialibus malignis.

Medicus Regienſis J. B. MOREALI & Joſephus VALDAMBRINI (*r*) in malignis febribus petechialibus, quas etiam vermibus adſcribunt, exhibent mercur. crudum ad dr. duas quotidie, cum conſerva menthæ vel roſarum. Plurimis ſaluti fuiſſe lego: opera non vidi, ut aliquid firmius pronuntiare poſſem; ſed tantum recenſionem; quamobrem an directe in vermes egerit mercurius, haut definire licet: ſed vide, aliquid referam, quo te extra te rapi ſenties. Ante hos XX. annos in ACADEMIA REGIA FRANCOFURTI AD ODERAM (in qua tum Patrem habui Theologiæ Profeſſorem) cum operam navaſſem medicinæ ſub viris eximiis ANDREA OTTOMARE GOELICKE, atque JOANNE GEORGIO A BERGEN, quorum ille STAHLII, hic BOERHAAVII erant admiratores. In Collegio ſuo, cum ageret BERGENIUS de *cauſo*; hanc nobis auditoribus ſuis narravit hiſtoriam: fuiſſe nempe ibi medicinæ ſtudioſum, qui corripitur febre ardente: nocte e lecto nudus exilit: lagenam, quæ duas libras mercurii crudi continebat, cereviſiam eſſe exiſtimans, ori admotam totam exhaurit: vigiles e ſomno excutiuntur; quid ſit factum, intelligunt; feces cum mercurio crudo per anum evibrantur; convellitur æger: curritur ad BERGENIUM; hic advolat, reperit ſtudioſum ad ſe rediiſſe, qui ſequenti die perfecte curatus eſt: obſtupeſcat hic medicus, neceſſe eſt: narro hiſtoriam quia huic ſimilem vix alibi legas; crediderim tamen mercurium, ſuo tantum frigore, quemadmodum aqua gelida ſæpe in ſimilibus

(*q*) In libello Belgica Lingua conſcripto A. 1736.

(*r*) In Act. Erud. Lipſ. 1744. in Diſſert. de uſu Hydrargyri in febribus malignis, &c.

libus febribus mira præſtat, ſi criſis proxime inſtet, mirandam hanc curam præſtitiſſe.

§. XIII.

In Febribus Intermittentibus

Sunt febres intermittentes, quæ nec ipſi cortici peruviano cedunt: in his certiſſimam opem fert. Obſervavit hoc poſt WILLISIUM HOFFMANNUS: proclivitati in ptyaliſmum ut occurratur, viam aperuit WINTERUS in oratione altera de *Certitudine Medicinæ*: inde diſcas quomodo ptyaliſmo occurras: mercurium dulcem cum granis aliquot camphoræ tere in mortario vitreo aliquamdiu, ut fiat ſpecies cujuſdam æthiopis: hujus granum alterumve duntaxat exhibe, non eſt, quod ptyaliſmum excites, fatearis tamen, neceſſe eſt, ut hic obiter moneam, tam miram aliquando obſervari intermittentium naturam, ut dici nequeat: amiciſſimus DOZY Doctor Medicinæ retulit mihi juvenem XX. annos in medio ſalivationis ſtadio, paroxyſmum quartanæ febris paſſum fuiſſe quater vel quinquies redeuntem tempore ſtatuto, qua cortice ſublata, ſalivatio ſuum iterum curſum rite tenuit, eundemque emenſa eſt.

§. XIV.

In variis morbis.

Hoc numero multa complectar, ne tibi pluribus numeris tædio; mihi vero oneri, & crumenæ detrimento ſim. Velim, ergo, ſcias mercurium eſſe potentem domitorem omnis generis fere morborum cutaneorum: curat ſcabiem, tineam capitis, lepram, elephantiaſin, ſquamas cruſtoſas, cum puſtulis per totum corpus ſerpentibus tam exulceratis, quam cruſta adhuc obductis. Scrophulas cum ſuis ſororculis glanduloſi ſyſtematis obſtructi cacochymias etiam, quas vix nominibus ſuis inſignire queas, & quas omnia ita dicta antiſcorbutica, antialcalica fruſtrantur: & fors alia innumera, quæ ſæculorum nobilis induſtria recludet.

§. XV.

Claudat agmen caſus mehercle rariſſimus, & digniſſimus, ut cum docto orbe communicetur. Clariſſ. CHEYNE M. D. in libro cui titulus eſt, *The English Malady or a Treatiſe of Nervous Diſeales, of all Kinds* p. 343. hæc memoriæ reliquit. Ipſe Vir Cl. laboravit a longo jam tempore ulceribus cacöetheis in utroque crure, & tibiis; ichore

ichore acerrimo omnem cutim fere erodente: per integros tres annos fruſtra opem expertiſſimorum Medicorum & Chirurgorum imploravit: In hac triſti rerum facie ad æthiopem mineralem, quam ſolam anchoram ſacram relictam eſſe putavit, confugit: ſumit per integros 4. menſes quotidie bis, ad minimum unc. dimidiam æthiopis mineralis, interjecto, omni hebdomade, purgante e XII. gr. merc. dulc. triumphum cecinit, perfecte curatus eſt. Sanusque poſtea per 4. vel 5. annos vixit. Miri quidam, quod ſub hac cura contigit, audias velim: mercurius nempe, tanta copia per 4. integros menſes, ut jam monui, ingeſtus corpori, albiſſimum colorem induxit non ſolum nummis argenteis, quos in crumena gerebat, atque nodulis induſii, ſed tranſpiravit etiam ipſe mercurius per ulcuſcula aperta; adhæſitque emplaſtris, quæ odorem referebant ipſius ſulphuris, cui mercurius nupſerat. Caſum ſingularem, nunquam a me vel fando auditum narrare debui, haud levem apud te initurus hoc nomine gratiam.

§. XVI.

Animus mihi erat ſimili filo decurrere reliqua etiam remedia empirica, quorum nomina ſequens pagina tibi exhibet: v. g.

Antimonium.

I. Antimonium, de quo rogat Swietenius, quis intellexit antimonii, & ejus præparatorum mirabiles dotes. &c. &c.

China Chinæ.

II. Chinam Chinæ in febribus varii generis tam benignis, quam malignis, gangrænis v. g. ut amiciſſimus Doctor Dozi narravit vetulam ſeptuagenariam, (quæ jam ipſa gangræna vocari poteſt, imo ſphacelus ipſe,) quotidie unc. dimidia corticis peruviani exhibita a gangræna eſſe liberatam: item ulceribus epuloticis, effectus variis ſyſtematis mobilis Sydenhamiani, hæmorrhagiis &c.

Aqua Calcis vivæ.

III. Aquam Calcis Vivæ in cachecticis morbis, ulceribus internis, & externis, fluxibus ſeroſis, diabete, &c. &c.

Aqua Picis Burgundicæ.

IV. Aquam Picis Burgundicæ in chronicis, & affectibus variis vix ſatis adhuc determinatis.

Moſchus.

V. Moschum, remedium Chinenſium contra rabiem caninam laudatum primo in tranſact. Philoſoph. egregium in Anglia etiam remedium agnitum, & in ſyſtematis nervoſi affectibus miræ virtutis. &c. &c.

Camphora.

VI. Camphoram, quam propter antiſpaſmodicam vim vix ſatis laudibus efferre poſſunt practici hodierni.

Opium.

VII. Opium nemini non cognitum; quod non ut alia antiſpaſmodica, virtute quadam nervis amica agens, ſed ſenſilitatem ſuſpendit, quo nomine ſæpe etiam noxiam medicinam præbens, quemadmodum nupera elegantia experimenta Abrahami Kavv Boerhaave in ſuo *impetum faciente Hippocrati dicto* §. 434. & ſeq. teſtantur.

Hæc ſimilia, inquam empirica remedia conſtitueram, eadem tela detexere; ſed alii tempori hæc conſervo, quando nempe mihi licebit liberiore aura veſci. Quemadmodum etiam tractationem peculiarem de variis mercurii novis præparatis eorumque differentiis in morbis.

Quod ad hæc attinet in medium prolata haud tibi diſplicitura ſperem; hoc ſaltem nomine, quod crambem tibi millies recoctam, ne forte ſtomachum tuum turbarem, non appoſuerim; ſed vel ea in dias luminis auras protraxerim, quæ vel proprio experimento, vel amicorum ſint tentata, partim confirmata.

Monendus es denique lector: non eſt, quod exiſtimes, me empiricis ita dictis circumforaneis, agyrtis nequiſſimis, atque ex Aſtrologia hariolantibus, [noſti exemplum in emporio maximo Europæ, Amſtelodamum intelligo,] favere: quorum Diploma ſeu Bulla hæc eſt.

Mundus vult decipi: Decipiatur Ergo. Sed hunc fixi ſcopum meorum laborum, ut ſuccurram iis morbis, in quibus medicina dogmatica ſilere adhuc aliquando cogitur; etiam atque etiam ab omnibus, quorum curæ ſalus hominum credita eſt, contendens, ne prius ad hæc empirica confugiant remedia, quam juxta ſeveras leges Medicinæ dogmaticæ, curam ſuam inſtituerint: monente ſimul in proöemio praxis Medicæ J. de Gorter, neque ſola theoria & cognitio morborum, neque ſola empirica curatio ſufficit, ſed utraque ad medendum jungenda ſunt, & ne de iis pronuntietur, id quod legimus in Comment. ad Aph. 502. Boerhaavii. Quam infelix ille, (ſermo eſt de Medico) cui conſcia mens exprobrat, quod temeritate ſua conjecerit proximum in periculum vitæ.

CCXXXIV.

CCXXXIV.

J. EHRENFRIED GEISLER,

DE

USU VOMITORIORUM.

LIPSIÆ 1746.

INTER omnes intus ſumendas medicinas, quas ad profliganda corporis humani mala in uſum vocarunt artis ſalutaris Magiſtri, nullæ majorem ægris metum injiciunt, quam quæ vomere homines faciunt. Gravia enim, quibus ipſe vomitus ſtipatur, ſymptomata, præterquam, quod vere admodum moleſta ſunt, actionesſque corporis animique turbare videantur, efficiunt quoque, ut ægri, has medicinas aliquid venenoſi habere, exiſtiment, quod. totam corporis machinam concutiendo, viſceraque interdum ac vaſa rumpendo, ſanguinemque ultra modum incendendo, vitæ ſanitatique quam maxime ſit infenſum. Quin imo Medicorum non pauci, quia corporum ſtructuram & vires æque ac medicinarum agendi modum ignorant, eodem quaſi ac ægri timore perculſi, vel prorſus a medicinis emeticis abſtinent, vel eaſdem non, niſi ſumma coacti neceſſitate, manu tamen tremente, afflictis exhibent. Neque vero negandum eſt, varia incidere in vomitu, quæ periculum portendant, & in pleriſque, vomitum ciendi facultate inſtructis medicinis latere quid penetrantis admodum ac cauſticæ virtutis, quod motus in corpore vehementiores, nonnunquam & inordinatos, concitare, plurimaque adeo producere poſſit mala, cum nervos ſpaſmis ac convulſionibus afficiendo, tum ſanguinem huc & illuc pellendo, vaſaque prætermodum diſtendendo ac debilitando. Nihilo tamen minus & id affirmare non dubito, vel ipſos illos motus, quos naturalibus contrarios, propterea que irregulares, appellant, ſalutares interdum eſſe, morbiſque, pertinacibus præcipue, profligandis, ſi quid aliud, accommodatiſſimos. Quod quidem in diſſertatione hac inaugurali pluribus argumentis evincere, & illuſtrare exemplis mecum conſtitui. Neque vero exſpectet quis plenam, cum vomitus, tum ipſum excitantium medicinarum, expoſitionem, quæ ab eruditiſſimis in

 arte

arte ſalutari viris ita data eſſe videtur, ut, ſi omnes horum de utriſque opiniones proferre velim ac dijudicare, ſpiſſum mihi volumen conſcribendum eſſet, quod partim diſſertationi limites vetant, partim vires meæ non ferrent. Eam potius diſſertationi meæ poſui metam ut, quid vomitoria in peculiaribus quibuſdam morbis valeant, proponerem. Prius tamen, quam ad id aggredior, non inutile fore exiſtimo, præmonere quædam, quæ & vomitum, & ejus in corpore effectus in univerſum attinet.

§. I.

Vomitus quid? & ejus cauſſa, & phænomena. Vomitus eſt ſubita ac violenta expulſio contentorum in ventriculo, inteſtinis, ac aliis, eo ſe evacuantibus, viſceribus, a contractione convulſiva, fibrarum muſcularium, faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis ac muſculorum abdominis, proxime orta. Subitam ac violentam expulſionem vomitum vel eam ob cauſſam appello, ut diſtingui a ruminatione animalium quorundam poſſit. Eumque a contractione convulſiva fibrarum muſcularium, non ventriculi tantum, verum etiam reliquarum partium, quas modo commemoravi, proficiſci, non facile, ſine dubio, negabit is, qui vel ipſe ſemel vomitum expertus eſt, vel vomentem accurate conſideravit. Convulſionem enim vocamus violentam ſubitaneamque contractionem ac relaxationem fibræ muſcularis, cujus cum ſenſum habemus, tum in humido, ex conſtrictis partibus valide expreſſo, notam vix unquam fallentem. Primum igitur in vomitu percipitur nauſea, ac tenuis lympha ſubito in os confluit, incipit tremere labrum inferius, imo tota ſæpe maxilla inferior, quæ fibras faucium ac œſophagi convelli indicant. Hæc omnia excipit levis ſæpe eorum eructatio, quæ in ventriculo continentur, eamque per ventriculi ſolius convulſionem fieri, experimentis, in vivis animantibus captis, evictum fuit. Sæpius contra totum abdomen quaſi intro rapitur, conſtringitur inferius pectus, maximoque cum impetu contenta ventriculi expelluntur, quo, quis negat, diaphragma muſculosque abdominis eodem modo ac œſophagum ventriculumque affici? Hos aliquoties repetitos motus ſequitur quies cum laſſitudine, aut nauſea tantum manet, caput, fauces, ſtomachum, abdomen totum, ac diaphragmatis ambitum obtuſus aliquis dolor occupat, non abſimilis illi, de quo epileptici poſt ſuperatam acceſſionem, vel homines nimio labore exercitati & quaſi fracti, conqueruntur, quæ omnia prægreſſæ vehementioris partium contractionis evidentes notæ ſunt. Quare vomitum ſaltem vehementiorem, non ventriculi tantum convulſionem eſſe, effectum eſt, verum etiam, qui in abdomine ſunt, muſculorum, diaphragmatis ac ſtomachi. Neque poſſum cum illis facere, qui ventriculum non modo vehemen-

hementius conſtringi exiſtimant, verum etiam ita convelli, ut ejus fibræ a pyloro motum inchoent, & verſus καρδίαν proferant. Cujus rei, præterquam quod nulla idonea cauſſa afferri poteſt, nonne emeticæ medicinæ propemodum ſemper etiam aliquam contentorum ventriculi partem per alvum expellunt?

§. II.

Non purgat tantum ventriculum, ſed & alia viſcera.

Quæ igitur cum arte excitato vomitu conjuncta vidimus, ea etiam ſponte ortum, ſaltem maximam partem, comitantur. Quo, quid mirum eſt, datam olim medicis occaſionem fuiſſe, ubi noxium aliquid ventriculo inhærere cognoverant, vomitum excitandi, quo id ſurſum expelleretur? Sed hoc ſane mirum videtur, & noſtra ætate inter medentes inveniri, qui, hunc ſolum emeticorum uſum eſſe, opinantur. Nam ſive cauſſas vomitionis, quas proxime ſuperiore loco expoſitas dedi, conſiderarent, ſive eorum, quæ per os ejiciuntur, naturam, & quæ in aliis partibus continentur, deprehenderent eodem motu eademque via expelli poſſe. Quam ſæpe enim viderunt medentes per vomitum bilem reddi, fæces, lympham copioſam, ſanguinemque ipſum? Quorum ut bilis & pituita aliquando in ventriculo continentur, ut plurimum tamen vi muſculorum abdominis ex hepate in inteſtina, ex his in ventriculum refluunt, & per os tandem rejiciuntur. Plurimumque propterea emetica contra ejusmodi morbos valent, qui a materia in inteſtino duodeno hærente proveniunt, quæ, ſaltem per vices facta ſubita hujus inteſtini violentaque concuſſione, mobilis facta, per lene catharcticum auxilium cogitur per alvum deſcendere. Per vomitum enim, quemadmodum ſupra dixi, cum hæc etiam via, tum aliæ in imi ventris viſceribus, aperiuntur, & ſucci in illis quieſcentes concretique ſolvuntur, ac fluxiles fiunt. Quæ cum valere potiſſimum de illis internis partibus debeant, quas contra alias renitentes, partes impellere muſculi abdominis poſſunt, valideque ſuccutere, patere ſine dubio medentibus poteſt, cur ſive biliferæ aut pancreaticæ ſive chyliferæ etiam viæ viſcida quadam concretaque materia impeditæ ſint, poſſit per vomitum motus per has vias reſtitui & expeditior reddi?

§. III.

Vomitus phænomena in toto reliquo corpore, ejusque effectus.

Sed de his quidem cum ſatis inter medentes conveniat, hæc ſufficiant. Sunt alii, majoresque vomitoriorum effectus, de quibus multi dubitant, plurimi in ſuis de arte medendi libris omnino ſilent. Tamen non minus certos eſſe, evidens erit ex reliquorum vomitionis phænomenorum conſideratione & exemplorum cum illis comparatione. Igitur præter ſuperius dicta (§. I.) in vomitu collum & caput intumeſcit,

facies

facies intenſe rubet, roridus humor per eam emanat potius quam ſub halitus forma exit, oculi fulgent, & lacrymas fundunt, mucus ex naribus exprimitur pariter atque ex faucibus, tandemque poſt vomitum ſæpe levi tuſſi ſpiſſus & tenax humor extunditur ex pectore. Neque minus graves attentioneque dignæ mutationes ſunt, quæ in corde arteriisque, & quem vehunt, ſanguine fiunt. Celerius enim, & majori vi, arteriæ eunt, ac agitantur, & ſanguis vehementius calet, fereque incenditur. Quæ tamen potiſſimum in capite, ſuperioribusque C. H. partibus fiunt, cum inferiores potius frigeant, aut certe minus caleant, ac tremant. Ad hæc ſpiritus quoque altius in pulmones deſcendit, & pectus celerius fortiusque agitatur. Sed, age, horum omnium cauſſas inquiramus, ut, ad quos maxime morbos tollendos vomitus valeat, comprehendere omnes animo queant. Capitis vero mutationes, quam poſſunt aliam cauſſam habere, quam vel ſanguinis majorem celerioremque ad ſuperiores partes affluxum, quam ut poſſit eodem temporis intervallo per venas refluere, vel harum conſtrictionem, ac retardatum cruoris ad cor reditum, vel etiam utrumque. Ad quam poſteriorem ſententiam inclinare me multa jubent. Nam, quod ad venas attinet, ſanguinisque per eas motum, impediri ipſum, exiſtimo, hoc ſolo, quod dum vomit homo, non reſpirat, & pectus conſtrictum eſt. Pulmo enim, hinc ab aëre, qui intravit, illinc a pectore comprimi non poteſt, quin ab altera parte difficilior fiat ſanguinis per arteriam ad pulmones, per venam cavam ſuperiorem ad auriculam anteriorem aditus. Quæ difficultas eo major eſſe debet propterea, quia, dum imi ventris viſcera a muſculis abdominis urgentur, ſanguinis per cavam inferiorem motus acceleratur. Conſtat autem ex hac pectoris conſtrictione, quod in vomitu plures, quam ſæpius nominati, muſculi laborant, tum qualis ſit ſepti transverſi actio. Nam quicunque coſtas levandi, ampliandique pectus virtutem habent, conſtringi oportet, atque abdominis muſculis, qui coſtas deprimerent alias, infimasque nimium conſtringerent, contra niti. Neque alia eſt actio ſepti transverſi, quod, niſi reniteretur, nimium id ſurſum cogerent, & pectus anguſtarent, quæ in ventre ſunt, viſcera, quæ abdominis muſculi omni vi in ſeptum impellunt. Ex quo ſimul intelligi poſſe videtur, quantum ſeptum transverſum conferat ad vomitum faciendum.

§. IV.

Pergitur in hac materia de vomitus effectibus, cujus, cauſſæ recenſentur.

Major tamen ad illos omnes effectus (§. III.) præſtandos ſanguinis vis eſt, qui per arterias ad caput præſertim profertur. Cujus, præter mutationem in reſpiratione factam, cauſſa potiſſimum nervi ſunt, ſenſus motusque omnis in C. H. inſtrumenta. Namque in violenta illa ventriculi, muſculorum abdominis ac pectoris contractione, & quam hæc

hæc facit, viſcerum omnium compreſſione, quis non intelligit ſanguinis motum debere ſaltem in arteriis ſiſti, gaſtricis, meſentericis, diaphragmaticis, intercoſtalibus & epigaſtricis? Quod cum ſanguinem libere per inferiorem aortam ferri non ſinat, omnemque ejus propemodum motum ſiſtat, debet fere omnis ſanguinis vis, quæ ex corde expellitur, in ſubclavias carotidesque arterias protrudi. Neque vero tum ipſum cor quaſi quieſcere, aut propter reſiſtentiam auctam minus valide ſe movere exiſtimandum eſt, quin & hoc & arteriæ debent, majori ſtimulo injecto, ad majores celerioresque motus præſtandos excitari. Fuit autem ab aliis clare demonſtratum, ſingulis partibus, præcipueque cordi & arteriis, duplicem ſeſe movendi vim ineſſe, naturalem ſcilicet alteram, cujus in ſano corpore certa quaſi menſura ſit, aliam vitalem, quæ naturali major eſt, & quæ a tenſione fibrarum proficiſcitur, quæ, quod ſenſum in nervis earum partium auget, ipſos etiam ad motus validiores incitat. Quare, ut primum de impedito, ac fere intercluſo, ſanguinis motu, per aortam inferiorem, & arteriam pulmonalem, dicam, qnam magna debet ſanguinis in cordis ventriculos reactio eſſe, quantum tendi fibræ cordis, atque ad motum incitari? Quæ omnia, ut de corde, ita etiam de arteriis colli præcipue & capitis valebunt, in quas ſucci, ex corde expreſſi, ſumma vi celeritateque impelluntur, ſed horum tandem cauſſa in nervis poſita eſt, ſenſus omnis motusque inſtrumentis. Qui cum per vomitum non modo in ventriculo, verum etiam in aliis conſentientibus partibus commoveantur, cor atque arterias tumque & alias partes, quæ motu præditæ, oportet in minimis quibusque particulis ad motum ſtimulari. Nam, cujus rami per ventriculum diducuntur, vagus nervus, cum intercoſtali junctus, ſentiendi movendique ſe facultatem ad fauces, linguam, laryngem, aſperam arteriam, & ſtomachum, tumque ad pulmones & cor defert, & cum aliis quibusdam nervis coit, præcipueque & aortam, & ad caput delatas arterias vario modo cingit ac comprehendit. Quas omnes proinde partes neceſſe eſt, eo vehementius ſimul convelli ac concuti, quo magis hi nervi in vomitu per ventriculi conſtrictionem irritantur.

§. V.

Effectus vomitus in toto corpore H. e. usque uſus in genere.

Eorumque motuum duplex effectus eſt, alter in ſolidis partibus, alter in fluidis. Quarum illæ, cum ſæpius, vel natura, vel propter vivendi genus, torpeant, motusque naturalibus etiam minores, exerceant, nullum eſt ad eas excitandas aptius auxilium, quam emeticæ medicinæ, quæ proinde & hoc modo in ſuccos C. H. agunt. Eosque vaſa, tanquam firmæ partes, non tantum propellunt, & in circulum agunt, verum etiam vario modo mutant. Quocirca cordis arteriarumque vi per vomitum aucta, ſanguinem, neceſſe eſt, celerius fortiusque propelli,

pelli, quo omnes ſecretiones excretionesque promoveri, ac vias magis aperiri debere, intelligitur; quo nomine vomitoria inter evacuantia univerſaliora referri debent, præcipue cum ſemel per vomitum excitati motus non protinus ſedentur, verum aliquantum perdurent. Expelluntur hoc modo e corpore plura, quæ, cum reliquis ſuccis circumeuntia, cum hos inficerent, tum viſcera læderent, alliciunturque potiſſimum, ut ad ventriculum & inteſtina confluant, quo poſſint ἄνω & κάτω propelli. De hoc uſu emeticorum agere mecum conſtitui. Eſt vero medicinarum genus, quod alterantium vocant, quia & firmiores partes vel laxant, vel firmant, & fluidarum aut totam maſſam mutant, aut ſingulas earum particulas. Inter quas medicinas, emeticas oſtendam non uno nomine primum fere locum mereri. Eosque effectus præſtant, quatenus in firmas C. H. partes agunt, maximeque in arterias. In quibus ſi aliquid vel quieſcere, vel lentius moveri, ponas, illud mobile debere reddi intelliges hoc, quod partim ſanguis a corde impulſus in quieſcens tanquam cuneus agat, partim arteria ipſa irritata hoc premat atque concutiat, quo concretum ſolvatur; quam arteriarum efficaciam prementes illas ſuccutientesque muſculi impoſiti in vomitu juvant. Longeque facilius ſuccedit hoc, præter ſimplicem preſſionem, repulſione ſuccorum per conicas arterias, per vices facta, accedente, ſive, quod antea concretum quieſcebat, mobile factum, ut in ala veſpertilionis vide LEWENHOEKIUS, ſive fluctuans quaſi in parietes vaſorum incurrat, ac repellatur, oppoſitiſque viribus interceptum agitetur. Quæ ſi tanta eſt arteriarum per vomitum concitatarum in concretos & quieſcentes ſuccos, vis & efficacia, quanta debebit in viſcidos tantum aut parum accurate miſtos eſſe, earumque raras nimium particulas? maxime cum mutuis alterniſve impulſibus mox divellantur, mox iterum valide in ſe mutuo incurrant, attrituque ſolvantur, globulorumque figuram induant, compreſſione autem denſentur, ac ſolidiores fiant. Quæ ſi quis cum cauſis morborum, præcipue diuturnorum, conferat, nonne vomitoria, intelliget, plurimum ad vincendos graviſſimos pertinaciſſimosque hujus generis morbos valere, neque debere eorum uſum arctis illis limitibus includi, qui ipſis in plurimorum medentium libris ponuntur?

§. VI.

De iis, quæ a vomitu abſtinere jubent.

Quanquam vero vomitus tam inſignes in corpore præſtet effectus, & ejuſmodi ſit auxilium, quod multis ſimul indicationibus ſufficiat, ſunt tamen conditiones quædam corporum, quæ nos ab ipſo hoc, maxime alias ſalutari, auxilio abſtinere jubent. Quod, qui ejus uſum reformidant, ita urgere ſolent, ut, quibus hactenus magnos illos ſalutareſque effectus præſtari oſtendi, (§. IV. V) ſemper deſtrui potius quam

quam unquam ſervari corpus, ne quidem dubitari poſſe, exiſtiment. Sed ſalva res eſt, & modo ſuccorum & vaſorum viſcerumque ſtatus recte examinetur, nunquam ſine fructu, multo minus cum noxa, emeticæ medicinæ exhibebuntur. Inter ea vero, quæ poſſunt earum uſum vetare, primum locum obtinet nimia ſuccorum in corpore abundantia, quæ turgere vaſa facit, vimque eorum in humores imminuit. Vaſa enim, cum quod aucta humorum vis eſt, tum quod diſtenſa ab illis ſunt, vim contrahendi ſe perdunt, &, ſponte corrumpi humores, ſinunt, plurimiſque malis occaſionem afferunt. Eaque hæc ſunt; ſecretio immutata, motus circulatorius turbatus, ſtagnationes, inflammationes, ruptiones vaſorum, ſuppurationes, & ſi quæ alia. Quæ quidem mala, cum in corpore ſuccorum copia laborante, per ſe admodum facile oriantur, quanto magis pertimeſcenda ex vomitu erunt, quo concuti omnes partes, impellique ſuccos in vaſa, eaque vehementer ſubitoque diſtendi, oſtendimus? Quare frequenter admodum accidiſſe legimus, ſanguinis aliquas vias ruptas fuiſſe; eumque effuſum. Quod in capite in primis ac pectore fieri debere cum ſtructura earum partium, & quæ ſupra dixi (§. III.) declarare poſſunt, tum a medentibus notata exempla confirmant. Nimirum apoplexia extincti homines fuerunt, vel ſanguis ex pulmone rejectus fuit, aut quoque ventriculo. Tumque & viſcerum ipſorum per vomitum vehementiorem ruptorum exempla habentur. Quodſi vero vaſa hanc vim ſuſtineant, tantum tamen, ut plurimum, diſtenduntur, ut omnem ſuccos mutandi ac propellendi vim perdant. Quo perfectam denique quietem ſuccis induci, eosque corrumpi, &, quæcunque hæc conſequuntur, mala oportet fieri. Atque intelligi exinde clariſſime putaverim, quibus vaſa, ſuccis præcipue corruptis, turgent, nunquam eſſe emeticam medicinam a prudenti Medico exhibendam. Qua de re, ſi morbus quidam & venæſectionem & vomitum ſimul deſiderat, illam præmittendam ſemper eſſe conſequitur, ne ex violentis illis vomendi conatibus vel pulmonum, vel cerebri aliarumque nobiliorum partium vaſa rumpantur. Vomitumque in univerſum maxime iis alienum eſſe, quibus caput infirmum eſt. Id ſciendum eſt, de vaſis intelligi debere, quæ vel natura vel morbo juſto debiliores adeoque infirmæ vel laxæ ſunt, ut quamvis nulla ſuccorum abundantia ſit, tamen ferre per vomitum factas percuſſiones non queant. Nec minus a vomitu arcendi ſunt illi, quibus vel nimis tenuis ſanguis eſt, vel nimis tenax & viſcidus. In quibus enim ſanguis juſto tenuior eſt, vaſa majora, quod nulla fere ſanguinis reſiſtentia eſt, valde arctata ſunt, eumque quod ulterius ſolvunt, valideque propellunt, vel colliquativos ſudores aut diabetem producunt, vel in tenuioribus ſuccis accommodatas vias intrudunt, inflammationeſque excitant. Quæ igitur arteriarum vis cum per vomitum

 augea-

augeatur, per eundem & metum horum malorum augeri neceſſe eſt. Inde hæmoptoes, mictus cruentos cet. eveniſſe obſervationes medicæ docent. Et effuſus hoc modo ſincerus ſanguis nunquam in aere etiam frigidiuſculo cogitur. Quodſi vero nimis ſpiſſus fuerit ſanguis, iiſdem per vomitum excitatis motibus non tam ſolvitur ſanguis & attenuatur, quam mobilis ejus pars, tanquam ex ſpongia, exprimitur, reliqua vero maſſa, ſpiſſior tenaciorque facta, eo uſque propellitur, donec ob ſpiſſitudinem hærere cogitur, obſtructionesſque pertinaciſſimas producit. Easque ſi facere vomitus ſolet, an credi poteſt per eundem tolli poſſe, ſi tanta earum vetuſtas eſt, ut quieſcentem ſuccum, veroſimile ſit, cum parietibus vaſorum in unam maſſam coaluiſſe? Quocirca ſi per certa ſigna conſtiterit, viſcus quoddam ſcirrho laborare, vomitorii uſus prorſus admittendus non eſt, niſi ægrum certiſſimæ morti exponere velimus. Scirrhus enim, benignus alias, ac multos per annos ſine inſigni vitæ diſcrimine tolerandus, ipſis vomendi conatibus aſperior redditus & inflammatus in verum cancrum degenerabit, & certiſſimam miſerimamque ſimul mortem inferet. Quod etiam de ulcere interno valet, cum propter hanc cauſſam, tum quod acres in corpore ſucci ſunt. Qui cum mutuo illo vaſorum humorumque attritu in vomitu aucto, neceſſario aſperiores fiant, vomitoria nullus morbus admittit, qui ab acrimonia humorum profectus eſt. Hactenus de iis, quæ uſum medicinarum emeticarum vetant.

§. VII.

Uſus vomitorii n ſpecialis.

Age vero de vomitoriis propoſitam doctrinam aliquot morborum exemplis illuſtremus, in quibus plurimum profuiſſe has medicinas deprehendimus. In quibus recenſendis a capite incipiam, earumque in hujus morbis efficaciam oſtendam. Fit non raro, ut, capite vel ictu vel lapſu ab alto laeſo, etſi os integrum maneat, omnia nihilominus ſequantur ſymptomata, quæ non, niſi oſſium capitis fracturam comitari, vulgo exiſtimantur. Eorumque præcipue hæc ſunt: Linguæ aliorumque membrorum oppoſiti lateris reſolutio, ſenſuum ablatio, ſanguinis per nares ac aures profuſio, vomituſque bilioſus; dolor in ea parte, qua caput ictum fuit, quamque tangere perpetuo ægri ſolent, perpetuus torpor, mens alienata ac ſopor. Quæ atrocia ſymptomata in mortuorum corporibus inventa ſunt non, niſi a quieſcente in vaſis, aut ruptis iiſdem, effuſo ſanguine ſub calvaria proveniſſe. Sæpiuſque accidiſſe exempla docent, ut, ſi ea ſymptomata ab oſſe fracto, nunquam tamen a ſanguine effuſo prementeque cerebrum, abeſſent. Cum vero illa ſymptomata præpter oſſis fracturam, ſanguinemque effuſum, cerebri etiam commotionem comitentur, in hac quidem ſciendum eſt,

In ſanguinis in capite ſtaſi poſt ictum

ea ſymptomata protinus ab accepta plaga, in ſanguine vero effuſo non, niſi aliquot horas, aut diem poſt, oriri, cranii vero eam tantum fracturam ſequi, in qua os aliquantum deſidit. Sunt enim illa ſymptomata cerebri compreſſionis effecta. Quæ qui curare vult, debet quieſcentem ſanguinem tollere. Idque efficitur, ſive ita attenuetur, ut, vel in vaſis quieſcens ſolvi mobiliſque reddi, vel extra vaſa hærens reſorberi a venis poſſit ſive perforato cranio eximatur. Quod cum anceps auxilium ac periculi plenum, nec non crudele plurimis eſſe videatur, tumque in omnibus locis, ſub quibus ſanguis hærere ſolet, inſtitui non queat, priorem medendi rationem ſemper præmittendam eſſe apparet, maxime, quia hac fruſtra tentata os nihilominus perforari poſſit. Igitur cum ad ſanguinem in vaſis hærentem attenuandum horum major violentiorque motus requiratur, & liquidi tenuioris ſolvendique virtute præditi appulſus, quid aptius utrique indicationi magis reſpondens auxilium excogitari poteſt emetica medicina? cujus in vaſa humoreſque effectus ſuperiore aliquo loco (§. V.) laudavi. Nec minus illud attenuari hoc modo debet, quod extra vaſa effuſum cerebrum premit. Primum enim in naturali etiam ſtatu, quando cor ſanguinem in arterias agit, cerebrum levari, adque concavam tenſæ duræ matris faciem apprimi conſtat; quam preſſionem cum per vomitum majorem celerioremque fieri ex ante dictis [§ III.] neceſſe ſit, oportet effuſum, & inter cerebrum duramque matrem poſitum ſanguinem hac agitatione attrituque ita comminui, ut tenuiſſimæ ejus facileque mobiles particulæ eadem preſſione hiantium venarum oſcula intrare cogantur. Deinde a vero abſimile non eſt, in ipſo vomitu attenuati arterioſi liquidi aliquam partem exprimi, effuſumque ſuccum diluere. Denique videtur hoc inprimis negligendum non eſſe, cum ad omnem quocunque modo irritatam partem omnes quaſi ex toto corpore ſucci attrahantur, & remotarum partium vaſa extrema adeo evacuentur, ut ſi in aliquod cavum pateant, in eo contenta liquida ſorbeant, debere eadem per vomitum in cerebri vaſis ſanguineque effuſo eo certius fieri, quo major ventriculi in vomitu facta irritatio eſt. Neque dubitare de hoc uſu nos ſinunt ea, quæ de peculiari ventriculi capitiſque conſenſu omnes medentes ſciunt, & quæ vomitus in vertigine & illa cephalalgiæ ſpecie, quam Galli migraine vocant, tum etiam in pleriſque capitis vulneribus ortus, & contra ex ventriculi vitio nata vertigo cet. abunde confirmant. Et ad probandam hancce doctrinam hoc ſolum videtur ſufficere poſſe, ubi ſanguis ſub cranio effuſus eſt, ſæpius cum fructu fuiſſe acriora clyſmata alvo infuſa, quæ certe non minus convellendi nervos & vaſa virtutem habent. Semper tamen venæſectionem præmittendam eſſe tenendum eſt. Nam ut de periculis non dicam, quæ vomitum in corpore, ſuccis turgente, excitatum ſequuntur (§. VI.) venulæ abſorbentes effuſum ſanguinem bibere vix poſſunt, niſi, in quas eum

 deferre

deferre debent, majores venæ prius depletæ fuerint. Plurimumque ad hunc finem poſt unam alteramque in brachio venam inciſam, illam in jugulo poſitam vulnere ampliſſimo aperire juvabit, quo in loco effuſi ſanguinis hiantes venæ, ſubita facta eductione exinanitæ, effuſum ſugant quaſi & attrahant. Ad quæ omnia comprobanda, aptiſſima mihi eſſe videtur a claro Pariſienſium Chirurgo, Boudou, facta obſervatio, quam proinde hoc loco apponam. Continetur hæc in Commentariis A R. Chirurgorum Pariſienſ. Tom. I. p. 199. Homo 25. annorum, ex alto in caput delapſus, partem lateralem dextram oſſis coronalis offenderat, quo tum omnes protinus ſenſus perdebat, tum in ſoporem lethargicum incidebat. Ampliato vulnere pericranium contuſum inventum eſt, os integrum. Sexies igitur vena ſecta fuit, ter ſcilicet primo, totidem altero die, tertioque Chirurgus eandem in pede aperiebat. Quo cum nihil mutatum eſſet, & urina parce flueret, & alvus prorſus non reſponderet, duo ægro clyſteres purgantes infuſi ſunt, ſed ſine effectu. Tum altero die tartari emetici grana ſex in duas doſes diviſa ægro exhibuit, & ſequenti die clyſterem ex una tabaci uncia factum, in alvum immiſit. Tamen æger in eodem ſtatu uſque ad diem octavum manebat, quo ſigna quædam incipiebat ſenſuum reſtitutorum edere, oculos aperiebat, & ad alta voce quæſita excitatus reſpondebat. Veſpere cum in ſoporem iterum incidiſſet, Chirurgus ſignum hoc certum eſſe ſanguinis effuſi ſub cranio, aut inflammationis, forſitan etiam ſuppurationis intelligens, noluit tamen calvariæ perforationem periclitari, in noſocomiis publicis, ut plurimum, non ſuccedentem. Verum potius ad clyſteres emeticaſque medicinas reverſus eſt, ac ſimul cum clyſmate ex tabaco parato purgantem potionem, ex caſſia factam, præſcripſit, quibus ægro alvus aliquoties movebatur. Tum venam bis in jugulo aperuit, quod die, poſt acceptam plagam, decimo octavo ultima vice fiebat. His demum auxiliis ſopor ceſſit, ſive ſola cerebri tantum commotione, ſive a ſanguine effuſo, ac reſorpto iterum, ortus fuerit, reſpiratio liberior facta eſt, ſenſus reſtituti, & plaga firma cicatrice clauſa. Vulneratus autem auditum memoriamque prorſus perdiderat, quæ tamen mala paulo poſt multum imminui cœperunt.

§. VIII.

In Amauroſi.

Nec vomitoriorum uſus in illa viſus læſione alienus eſt, quam Amauroſin appellant. In qua oculus ſine lippitudine ita omne lumen amittit, ut præter ampliſſimam pupillam uveamque immobilem nullum in oculo vitium appareat. Eſt autem opticus nervus & tunica, a qua videndi poteſtas proficitur, reſoluta. Hanc reſolutionem variæ contrariæque cauſæ faciunt. Nonnunquam ſubito occæcati ſunt, qui ex carcerum tenebris producti, ſplendentem nimium lucem protinus in oculos

oculos admittebant? Experientiſſimus GÜNZIUS, Profeſſor Academiæ hujus digniſſimus, Præceptor ac Hoſpes, ob beneficiorum in me collatorum copiam patris ad inſtar ad vitæ finem uſque mihi colendus, puellæ octodecim annorum exemplum mihi retulit cui febre ardente laboranti, dum tertia ac decima vice ſanguis ex talo mitteretur, eo fluente acies eripiebatur. Narravit etiam viri quinquaginta circiter annorum hiſtoriam, qui cum etiam in ardente febre, poſt omnes noctes inſomnes actas, ſomniferum ſumſiſſet, atque ex conciliato hoc modo ſomno expergefieret, inventus eſt ſubito occœcatus fuiſſe, quod idem Clariſſ. Vir in ſimili febre, neque vena ſecta, neque ſomnifero dato, viro ac feminæ mediæ ætatis accidiſſe vidit. Præterea amauroſis interdum a nimia ſanguinis profuſione, in partu, vel ex aliis locis, proficiſcitur, ſupervenitque non raro iis, quibus per venerem, juſto frequentius cultam, corpus ſpiritibus exhauſtum eſt. Quibus cauſis productam amauroſin ut in humidi defectu conſiſtere debere, apertiſſimum eſt, ita pariter obſervationibus compertum habemus, eam a quieſcente prementeque viſorios nervos ſucco, aliave materia provenire. Quo videntur illa exempla referenda eſſe, in quibus occœcati homines ſunt arthritide, & exanthematicis cutaneis morbis, ſubito in primis repreſſis, ictu capiti circa orbitam illato, ulceribus, quæ vetuſtatem habebant, occluſis, ac inſenſibili tranſpiratione nimio coſmeticarum medicinarum uſu cohibita. Neque adeo rara eorum exempla ſunt, quibus ab oſſis tumore lumen ademptum eſt, nervos viſorios comprimente. Sed nervi, cum partim a cerebro ſubtiliſſimum ſuccum, partim per arteriolas ſanguinem tenuioreſque accipiant, ſi humidi defectum ſpectes, per utriuſque generis ſuccum, ſi delatam ad nervos quieſcentemque materiam, per illum qui per arteriolas nervorum fertur, fieri reſolutionem intelliges. Hanc enim illam nervorum reſolutionem eſſe exiſtimo, in qua vulgo dicitur aliquid in fabrica nervorum mutatum eſſe. Et quis ſibi perſuaderi patiatur, ſpiſſam illam ac acrem ſcabiei materiam per tenerrimos anguſtiſſimoſque cerebri meatus ad tubulos viſorii nervi poſſe proferri? quam facile contra ejuſdem nervi arteria admiſerit, quæ, ut ab Euſtachio picta eſt, ſecundum axin ejuſdem ad retinam fertur, in eaque inſigne ramulorum rete efformat. Atque in humidi defectu tubulos nervi collabi oportet, in quiete præcipue cum vi delati ſucci, etſi nullam acrimoniæ rationem habeamus, comprimi. Idque neceſſe eſt etiam ab extus hærente ſanguine fieri. Nolo jam omnes a medentibus propoſitas amauroſin curandi vias examinare. Sunt autem pleræque mobili reddendo ejiciendoque quieſcenti ſucco accommodatæ. Neque longa probatione eget, ulcera cuti, vel igne vel cantharidibus inuſta, aut ſectione excitata, injectiſque xylinis linis, ſetaceum vocant, aperta ſervata, oculi ſcarificationes, ac venæſectiones huc perti-

pertinere. Sunt etiam, qui a quieſcente ſucco enatam amauroſin ſalivæ fluxu per argentum vivum excitato ſanari poſſe exiſtimant. Quod tamen, ut non, niſi venereo morbo laborantibus, ſic quoque alterando potius, quam evacuando utile eſſe, non levibus inductus argumentis puto. Majori jure ad hanc claſſem medicinarum emeticæ pertinent, etſi fere ab omnibus neglectæ. Nolo repetere, quæ de vi hujus remediorum generis in capitis præcipue morbis, a quieſcente humore profectis, ſanandis ſuperiori loco (§. VII.) dixi. Nam quæ ratio reddi poteſt, cur, quod in ſanguine in aliis capitis locis hærente fiat, in oculo non ſuccedat? Sunt potius, quæ, vomitum debere in oculi affectibus plus, quam in aliarum partium valere, oſtendunt. Namque per vomitum, ſcimus, ita convelli oculos, ut magnam lacrymarum vim profundant, utque in ejus albo poſita pellucida vaſa turgeant, impulſoque rubicundo ſucco ſe manifeſtent. Præterea multis oculorum affectibus, præcipueque vulneribus choroideæ ac retinæ, quod ex cataractæ curatione clarum eſt, ventriculi convulſio accedit. De qua re, etſi multa a Cl. PETITO, medico, obſervata ſunt, tamen id provenire a ſexto cerebri nervo, perſuadere is mihi non potuit, quia hunc nervum cum intercoſtali ad ejusmodi angulum congredi, demonſtrante in ſecando dexterrimo Günzio, ſæpius vidi, ut modo is aliquid ad ortum nervorum determinandum valeat, intercoſtalis potius proceſſiſſe a ſexto videretur, quam ad eum acceſſiſſe; & inter ea exempla, quæ mihi ab experientiſſimo Günzio relata ſunt, duo præcipua allegabo. Primum feminæ triginta circiter annorum eſt, cui, cum ferrea trabs in dextram oſſis frontis partem incidiſſet, in dextro oculo videndi facultas ablata eſt. Huic feminæ primum ſanguis ex vena brachii detractus eſt, & altero die poſt in mannæ ſolutione ſtibium datum, quod eam ſæpius vomere coëgit. Redeunte protinus aliquo lucis ſenſu, & dolore capitis imminuto, juſſit medicus feminam aquas minerales per octiduum potare, tumque iterum emeticam medicinam dedit, & acie magis acuta reddita, rediit femina ad aquarum uſum, tandemque quatuor ſeptimanarum ſpatio perfecte ſanata eſt. Alterum exemplum pueri eſt, cui acies fuit ob repreſſam tineam, erepta. Isque brevi ad ſanitatem rediit, cum ipſi fere eadem medendi ratio adhiberetur. Namque fuerunt tantum aliqua in victus ratione mutata. Neque vero parum in ejusmodi morbi curatione tribuendum aquarum mineralium uſui, quæ tum ad eluenda vaſa, mobilesque reddendos ſuccos, tum ad noxios humores educendos plurimum efficaciæ habent. Ad hoc vero Egranæ aquæ potiſſimum utiles ſunt, præcipue, ſi ſeroſi humoris ad viſorios nervos refluxus amauroſin produxit, ad illud vero Pyrmontanæ, vel poſt Egranas potæ, vel ab initio. Et ſi ſeroſus humor morbum produxit, & corpus turgidum ſuccis eſt, commoto per vomitum corpore, utile eſt, vel fonticulum excitare, vel ſetaceum facere, quo mobilis per vomitum facta materia per ulcus, in cute natum, ejiciatur. Contra pernicioſiſſima hæc

per

per evacuantia curandi ratio eſt tum, ubi tubuli nervorum ob defectum ſucci collabuntur. Qua in re falli medentes ſolent potiſſimum tunc, ubi acies ſenſim hebeſcit. Cujuſmodi nuperum juvenis exemplum novi, qui cum ſenſim lumen amittens a pleriſque evacuantibus, cum ſudoriferis, tum fonticulis & ſetaceo, vexatus eſſet, tandem prudentiſſimi alias medici conſilio valentiſſimi generis emetica medicina, & alius ſuaſu, argento vivo, ſed ſine ſalivatione eo cum eventu uſus eſt, ut paulo poſt prorſus occæcaretur, & poſt mortem inveniretur omnes cerebri partes ſicciſſimas habere. Quare in illis ægris, qui lumen ob ſuccorum defectum amiſerunt, parum medicina, plurimum cibis boni ſucci efficitur, parce, ſed ſæpius, datis, utque cerebri oculorumque vaſa cito impleantur, capiti frictione, oculo roborante ac leviter ſtimulante fotu adhibito. Neque vero quis tantam exiſtimet medicinæ emeticæ vim eſſe, ut poſſit omnem a quieſcente prementeque nervos humore profectam amauroſin tollere. Preſſi enim eorum tubuli ſenſim & cavi & flexiles eſſe deſinunt, ut, niſi quinto ad ſummum, a morbo contracto, menſe illud auxiliorum genus adhibeatur, ne quidem, metu aliorum nervorum lædendorum, tentari debeat.

§. IX.

In affectibus ſoporoſis.

Atque hæc (§. VII. VIII.) etiam in ſoporoſis affectionibus utiles debere medicinas emeticas eſſe, oſtendunt. Sunt autem illæ inter omnes morbos, quibuscum genus humanum confligatur, diriſſimi, ac propter celeritatem, qua invadunt ægros, ac finiuntur, difficillimæ curationis. Fuerunt autem ipſis pro ſymptomatum varietate admodum varia nomina impoſita. Atque vel ſubito ſanis hominibus, vel ægris præcipueque febribus, tum acutis, tum intermittentibus ſuperveniunt. In quo, ex hiſce affectibus, ægri perpetuo quaſi ſomno tenentur, id coma medentes appellant. Cujus cum duæ ſpecies ſint, ſomnolentum dici ſciendum eſt, ſi æger perpetuo ſomno tenetur ita, ut excitatus multa abſurda loquatur, tum vero protinus iterum in illum relabatur, vigil autem, ubi æger clauſis perpetuo oculis, abſurda loquitur, clamores edit, jactat membra, ejuſque irrequietus animus variis inſomniis torquetur, interdum tamen ipſe ſubito in ſomnum videtur incidere. Alia ſoporoſarum affectionum ſpecies carus eſt. Quo nomine ille affectus venit, in quo æger profundiſſimo ſomno tenetur, ita ut vix excitari poſſit, omnes ſubito ſenſus motuſque perdit, libere tamen aera ducit ac mittit, ſi pungitur acu, unum alterumque membrum movet, oculos non aperit, loquitur tamen, iterumque protinus ſomno redditur. Quæ omnia ſymptomata etiam in lethargo ſimul adſunt, qui in eo tamen a reliquis differt, quod, quæ æger, aliquando excitatus, poſtulaverit, eorum tamen, etſi manu illa teneat, obliviſcatur, eo-

demque fere momento iterum ſomno corripiatur. Hos omnes affectus catalepſis ſymptomatum mira indole antecellit: ſenſus cum motu evaneſcunt, rigent membra, oculi ipſi immobiles ſunt, & prorſus in ea, qua morbo correptus eſt, æger poſitione manet, adeo, ut hominem in ſtatuam mutatum crederes. In apoplexia tandem ſubito ſenſus externi & interni motuſque voluntarii omnes omnino pereunt, imminuitur reſpiratio, & cum ſtertore interdum aër ducitur, reſoluta apparent membra, ut levata ſuo ſtatim pondere labantur, altus ſimul ægrum urget ſopor, &, niſi reſpirationis pulſuſque veſtigia ſupereſſent, & faciei, naturali major, rubor conſpiceretur, mortuum eſſe hominem judicares. Quas omnes affectiones cum a ſpirituum animalium impedita ſecretione provenire ex ſymptomatum natura intelligatur, meatus cerebri oportet a quacunque cauſſa obſtructos eſſe. Fuit autem per ſectionem corporum, his morbis denatorum, deprehenſum, vel vaſa cerebri fuiſſe ſanguine viſcido ac tenaci repleta, vel ſeroſum humorem ſpiſſum in ventriculos cerebri effuſum, vel ſanguinis venoſi in ſinus duræ matris influxum a polypoſis concretionibus impeditum. Incomprehenſibilis autem naturæ fere id eſt, quod ſæpius fuit a medentibus obſervatum, tum a bile per iram terroremve commota, tum a ventriculi impuritatibus, ſoporoſas affectiones interdum ſubito excitari. Neque enim hic opus eſt, ut omnes viſcidum in corpore producentes cauſſas enumerem, inter quas etiam ventriculi debilitas eſt, ob quam ſolvi perfecte cibi, & meabiles ſucci parari non poſſunt. Sæpius autem viſcidum producit, plethora, ſanguinis magnæ ac brevi tempore ſæpius repetitæ profuſiones, quies corporis ac otium, & vaſorum vehentium laxitas. Ex quibus, ut ſoporoſarum affectionum non ſemper eandem debere medendi rationem eſſe, ſic vomitoria non ad omnes utilia eſſe manifeſtum eſt. Atque ſi ſimplex plethora eſt, ne tutum eſt quidem, ad emeticas medicinas confugere, ſed potius vena aliquoties primum in brachio, deinde in jugulo ſecta, certiſſime tollitur. Contra ſi a viſcida quacunque materia ſoporoſa affectio profecta eſt, multo ad eam tollendam aptior habendus vomitus eſt. Quo facile demonſtratu eſſe videtur, tum ſolvi viſcidum ac mobile reddi poſſe, tum quoque a cerebro revelli ſenſimque evacuari. Nam quæ valentiſſimi generis purgantes medicinas veteres in morbis copia inutilium noxiorumque ſuccorum periculoſis exhibuerunt, non tantum purgandi, verum etiam mutandi ſimul cauſſa exhibuiſſe opinor. Et quid quæſo ad viſcidum ſolvendum, quod ad ſanguinis vaſorumque inertia ac motus defectu profectum eſt, vomitu poteſt aptius eſſe? Qui ſopitas quaſi arteriarum vires excitat, ac hærentes in vaſis ſuccos premit & concutit. Neque ad illam tantum ſuccuſſionem reſpiciendum eſt, quæ in ipſa ventriculi inverſione fit. Manet potius aliquamdiu tanta omnium firmarum partium agitatio, ut & ſolvi magis, & a ſanguine,

a tergo

a tergo veniente, abripi, & in venas ampliores ad cor propelli oporteat, quicquid in cerebri arteriis hæſit, ſpirituumque vias impedivit. Tantum tamen, ut plurimum abeſt, ut, quod in venas refuſum eſt, omne perfecte ſolutum, & in bonæ indolis humorem mutatum ſit, ut potius ſæpenumero brevi tempore redeat malum, omniſque ſpirituum via intercipiatur. Quare viſcida materia mobili facta, oportet perpetuo illas vires excitare, quibus ſolvi porro mobiliſſimæque reddi viſcidæ ſanguinis particulæ poſſunt. Quæ cum præcipue in cordis arteriarumque fibris conſiſtant, membra omnia, & in primis pedes, oportet ſæpius aſperiore panno fricari, cibis ſolito magis conditis optimique ſucci veſci, cereviſiam, veſperi potiſſimum, Brunſvicenſem bibere, in prandio vero generoſi vini parum, in crure præſertim vario modo ulcera excitari, & corpus quotidie, diu multumque, in aere libero movere. Ad hæc plurimum efficaciæ habet vomitus, duabus vel tribus ſeptimanis poſt iterum excitatus, fluxilemque deinde materiem faciunt, & viſciditatem omnem paulatim ſolvunt, Pyrmontanæ in primis aquæ, per tres quatuorve ſeptimanas potæ. Et quod in hoc caſu ſetaceorum vel fonticulorum uſum commendavi, ſtimuli potiſſimum rationem habui, quo vires arteriarum excitari poſſent. Vim tamen etiam revellendi noxiumque expellendi e corpore habent. Ad quem finem emeticæ quoque medicinæ commode adhibentur. Violenta enim ac ſæpius repetita ventriculi contractione totum corpus ita convellitur, ut ad cœliaca & meſenterica vaſa humorum concurſus fiat. Quos eo magis a capite inprimis deduci expurgarique oportet, quo major accuratiorque inter ventriculum & caput per nervos conſenſus eſt. Revelli autem e cerebro is potiſſimum ſeroſus & viſcidus humor debet ac poteſt, qui in ventriculis alibive effuſus hæret. Ad quem deinde tum expurgandum tum mutandum plurimum valent & clyſmata vel purgantia acriora, quæ phlegmagoga nominant, & ulcera, præſertim in inferioribus membris, arte excitata. In utraque autem cum ſeri tum ſanguinis viſciditate, vomitu corrigenda, ſi plena vaſa ſunt, vomitui ſemper venæſectio præmittenda eſt. Namque non fruſtra medentes metuunt, ne, ſanguine vehementer commoto, laxa debiliaque vaſa, vel ſubito rumpantur, vel ita debilitentur, ut omnem propellendi ſanguinem vim perdant. Tandem in illis ſoporoſis affectibus, qui a vitio, in ventriculo aut ejus vicinia hærente, provenerunt, ne quidem probatione egere debet, certiſſimum ac fere unicum auxilium vomitum eſſe, qui cum purgando præſens malum tollit, tum vires ventriculi excitando oritura ex viſciditate mala avertit.

§. X.

In morbis inflammatoriis. Hi autem viſcidi coactique ſucci, ubi per vaſa majora diu fuerunt ſine obſtructionis metu circumacti, ut ſubito concitato motu violentius in vaſa cerebri admodum mollia impulſi ſoporoſas affectiones faciunt, ita ſæpius in minores totius corporis arterias coacti, earumque vias intercludentes inflammationem ac febrem validiſſimam accendunt. Quæ vero non a parvis initiis paulatim creſcit, ſed protinus in flammam erumpit, ac vel primo die mortem minantibus ſymptomatibus ægros ac medicum terret. Tumque pulſus præſertim admodum celer, non vero magnus & fortis, ſæpiusque inæqualis eſt, quod cor adeo majoresque arterias fruſtra agitari oſtendit, extremis nempe arteriis prorſus interclaſis, neque in quieſcentes ſuccos agentibus. Qui autem febriles motus, vi ſtimuli, cordi arteriisque elaſticis per auctam reſiſtentiam inditi, neceſſario excitantur, modo vinci reſiſtentia poſſit, eam, ut plurimum ſuperant, & hærentes in vaſis ſuccos propellunt. Quare ubi incipiunt mobiles fieri, & motus illi minui ſolent, & febris tandem omnino ſolvi Sæpius autem vel ultra modum intendi cordis arteriarumque vires obſervatio docuit, vel contra, utut magnas, tamen ſolvendis quieſcentibus ſuccis minus ſufficere. In quo caſu ſanos humores potius cogi ac deſtrui vaſa ſciendum eſt. Atque in priore caſu V. S. utique ac refrigerantibus oportet nimios motus compeſcere; quæ contra auxilia male ſolent in altero caſu a medentibus adhiberi. Neque ab illis mirandum eſt, ita ægrorum vires dejici, ut quamvis ab initio ſe aliquantum levatos eſſe dicant, tamen paulo poſt omnia pejora facta eſſe ſentiant, & tertio, ut plurimum, quartove, ad ſummum, die, quaſi ſuffocati moriantur. Namque in febre a viſcido tenacique ſucco profecta non modo ad cordis majorumque arteriarum vires impulſumque a tergo & cunei ad modum agentem ſanguinem reſpiciendum eſt, quo quieſcens materia vel ita in anguſtias cogitur, ut prorſus immeabilis fiat, nullaque iterum arte ſolvenda, vel ſubito fortiterque impulſa vaſcula rumpit, & effuſa putreſcit. Plurimum potius ad ſolvendum vincendumque ejusmodi morborum eorum vaſorum vis valet, quæ a quieſcente materia intercluſa ſunt. Ad quam ſolvendam vires mutuo in diverſa agentes, & per intervalla ſuccutientes requiruntur, quales ſine dubio cordis & majorum arteriarum, tum quoque minorum ſimul ſunt, quarum illæ impellunt humores, hæ vero reprimunt, utræque vero terunt, atque comminuunt. Tamen & harum virium nulla efficacia eſt, niſi hærens materia aliquam mobilitatem habeat, neque nulla eſt diluentium vel potius attenuantium medicinarum ratio habenda. Eaque ſatis videmur oſtendere, qualis debet in tam gravi celeriterque ad mortem tendente morbo medendi ratio eſſe. Cum enim reſiſtentia minui debet, tum vires ſolventes intendi. Et utrumque medentes vulgo exiſtimant per V. S. obtineri; quæ, ſi boni ſanguinis copia in

in venis ſe viſcidæ materiæ per arterias tranſitui opponeret, ſine dubio utilitatem allatura eſſet. Sed copia potius & immobilitas tenacis materiæ ſanguinis per arterias viam intercipit, eoque ex venis detracto, vires potius cordis, quam viſcidi reſiſtentia minuuntur. Quare etiam ſanguis ex vena miſſus, quo integrior, eo pejor eſt, & inter lethalia fere ſigna habendus. Nolo tamen negare, poſſe V. S., ſi ex ampliſſimo venæ vulnere ſubito maxima cruoris vis & ad animi usque deliquium educeretur, viſcidum mobile reddere, & hoc modo tum reſiſtentias minuere, tum vires augere. Nam hæc ſane ſine illo obtinere non licet. Quod, ſi nullæ, poterunt tamen emeticæ medicinæ efficere. Per quas facta, & repetita aliquoties, omnium partium corporis ſuccuſſio tenacius inhærentes ſuccos ad minimum ita liberabit ac mobiles reddet, ut a corde arteriisque in contraria agi ſolvique poſſint. De quo etiam effectu eo minus dubitare licet, quo certius eſt, alioque in loco demonſtratum fuit, ad torpentes membrorum vires excitandas, fortioresque ac celeriores eorum motus faciendos nihil vomitu utilius eſſe, præcipueque in remotis a corde vaſis hoc quidem valere. Et ſine his nulla fere attenuantium virtus eſt, quæ, maxime in acutis morbis, nullum effectum edunt, niſi quatenus a corde vaſisque impelluntur, ſæpeque in hærentem materiam incurrunt. Præſtat vero & in hac re antiquior medicina recentiore; ſiquidem in ejusmodi morbo, quem a ſolis naturæ, quam vocant, viribus, ſuperari non poſſe, ſed has potius brevi ſuppreſſurum eſſe, videbant, & in quo arti omnia relicta eſſe, recte exiſtimabant, protinus valentiſſimi generis purgantem medicinam exhibuerunt, qua excuti ex omnibus vaſis viſcida materia poſſet, & tantum ἄνω & κάτω ejici, ut mutatæ ſimul reliquiæ facile a viribus corporis vitalibus vinci poſſent, & coctæ, ut in alia ſimplici febre, critico motu, expelli. Neque cum hac emetici auxilii virtute cantharidum efficaciam comparare licet, quibus emetici loco, noſtræ ætatis, nimis ſæpe meticuloſi medici, non ſine fructu aliquando, in initiis ejusmodi inflammatoriæ febris utuntur. Tamen ad probandam vomitoriorum utilitatem hic cantharidum uſus permultum valet, eſtque in eo præcipue caſu commendandus, ubi poſt vomitorii uſum, quod propter ægri debilitatem repetere non audemus, vires ægri vitales ſuperandis morbi reliquiis non videntur ſufficere. Quo autem majoris efficaciæ auxilium vomitorium eſt, eo majorem medentium attentionem deſiderat, atque judicium acutiſſimum, maxime, cum, niſi primo morbi die, certe fruſtra, nec raro ſine ſummo ægri periculo, adhibeatur. Partim enim ardentiſſima febre, quæ ſubito accenditur, vires vitales brevi tempore adeo conſumuntur, ut ubi vel altero die poſt emeticam medicinam exhibeas, eas prorſus dejicias ac frangas, partim tenui omni humore ex viſcida materia expreſſo, hæc ita in vaſa extrema cogitur, ut hæc rumpi potius per vomitum, quam quieſcentem humorem mobilem reddi oporteat, atque ſolvi. Eſt tamen hoc periculoſum au-

xilium certe unicum, quo adeo, ubi conclamata ægri res eſſe videtur, uti medentes poſſunt, prognoſi tamen quam maxime dubia inſtituta, & permagno vitæ periculo propoſito.

§. XI.

In peripneumonia vera.

Ac inter hos inflammatorios morbos ſigillatim peripneumonia eſt, quam viſcidi ſucci efficiunt, in vaſis pulmonum quieſcentes, & ad quos mobiles reddendos cum ſumma anxietate conjuncti cordis motus oriuntur. Eaque ab artis Magiſtris ſolet in veram ac ſpuriam dividi. Vera dicitur, ſi ruber ſanguis, denſus ac tenax factus, in majoribus ſanguiferis arteriolis, vel pulmonalium vel bronchialium vaſorum ita impactus hæret, ut vehementiſſima inflammatio ac febris conſequatur. Quarum quæ arterias bronchiales occupat, etſi minus diſcriminis habet, propter nexum tamen earum cum pulmonalibus ſæpe in alteram tranſire, obſervatum eſt. Atque eſt in hoc morbo ratione viciniæ cordis, tranſitusque ſanguinis ex uno ventriculo per pulmones in alterum, maximus ſuffocationis metus, quæ, niſi intercluſæ hæ ſanguinis viæ cito aperiantur, certo conſequitur. Reſolutio autem viſcidi & ad hunc morbum vincendum optimum erit tutiſſimumque auxilium. Quam etſi natura ſemper intendat, raro tamen perfecte fit, quin potius fere ſemper aliquot ex ejusmodi malis ex ea proveniunt, quæ, ubi ægrum per plures aliquando annos perpetuis cruciatibus exhauſerunt, tandem ad tumulum deducunt. Ex quorum numero, ulcera pulmonum & tabem, aſthma, &, propter debiles obſtructoſque pulmones, perpetuam tuſſim, ex eaque orituram hæmoptyſin nominaſſe ſufficiet. Quæ mala cum reſolutionem ſpontaneam propemodum ſemper conſequantur, prudentis Medici erit, peripneumoniæ curationem nunquam ſoli naturæ committere. Et quia ſolet citius hic morbus ita decurrere, ut fere ſemper morte ægri finiatur, eo celerius adhibenda, & cum aliqua etiam temeritate rapienda quaſi illa auxilia erunt, quibus maxima videtur ad ſolvendum liberandumque pulmonem virtus ineſſe. Ad quod nullam vim videtur V. S. habere, cum propter in paragrapho ſuperiore allegatas cauſſas, tum quia ea poteſt in locum affectum, niſi per cor non agere. Excipio tamen & hic eum caſum, in quo tanta vis ſanguinis educitur, ut æger animi deliquium patiatur. Quod tamen cum ſæpe, niſi ſub maxima ſanguinis profuſione, non fiat, neque cordis arteriarumque vires augeat, præcipue in eo tantum caſu conveniat, ubi quies humorum a conſtrictione vaſorum proficiſcatur, multo certius auxilium medicina emetica præbet, ad quam medentes oportet ab initio morbi confugere. Ut enim de eo vomitus effectu non dicam, quem ipſe in omni viſcidi humoris quiete, & viſcerum ab eo infarctu orto, totius corporis ſuccuſſione præſtat, & de quo in antecedentibus expoſitum eſt, pulmones certe oportet

oportet emetica medicina liberari propter hoc, quod per duas aeris pectorisque contrarias, ac ſe mutuo excipientes, motiones validiſſime concutiuntur. Quæ cum in vaſa pulmonum, in iiſque quieſcentes ſuccos agant, eaque ad fortiorem contractionem excitent, quæ & immediate vomitum ſequitur, ſi viæ in aliis partibus obſtructæ hac ſimplici actione aperiuntur, quanto certius debent pulmones ab hac duplici vi ita affici, ut viſcidi quieſcentes in illis ſucci excutiantur & mobiles fiant. Quam quidem concretarum arcteque cohærentium particularum ſolutionem diviſionemque per vomitum obtineri poſſe exiſtimandum eſt præcipue hoc, quod cum ante tum poſt vomitum ptiſanæ reſolventis magna vis corpori infuſa, tum vapores etiam ſimiles ore hauſti, pulmonibusque excepti ſunt. Aliter paulo comparatum eſt cum peripneumonia ſpuria, quæ cum hyeme ſæpius occurrat, & hyemalis audit, atque a pituita viſcida provenit, quæ in pulmones concurrens juſto tardius per eorum vaſa movetur. Eaque ſymptomatum ſimilitudine ita minus exercitatis nonnunquam imponit, ut pro vera habeatur, accurate tamen morbum conſideranti, vera ejus indoles facile patebit. Pleraque enim ejus ſymptomata multo mitiora, quam veræ, ſunt: ſanguis, ex vena miſſus, coagulum, non, ut in vera, denſum, ſed tenuius, & gelatinæ admodum, ſi movetur, tremulum exhibet, ac nulla fere febris ægrum urget. Ex quo liquet, morbum hunc ex lympha cruda atque per frigus coacta, & in pulmonibus ſubſiſtente conſiſtere. Ad quem producendum plurimum facere obſervata ſunt, prægreſſa ventris ingluvies, temperamentum pituitoſum, frigidaque tempeſtas, qua humoris, per cutim e corpore eliminandi, pars intus repellitur, ac in ea præſertim viſcera, quæ ſero ac lymphæ excernendæ deſtinata ſunt, pulmonem, ventriculum ac inteſtina, concurrere cogitur. In quo morbo, cum V. S. fere ſemper brevi ſuffocatio & mors ſequatur, quod a viſcida pituita in minima pulmonum vaſa coacta videtur accidere, non tam ſedari debere febriles motus intelligitur, quam potius tantos excitari, ut, & ſolvi pituita poſſit, & in venas propelli. Quæ quo poterunt aptiori auxilio obtineri quam vomitu? Per quem ſi vera peripneumonia, in qua per morbum vehementiſſimus motus eſt, & humores admodum denſi atque coacti, ſine periculo ſuperatur, quanto ſecurius adhiberi in ſpuria poterit? Neque eſt tantum ad viſcidi reſolutionem reſpiciendum, ſed mobile factum, ut plurimum, etiam ad inteſtina revellitur, ad quæ ut antea dixi, repulſi viſcidioris ſeri pars, per eaſdem peripneumoniæ cauſſas, a morbi initio decumbit. Et pulmo interdum ſine vomitu acrioribus clyſmatibus a pituita inhærente liberatur. Quare, poſt emeticam medicinam datam, ſemper utiliſſimum eſt, pituitam ad inteſtina delatam lotionibus, alvum immiſſis educere.

§. XII.

§. XII.

In variolis. Morbos inter acutos inflammatorios non ultimum locum occupant variolæ, unus ſui generis morbus, omnes cujuſque ætatis homines, omnibus fere anni temporibus, invadens, nulla alia ratione, quam naturæ molimine expiandus, & ſemel ab ipſo corpora rite expurgata nunquam amplius afficiens. Nolo multus eſſe in morbi hujus natura, præcipueque cauſſis exponendis, quas, cum varias admodum, ridiculaſque ex parte medentium plures enarrare ſoleant, tum lubens fateor, tum vel gloriæ mihi duco, me cum ſummis artis magiſtris, ignorare. Sufficit mihi variolas, a quacunque cauſſa ortas, morborum inflammatoriorum typum ſervare, eademque habere ſymptomata. Atque ejus decurſus tribus, ut dicunt, periodis fit. Prima contagii dicitur, aliis ebullitionis, aliis ſecretionis, eaque incipit cum febre. Altera eruptionis ſeu excretionis nuncupatur, ubi punctis parvis rubriſque, cutis capitis ac faciei primum mox manuum ac brachiorum, deinde trunci ac inferiorum membrorum inficitur. Tertia denique ſuppurationis audit, ubi puſtulæ illæ inflammatæ in pus abeunt, & arefactæ per ſquamas decidunt. Etſi vero, ut plurimum, ita comparatum cum variolis ſit, ut vires ægri vitales iis percurandis ſufficiant, cum tamen non raro & ſymptomatum gravitas, & materiæ morbificæ indoles, Medici operam deſiderent, oportet eam pro periodorum diverſitate variari. Atque in prima periodo decet medentem febris præſertim rationem habere, cui, ſi, nimis magna, eruptionem variolarum impedit, nulla re aptius quam V. S. occurritur. Eaque, quod ſanguinis copiam imminuit, febris impetum frangit. Contra ſi cacochymia urget, protinus purgante medicina utendum eſt, quoniam metus eſt, ne tantis agitati motibus humores pravi undique in ſanguinem confluant, ac vel veneni varioloſi ſecretionem impediant, vel cum eo ad cutem delati, puſtulas gangrænoſas faciant, vel, quod deterrimum omnium eſt, internis viſceribus inhæreſcant, ea diſſolvant, & mori ægrum ſphacelo interno faciant. In pueris enim variolis mortuis, inteſtina interdum veris puſtulis obſeſſa inveniuntur, & ſanguis ſolutus inter viſcerum vaſa, ac muſculorum fibras effuſus. Et in hoc caſu præſtat Hippocratem, alioſque ex priſcis medicis ſequi, qui, ubi initio morbi, turgente materia, purgantem medicinam dandam eſſe judicabant, valentiſſimi generis emeticum exhibebant, quæ cum maximam vim poteſt pravorum ſuccorum educere, tum ita quaſſat omnem viſcerum contextum, ut in eorum cavis deliteſcentes ſucci validius exprimantur. Atque vomitu debere veneni varioloſi ſeparationem a ſanguine juvari, etiam hoc probat variolas ſemper bene erumpere, & pus concipere, quoties, etiam ſine medicina, primis morbi diebus, vomitus ita ægrum vexavit, ut,

quicquid

quicquid aſſumſerit, ore redderet. Idem auxilium cenſeo & in altera morbi periodo, quam eruptionis appellant, interdum adhibendum eſſe. Quæ enim variolæ tertio quartove die maculis in cute conſpicuis ſe manifeſtant, ſæpius depreſſæ manent, neque pus concipiunt, vel ad interiora recepta materia ſubſidunt. Cujus rei cauſſæ, ſive in nimia materiæ copia, ſive ejus tenaciore indole, ſive in vaſorum inertia poſita ſit, optime mederi vomitus poterit, qui magnam impuri humoris vim educit, vaſaque ad valentiorem contractionem ſtimulat, qua eorum in ſuccos actio ita augetur, ut ſolvi eorum tenacitas poſſit, & eruptio promoveri. Emeticæ autem medicinæ uſum feliciſſimo cum ſucceſſu in variolis adhibuit, GUNDELSHEIMERUS, Regis Boruſſæ Conſiliarius Aulicus ac Archiater (vid. Act. Berolin. Decad. II. vol. II. memb. II.) Semel is ac iterum vel etiam tertia vice exhibuit medicinam emetico-laxantem e tartaro emetico & manna calabrina paratam, quam mane juſſit cum infuſo calido herbæ theæ ſumere, Eamque unus alterque vomitus & aliquot dejectiones excepere. Qua medendi ratione ſordes bilioſæ mucidæ in inteſtinis hærentes, partim per ſuperiora partim per inferiora educuntur, materies variolarum imminuitur, motuque vaſorum ac viſcerum excitato, humores ita quaſi coquuntur, ut puſtulæ, in cute ortæ, laudabili pure impleri queant. Prætereaque vomitus videtur etiam eatenus utilis eſſe, quatenus inter ea, quæ in cute, & quæ in inteſtinis ſecernuntur, adeo magnus conſenſus eſt, ut bilioſis ſuccis per alvum eductis, qui cogebant humores ad inteſtina confluere, non raro efflorefcere puſtulæ in cute, & affluente inutili humore, bene impleri videantur.

§. XIII.

Hactenus de acutis morbis. Multo frequentius licet morbos chronicos medicina emetica tollere. Quo nomine eos morbos appellant medici, qui ex parvis initiis lente ita increſcunt, ut corpus ſenſim paulatimve conſumendo hominem interficiant. Qui quidem varietate & effectibus admodum diſſimiles, variisque propterea nominibus appellati, omnes fere, ſi eos exceperis, qui morbos acutos male curatos conſequuntur, & qui a viſceris cujusdam, vel connata, vel quocunque modo contracta labe proveniunt, omnes inquam, antiquis recentioribusque medicis conſentientibus originem ſuam a ſuccis C. H. vitiatis trahunt, ad quod plurimum ſolet ventriculi aliarumque partium, quæ alimentorum digeſtionem juvant, debilitas conferre vel ciborum mali ſucci uſus. Neque vero multis argumentis adſtruere opus eſt, alimenta eum maxime in finem aſſumi, ut ſanguis, quo tot ac tantis, qui in nutriendis reparandisque partibus conſiſtunt, ſumptibus par ſit, a ventriculo poſſit repetere. Cujus *In morbis chronicis.*

officium eſt, aſſumtos cibos ita mutare, ut ad ſanguinis naturam accedant, eamque poſſint, vaſorum viſcerumque reliquorum actione accedente, omnino induere. Quare, ſive cibi ventriculi aliorumque viſcerum virtute imminuta, non recte mutentur, ſive ea eorum indoles ſit, ut mutari ab integerrimis etiam viſceribus non queant, cujus tamen hic nullam rationem habebimus, ſanguinem oportet ſuo de ſtatu decidi, variaque vitia contrahere. Quæ, ſive in ſpiſſitudine tantum nutritii ſucci conſiſtant, ſive in acrimonia etiam, neceſſe eſt omnes ſecretiones præcipueque nutritionem lædi, corporeque infirmato cuncta ejus membra ad perficiendas actiones ſuas ineptas fieri. Quæ cum innumeris debeant mutationibus occaſionem afferre, quomodo ab una ſimplicique cauſſa poſſint tam miræ varietatis morbi chronici produci, non difficulter intelligitur. Ventriculi vero & inteſtinorum præcipue duodeni infirmitas, ſi de organicis vitiis recedas, de quibus hic ſermo non eſt, a variis impuris ſuccis oritur, qui interioris membranæ rugis adhæreſcunt, & cum fontes ſucci gaſtrici occludunt, tum etiam fibras carneas laxant, torpidasque efficiunt. Eosque impuros ſuccos, ut digerentes medicinæ, præcipueque ex tartaro paratæ interdum corrigant, vel rhabarbari pulvis per intervalla aſſumtus, vel amara etiam cum rhabarbaro aliisque purgantibus cum vino infuſa ſolvant atque expurgent, non raro tamen morbus fruſtra his medicinis impugnatur. Quibus tamen certiſſime cedit, ſi viſcidi illi ſucci vomitu prius excuſſi ac ſoluti fuerint, mobilesque facti. Tumque eodem cum fructu aquæ minerales dari poſſunt, præcipueque Egranæ. Neminem vero dubitaturum eſſe exiſtimo, qui in prioribus locis expoſita perpenderit, emeticis medicinis vinci etiam illos morbos diuturnos poſſe, qui a viſcerum vaſorumque infirmitate proficiſcuntur, modo ea neque connata ſit, neque ab organico aliquo vitio producta. Præterea ſi morbum acutum progreſſum inſecuta eſt, oportet etiam vetuſtatem non habere. Ex quibus proinde etiam ratio patet, qua bilis inertia vomitu corrigi, ab eaque producti chronici morbi ſuperari queant. Quod tamen ſæpe ab inertia bilis provenire putatur, non tam hepati tribuendum eſt, quam viſcido muco, qui partim affluere bilem in duodenum libere non ſinit, partim actionem ejus in cibos impedit. Utque aliquot morborum exemplis rem omnem illuſtrem, nihil frequentius eſt hoc, quod in adultis æque ac pueris præſertim diuturnam tuſſim, & corpus fere conſumentem; quæ nempe non pulmonis, quam primarum viarum vitium eſt, pectoralibus, quas vocant, eſſentiis aut infuſis fruſtra tractant, quæ leni emetica medicina vel diei ſpatio tollitur. Neque minus licet illud ſanguinis ſputum vomitorio leni ſanare, quod ſimili cum tuſſi conjunctum, ab acri humore provenit, qui ventriculi & inteſtinorum villoſæ tunicæ adhæret. Quem tamen oportet mobilem factum aquis mineralibus expurgare, & inteſtina eluere. Sunt etiam inter medentes

dentes ſummæ auctoritatis non pauci, qui modo morbi vetuſtatem non habeant, nihil ad hydropem, cachexiam, alioſque ſuperandos, efficacius vomitu eſſe perhibent, & experti docent. Quod tamen ita in univerſum accipiendum eſt, fractum emetico morbum brevi vires ſuas recuperare, & ingraveſcere, niſi ſe æger diætæ legibus patienter adſtringat.

§. XIV.

De doſi vomitoriorum aliqua

Supereſt ut de doſi vomitoriorum nonnulla ſubjiciam. Nam cognitis morborum cauſſis, iiſque medentibus auxiliis nihil in arte ſalutari majorem poſcit attentionem, quam medicinas in doſes quaſdam dividere ita, ut morbi ſpeciei, ætati, viribuſque ægri reſpondeant, ut, quoad ejus fieri poteſt, cito ac tute curetur morbus, nec vel fatigandæ naturæ, nec immutandi temperamenti periculum incurramus. Quod ſi in reliquis omnibus medicinarum generibus tuto negligi poſſet, in purgantibus certe, ac ſigillatim vomitum facientibus non licet, quæ propter magnam, qua agunt, vim heroica vulgo, olim mochlica appellata fuerunt. Et quicquid de hoc auxiliorum genere ejuſque ſumendi quantitate proferri poſſit, illud omne oportet ab experientia deſumtum eſſe. Dari vero emeticæ medicinæ ſolent vel evacuandi cauſſa, vel alterandi & ſuccos & fibras. Quare in illo caſu, ſi magna ſordium tenacium vis ventriculo ac inteſtinis inhæreſcit, quæ purgantium medicinarum vim eludit, neque ſenſim, ſed uno quaſi impetu videtur expellenda eſſe, maxima doſi oportet emeticam medicinam dari, quo, validiſſimis ventriculi contractibus excitatis, quicquid ipſi vel tenaciſſime inhæret, excutiatur. Oportet tamen, quo ſordes etiam per alvum expurgentur, emetico purgans addere, vel tartaro emetico, qui ex valentiſſimis eſt, Ipecacuanham jungere, qua propemodum ſemper & alvus laxatur. Alia emetici ratio eſt, quod alterandi cauſſa datur. Cum enim conatus potius ad vomendum excitari debeant, etſi fortiſſima medicina datur, debet tamen in parva doſi exhiberi. Idque experientia confirmavit, emeticas medicinas parvis in doſibus alterandi cauſſa ſenſimque in vehiculo morbo apto exhibitas majorem multo utilitatem in pleriſque morbis præſtare, quam ſi major earum modus datus fuerit, ac vomitus excitatus. Vid. Tentamin. Edinburgenſ Tom. V. Artic. VI. Quibus demum & hoc addi poteſt, ne vomitus tempore parietes ventriculi ad ſe invicem allidantur, multum debere poſt ſingulos vomitus aquæ tepidæ aſſumi. Quæ, cum etiam impediat, ut medicina emetica ventriculi tunicis non nimis adhæreat, præterea que & ſordes expellendas diluat, ægro poteſt permultas magnaſque utilitates præſtare.

 Neque

Neque enim nimium vehementes ventriculi convulſiones fiunt, ſed cum lenis emeticorum actio eſt, tum ſordes parum valida ventriculi contractione expelluntur, partes, quæ in conſenſum trahuntur, non tam vehementer ſuccutiuntur, quam leviter commoventur, vaſorum non violenta conſtrictio fit, ſed mollis compreſſio, & qui alias liquores adeo impetuoſe agitantur, ut interdum vaſa perrumpant, ſatis placide propelluntur.

CCXXXV.

DAN. NEBEL,

ET

BERNARDINI WEPFER.

DE

MEDICAMENTIS CHALYBEATIS.

HEIDELBERGÆ 1711.

§. I.

INter deſiderata artis medicæ illud imprimis ponendum videtur, ut remedia efficacia uſu & experientia comprobentur, comprobata ad praxin & uſum medicum trahantur, ne inutilibus, qui mos eſt plurimorum, fucum tantum facientium, & ſpes ægrotantium deludatur & decor medicinæ atque honor obſcuretur, tandemque ars hæc ſaluberrima ludibrio veniat. Certè medicina artium, teſte *Hippocrate*, nobiliſſima, propter imperitiam multorum, qui eam exercent, infima omnium habetur. Hinc juxta mentem ſapientiſſimi *Verulamij* contingit, ut nonnunquam medicis præſtent multis paraſangis mulierculæ, quæ medicamenta avita, uſu & experientia comprobata, juxta normam præſcriptorum adhibent, doſin ingredientium nec augent nec minuunt, & ita tollunt morbum; è contra medici licentioſius ſæpè ſesquipedales medicamentorum compoſitiones præſcribunt, & uſu probata ſimpliciora remedia pro ſua libidine immutant, ceu dictatores naturæ, unde ſæpe numero accidit, ut inde non tantùm valdè nauſeoſum, & ob diverſorum ingredientium numerum atque congeriem vix ad ſcopum medici faciens pharmacum reſultet, ſed & ut plurimum ſpe ſua excidant ægri, qui hujusmodi medicamentum in uſum vocarunt.

§. II.

Et ſanè jam tædet cordatos recentiorum nonnullorum ſufficientiæ; dum antequam experimentum fecerunt, medicamento aſſumendo non tantùm viam conſtituunt, qua ingredi debeat, & ad partem affectam propere; ſed & agendi modum præſcribunt, quo particularum motu, figura, magnitudine aut mechaniſmo congredi debeat cum cauſa morbi, eamque ſubigere & expurgare, hoc nomine Philoſophi verius, quam medici, cum tamen, ſi ad rem & praxin medicam ventum eſt, ſæpius & facilè contingat, ut ratiocinio ſuo deluſi, quò ſe vertant neſciant, vocatus ab hinc empiricus morbum ſanet, medentemque priorem rubori det atque confuſioni.

§. III.

Multum certe debemus recentiorum induſtriæ, qui experimentis tam anatomicis, quam chymicis artem medicam eo uſque provexerunt, ut ſubtili Philoſophiæ naturalis, qua gaudemus, ratiocinio & adminiculo non ampliùs in occultarum qualitatum tenebris ubique palpemus, ſed in curatione morborum clariùs cernamus & acutius: aſt contra nec eorum laudo levitatem, qui rationum ludibrio ineſcati plus nimis illis tribuunt, tempus philoſophando ſecundum præconceptam opinionem conſumunt, falſa non nunquam pro veris ſectantes, errores ſerunt ex erroribus, & ita artem medicam obſcurant magis, quàm illuſtrant. Quis enim, ut vel hoc addam, quocunque ſit rationis lumine & acumine præditus nobis explicaverit à priori, quo particularum motu, figura, magnitudine aut mechaniſmo opium v. g. inducat ſomnum, aut cortex peruvianus curet febres; cum poſtquam uſu hæc inventa fuerunt, ne nunc quidem à poſteriori nobis de modo agendi certi quid conſtet: quot enim capita, tot ſententiæ, & ſic de cæteris.

§. IV.

Melius arti & rei medicæ conſultum volunt illi medentum, qui; cum ratio, ſecundum veteres, citra experientiam mendax, experientia autem citra rationem ſit fallax, media incedunt via recentiorumque inventis philoſophicis, chymicis & anatomicis utuntur, ita ut experientiam ceu filum *Ariadnes* nunquam deſerant, & hanc ceu partem potiorem ſequantur, felici autem conjugio utramque combinantes morbis remedia, non tantum quæ bona videri poſſent, (qui mos eſt plurimorum)

rum.) ſed efficacia, uſu & experientia comprobata conſtituunt, & ſecundum regulas & obſervationes therapeuticas feliciter adhibent.

§. V.

Ex horum medicamentorum efficacium numero commendant ſeſe nobis Chalybeata, quibus, propter egregiam virtutem, non poſſum hic, quin calculum meum addam, eaque multiplici uſu & experientia comprobata dignis laudibus extollam & præ multis aliis deprædicem.

§. VI.

Eſt autem chalybs ferrum depuratum & metallum ſui generis, è terræ fodinis, ſub nomine mineræ effoſſum, & quidem in variis terræ tractibus, unde ferri diverſitas oritur, uti apud metallurgos pluribus videre eſt. Nec attinet dixiſſe, ex quibus elementis componatur. Chymicum ſi interroges, ex ſale, ſulphure & mercurio conſtare reſpondebit: alius ex alkali potius, quàm acido: alius quinque nominabit rerum principia, activa nempe tria, duo paſſiva, quæ ſi demonſtrare tenebitur, aut flexu ſerpentino ſeſe evolvet, aut nomina aliud vel nihil ſignificantia in medium proferet: alius denique particulas conſtitutivas ſui generis ſeu atomos, primitus creatas, nec ἀλόγως producet. Quid Ariſtotelici hic, quid Carteſiani ſtatuant, ipſis decidendum relinquo: nec enim talia excutere penſi hoc nobis ſumſimus.

§. VII.

Illud autem cum admiratione omnium, tùm indagine noſtra digniſſimum videtur, quod ferrum duplici eaque contrariâ virtute præditum eſſe paſſim dicatur medicis, aperiendi ſcilicet & obſtruendi, adeò ut in quibuſdam morbis virtute adſtringente opitulari, in aliis aperire dicatur, id quod in uno eodemque ſubjecto difficulter conſpicitur.

§. VII.

Virtutem chalybis ſæpenumero expertus eſt perilluſtris Baro de Brunn, Dominus in Hammerſtein, Sereniſſimi Electoris Palatini Conſiliarius & Archiater celeberrimus, avunculus parentis loco ſummè colendus, qui non ſatis laudare poteſt martialia in affectibus quibuscunque ad veram cachexiam pertinentibus: quid autem per hanc ſit intelligendum, prius explicare operæ pretium erit & quidem caſibus potius & experimentis practicis, ab eodem prælaudato D. Avunculo meo benevolè commu-

communicatis, quam longo verborum ſyrmate; quorum primum eſto ſequens:

Quædam nobilium virginum, in monaſterio Sueviæ EDELS-HOFEN *Præſes, in prima pubertate non uſque adeò integra uſa fuit valetudine & menſtruorum inæquales periodos frequentius paſſa, tandem cachexia, quam chloroſin vocant, laborare cœpit. Facie dein pallidâ & labiis, ipſoque oris iſthmo quaſi exſangui, nimium menſtruorum fluxum ſuſtinuit, cum lipothymiis frequentibus, virium & totius corporis decremento, adeò ut tandem umbram potius, quam corpus referre videretur.* Varia ad ſervandam vitam jam fugientem adhibita fuerunt remedia, tantoque ſtudioſius, quantò nobiliore ex ſtemmate à *Weſternach* prodit ægra. Medici hinc inde advocati & conſcripti ſua contulerunt conſilia & auxilia, quoad ejus potuerunt optima, pleraque, quantum ſcio, eò collineantia, ut fluxum ſanguinis nimium ſiſterent, & animam cum effluxuram retinerent in corpore. Varia in hunc finem ſtyptica, adſtringentia ἰσχαιμα variis formulis & modis adhibita fuerunt; quibus tantum abeſt, ut ſcopo potiti, ut contrarium potiùs experti fuerint, & malum laberetur in dies in deterius.

Vocatus ergo prælaudatus avunculus meus tunc temporis in vicina Aula Sereniſſimi Marchionis Badenſis, Ducis exercitus Cæſarei glorioſiſſimi, agens in ſubſidium venit. Omnia ſeriò ſecum penſitantis, & acta longe repetentis tandem cogitatio mentem ſubiit, *qui fiat, quod Chalybs aperire dicatur & idem obſtruere* ab auctoribus. Cumque omnes cachexiæ ſeu chloroſeos virginum notas præ ſe ferre videretur ægra, nihil ſupererat, niſi ut inveniretur modus, quo eidem morbo, χλωρωσει ſcilicet, diverſos ferenti effectus apud nonnullas nempe & frequentiùs impeditum, in aliis nimium menſtruorum profluvium, mederi poſſet uſus chalybis, quem in illo nunquam non ſalutarem expertus fuit & proficuum. Verebatur enim, & verebatur meritò, ne cùm in aliis menſtrua uſu chalybis provocaverit ſuppreſſa, nimium eorum fluxum hoc adaugeret, animamque unà cum ſanguine profunderet. Tandem rem ita concepit, conceptamque effectui dedit, & feliciter. In chloroſi nempe cum vaſculorum uterinorum obſtructio apud pleroſque ſtatuatur auctores, & quidem cum ratione ſatis evidenti, facilè fieri poſſe intellexit, ut poſitâ vaſorum uterinorum obſtructione, aut citeriùs, aut ulteriùs, in diverſis ſcilicet locis, fluxus modò nimius, modo impeditus menſtruorum ex eadem cauſa oriri poſſit. Poſita enim, id quod frequentiùs contingere ſolet, obſtructione in arteriolarum uteri extremis, impediri fluxum menſtruum facilè concipitur, aut ex toto, unde menſtruorum ſuppreſſio; aut ex parte, unde eorum paucitas. Scilicet non pertingit ſanguis ad extrema uſque arteriolarum, propter obſtructionem & obicem in iis poſitum; nec attingit oſcula, tem-

tempore menſtruorum aperiri ſolita; hinc neceſſario ſupprimuntur, nec redeunt illa, donec tubuli obſtructi reſerentur, ut effluvium ſanguini permittant. E contra vero accidit, ut poſita ulterius obſtructione, circa origines ſcilicet venularum, ſanguinem revehentium (ibi autem fieri poſſe facilè intelligitur) ſanguis quidem ad extrema uſque arteriolarum pertingat, ultra autem cum non detur, propter obſtructionem in principiis venularum poſitam, extremis arteriolarum excidat per oſcula, tempore menſtruorum aperiri aut hiare ſolita; unde perpetuum ſanguinis ſtillicidium ſeu profluvium; abundantius tamen tempore menſtruorum, propter motum ſanguinis inteſtinum auctum, quam alio, id quod in noſtra reverendiſſima uſu venit.

§. IX.

His cogitationibus permotus animum ſumſit, & uſum chalybis ſuaſit venerandus avunculus methodo, qua alias in chloroſi cum impedito ſanguinis fluxu conſueverat. Eventus reſpondit conſilio: poſt aliquot enim ab ejus uſu dies melius ſeſe habere cœpit, color faciei vividior apparuit & vultus floridior, fluxu menſtruorum imminuto, actiones vitæ redierunt & ſucceſſu temporis bellè convaluit ægra.

§. X.

Idem experimentum abhinc in alia, non ignobiliori ſtemmate prognata, quippe Electoris Moguntini cognata, ſed maritata, plurium liberorum matre perfecit, nec minori cum ſucceſſu, adeo ut ex orci faucibus erepta vivis reddita fuerit illuſtriſſima Matrona. De aliis chloroſi cum ſuppreſſione menſtruorum laborantibus, uſu chalybis reſtitutis, dicere non attinet, quippe talia indies omnibus praxin exercentibus obtingunt experimenta.

§. XI.

Inter duo hæc extrema menſtruorum, cum fluxu eorum aut nimio aut impedito, & medium obſervavit *Idem*, quod nunquam menſtrua rectè fluant cum omnibus aliis chloroſeos notis, quarum aliquot Chalybis uſu ſanitati priſtinæ reſtituit, & nuptas ad pariendum inhabiles, fœcundas reddidit; quin ipſo geſtationis tempore adhibita martialia fœtum cum matre confortarunt, & abortum antea frequentem præcaverunt, cujus *illuſtre exemplum in Comitiſſa Imperii, & nuper in alia Generoſiſſima Matrona reportavit. Illa cum omnibus Chloroſeos notis menſtrua ritè experta conceperat quidem facilè, ſed conceptum ocyus, ſeptimâ ſcilicet, undecima & decima quarta geſtationis hebdomada reddere & abor-*

tire ſolita, uſu chalybis non tantum floridior & vegetior facta concepit, ſed ad juſtum tempus geſtavit conceptum peperitque feliciter.

Altera languida diu atque pallida ſæpius convulſionibus epilepticis agitata tandem intumeſcere cœpit pedibus atque vultu, haud citra metum hydropis, cum palpitatione cordis permoleſta, appetitu proſtrato, fluentibus nihilominus menſtruis juſto tempore, adeò ut diſſenſus cum alio medico ortus fuerit, perhibentis cauſam epilepticarum convulſionum in cerebro non circa uterum hærere, quia menſtruum vectigal natura debito ſolvat & accuratè ſatis; omnibus, quoad prolem & ipſam vitam deſperata, in medio uſu chalybis vegetior facta concepit; appetitum recuperavit, ceſſante cordis palpitatione, adeò ut de proſpero ſucceſſu nemo dubitaverit. Abſolvit nihilominus & continuavit prægnans inſcia uſum chalybis. Circiter tertium graviditatis menſem dolor hæmorrhoidum, quo anteà ſæpies conflictata fuerat, ſupervenit acutus, tentaque crevit tormenta, ut tandem uterus vicinus bello hoc inteſtino commotus & turbatus ſarcinam abjecerit & enixus fuerit gemellos modo violento.

§. XII.

Ex hactenus adductis exemplis perſpicere licet, quæ ſit cachexia, cui propriè & ſpecificè medetur chalybs. In omnibus autem videre fuit languorem totius corporis pallorem ad intima uſque palati, auriculas & extremos ungues pallentes, cum palpitatione cordis, dolore capitis & ſtomachi, dyſpnœa, præſertim in aſcenſu acclivium & ſcalarum, lipothymia, tumore pedum œdematoſo ſub veſperam præſertim, palpebrarum totiuſque faciei tempore matutino, aliiſque ſymptomatibus, in diverſis ſubjectis, uti fieri ſolet, variantibus.

§. XIII.

Cauſam ſi preſſius indagemus dictorum ſymptomatum apparebit, circulationem ſanguinis equidem non planè interceptam (quæ nonniſi cum vita intercipitur) difficilem tamen fuiſſe & particularem. Etenim pallor extremorum, qui comes hujus morbi individuus nonniſi privativus color videtur, quatenus particulæ ſanguinis rubicundæ aut deficiunt (nam ſanguis plerumque ſeroſus & aquoſus conſpicitur, & qui menſtruo fluxu excernitur, & qui vulneratis extremis vaſorum capillamentis excidit) aut certè non penetrat nec pervenit ad extrema uſque vaſorum ſanguiferorum capillamenta, quæ faciei, & cutis ſuperficiem perreptant, eamque colore roſeo perfundunt, nec niſi ſeroſæ, fluidæ eo appellunt, ſuoque colore albicante & pallido cutim inficiunt: reſtitantes autem tumorem palpebrarum, faciei & totius corporis, inprimis autem pedum

pedum inferunt. Nec dolor capitis, dyſpnœa, palpitatio cordis aliundè derivanda, quàm ex eadem difficultate circulationis, qua fit, ut ſanguis circa meninges hærens, dolores; circa præcordia accumulatus palpitationes cordis, anxietates, lipothymias cum difficili reſpiratione inferat.

§. XIV.

Cauſa difficilis circulationis ſanguinis eſt ejuſdem lentor, craſſities & frigiditas, quæ ſenſu percipitur; non enim pallent ſolùm ægrotantes, ſed & frigent, & ſeſe incaleſcere non poſſe potiſſimum conqueruntur; id quod aliunde non, niſi à ſuppreſſione βιολυχνίυ & flammulæ vitalis, ſeu à particularum ſanguinis activarum defectu, aut ab utraque cauſa procedit, quod quidem partim ex modo γενέσεως, partim quoque curationis manifeſtum evadit. Etenim frequentius nihil accidit, quam quod incaleſcentes chorea aut ſaltatione puellæ, frigida dum ſeſe ingurgitant, aut *Limonata*, aut emulſionibus, præſertim poſt medium noctis, aut acetariorum, aut fructuum horæorum abuſu in dictum incidant morbum, qui curatur non aliis niſi contrariis, medicamentis ſcilicet calefacientibus v. g. plantis aromaticis, chalybeatis, thermis; læduntur contra à frigidis; quæ quidem ſatis ſuperque teſtantur, flammulam vitalem frigidorum abuſu ſuppreſſam calorificis excitari iterum & refocillari, dum ſanguis refrigeratus & craſſus, in motu tardus, attenuatur iterum & ad fluxum per vaſorum minima habilis redditur. Cauſa autem, cur menſtrua & quidem debitò fluant nonnullis chloroſi affectis videtur: quia etſi eadem ſit omnibus ſanguinis diſpoſitio ad pariendas obſtructiones apta, non tamen circa uterum neceſſario ſemper contingunt illæ; unde accidit, ut vera etſi chloroſi laborent, fluxum menſtruum nihilominus debito patiantur.

§. XV.

Cæterum chloroſis non in puberibus tantum & adultis, ſed & apud impuberes obſervatur tam maſculos, quam fœmellas; rarius tamen apud illos, apud has autem frequentius. Et ratio hujus rei eſt in promtu: etenim cum calor in hac tenera ætate ſit languidus, facile accidit, ut perverſo victu, crudis ſcilicet frigidis, quibus delectantur, viſcidis, farinaceis & lacticiniis obruatur, unde cumulantur humores viſcidi, qui particulas ſanguinis ſpirituoſas & activas ſupprimere ſolent, præſertim ſi accedat αδδηφαγία vitæ infantum infenſa.

§. XVI.

Virgines tamen potiſſimum infeſtat, quia ſanguis in ſexu ſequiori

frigidior plures cumulat ſcorias & recrementa, menſtruatim excerni & eliminari ſolita, quæ levi in victu errore (ad quas proclives eſſe ſolent) ſuppreſſa aut retenta ſpirituoſas & activas onerant, gravant, fermentationem ſanguinis naturalem opprimunt & flammulam vitalem extinguunt; unde parata eſt ad cachexiam fiat, chloroſin & leucophlegmatiam via.

§. XVII.

Huic morbo oppoſita ſunt varia a peritis remedia, ſingula eo collineantia, ut particulis ſuis calorificis, activis & elaſticis torpidas, viſcidas & pituitoſas incidant, attenuent & in motum cieant, motum ſanguinis inteſtinum augeant, & ita robur & vigorem eidem concilient. Ex horum numero ſunt plantæ, ſale volatili refertæ, ſunt aromata varii generis, oleum cum ſale volatili fundentia balſamicum, ad βιολύχνιον fovendum idoneum: ſunt præterea thermæ tam potu, quam inſeſſu adhibitæ, quæ particulas viſcidas incidunt, attenuant & obſtructiones ſolvunt. Juvat inſuper, teſte experientia connubium, quas fruſtra remediis hucusque fatigarunt medici. Nempe particulæ ſpirituoſæ ſeminis maſſam ſanguinis ſubeuntes, eam inſpirant, & ceu fermentativæ novum motum in ſanguine excitant, quo fit, ut quæ antea torpebant in motum concitentur particulæ, unde novus color, vigor & alacritas oritur.

§. XVIII.

Non expedit ſemper inire conjugium, nec tempus eſt utendi thermis. Ex remediis autem, quæ ſemper parata habentur pharmaceuticis, potentiora & efficaciora, quantum praxis docet & experientia, ex marte petuntur, in hoc genere morbi verè ſpecifica, rarò fallentia, ſcitè ſi adhibeantur, in quorum agendi rationem inquirere inſtituti ratio ferebat ab initio, cum aperire dicatur & obſtruere, & ita contrarios edere effectus, id quod de nullo alio remedii, genere quot quot numerantur ab auctoribus annotatum obſervamus.

§. XIX.

Superius jam in hiſtoria cachexiæ prima explicui, qua ratione inductus D. Avunculus (ſiquidem eouſque non niſi in obſtructione menſtruorum chalybe & cum ſucceſſu uſus fuerat) in contrario huic affectu, nempe hæmorrhagia uteri eodem uti auſus fuerit: ſcilicet ex qua penitior innotuit & auſpicato illuxit ſcientia anatomica, conſtat, hæmorrhagiam non tantum ex reſeratione ſeu apertione vaſorum ſanguifluorum, ſed & obſtructione eorumdem oriri mechanice. Etenim ſi motus ſanguinis debet fieri per rivulos, arteriolarum ſcilicet extrema,

in

in venas annexas ſocias, quemadmodum fieri & quidem celeri motu per microſcopium in anguilla clarè perſpicitur, nemo non videt, orta in exiliſſimis tubulis obſtructione (quam oriri eſt in promptu & mirum non contingere crebrius) ſanguinis progreſſum intercipi, eundem accumulari à tergo, vaſcula hinc turgeſcere atque diſtendi, tandem quoque rumpi, unde ſanguis profluit, tanto copioſus, quanto apertio major fuerit. Quodſi dicta obſtructio contingat in arteriolis uteri, ita ut ſanguis, ad oſcula, tempore menſtruorum aperiri ſolita non pertingat, evidens eſt menſtrua deficere & negata via fluere non poſſe, unde eorumdem ſuppreſſio neceſſario ſequitur: Quod ſi dicta obſtructio contingat ulterius circiter initia venarum, tunc redundans ſanguis verſus arteriolas diſtendit orificia, tempore menſtruorum aperiri & hiare ſolita, interdum vaſa diſtenta rumpuntur, unde ſanguis, qua data porta effluit, tanto abundantiùs, quanto ſanguinis motus impetuoſior & vaſis ruptio major fuerit, prout de his ſuperius commentatus fui.

§. XX.

Ad utrumque vitium, apparenter plane contrarium, reapſe tamen ſibi ſimile, non niſi reſeratione vaſculorum obſtructorum opus eſt, ut ſanguis rivulos ſuos decurrere & ſtadia ſua emetiri poſſit; ita enim eodem medicamento, aperiente ſcilicet menſtrua revocari atque cieri ſuppreſſa, & coërceri nimia clare, ut opinor, intelligitur. Idem de aliis quoque medicamentis tenendum. Hinc thermæ pleræque menſtrua revocare ſuppreſſa, nimiaque coërcere, utrinque ad mediocritatem reducere paſſim dicuntur, & à magni nominis atque famæ medicis ægrotantibus præſcribuntur, etſi optato non ſemper ſucceſſu: Contrarium enim experti Medici celeberrimi, uſui earum ulteriori interdixerunt tempeſtive. Contigit nonnunquam, ut ſanguis, fervore balnei rarefactus, antequam obſtructio ſublata fuiſſet in venis, exundaverit tanta vi, ut animam purpuream una effudiſſent, niſi conſilium mutaſſent tempeſtivè; id quod in thermis *Krumm-Bad* in Suevia Ulmæ vicinis expertus fuit Per. Illuſtris D. Avunculus in duabus matronis, quibus uſus balnei propter nimium menſtruorum fluxum commendatus fuit.

§. XXI.

Ex dictis modo conſtare arbitror, falso duplicem eamque contrariam virtutem chalybi ab auctoribus affingi, id quod non niſi ignorantia penitioris anatomes factum fuiſſe exiſtimo: adeo ut Philoſophis ſua maneat laus atque regula: contraria in uno eodemque ſubjecto per ſe non dari. Quo quidem exemplo anatomiæ præſtantia clare eluceſcit, quæ

 inſigne

inſigne lumen affundit caligantibus in praxi & incertis ; viamque monſtrat, qua incedere debeant.

§. XXII.

Porro inquirendum reſtat & enucleandum, qua virtute chalybs obſtructa reſeret & vigorem ſanguini reſtituat vappeſcenti ? Inter uſum ejus obſervavi a prima doſi, 2da, tertia & quarta nonnunquam, etiamſi minori, mirè angi ſtomacho ægrotantes & cardialgias pati; quem quidem effectum alii gravitati chalybis adſcribere ſolent; alii acumini & ruditati particularum chalybis & ventriculi teneritudini, adeo ut *Doctiſſimus Willis* Cardialgias lethales in tenerioribus excitatas fuiſſe, *Tractatu de affect. hypochondr.* annotaverit : in quorum ſententiam facile propenderem, niſi toties laudatum D. Avunculum aliud docuiſſet experientia. Etenim continuando uſum chalybis, ſtomachum a prioribus doſibus mire afflictum, etiamſi minoribus, a ſubſequentibus, etſi majoribus minus affici, quin languentem antea reſtitui obſervavit, ut quæ olim non appetierunt ægrotantes, appetitum recuperarint & felicius concoxerint cibos, de nullo ſtomachi dolore, aut moleſtia, uti antea conqueſtæ. Hac obſervatione eo inductus fuit, ut humorem quendam peregrinum cum aſſumto medicamine efferveſcere, dolorem ita & anxietatem creare ſtomacho; fractum ab hinc virtute chalybis & correctum menſtruum melius perficere concoctionem & ευχυλίαν procreare, cum ευεξία ſubſequenti, crediderit. Nec tantopere abhinc reformidavit afflictiones ab initio curæ chalybis oriri ſolitas : quin bono animo eſſe juſſit afflictas, & proſperum chalybis effectum & valetudinem ominatus fuit, plerumque veridicus. Adeo ut chalybs ceu alkali ſui generis cum humore vitioſo ſtomachi efferveſcere, illum corrigere & ipſi ſtomacho mederi videatur.

§. XXIII.

Inde & alterum conſectarium intelligitur; etenim cum menſtruum ſtomachi correctum, corrigat & ſanguinem, reddatque eundem vegetiorem & magis fluidum, obſtructiones quoque tubulorum uterinorum reſerati & fluxum ſanguinis menſtruum reſtitui intelligitur.

§. XXIV.

Hunc effectum nominatum docebat inſuper color excrementorum, ſeu alvifœcum, quæ nigricare videntur non niſi ex ſolutione chalybis in primis viis, quæ quidem tinctura mechanicis quoque obſervatur, unde atramentum ſuum conficere ſolent ſutores, ex ferro ſcilicet, ferrugine obducto

ducto cum cereviſia tenui, aut aqua, cui adjectum eſt coagulum lactis aut poma ſylveſtria contuſa, adeoque non citra acidum. Idem ſpectare eſt in tinctura ♂tis cum ſucco pomorum aut alio menſtruo, plerumque acido parata.

§. XXV.

Nec tamen hic ſubſiſtere aut deficere virtutem chalybis ex aliis inſuper phænomenis didici. Etenim & thermas reſtituere alias, alias juvare connubium, quibus cum ſtomacho per ſe nihil intercedit commercii, ſuperius demonſtratum fuit; hinc activitatem chalybis primis viis non terminari, ſed ulterius ad maſſam ſanguinis usque pergere, eandemque invigorare alia inſuper virtute colligere licet. Nec enim particulas tantum antacidas continet, in ſtomacho ſolvendas, ſed & igneas colliſione cum ſilice eliciendas, ſummæ virtutis & efficaciæ, φλογίςας vocant alii, quas inſuper ſolutio chalybis manifeſtat. Etenim quocunque modo ſolvatur, ſolvitur autem potiſſimum acidis, mire efferveſcit, ſtrepitum edit, unde vas continens incaleſcit, non citra periculum fractionis, bullasque, ſicuti ignitas ſcintillas disjicit; indicio evidenti, ſumme activos continere & particulas elaſticas. Etenim bullæ excitantur in imo & profundo liquoris, chalybem ſolventis, quæ ab emiſſo gas ſeu ſpiritu elaſtico, antea ſuis repagulis retento, nunc autem ope menſtrui ſoluto excitatæ, aquas dilatantes bullarum forma ad ſuperficiem liquoris emittuntur impetuoſe.

§. XXVI.

Spiritum, corporibus concretis incluſum ſequenti alias experimento detexit D. avunculus: aquas varias medicatas vaſculis vitreis exceptas antliæ pneumaticæ ſubjecit, aërem debito modo ſubduxit: mirum quantum inde ebullierunt liquores contenti, plus minus tamen, pro eorum diverſitate; ♂les præſertim & ex his anthonianæ aquæ, tantum non oras vaſculi bulliendo ſuperarunt: ſpiritu ab hinc emiſſo ſiluerunt immotæ.

§. XXVII.

Exinde corporibus, quæcunque emittunt bullas in ſolutione, incluſos eſſe ſpiritus, ſeu particulas ſumme activas & elaſticas diſcimus, forte & ipſis corporibus fixis, quæ vocant, uti ſunt lapides 69. Corallia, Margaritæ &c. unde talia non paſſive ſeſe habere, abſorbendo acidum, ſed & ſpiritum emittere activum hariolari licet. Nec enim ex æthere ſeu aëre deſcendunt particulæ bullas excitantes, ſed in imo vaſis ex ipſis corporibus ſolvendis erumpere & bullulæ excitatæ per liquorem, quo ſolvuntur, ad ſuperficiem ejus ferri conſpiciuntur. Fuit qui exiſtimavit magni nominis Philoſophus, bullulas excitari ab aëre externo in ſolutione

chalybis

chalybis. Hujus quæſiti, ut experimentum caperet perilluſtris D. de Brunn limaturam chalybis in duas diviſit partes, quarum unam in antlia pneumatica ita poſuit, ut ſubducto aëre in ſolvens poſitum in antlia præcipitare, alteram eodem temporis momento in libero aëre poſito ſolventi injicere poſſet, ut ita appareret, num aër externus quid ad hanc bullarum productionem facere poſſet. Omnibus rite compoſitis, partem limaturæ eodem momento in dictum ſolvens injecit. Accidit autem, ut in vaſculo in anthlia poſito ebullitio citius & impetuoſius ordiretur, quam in altero in libero aëre poſito. Unde didicit non aërem eſſe externum, qui ebullitionem excitet, ſed ſpiritum potius limaturæ martis incluſum, ſolutis repagulis impetuoſius erumpere propter non prementem aërem, qui preſſione in libero aëre diutius remoratus fuit effervefcentiam.

§. XXVIII.

Quæ cum ita ſeſe habeant, chalybem alia, præter dictam in ſtomacho, virtute pollere, particulas nempe ſumme activas & elaſticas ad ſanguinem emittere, eum invigorare, fluxilem & activum reddere, & obſtructiones ſolvere diſpaleſcit, tanto efficacius, quanto impetuoſius ebullit, & copioſiores præ aliis emittit particulas activas & elaſticas.

§. XXIX.

Hoc nomine efficacium remediorum maximum cenſetur chalybs in morbis chronicis; ſpecificum, ubi flammula vitalis ſuppreſſa eſt, uti ſuperius demonſtratum fuit. At contra non eundem ſortitur effectum in morbis calidis, viris v. g. ex meri abuſu hydropicis, in quibus, etſi obſtructiones viſcerum obſerventur, potius ex tartareis concretionibus, (nam indureſcunt glandulæ in iſtis,) quam ex viſciditate lymphæ procedere videntur; unde non mirum eadem felicitate uſurpari ♂ alia in illis, quam anaſarca aut leucophlegmatia & intemperie frigida affectis. Hinc & pulmoni nocere creditur chalybs, de quo videatur Gedeon Harvei, ſi undique fide ſit dignus auctor. Etenim uſu chalybis calor ſanguinis intenditur, nocivus viſceribus, calida intemperie affectis.

§. XXX.

Supereſt, ut monſtrem & palam faciam methodum, qua perilluſtris de Brunn uti ſolitus fuit chalybe in praxi ſua, qua haud vulgarem ſibi famam comparavit. Et hic non poſſum cum genio candidiſſimo *Sidenhamio*, quin faciam, qui cum tota antiquitate veneranda crudum præfert arte parato; etſi is ſit mos ſeculi, ut arcani niſi quid magnifici & ſingulari artificio præparati præ ſe ferat & fucum faciat, fidem tantam vix inveniat

inveniat apud vulgum & ipſos quoque magnates, præſertim quos fumi venduli vel ſemel in ſuos pertraxerunt laqueos: cum tamen res, quantum ad chalybis uſum in propatulo, juxta experientiam, rerum magiſtram eſſe videatur. Etenim ex ſupra dictis, experientia confirmatis rationibus conſtat, chalybem duplici reſpectu tam proſperos in reparanda valetudine edere effectus, tum acidum ſtomachi peregrinum immutando, invertendo & corrigendo; tum particulas activas fluidis corporis ſubmittendo, inſpirando, ſanguinem ita invigorando. Utroque modo ſi res conſideretur, crudus præparato præferendus videbitur. Pleræque enim præparationes acido, aut acidi ſuccedaneo peraguntur: quo fit ut virtus antacida præparatione non modo infringatur, ſed & particulæ activæ effervescendo ſolutæ avolent & exſpirent, aut alias invertantur, unde non poteſt non virtus ejus minui.

§. XXXI.

Sed ne diutius L. B. morer, Perilluſtris Avunculi methodum medendi in his caſibus paucis deſcribam: jubet ille chalybis limaturam recentem contundere in mortario ferreo, hinc per linteum trajicere, ut in ſubtiliſſimum pollinem redigatur, ſcilicet ne offendat tenerioris forte ſtomachi fibras, non ſatis muco veſtitas: laxans aliquod v. g. forma pilularum cum ☿ dulci præmittere ſolet, ad fundendam humorum craſſitiem, ſimulque, ſi quid eſt impuri in primis viis, eliminandum v. g.

℞. *Extr. pil. cochiar ſcrup.* I.
  ☿ dulc. ſcrup. ſem.
  Trochiſc. alhand (ſi acuere expedit) gr. j. ij.
C. Elix. prop. Clauder. F. Pil. Num. IX. inaurentur.

ſequenti die ferias concedit; abhinc.

℞. *Chalyb. dicto modo præparat. unc. j.*
  Siliq. dulc. (ad dilatandas particulas chalybis) unc. ſem.
  Mſc. fiat pulv. ſubtiliſſimus ad ſcat.

Hujus pulveris prima vice ſcr. med. porrigit cum cochlear. ij. vini generoſi aut abſinthitis; deambulationem abhinc, laborem aut aliam exercitationem injungit, ad circulationem ſanguinis & ejus motum accelerandum, quo particulæ ♂les triturentur magis, & cum fluido corporis undiquaque ferantur. Poſtridie doſin auget duobus aut tribus granis, quotidie aſcendendo uſque ad ſc. j. aut gr. XXIV. Quodſi primis diebus graviter ferant medicamentum, alternis diebus ſuggerit, quo moleſtia plerumque minuitur poſt tertium aut quartum uſus diem; quin

 bonum

quin bonum plerumque eſt & ſecundæ operationis indicium; qua propter bono animo eſſe ægrotantes jubet. Hinc mane atque veſperi eandem doſin ſcil. gr. XXIV. repetit, eodem cum regimine; continuando ad 15. 20. & triginta dies & ultra prout neceſſitas juſſerit. Frigidis, crudis, acidis & concoctu difficilibus interdicit. Suadet vice verſa calidis veſcantur, boni ſucci & facilis concoctionis cibis. Vinum concedit, quod ſolutionem chalybis juvat, & maſſam tam alimentariam, quam ſanguineam confortat. A paſtu Trageam aromaticam ad eundem finem præſcribit: aliis frigidioribus ante prandium tincturam amaricantem ex *Aloe*, *Myrrh. Croc. Rad. Zedoar. Galang.* & *Theriac. c. ſpir. Iuniper.* paratam, cujus dimidium excitat appetitum, ſimul movet ventrem & blennam viſcidam chalybe ſolutam expellit felici cum ſucceſſu: aliis, ut palato indulgeat, ſequentes pilulas ſuaſit.

℞. *Extr. Trif. fibrin.*
Gentian.
Card. Bened.
Croc. auſtriac. an. drach j.
Chalyb. ppt. unciam j.
Mſc. F. Pil. ex drachm. j. XXX. inaurentur.

Harum V. VII. IX. XIII. capiant c. vino & corpus exerceant: Aliis denique alia. Teneris præparata quoque præſcribit mitiora & refracta, uti *Magiſterium ♂tis aperitivum Mynſicht.* a drachma ſ. ad drach. I. c. vino, juſculo aut alio liquore conveniente. Quaquidem methodo & convenienti diæta infantes, puellas, virgines & uxores cachecticas, ſuppreſſione aut nimio menſtruorum profluvio laborantes etiam gravidas priſtinæ, juvante Deo, reſtituit valetudini, multarumque ita inivit gratiam: quæ quidem hic publice proferre conſtitui, non ut novi quid afferrem, ſed ut ſtabilirem Avunculi experientia, aliiſque commendarem veterum auctoritate probatum chalybis uſum.

§. XXXII.

Dicta hactenus experimento eôque illuſtrî corroborare operæ pretium erit. *Illuſtriſſima quædam virgo, viginti annorum, menſtruorum fluxum præmaturum, duodecimo ſcilicet ætatis anno experta, eumque fuſum & largiſſimum, incidit in pertinacem menſium obſtructionem, cum omnibus chloroſeos ſignis, ut umbram potiùs, quam vivum corpus referre videretur. Nullis, etiam celeberrimorum Medicorum conſiliis & auxiliis eo reduci potuit, ut expugnaretur morbi pertinacia. Illud imprimis memorari meretur, quod alterutræ nympharum primo, eoque enormi menſtru-*

orum

orum profluvio intumuerit, & extuberarit cum dolore intolerabili, adeò ut imperita vocata obſtetrix, (peritum enim vocare vetabat verecundia) judicarit affectum procidentiam uteri. Dolorem patiens alto preſſit corde per biennium. Hinc in conſilium vocatus D. Avunculus cum Chirurgo, *hic quidem partem affectam contemplatus, judicavit perperam, abſceſſum in collo uteri latere eò, quod fluxit ex ſinu pudoris humor quidam turbidus, & præterea inſignem colli uteri duritiem: poſthinc & ipſi copia facta examinandi partem affectam, nihil aliud deprehendit præter dictam nymphæ protuberantiam, & firmiſſimam vaginæ coarctationem; fluorem autem non niſi eum, quem album vocant Medici obſervavit. Cæterùm non tantum pallida, viridis, ſed & ceu exſanguis viſa fuit, cum intumeſcentia faciei & pedum œdematoſâ, ut hydropem anaſarcam morbum nominare non dubitarent Medici, & de ſalute ægræ deſperarent, variorum jam conſilia, ſed fruſtra experta. Quoties vel caſu vulnerabantur, quod accidit frequentiùs, extrema, loco ſanguinis, nonniſi ſerum ſubcruentum, inſtar loturæ carnium fluxit. Animum tamen addidit deſperabundæ & medicinam, uti pluribus aliis feliciter fecit. Præſcripſit juxta pilulas laxantes c. ☿. dulci, alias ♂ les, cum eſſentia amaricante, & regimen curationi debitum imperavit, eo cum ſucceſſu, ut non tantum facile tulerit uſum remediorum, ſed & exacto octiduo exſplenduerit utilitas eorum evidentiſſimè & perpulchrè. Appetiit egregié, dormivit noctu; color & calor naturalis rediit indies, & alacritas animi tanta, ut ſaltaverit jucunda & hilaris cum ſociis & triumphaverit optima virgo, ſed ante victoriam. Nec enim hic celare volo ſiniſtrum quoque eventum, quem alii ſollicitè & callidè reticere ſolent. Vigeſimo enim primo ab uſu remediorum die, dum omnia ſalva viderentur, de dolore capitis conqueri cœpit & inquietudine nocturnâ, inſolitâ hactenus. Sequenti aurorâ aucto capitis dolore ſupervenerunt convulſiones. Quærebatur tunc D. Avunculus per omnes urbis angulos, ſed, fato forſan, inveniri non poterat. Increbuerunt interim convulſiones, tandem ad extrema jam deductis ægræ rebus advolavit, indeſinentibus agitatam convulſionibus ægram invenit inter ploratus gemituſque adſtantium. Opinatus, nec ſine ratione, fermentationem ſanguinis menſtruam, tanto temporis intervallo ſuppreſſam, nunc autem refocillata flammula vitali revocatam, talia patrare & inferre ſymptomata eò, quod ſanguis in vaſis æſtuans & bulliens, exitum autem non inveniens verſus cerebrum redundet, ocyus venam, primo malleoli: hinc, non ceſſante periculo, in brachio tutudit & ſanguinis affatim detraxit, ſpe fretus fore, ut depletis vaſis ceſſarent convulſiones: ſed res jam eo rediit, ut fruſtra fuerit omni ſua arte & ingenio: quippe convulſionibus, cerebro forte jam plus nimis inundato extincta fuit, & ita in portu naufragium fecit. Luſtravit abhinc ſanguinem in pelvi, quem juxta illum admirabantur omnes, quotquot adfuerunt & medici & chirurgi, & ejus bonitatem laudabant impensè.* Unde perſpicere licet, innovato quaſi, medicamentorum beneficio, ſanguine

omnia ſymptomata non tantum ſublata fuiſſe, ſed & floruiſſe virginem: propter occalleſcentiam autem uteri, ex chronica vaſorum uterinorum obſtructione etiam optimum redundaſſe, propter denegatum exitum, verſus cerebrum, & lethales neceſſario intuliſſe convulſiones. Quibus forte, ſi citius adventaſſet perilluſtris D. de Brunn mederi potuiſſet miſſione tempeſtiva ſanguinis & emollientibus, uteri orificio applicandis, huic parare exitum ſalutarem.

§. XXXIII.

Hinc neſcio, qua fronte aut experientia tantoperè invehatur in medicos, qui utuntur chalybe, ut *ferrarius* eos dicere haud erubeſcat, quiſquis ille ſit Harvei, certè altero illo ſui nominis longè inferior, qui pollicitis dives fortè plus dicit, quàm præſtitit unquam in Praxi. Sed condonandum interdum luxuriei ingeniorum, quibus nonniſi nova & ſua placent, aliena autem ſordent. Experientia hìc fida teſtis, cui uni plus fidendum in praxi medica, quam iſtorum vanitati, quæ proin tenues evaneſcat in auras!

§. XXXIV.

Unicam adhuc addo obſervationem practicam, quam ſilentio præterire nefas omninò ducerem, qui nempe fiat, quod virgines aut mulieres chloroſi affectæ, etiamſi ſanentur perbelle beneficio chalybeatorum, relicto horum uſu facilè recidivam patiantur? Id quod mirantur ſæpiùs exercitati Medici & indolent ſortem miſellarum, quæ etſi ſatis cautæ fuerint, quoad victûs rationem (ſi credere fas eſt,) nihilhominus amiſſo, quem recuperarant colore vivido, amiſſaque εὐεξία, qua gaudebant, in priorem inciderunt calamitatem & cachexiam. Cauſa autem hujus phænomeni partim ex ſupra dictis pateſcit: ſcilicet, durante chalybis uſu flammula vitalis particulis activis, ceu in foco ignis alitur lignis: quibus ſubtractis, ſicut hic extinguitur, ita & illa elangueſcit ſenſim & ſanguis priorem repetit craſin. Fortè & accedunt errores in victu, quos ſtudioſè celare ſolent; gulæ plus nimis addictæ. Hinc diuturniorem chalybis uſum commendo, uſque dum bona valetudo quaſi habitum acquiſivit, & ad quadraginta dies illum plerumque extendo. Nec inutilem; juxta cum his ſalutaris eſt uſus *Eſſentiæ amaricantis*, ſuprà memoratæ, quæ blennam & viſciditates primarum viarum ſolvit, detergit & ita recidivæ metum averruncat proſperè.

CCXXXVI.

MICHAELIS ALBERTI,

ET AUCT.

JOH. HAVIGHORST,

DE

SINGULARI MERCURII DULCIS USU

IN DESPERATIS QUIBUSDAM MORBIS.

HALÆ 1745.

PRÆFATIO.

STupenda mercurii natura omnium oculos in ſe convertit, eademque, ut credibile eſt, primum chymiatros deſiderio inflammavit experiundi, quali vi *aut per ſe hominem adgrederetur, aut aliis formis indutus ad* medendum *ægris corporibus valeret.* Uſus mercurii medicus.

Paulatim igitur periclitando, ut primum ARABES *mercurii uſum in ulceribus efficacem eſſe cognoverunt, præeunte poſtmodum in primis* THEOPHRASTO PARACELSO *complures noſtro ſub cælo facti ſunt alacriores, ad mercurium crebris variarum operationum tentaminibus ſubjiciendum, & quæ inde oriebantur producta ægrotantibus ſubinde applicanda.* 1. Repertus ab Arabibus. 2. Propagatus à Paracelſo.

Etſi autem hi mentem Helvetii hujus anteſignani multis ænigmatibus involutam extricare & jactatorum ab eo arcanorum notitiam conſequi raro, aut nunquam potuerint; acri tamen contentione non mediocres nec ſpernendos in hoc ſtudio progreſſus feciſſe, *& permulta antehac incognita, frementibus licet* GALENICIS, in lucem protuliſſe, *ipſumque potentiſſimum è mercurio venenum, in ſalutare medicamen* transformaſſe *apparet.* 3. Excultus ab hujus aſſeclis.

Progrediente ætate & ſolerti artificum diligentia, ſenſim hinc manavit tanta generoſiorum mercurialium remediorum multitudo, *ut hodie phar-* Unde varia mercurii præparata, interquæ

pharmacia chymica admirando hoc naturæ fœtu velut præcipuo quodam columine ſubniti quibuſdam videatur.

Nec facile quiſquam inficiabitur, non pauca beneficio ſolutionis, præcipitationis aut ſublimationis aliis ex rebus cum mercurio componi, quibus in diverſis morbis ſeu læſionibus ad ſanitatem redintegrandam optato cum fructu medici utuntur; quamquam ſimul fatendum eſt, multorum, quæ proſtant, mercurialium effectuum infra ſpem ſubſiſtere, quædam etiam non ſolum nimiis laudibus onerari, quas provida recentiorum experientia non agnoſcit, verum quoque alia (ut mercurium præcipitatum rubrum, turpethum minerale &c.) *intus data, infidam vim edere periculoſis identidem incommodis ægrum adfligere, alia ut* mercurium ſublimatum, *quem* Conſultiſſimus Præſes temerarium *Chirurgorum imperitorum* remedium *vocat* (in ſuccincta ſua materia medica Sect. III. pag. 481.) *peſtem & exitium moliri.*

Multa interne intuta.

Quapropter ad internum præcipuè uſum delectum *mitiorum mercurialium, quorum ſalubritatem quotidiana praxis evincit, habendum eſſe, cum aliis circumſpectis Medicis ſentio.*

Pauca probata.

Atque inter hæc fere virtutibus ſuis eminent, vel ſaltem notiſſima ſatiſque frequentibus experimentis probata ſunt cinnabaris & mercurius dulcis, *utraque ad præſcriptum optimorum Chymicorum exacte confecta.*

Uti præcipue.

Sic illa *quidem egregium nobis ſedativum præbet in effera motuum intenſione, ſpaſmis, variiſque doloribus & congeſtionibus præſtans, omnibuſque opiatis fere tutius & convenientius. c. Videatur Dn. D.* præſes I. cap. p. 484. *Excell.* HOFMANNUS in diſput. de Mercurio & medicament, ſelect. mercurial. Theſ. XVI. p. 27.

1. Cinnabaris.

Mercurius dulcis *verò exigua doſeos mole, ſapore non ingrato, effectu ſatis placido & polychreſto adeo ſe commendat hodiernis chymiatris, ut ad expugnandas varias ægritudines frequentiſſimè in ſubſidium advocetur.*

2. Mercurius dulcis.

De cujus uſu *dum in præſentiarum* diſſerere *in animum induxi, equidem non ignoro vires illius jam ab aliis latè prædicatas & publicæ luci expoſitas fuiſſe; ſed tamen cum duce experientiſſimo viro Dn. D.* JUNKERO, Præceptore *meo ætatem colendo* ſingularis *mihi* methodus *Mercurii dulcis adhibendi innotuerit, quam & efficaciſſimam in rebellibus quibuſdam malis ſuperandis expertus ſum; & nuſquam alibi pro dignitate planius evolutam exſtare memini; non præceptam ſed datam mihi eſſe occaſionem putavi, hanc materiam ſub finem ſtudiorum meorum Academicorum cum practicis communicandi. Sicut ergò id potiſſimum erit ſpeciminis hujus argumentum, ita DEUM T. O. M. ſupplicibus votis venerabundus invoco, ut primos hoſce conatus gratia ſua ſecundare, eoſdemque ad Nominis ſui gloriam hominumque ſalutem dirigere clementiſſimè dignetur.*

E cuius uſu occaſio hujus thematis.

CAPUT

CAPUT I.

De *uſu mercurii dulcis vulgari.*

§. I.

NON dubito fore pleroſque, qui (uti in fuſioribus diſſertationibus fieri ſolet), explicationibus *principiorum* tam mercurii ſublimati, quam mercurii currentis, ex quibus hoc concretum conflatur, hic deſiderabunt, nec contenti erunt, ubi dulcis illius mercurii *præparationem* multis exquiſitis cautionibus circumſcribendam à me prorſus neglectam eſſe intuentur. At hi dum ne graventur auſcultare paululùm *rationes* quæ me ad id agendum potiſſimum impulerunt, facile, ut credo. mecum redibunt. Uti enim jam in præloquio monui, ſtatutum mihi eſt hoc ſolemni ſpecimine mercurii dulcis ſeu draconis, ut quidam vocant, mitigati uſum tum ſatis cognitum tum præcipue ſingularem, prout peculiari methodo datus ad feliciſſimam deſperatorum quorundam morborum curationem nobis inſerviit, deſcribere. In quo, dum ſatis amplam diſſerendi materiam mihi nactus videor, ſuperfluum & à propoſito meo ſejunctum foret, principia & præparationem ab aliis traditam hic repetere, præſertim cum hodiernorum chymicorum ſolertia modum elaborandi tam clare & provide publicis in ſcriptis docuerit, ut nihil addi poſſit luculentius. *Omiſſæ præparationis rationes.*

§. II.

Primum igitur vulgarem Mercurii dulcis uſum brevi præluſione explicaturus, antequam ultra progrediar, paucis occurrendum puto eorum *objectionibus*, qui non tantum debitis ei laudibus detrahunt, ſed e pharmacoporum claſſe ipſum plane relegandum arbitrantur; cauſſati, *virus* illius non domitum ſed levibus ſolum involucris occultatum eſſe; mercurium ſublimatum ſcilicet larva ſolum curantis indui, cæterum his aliisque artificiis neutiquam coërceri, quin ferali vehementia in viſcera noſtra ſævire poſſit; immo etiam licet mercurius dulcis inſipidus ac omnis fere acrimoniæ expers ſit, tamen eum, ſimul atque in humores noſtros ſeſe inſinuet, a particulis horum acidis, ſalinis, ponticis *exacui*, & infeſtiſſimam arrodentem qualitatem recuperare. *Objectio de viru hujus mercurii.* 1. 2.

§. III.

§. III.

Reſponſio ad Obj. 1. 1. a priori diſſicilis.

Specioſus fateor hic color & ſpeculatio eſt, quæ multos ab uſu hujus remedii deterruit. Neque a *priori* evidentes & invictæ rationes suppetunt, cur mercurii vivi ſatis larga additio validiſſimum venenum in ſalutarem medicinam convertat, niſi quod generatim acidum ſalis communis concentratum, quod mercurio ſublimato abundantius inhæret, a vivo adjecto & interpoſito ſalutari, adeoque vim ejus ſepticam, quem cum paucioribus mercurii moleculis ſubtiliter ſolutis ediderat, infringi dicere poſſimus.

§. IV.

2 a ſapore & effectu externo.

Sed profecto cum mercurium ſublimatum album guſtatu aſperrimum eſſe, & præſentiſſimam vim ſuam terribili roſione partes corporis aggrediendi ac deſtruendi exercere, contra mercurium dulcem *inſipidum* exiſtere, & in ipſa ſolutione continui e. g. ulceribus venereis impuritates *ſegnius conſumere* & emendare, ac de reliquo extus detergentis qualitatis participem eſſe novimus; tum ex eo jam probabiliter colligi poteſt, internum illius uſum non tantum periculi creare, quantum chymiæ hoſtes, aut alii præconceptis opinionibus imbuti fingunt potius, quam juſtis de cauſis reformidant.

§. V.

3 ab experientia recentiorum.

Quid autem opus eſt his immorari? cum *Recentiores* iidemque feliciſſimi practici hæc omnia jam extra ambiguitatis aleam poſuerint & mercurii dulcis efficaciam non modo *latiſſimam* ſed & in permultis affectibus internis leniendis, aut debellandis *ſaluberrimam*, infinitis propemodum exemplis comprobarint. Ex quo fit, ut qui hodie ipſum ſuſpicione veneni onerare adhuc ſuſtinet, plurimis ſe deridendum præbeat.

§. VI.

Reſp. ad obj. 2.

His itaque facile quis acquieſcere poteſt, niſi forte ſuſpicetur mercurium dulcem a cacochymicis humoribus denuo *exacui*, & graviter nocendi vim recuperare. At ſane æque hæc objectio tanti valet, ut ſcrupulos nobis injicere, uſumque mercurii dulcis ſuſpectum reddere poſſit. Nam & *a priori* nusquam ſalia in tanta ubertate apparent, quæ magnam habeant poteſtatem mercurii in ſpicula feralia exaſperandi, & ſi aliquando præſto eſſent in corpore noſtro, tamen haud ita promte ſe mercurio adjungerent. *A poſteriori* vero Experientia idem meridiana luce clarius demonſtrat,

demonſtrat, plurimoſque in nullum incommodum, ne dicam gravius a veneno metuendum periculum incurriſſe teſtatur. Quapropter etiam alii hic nodum in ſcirpo quæri, & nimiam plerumque formidinem inani quodam prætextu tegi judicant. Quamvis de cætero ad qualemcunque moleſtiam prævertendam conſultum ſit præcipue in illis, quos largiori acido primarum regionum aut acribus humorum corruptelis obnoxios videmus, mercurii dulcis uſum commodo quodam abſorbente comitari.

§. VII.

Exempla in contrarium.

Sed jam oblocuturos prævideo, triſtia paſſim etiam *documenta* extare, quæ *noxium* & *lethiferum effectum*, quem mercurius dulcis vel potius compoſitio pro eo venditata interdum *edidiſſe* legitur, aperuerunt, adeoque conceptam de venenata ejus indole opinionem confirmaſſe videntur.

§. VIII.

Nihil probant

Neque negamus hoc factum eſſe; quodſi autem paullo diligentius in tragicorum ejusmodi eventuum cauſſas inquirere libeat, patebit longe aliter, ac quidam interpretati ſunt, ſe rem habuiſſe, & vel præſcribentium errorem, vel incuriam & inſcitiam famulorum, qui in officinis pharmaceuticis talem mercurium oſcitanter elaborarant, vel utentium imprudentiam aut deploratam conſtitutionem &c. jure arguendam fuiſſe. Quod ut paucis declarem notiſſimum eſt referente B. WEDELIO, (Vide diſp. de mercurio dulci) in diſpenſatorio Auguſtano pluribus annis ſub titulo mercurii dulcis parandi uſitatam fuiſſe proportionem mercurii ſublimati unc. VIII. ad mercurii vivi unc. VI. ex qua ſi perfunctorio labore mercurius dulcis conficiatur, infidos, & funeſtos nonnunquam effectus prodiiſſe non mirandum eſt. Sic alibi aliæ cautiones, in præparatione neceſſariæ, neglectæ ſunt; alibi in *doſeos mole* error commiſſus, uti obſervatio conſtat (in M. N. C.) de viro, qui unciam ſemis mercurii dulcis bene præparati aſſumpſit, & intra XXIV. horas diem obiit ſupremum; alibi acriorum rerum *admixtione*, aut non ſatis perpenſis ægri ætate, viribus, morbi tempore, aliiſque circumſtantiis, à recta medendi methodo aberratum eſt, uti luctuoſa talium peccatorum exempla Excell Viri WEDELIUS, STAHLIUS & HOFFMANNUS publicarunt. (Vid. Excell. *Hoffmanni* Medic. Conſultat. Tom. I. Dec. V. Caſ. IIX. Conf. Excell. *Stahlii* diſp. de officio Medic. circa caſus chirurg. §. XLV. p. 40.

§. IX.

Opus tamen circumſpectione.

Injurii ergò in mercurium dulcem ſunt, qui culpam noxarum ex aliis cauſis orientium ipſi temere impingunt, indeque veneni ſtigma inurere conantur. Quodſi enim rem recte nobiſcum reputemus, nihil eſt, quod juſtum cuiquam timorem poſſit incutere, dummodo quis de legitima ejus præparatione certiſſimus ſit, eaque omnia præcepta, quæ ſicut in aliorum medicamentorum, ita & in hujus præſidii uſu tenenda ſunt, probe exerceat & in ægrotantium ſalutem convertere norit.

§. X.

Effectus mercurii dulcis generalis internus.

1. Colliquans.

2. Catharcticus.

3. Aperiens.

Abſterſis breviter maculis, quas nimium ſcrupuloſi mercurio dulci aſpergere tentarunt, & innocentia ejus vindicata, nunc eo majore fiducia pergere licebit ad *effectus* illius tam *generales*, quam ſpeciales pleriſque medentium agnitos paucis, ut inſtituti ratio exigit, delibandos. Agit autem ille evidentius & ſerum mucidum, depravatum, idque attenuat *colliquat*, & ſi congruente doſi propinetur, per inteſtina efficaciter educit; eo quidem utilior, magiſque recipiendus, quo minus facile moleſta adſtrictionis alvinæ incommoda, quæ ab aliis præcipue reſinoſis catharcticis ſæpiſſime remanent, poſtmodum relinquit. Quapropter inter *phlegmagoga* principem ferme locum ſibi depoſcit; atque à noſtræ ætatis medicis ad formulas purgantes & laxantes frequentiſſime expetitur. Porro cum viſcidam dictorum humorum ſpiſſitudinem corrigit, tum etiam idoneus cenſetur ad prognatas inde glandularum aliorumque tubulorum obſtructiones *reſerandas*.

§. XI.

4. Anthelminticus.

Imprimis vero *anthelminticam* illius virtutem practici non immerito celebrant. Etſi enim omnia mercurialia vermibus perniciem & internecionem minentur; tamen cum mercurius dulcis eoſdem non ſolum tuto extinguat, ſed e finibus corporis ſimul proſcribere ſoleat, credo non falli, qui quandam ei prærogativam tribuendam eſſe contendunt. Et ſane ſi cuiquam præſidio tantum ſit fidendum, ut hoſpites tales moleſtos, qui ſubinde contumaciſſimi ſunt & ad mortem usque ægros divexant atque exhauriunt, ejicere queat; certe in hoc potiſſimum mercurio ſpem auxilii collocari poſſe exiſtimaverim, memor eorum, quæ paſſim de hujusmodi optato uſu practici litteris (Vid. Wedel. diſſert. de merc. dulc. p. 31.) mandarunt: aliique fide digniſſimi impertire mihi voluerunt. (quo loco reminiſcor caſus a Dn. D. Præſide communicati, cui aliquando contigit, ut puella atrociſſimis & quaſi dæmoniacis convulſionibus

ſionibus vexata, cum mercurio dulci non modo a ſtupenda vermium congerie, ſed & ab eodem miſerrimo morbo liberata fuerit. Pariter etiam a quodam Celeb. Practico mihi relatum eſt, ſe duabus virginibus per frequentem uſum mercurii ultra 500. vermes expuliſſe, omnem medicationem antea fruſtratos.

§. XII.

Denique etiam ſi repetitis doſibus per aliquot dies præbeatur; hodie inclaruit hujus mercurii vis *ſalivationem* ciendi, quæ utique ex ſententia & proſpere ſuccedit, ſi debitis cautionum terminis circumcludatur. *Externe* tandem mercurius dulcis abſtergentem, mundificantem & efficacius colliquantem edit effectum, uti hæc pariter ac ſuperiora jam ſpecialius ſed tamen ſuccincte explicabimus. *5. Salivatorius.* *Externus.*

§. XIII.

Itaque in illorum morborum cenſu, quibus levandis aut devincendis mercurii dulcis uſus deſtinatur, præcipue ſe nobis offerunt, mala ex muco primas vias aggravante nata, ut nauſea, cardialgia frigida, colica pituitoſa, item tuſſis catarrhalis, aſthma humidum, cachexia mucida, ſcabies, atrophia, in quibus attenuatione materiæ ſpiſſioris viam optime munit ad perfectam medelam, atque in his tantum non omnibus aliis palmam dubiam reddit. Neque quicquam eſt, quod dubitare nos ſinat, quin ipſis *infantibus* ejuſmodi malorum genere afflictis uſus mercurii dulcis ſingulare levamen vel auxilium polliceatur. Etſi enim quidam inde incommoda præmetuant, tamen e perpetuis documentis conſtat, hoc remedium, dummodo non plane teneris detur, in impuritate inteſtinorum pituoſa, atrophia infantum & tutiſſimum exiſtere, & raro ſpem felicioris eventus fruſtrari. [Conf. STAHL. diſſ. de affect. Infant. Cap. 4. p. 33.] Accedit quod verminoſam colluviem exterminet, tales morbos frequenter ſuſtentantem, & ſubinde ad horridas motuum exacerbationes & convulſiones anſam præbentem, ut antea monitum. Præterea reſolvendi ſcopo non inepte pertinacibus *ſcirrhis*, quos fruſtra ſæpe aliis tentaminibus oppugnamus, nonnunquam opponitur; nec deſerit medentem in *ſcabie repulſa*, ſiquidem ipſum mature porrigendi faveat occaſio: denique ſpecifice quaſi emendare valet *corruptelas venereas*, adeoque in gonorrhœa, fluore albo, lue gallica &c. non minimum ſpondere emolumentum ab omnibus fere practicis confirmatur. Incongruens autem & *ſuſpectus* ejus uſus eſt ad *hypochondriacorum ſanguinem* in ſtatum magis fluidum revocandum, & *ſcorbuticam* labem corrigendam; nam complures inde acriora mala pullulare experti ſunt.

Effectus ſpecialis internus. *1. Polychreſtus* *Etiam in infantibus.* *2. in ſcirrhis.* *3. in ſcabie repulſa.* *4. in malis venereis.* *Suſpectus in M. hypoch. & ſcorbuto*

 (Conf.

(Conf. Dn. D. JUNCK. Tab. Medic. Tab. XXXVI. p. 325. No. 16. it. Tab, XCI. p. 748). Ipſumque propterea in his morbis rejiciendum eſſe cenſuerunt. (Conf. Dn. D. Præſ. cap. LXI. §. 5. N°. 4.).

§. XIV.

Externus in ſerpiginoſis, adfucum infidus.

Extrinſecus abſtergentem & emundantem efficaciam edit in ſordibus *ſerpiginoſis*, herpete &c. quamvis non adeo crebro adhibeatur; itemque ad unum *coſmeticum* vulgo traducitur. Verum hic tamen ETMULLERUM audiendum eſſe arbitror, qui a frequenti mercurialium illitu, ubi primo faciem nitidiorem reddidit, defluvium capillorum, dentium nigrorem ac vacillationem, cutem ſcabram, majorem fœditatem denique (velut pulcherrimum vanitatis præmium) reportari obſervat. Tandem etiam eum ad *Ulcerum Venereorum* curationem in ſubſidium advocari novimus, præcipue ſi hæ partes teneriores aut aliis de cauſis validiorum uſum prohibentes e. g. fauces obſideant. Cum autem alibi in ſordibus lentis, & excreſcente materia fungoſa abſumendis, ſegniorem ſeſe gerere Mercurius dulcis deprehendatur; tum ſi in locum ejus præcipitatum rubram dextre ſubſtituere ſciamus, ſpes eſt nos citius ad ſcopum reſtaurandæ læſionis eſſe perventuros. (conf. D. D. Juncker chirug. Tab. XXXIX. p. 268. n°. 2. it. DORINGIUS in Epiſt. ad Fabrit.)

Lenis in ulceribus venereis.

§. XV.

Modus adhibendi.

De *modo adhibendi* plura hic. (de doſi vide cap. ſeq.) attexere non libet, ne præſtitutos limites egrediamur. Illud haud plane abs re erit movere mercurium dulcem plerumque ſatis magna doſi imprimis cum aliis laxantibus in *pilularum* formam redactis præſcribi, vulgoque metui, ne, ſi in *pulveris* forma detur, fauces arrodat, aliudve gravius detrimentum importet; quamquam nihil periculi ſubeſſe, dummodo probe comminutus & cum abſorbente quodam & pulvere jalappæ mixtus præbeatur, quotidiana nos abunde doceant experimenta.

In pilulis.

& in pulvere.

CAPUT

CAPUT II.

De Uſu mercurii dulcis ſingulari.

§. I.

HActenus uſum Mercurii dulcis vulgarem ea, quæ propoſito meo conſentanea eſt, brevitate complexus, & jam methodum illius ſingularem, prout diſſertationis titulus deſignat, fuſius expoſiturus, non alienum eſſe duco, antequam ad rem ipſam me accingam; quid alii celeberrimi Practici de mercurii dulcis adhibendi ratione ad methodum noſtram longius aut propius accedente ſenſerint & publicis paſſim monumentis prodiderint, paucis aperire. Etſi enim neminem adhuc mihi reſciſcere licuerit, qui methodum noſtram ſingularem publice explanaverit; tamen indicia, quæ viam ei patefacere quodammodo queant, conſtare & ex aliis Auctoribus depromi poſſe, minime negabo. *Authores præmittuntur mercurium dulcem propinantes.*

§. II.

Ex his igitur, qui draconem hunc mitigatum leni ptyaliſmo movendo conſecrarunt alii *largiuſculam* doſin ſumendam eſſe præceperunt ut HELWICHIUS (in Eph. N. C. Dec. III. Ann. 7. & 8. obſ. 7.) qui eum ad ſcrupul. V. binis exemplis adhibuit, in alio ſubjecto ultra gr. LXXII. non aſcendit, & ſalivatio per 14. dies duravit. NENTERUS (in med. pract. Tom. I. Tab. IV. de methodo medendi p. 28.) exhibuit mercurium dulcem prima vice ad gr. XV. ſecunda ſcrup. I. tertia drachm. ſemis uſque ad drachm. I. donec ſalivatio oriatur. B. WEDELIUS (in Diſſert. de Mercur. dulci Cap. III. §. V. p, 32.) non facile ultra Scrup. I. adſcendere ſe memorat. *1. in larga doſi uti* *a] Helwichius.* *b] Nenterus.* *c] Wedelius.*

§. III.

Alii *pauciora* tantum grana præſcribi neceſſe arbitrati propiorem noſtræ methodum elegerunt. Inter quos in præſentiarum mihi ſuccurrit WEISBACHIUS (*in der Gründlichen Cur aller Krancheiten.* Cla. III. cap. VI. p. 334.) qui mercurium dulcem a granis 6. 8. per triduum & poſt aliquot dies alternis diebus eandem doſin per 3. dies iterum commendare ſolet. *2. in parca doſi uti.* *d] Weisbachius.*

§. IV.

e] *Triumphius.* Porrò non prætereunda eſt J. G. TRIUMPHII *Lipſienſis* olim *med. Licent.* (in diſp. de ſalivatione mercuriali p. 9.) methodus mercurii dulcis adhibendi ad noſtram proxime accedens: Verba ejus digna ſunt ut heic excerpantur. *Mercurius dulcis utilem hic* (nempe ſcopo ſalivandi.) *præſtat operam, licet multi ſint, qui ſalivationem ab hoc non ſemper excitari; ſed ſolummodò ſanguinem purificari contendunt. Obſervavimus tamen in ſcabioſo excitatam eſſe lenem ſalivationem, exhibito ad gr. jv.*

§. V.

[f] *Stahlius.* Imprimis autem hic mihi nominandus eſt Vir Summus atque ad reſtaurandam inque clariori luce ponendam medicinam natus STAHLIUS, qui & primus hanc medendi rationem invenit, ut poſtea oſtendemus, & parcioremvulgari doſin mercurii dulcis jam in diſſertationibus editis calculo ſuo adprobavit. (Vid. Diſſert. de officio medici erga caſus chirugic. §. XLIV. p. 38.) Legimus ibidem vulgata mercurialia diſſuaderi ac deinde his verbis proponi: *Contentus*, inquit, *poteſt eſſe medicus, legitimo mercurio dulci, quamvis nullum ſplendorem exhibente, dummodo etiam nullum uſquam ſaporis veſtigium offerente. Cujus moderatiſſimæ doſes ad* 5. 8. *grana in corpus decenter prædiſpoſitum exhibitæ, continuatione aliquot dierum rectiſſime ſatisfaciunt propoſito ſcopo; dum ſalivationem leniter ſuſcitant, & ad progreſſum etiam ſufficientem deducunt, tanto magis ſi per dies eos plures quotidianus illorum uſus continuetur, immo, pro vere perita æſtimatione circumſtantiarum in patiente, procedente jam recto fluxu, plane ad unum aut alterum granum augeatur, fluxus denique totus ita ſibi relinquatur, ut donec ſponte ceſſet, nullum artificiale obſtaculum aut quæcunque remora ipſi objiciatur.*

§. VI.

[g] *Præſes.* Denique conſultiſſimus D. Præſes promotor ætatem ſuſpiciendus ea quoque, quæ ſibi de mercurio dulci in praxi obſervata ſunt, pro ſua in me benevolentia communicavit. Sæpius nempe quatuor ad ſex ejusdem grana cum abſorbente mixta & oblatæ, ut vocant, involuta, ſcopo leniter ſalivatorio, optabili cum eventu dedit in tumoribus glandularum circa collum exſurgentibus, præcipue illis, qui retropulſæ imprudenter ſcabiei ſuam debebant originem; nec non in fœtidis manantibus ulceribus, proinde etiam in malignis ulcerationibus ex ſcabie fœda & variolis reſiduis; aliquando etiam in atrophia ex ſcabie retropulſa ortis, ut & in catarrho ſuffocativo ex eadem ſcabie retropulſa nato,

porro

porro in vehementi humoroſa defluxione chronica intra oculos; cum eximia viſus abolitione & initiante pelliculæ concretione ad tunicam adnatam & cataractam referente affectu: præterea in fluore albo etiam benigno in certis perſonis & certa ſub methodo; nec minori cum fructu eandem medelam oppoſuit fœdis & pervicacibus crurum ulcerationibus, quippe hac via fœminam quandam ſterilem diro pedis ulcere per octo annos laborantem, ſub blando ptyaliſmo] perſanatam & ſimul idoneam conceptioni factam fuiſſe meminit. Conſuevit autem pulveri huic mane dato, veſperi decoctum aliquod diapnoicum ſubjungere, laxantibus nonnunquam interjectis.

§. VII.

3. In pauciſſima doſi ſuadet noſter ſingularis uſus. Cujus deſcriptio.

Ab his non multum abhorret noſtra methodus, niſi quod *pauciora* adhuc grana capere ac doſeos exiguitatem diuturna continuatione, niſi quidem notabilis effectus ſubſequatur, compenſare ſuadeat. Videlicet ſimplicem formulam ex mercurii dulcis rite præparati ſubtiliſſimeque comminuti granis duobus & quintuplo abſorbentis cujusdam oſtracodermatis vel ſolius, vel ſucco citri ſemi ſaturati conficimus, aut plerumque hujus proportionis drachmas tres in quindecim partes æquales dividendas adultis præſcribere ſolemus. Interdum etiam fit, ut duo & dimidium vel tria grana talis mercurii cum abſorbente conjungamus; ſed priorem doſeos molem uti juſtiſſimam, frequentius elegimus, neque unquam ad majorem progredi nos vel utilitatis vel neceſſitatis ratio coëgit.

§. VIII.

Modus propinandi.

Hanc ergo minutulam doſin ſufficere experti, univerſalibus ſic dictis vel catharſi vel ſanguinis detractione vel etiam diaphoreſi pro ægrotantium conditione præmiſſis, eam quotidie tempore veſpertino, ubi cubitum itur, per 10, 20., 30. immo plures etiam, ſi res poſtulat, dies ſumendam continuandamque præcipimus, donec aut ſalivatio largior aut ſi hæc non ſubſequatur, præſentis mali exſtirpatio finem facere jubeat, ſingulis autem hebdomadis ſemel laxans vel purgans quoddam prout hoc illudve ad diverſam ſubjectorum, morbi, tempeſtatis rationem accommodatius videtur, interponimus; ſæpe etiam eſſentiam pimpinellæ albæ, vel decoctum reſolvens ex rad. pimpinell. alb. vincetox. tt. ſaponariæ aliisque præſenti morbo congruentibus, ſingulis mane bibere, ceterum & topica idonea applicare, & ſi ptyaliſmus paulo vehementius ingruat, gargariſmatibus reſolventibus & aſtringentibus mature fauces ab incommodis præmunire aut liberare ſuademus.

§. IX.

Effectus ejus generales.

Methodum hanc cum debito regimine, de quo cap. ſequenti loquemur, obſervantibus varia nobis apparuerunt phœnomena. Tantum enim abeſt, ut quod plurimi fortaſſe ſuſpicabuntur, ſemper uberiori ſalivæ efluxu ægros fatigarit; ut ſæpe etiam teneros molliter educatos, literatos & illuſtri genere ac dignitate conſpicuos homines, licet ordinariam pulveris doſin ultra viceſimum numerum quotidie perpetuantes, ab omnibus ptyaliſmi motibus reliquerit intactos. Ex his autem alii in *diarrhœam* ſub uſu inciderunt non moleſtam, ſed per aliquot dies leniter procedentem interdum recurſantem, & ſua ſponte deinceps finitam; alii hæmorrhoidum venas ſibi *aperiri* animadverterunt, exemplo cujusdam litterati jam quinquageſimum annum ſupergreſſi & cataracta correpti, qui fluxum hunc alias ſibi conſuetum jam vero per biennium reſtitantem tali modo, ut ſæpe antea optaverat, recuperavit; alii præter copioſiorum humorum affluxum ad ſedem malorum, quibus laborabant, & placidam vel *reſolutionem* vel abſterſionem & repurgationem nihil fere per totum curationis tempus ſenſerunt, quod a naturali ſanitatis ſtatu alienum eſſet. Et in illis quoque, qui *ſalivationem* exinde ſubierunt, magna & memorabilis occurrit operationis differentia. Etenim ſicut videre licuit nonnullos a ſecunda vel tertia doſi protinus in largam ſalivationem delapſos quæ per unam alteramve hebdomadem ſine ulteriori pulveris uſu conſtanter perſtitit; ſic alii poſt 10, 13 aut 20. mum demum diem lenem hujusmodi evacuationem experti fuerunt. Porro quibusdam accidit, ut ſub medelæ hujus quotidiana ingeſtione ſine cauſſis evidentioribus violentis ptyaliſmi curſus ſubſiſteret per aliquot dierum intervallum, ſponte quaſi poſtmodum ſeſe reſolvens; aliis eadem nihil plane moleſtiæ faceſſivit nec negotiis levioribus domeſticis ſeſe ſubtrahere compulit, aliis autem majora creavit faucium incommoda, ut pulveris uſum aliquantiſper omittere, & interea aliis ſubſidiis ſibi conſulere neceſſe habuerint.

a] Catharcticus. *b] Aperiens,* *c] Reſolvens.* *d] Salivans.*

§. X.

Effectus ſpeciales. a] In ulceribus cacoëthicis.

Sed ſatis de generali effectu, jam tempus eſt ad ſpecialiora tranſeundi. Non dubito enim, omnes practicos inſignem utilitatem, quam hæc methodus in percurandis *ulceribus* diuturnis & rebellibus nobis attulit, lubentes eſſe audituros; ſi quidem in confeſſo eſt, ſæpe nobis tam dira & nomine *cacoëthicorum* digniſſima mala obvenire, quæ, quicquid agas, diutiſſime omnem medendi rationem pervicaciter contemnunt. Inprimis ſæpe & chirurgorum tentamina fruſtratur & ægros miſerandum in modum torquet perpetuus ille largior ſeri aqueoſalini ad inveterata quæ-

dam

dam ulcera affluxus, utpote quod præcipere ſtagnatione acrius factum læſas partes profundius erodit, oſſa ſubjacentia carie inficit, aut ſaltem appulſas ſimul glutinoſas & ſubmucidas lymphæ nutritiæ moleculas corrumpendo abſumendoque impedit, quo minus hæ convenienter a natura apponi & explendæ ſenſim cavitati inſervire poſſint. Talem igitur infeſtum affluxum, ubi ſemel in conſuetudinem tranſiit, ſolidæ curationi ſemper obſtare & ſublatu difficillimum eſſe, nemo expertus diffitebitur, eundem tamen hac methodo perdomitum adeoque ulcera feliciſſime conſolidata fuiſſe crebro vidimus, & jam ſequentium inter plures caſuum teſtimonio confirmabimus.

Caſus I. de Virgine ulceribus horribilibus per 4. annos laborante.

Virgo nobilis 20. annorum per 4. annos ex immutatione menſium congeſtionibus ad caput adflicta, ex plenaria deinde ſuppreſſione inflammationem uvulæ experta, temerariæ chirurgorum medicationi ita ſubjiciebatur, ut uvula corrupta denique decideret. Accedebant ulcera cacoethe in pectore, axillis & brachiis vere horrida profunde erodentia adeoque truculentis ſymptomatibus ſtipata, ut, quamvis ea patientia animi a DEO exorata ferre ac delinire ſtuderet, tantæ tamen calamitati mors ipſa præoptanda videretur. Nonnulli quidem ipſam ream contagii alicujus venerei facere conabantur, ſed vana ſuſpicione magis quam evidentibus documentis commoti. Apertiſſimum enim erat, chirurgos illam male multaſſe & incongruentibus ſepticis uvulam abſumiſſe, retentionem fluxus menſtrui adhuc perſtare, ulcera denique ipſa, licet exteriori facie, colore, fœtore teterrima ac pene intolerabilia fierent, nullum tamen fœdæ infectionis indicium præbere. Miſeræ igitur virgini, poſtquam per aliquot annos dictorum auctorum imperitia in deteriorem ſtatum deducta erat, perſuaſum tandem fuit, ut hac æſtate ſe in thermas Mattiacas conferret. Illa promte conſilium ſecuta eſt, ſed tam parum inde ſolatii hauſit, ut fere deplorata reverteretur. Ad poſtremum ab omnibus cognatis, amicis, & medicis derelicta quantulamcunque à nobis opem petiit, quam etſi promittere non poſſemus, tamen felici ante factorum experimentorum eventu erecti, quid hæc methodus valeret, tentandum denique putavimus. Itaque præmiſſis generalioribus internis reſolventibus evacuantibus, externe dedimus unguentum ex digeſtivis ordinariis cum unguento ægypt. oleum myrrhæ per deliquium melle chelidon, remixtum addito ſpiritu vini rectificatiſſimo camphorato crocato, & emplaſtro ſaponato Barbette, unde meliuſcule habere videbatur. Quo facto pulverem noſtrum mercurialem per 30. dies uſurpandum exhibuimus, & decoctum aliquod ex rad. vincetoxici & pimpinell. albæ aut potui ordinario, ſi vellet, immiſcendum aut in forma thée mane & veſperi hauriendum ſimul præſcripſimus. Hæc dum ſumeret, præter opinionem ſalivatio tertio aut quarto die ſupervenit, quæ deinde tanta cepit incrementa, ut quo-

tidie unam menſuram, & quod ſupererat, lymphæ acris & ſalſæ corruptæ exſpueret, gingivis & lingua valde intumeſcentibus, faucibus etiam & interioribus oris ardore quodam correptis. Quibus incommodis gargariſmate reſolvente & linimento occurrere ſategimus. Rebus ſic ſe habentibus poſt 12 diem pulverem modo dictum ſeponi, decoctum vero continuari juſſimus; ſi culcera in dies ad oculorum fidem magis magisque abſtergebantur, ut intra 14. dies funditus repurgata & conſolidata coirent, excepta una cavitate magnitudinem aciculæ vix æquante, quæ adhuc aperta madorem quendam ulceroſum identidem plorare videbatur. Omiſſo licet pulverum uſu ſalivatio tamen uti antea procedebat dies noctesque, ut propter ſerum acre perpetuo affluens nonnulla incommoda circa fauces perſentiſceret, & alvum per 4. dies aliquando obſtructam experiretur, etſi hæc ſponte deinceps laxationem ſubierit. Poſtquam igitur 3. hebdomadibus finitis, ſerum per ſalivationem perpetuo excretum ſalſam & rodentem acrimoniam amittere cœpit, propinavimus doſin pillularum ex extracto panchymagog. croll. mercurio dulc. & reſina jalappæ, 5 ſedes provocantem. Neque tamen hinc ptyaliſmi curſus protinus interpellabatur, ſed progrediens adhuc pedetentim remiſit, incommoda circa fauces interea ſenſim ſenſimque evanuerunt, ægra vero ipſa alacritatem animi, ſomnum placidum, appetentiam cibi hucuſque languentem & fere exſtinctam, nunc eo majorem avidioremque recuperavit. De cetero ſummis laudibus DEUM T. O. M. extulit, qui præter omnem expectationem humanam, ipſam in priſtinam ſanitatis ſortem reſtitui clementiſſime voluerit. Peractis 4. hebdomadibus luna decreſcente exhibuimus ipſi pilulas balſamicas per 6. dies ad revocandum fluxum menſtruum & ad ulcuſcula, quæ adhuc ſupererant, plenarie conſolidanda ordinavimus oleum myrrhæ per deliquium. Quibus feliciter ſuccedentibus ut reliqua mali tam tetri deploratique veſtigia delerentur, & roboratione ultima partium, novi affluxus periculum averteretur, pro colophone ſpirit. vini camphoratum crocatum applicare ſuaſimus.

Caſus II. De viro ulceribus faucium & naſi defœdato.

Vir. 59. annorum temperamenti ſanguineo melancholici, laborioſus, uſque ad 13. ætatis annum ſatis integra valetudine uſus, ac tum variolis confluentibus correptus, ægre eluctabatur; quo factum eſt, ut congeſtiones ſanguinis verſus caput, indeque cephalalgia, ophthalmia ac crebrius ipſum infeſtarent. Hæmorrhagias narium ſatis largas usque ad 30. annum, 36. anno autem ſingulares congeſtiones ad nares expertus eſt, ut guttæ roſacea veluti obductæ apparerent, rheumaticis deinde doloribus brachiorum ſuccedentibus. Poſt inſtitutam V. S. in pede incommoda paullatim remiſerunt, ſed nunquam viſa ſunt plane ceſſare. Circa 57. annum congeſtio ſanguinis verſus uvulam ſe contulit tanta ferocia & inauſpicato ſucceſſu, ut ea pars non ſolum ulcere putrido ſenſim

ſim depaſceretur , ſed corruptelis latius ſeſe diſſeminantibus , naſus poſt ſex menſes plane concideret ; ſeptum enim narium ad os frontis usque abſumptum erat , & in fauces profundus fœdiſſimusque patebat deſpectus. Tot malis id quoque acceſſit , ut per unius anni ſpatium fere omni cibo ac potu ob nimios cruciatus & deglutiendi difficultatem abſtinere deberet , atque adeo tetram mephitin ſpiraret , ut omnibus ad ipſum propius accedentibus horrorem incuteret & nauſeam. Conſulti nos illum primo chirurgicis ordinariis medicamentis tractabamus , & cum horum ope ulcera quandam deterſionem ac munditiem reciperent , & fœtor terribilis infringeretur , ſub initium ſpes affulgebat fore , ut ad optatum finem perveniremus. Cum autem deinde appareret , cariem oſſium propter loci incommoditatem aliasque cauſſas nec pharmaceuticis nec chirurgicis remediis decenter aufferri poſſe , hanc quidem medicationem plane relinquere coacti ſumus. Nullum itaque præſidium ſupereſſe videbatur ad radices hujus mali evellendas ; quapropter cum idem magis magisque ſeſe diffunderet , ac certam vitæ perniciem moliretur , tandem in mentem venit mercurii dulcis , ſeu *pulveris* ex eo parati , ut vocare ſolemus , *reſolventis* uſum hic quoque experiri. Adſpiravit cœptis Divina Benignitas , miſerumque & diu afflictum hominem relevavit. Cum enim dictus pulvis , primo diaphoreſin excitaſſet , ac deinde mucidos cacochymicos humores per ſalivationem ſtrenue expuliſſet, præſentiſſimum obtigit lenimentum ; quippe poſt 35. doſes aſſumtas omnis pene dolor evanuit , & ulcera , quæ jam oculum ſiniſtrum occuparant , naſum totum & dimidiam partem palati exederant , ſenſim plenius emundata , ſuccreſcente nova carne , feliciter coaluerunt. Nihil itaque ſupererat quam ut ipſi ad prævertendum novum affluxum venæ ſectionem æquinoctialem & ſubinde laxantia &c. Eſſent. pimp. alb. commendaremus : ſub quorum uſu adhuc dum optime valet.

Caſus III. De ancilla ulcere pedum manante per XI. annos afflicta.

Ancilla ruſtica 27. annorum temperamenti ſanguineo - melancholici ſub fluxu menſium terrore vehementi perculſa , inſequente ſuppreſſione , multa pathemata hyſterica perpeti debebat. Poſt varia emmenagoga fortiora , a chirurgis adhibita loco fluxus menſtrui eryſipelate cruris concipitur , quod minus congruenter tractatum in ulcus degeneravit & per 10. annorum ſpatium complures chirurgos in medendo exercuit. Anno XI. autem hæc ægra poſtmodum nobis ſe curandam tradebat , multisque ex Collegio D. Junckeri ipſam ex legibus methodi diligenter tractantibus non parum negotii per 10. menſes faceſſebat. Neque tamen ex voto ſucceſſit curatio. Licet enim menſes interdum redire ipſumque ulcus repurgari & conſolidationi non adeo reniti viderent ; tamen largus ille & perpetuus ſeri appulſus , qui nec laxantibus , nec diaphoreticis averti poterat , perfectæ reſtitutioni graviſſimum objiciebat impedimentum.

Itaque ad pulverem hunc ſic dictum *reſolventem* confugimus, datisque ejus aliquot doſibus tantum profecimus, ut menſibus prius in ordinem reductis, & ceſſante affluxu ipſa ſanata ad labores priſtinos reverti potuerit. Cum etiam deinceps ex levi quadam cruris alliſione idem ulcus recrudeſceret, ac propter maturioris medelæ neglectum latius & profundius ſe propagare inciperet, iterum blandæ ſalivationis ope ſanitatem recuperavit.

§. XI.

II.] In parotidibus. Poſſemus plura memoratu digniſſima exempla ſubnectere, ſed; ne diſſertatio in nimiam excreſcat molem, ad alia nobis properandum eſt, & jam breviter dicendum de *parotidibus*; quæ quantam ſubinde difficultatem medentibus objiciant, non eſt hujus loci uberius explanare. Illud ſatis conſtat, viſcidam ac tenacem in ipſis reperiundam ſtaſin ſæpe, niſi primis initiis obviam eatur, nec topicorum diſcutientium poteſtati cedere, nec internorum quæ vulgo commendantur, reſolventium armis poſſe ſuperari. Quid? quod interdum præter contumaciam gravius invaleſcunt, febriles vehementes motus accedunt, exquiſitisque cruciatibus & exulceratione acri ac rebelli, nonnunquam ægros adeo macerant; ut aliis omnibus irritis in morte ſolum requies tandem ac ſolatium inveniatur. Quale exemplum cum aliquando Illuſtri STAHLIO obvenit, auſpicato virum experientiſſimum ſubiit cogitatio hanc medicationis rationem adhibendi, quam ex voto ſuccedentem deinde feliciter imitatum ſe eſſe Celeb. M. JUNCKERUS in Tabulis ſuis (in Tab. chirurg. p. 154.) teſtatur. Verba digna ſunt ut hic inſerantur. STAHLIUS *de parotide, quæ in tertium annum duraverat, teſtatur, quod per ſalivationem feliciter curata fuerit. Adhibitam autem hanc fuiſſe cautelam, ut leniter inſtitueretur ſalivatio, uſurpatis per diem* 2-4. *granis mercurii dulcis, adhibitis inſuper medicamentis, inſenſibilem transpirationem promoventibus, & bono ſervato regimine. Inſuper etiam auctor fuit, ut patiens loco aliorum decoctorum uteretur decocto ſaponariæ & radic. pimpinel. alb. Hac ratione duravit ſalivatio in quartam usque ſeptimanam, qua feliciter reſtitutus fuit patiens, cujus pater eodem affectu per exacerbationes miſere interiit. Eadem remedia & eandem methodum felici cum ſucceſſu* in ſequenti caſu *adhibuimus.*

Caſus IV, De parotide per 8. annos durante. Virgo illuſtriſſima 32. annorum *per* 8. *annos parotidibus*, magnitudinem ovi columbini æquantibus, laborabat, & fruſtra diu adhibitis multis variiſque medicaminibus omnem fiduciam recuperandæ ſanitatis jam ita abjecerat, ut medicum ultimo arceſſitum & ſpem quandam reſtitutionis proponentem rideret, datumque conſilium prorſus aſpernari videretur. Sed victa tandem cognatorum precibus, triginta

doſes

doſes *pulveris* per vices quotidie intra menſem unum aſſumit, idque jam eo alacrius, cum poſt 10. & 20. doſes aſſumptas tumorem ſenſim decreſcere videret. Finito menſe, jam tantum auxilii allatum erat, ut tumor nucis avellanæ molem non excederet. Facilius igitur erat ei perſuadere, ut *pulveris* uſum repeteret & per 30. dies adhuc continuandam ſtatueret. Quo facto tota parotis jam funditus eradicabatur, ut nullum amplius ejus veſtigium remaneret. Id autem admirabile omnino maximeque notandum fuit, tantum pulverum effectum ſine ulla ſalivatione, & ſola placida ac fere inſenſibili reſolutione poſt 60. doſes aſſumptas editum fuiſſe, omniumque exſpectationem ſuperaſſe.

Ex his puto, luculenter apparet tam præclara hujus methodi inventio, quam admirabilis efficacia, & probabiliter colligi poteſt, eandem in aliis tumoribus glandulofis refractariis & ſcrophulis circa collum protuberantibus, niſi jam peculiaris textura acceſſerit, debellandis per æque eſſe valituram; præſertim cum alii jam mercurialia & ſpeciatim æthiopem nigrum ſcirrhis reſolvendis deſtinaſſe legamus. (conf. celeb. D. JUNCKER. chirurg. p. 150. n°. 32.) Ceterum cum optatam hujuſmodi virtutem nondum plurimis experimentis cognitam perſpectamve habeamus, indubiam ſucceſſus ſpem nemini in hiſce proponere poſſumus, placuit tamen ferente ſic occaſione ea citare, & prudentiorum judicio experientiæque relinquere.

§. XII.

Attingimus denique truculentum illum & cariſſima lucis uſura nos privantem morbum *cataractam*, cujus intricatam indolem ac diverſitatem licet recentiorum diligentia paulo clarius expediverit; medelam tamen magna ex parte prorſus incognitam (nam multæ cataractæ plane inſanabiles exiſtimantur) ſæpe ſine operatione fruſtraneam, ſæpe hac peracta, infidam eſſe practici experiuntur. Quapropter multi in eam præcipue curam incumbendum eſſe duxerunt, ut quando ſubinde levioribus indiciis ſe prodit ac pedetentim ingraveſcit, probata quædam medicatio reperiretur, ad initium tanti mali depellendum aut ſaltem progreſſum arcendum idonea. Itaque præter chirurgicorum præſidiorum V. S. ſcarificationem menſtruarum, fonticulorum, ſetaceorum adplicationem, itemque præter generalium catharcticorum præſcriptionem varia e penu pharmaceutico depromſerunt practici, atque in ſpecificum diſcuſſionis uſum ſubinde cum inſigni cœcutientium levamine traduxerunt. Cum autem nobis imitantibus, laudatus talium ophtalmicorum ſucceſſus minus ſæpe reſponderet, neque aliunde opem petere aut diuturnis tentaminibus ægros fatigare conſultum videretur; placuit denique experiri, quantum hac methodo in principio cataractæ ab inter-

c] *In cataracta incipiente.*

no fonte orientis proficere liceret. Sive enim, uti Veteres opinati ſunt, pellicula tenuis, ſive pro recentiorum placitis humoris criſtallini opacitas ex ſubtiliſſimorum vaſculorum obſtructione nata hanc oculis caliginem offundere ſtatuatur; ſpes concipi poterat, e pulveris hujus ſubtiliter *reſolventis* uſu maturo & continuato nonnihil emolumenti eſſe redundaturum. Quam ſpem quouſque impletam videre nobis contigerit, ſequentia illuſtrabunt exempla.

Caſus I. De cataracta ex pathemat. hypochond. orta.

Vir quidam litteratus 44. circiter annorum jam per plures annos ob ſedentarium vitæ genus, & quotidianam in ſtudiis proſequendis aſſiduitatem factus hypochondriacus, per litteras querebatur, viſum ſibi in dies magis debilitari, idque jam tantum incrementi ſumſiſſe, ut præ oculorum caligine ſcripta perlegere ægerrime valeret. Imprimis notabile erat, obſcurum quendam circulum, cum vel candidiſſimum calamum ſcriptorium intueretur, ipſi obverſari, minuto quodam centro clariore ut exprimebat, intermicante. Nos illi convenientiorem diætam amplecti juſſo, præmiſſis generalioribus, miſimus tum aquam quandam ophtalmicam, tum 30. doſes hujus pulveris, quibus decenter intra menſem aſſumtis, primum inſigne levamen, deinde etiam optatam viſus claritatem recepit. Quamvis, ut ipſe reſcripſit, nulla ptyaliſmi indicia ſub aut poſt uſum ſe prodere viſa ſint.

Caſus II. De cataracta ex obſtructione menſium orta.

Virgo civilis conditionis 20. annorum crebris lectionibus addicta; poſtquam in menſium obſtructionem inciderat, eodem hoc malo conflictabatur adeoque caligabat, ut magno ſuo dolore à ſacris legendis plane prohiberetur. Perſtitit hoc vitium per biennium, & quamquam parentes nihil intentatum relinquerent, ad tollendum id, plurimis, quæ alioquin probatiſſima fuerant, adhibitis remediis; tamen eo uſque inſanabile & inconcuſſum remanſit. A nobis quoque multa diu in ſubſidium vocata ſunt ad fluxum menſtruum debite revocandum, congeſtiones derivandas & graviorem hanc nebulam ſpecialioribus ophtalmicis diſſipandam; ſed omnibus irritis, neceſſe erat ad hunc pulverem confugere, quem poſtquam tricies ex lege methodi iteratum propinavimus conjunctis ſimul emmenagogis; certe cum magna animi voluptate vidimus hoc ſolo tantam calamitatem depulſam, virginiſque & parentum deſideria fuiſſe impleta, idque adeo leniter ſine ulla ſalivatione, ut mitiorem juxta ac præclariorem effectum optare non potuiſſemus

§. XIII.

d] in ulceribus venereis.

De *ulceribus venereis* & tumoribus in notis gallicis non eſt quod quicquam latius adjiciamus, adque hujus methodi præſtantiam in iiſdem radi-

radicibus exſtirpandis pluribus commonſtremus. Nam cum mercurialia convenienter applicata in corruptelis ejuſmodi lymphatico-ſpermaticis à ſpecifico contagio pendentibus emendandis & exhauriendis præcipua quadam facultate aliis omnibus medicamentis præponderare concordibus practicorum ſuffragiis judicentur; tum planiſſime intelligi poteſt noſtrum pulverem idem auxilium ſpondere, quin & eo tutiorem magiſque idoneum fore, quo evidentius placida reſolvente & per ſalivales alioſque meatus exantlante vi cæteris fere omnibus antecellit. Certe numeroſis documentis facile poſſemus evincere, quantopere tali modo afflictis ſatisfecerit, eaque cuncta præſtiterit, quæ ab aliis generoſioribus remediis intra tam breve temporis ſpatium vix exſpectaveris. Illud adhuc ſpe magis præcipimus, quam luculentis teſtimoniis ſuffulti aſſerere audemus, futurum, ut eadem hæc methodus ſcabiei ferinæ ſæpe admodum contumacis acerbitatem & ferociam conjunctis aliis ſubſidiis miteſcere compellat: præſertim cum jam alios ſcabioſos ſæpe ejus ope liberatos fuiſſe certiſſimum ſit. (Vid. JUNCK. conſpect. Med. Tab. XC. p. 738. in fine)

e] In ſcabie ferina.
f] In ſcabie ſimplici.

§. XIV.

Commendatio methodi.

Sed hæc aliaque ſatagentibus rerum ſuarum practicis ulterius meditanda & experiunda relinquimus, contenti hoc capite methodum hanc ſingularem pro virium modulo, ac ea, quam diſſertatio patitur, amplitudine excuſſiſſe. Plura addere non ſivit propoſitum nec ſuaſit neceſſitas, cum unicuique ſupra citati maxime caſus, quorum circumſtantias ex ſenſuum fide ſollicite conſcripſimus, attente lecti ac penſitati ad momentum rei diſpiciendum dijudicandumque ſufficere poſſe videantur. Ceterum majorem lucem affundent & oſtenſam hujus methodi utilitatem, adſpirante Divino numine, ſtabilient uberiora experimenta, quæ quidem tentare & capere in miſerorum ſolatium, ſub debitis cautionibus jam ſtatim indicandis, neminem, ut arbitramur, pœnitebit.

CAPUT III.

De Monitis & Cautionibus circa mercurii dulcis uſum ſingularem obſervandis.

§. I.

Methodus hæc juvat.

Quemadmodum præſtantiſſima quæque pharmaca intra certos virium ſuarum cancellos agunt, ultra quos eadem extendere nefas & temerarium foret, ac præterea ſub uſu juſtis cautionum limitibus circumſcri-

1. *Nec ubique.* cumſcribenda ſunt: ſic æquiſſimum eſt, idem in hac noſtra methodo diligenter attendi. Etſi enim admirabilem ſui virtutem in allegatis morbis tuto repræſentarit, tamen ad hanc tanquam ad ſacram quandam anchoram in aliis nedum *omnibus* deploratis malis temere confugiendum eſſe neutiquam exiſtimo, haud ignarus, multos ægrotantes obvenire, quos mercurialium etiam tutiſſimorum uſus potius in exitium præcipitare, quam incolumitati reddere animadvertitur. Neque affirmaverim, 2. *Nec ſemper v.g.* pulverem noſtrum morbos, quibus congruit, tam certo, *ſemper* depellere ut nunquam medentium fallat expectationem. Ingenue namque a] *In tumoribus.* fateor nobis etiam quosdam *tumores* ſub axillis & auribus occurriſſe, qui pene fruſtra hac methodo oppugnati ſunt, & vel ante ſperatam reſolutionem in abſceſſum tranſierunt, vel pertinaciſſime longo tempore b] *In ulceribus.* immobiles ſubſtiterunt. Neque etiam in *ulceribus* cacoethis putridis ſemper conſummatæ curationis voto potiri licuit, quamvis omnium circumſtantiarum rationem, quoad ejus fieri poteſt, habere & manifeſta impedimenta ſatis amoliri ſtuduerimus. Idem igitur cum aliis imitantibus forte eventurum eſſe prævideam: tamen ex his concludi nequit, remedium eſſe infidum & contemnendum; ſed potius, cum alias ſæpe profuerit, quemvis decebit in tali caſu eo magis attentum ſolertemque ſe præſtare, ad perſcrutandos naturæ abditos receſſus, & cauſſam denique, quæ optatum effectum retardat, ſagacius inveniendam.

§. II.

3. *Noxia in ulceribus cancroidis.* Inprimis autem indagare expedit, num ulcera ex vera ſcorbutica humorum depravatione originem ducant, vel inde acrimoniam adhuc ſuſcipiant; an etiam ex concurſu ſanguinis ſtricte dicti putreſcentis auctiore cancroideum fœtorem, dolorem, pernicioſam eroſionem, adeoque diri carcinomatis indolem oſtendant; an duntaxat e ſimplicioribus lymphæ ſalivæ & ſeri corruptelis (licet grave olentibus & depaſcentibus:) nata ſint, taliumque maxime humorum perpetuo affluxu adhuc dum foveantur & obfirmentur. Quandoquidem pro certo ponitur, in his ultimis pulverem noſtrum tutum ac ſæpe ſalutarem fuiſſe, in ſcorbuticis autem & vere cancroſis nemini autores ſumus, ut eodem utatur; quippe hic mercurialibus cruciatuum omniumque ſymptomatum crude- *Exemplo probatur.* litatem plerumque augeri conſtat, idque nuper admodum triſti *exemplo* cognitum eſt, ubi quidam ſuſpecta linguæ ulceratione conflictatus, neſcio proprio errore an chirurgi hortamento, diſſuadentibus omnibus medicis, unguentum mercuriale, adhibuit, ſeque ptyalismo inſequente jugulavit.

§. III.

§. III.

Ex hiſce pariter apertum eſt, hanc methodum *ſcorbutica* labe contaminatis minus ſalubriter accommodari. Nam cum eorum ſanguinem peculiaris acrimonia cum ſemiputrido ſtatu conjuncta depravavit, tum verendum eſt, ne mercurius infeſtam qualitatem adſciſcat, nimiaque reſolvendi aut plane ſolidas partes arrodendi potentia ægros in ultimum diſcrimen conjiciat. Quapropter etiam circumſpectos practicos ab omnium mercurialium uſu in ſcorbuto dehortari videmus. (vid. Stahl. diſſert. de ſcorb. & luis venereæ different. p. 23. it. JUNCKER L. C.) Idem judicium valet de *hypochondriaco malo*, in quo ſpiſſitudinem & ſtagnationem ſanguinis in vena portæ & annexis ei viſceribus adeo non corrigit mercurius, ut potius omnia ſymptomata vehementius exaſperare ſoleat.

4. Infida in ſcorbuto.

5. Intuta in malo hypochondriaco.

§. IV.

Quæ cum ita ſe habeant, multo magis providendum eſt, ne methodum hanc forte illis, qui ſimul *internis læſionibus* præcipue ulceroſis hecticis, interdum haud adeo manifeſtis laborant, applicemus. Enimvero hic anguis in herba latet, quem & mercurius vi ſua diſſolvendi reſuſcitare poteſt, tantamque ſenſus acerbitatem inferre, ut miſeri ex Charibdi in Scyllam incidant, ocyuſque conſumantur. De *ſcirrhis* per mercurialia diſcutiendis, quid alii ſenſerint, jam ſupra (vid. Cap. II. §. 8. in fine) innuimus; at vero præſertim ſi mere ſanguinei ſint, ſi doleant nonnunquam, ſi ægroti habitus imbecillior aut, alia mala conjuncta ſint, nos hujuſmodi periclitationes refugiendas eſſe autumamus.

6. Perículoſa in læſionibus internis.

7. Non indifferenter in ſcirrhis

§. V.

Neque aliter cenſendum videtur de tumoribus *hydropicis* utpote quos plerumque a viſceris alicujus vitio oboriri aut ſuſtentari novimus. Unum tamen neque id plane ſilendum exemplum nobis occurrit, ubi aſcitico cuidam multis ante medicaminibus exercito, ut jam tumor ex abdomine depulſus in ſolis pedibus fixus & immobilis reſtaret, neſcio qua fortuna aliquot hujus pulveris doſes porrectæ ſunt, eo eventu, ut accepto inopinato levamine lætus æger plures hujus efficaciæ pulviſculos ſibi dari poſtularet.

8. Improbata in hydrope.

§. VI.

Tutius autem hoc remedium præſcribitur ejuſmodi *cephalæa* correptis, quam vel ſtatus ſimplex *ulceroſus* vel ſcabioſo-impetiginoſæ cor-

9. Fructuoſa in certa cephalæa.

ruptelæ ſub cute latentes vel ulcerum alibi manantium ſuppreſſio vel denique venerea inquinamenta ciere ac ſæpe diutiſſime alere conſueſcunt. Ecquis enim ignorat, talibus cauſſis cephalææ inveteratæ ſubigendis ipſam ſalivationem à practicis ſubinde opponi, duroque nodo durum adhiberi cuneum? unde & hæc methodus tanto commodatior erit, quanto magis commoda & a turbis infligendis remota. Sed tamen omnes circumſtantias antea graviter expendere atque aliis cauſſis præſentibus ſimul occurrere conveniet. In ipſa autem *cephalalgia clavo hyſterico* nedum in aliis congeſtionibus & morbis ſpaſmodicis v. g. in *arthritide podagra* &c. inſiſtere huic methodo nulli unquam ſuaſerimus.

10. *Lucroſa in doloribus ſpaſticis.*

§. VII.

11. *Infantibus & ſenibus promiſcue non ſuadenda. nec menſtruatis.*

Perſpiciendum quoque eſt ne *infantibus* & *ſenibus* enervatis eandem adhibeamus. Etſi enim plerumque placide operetur, tamen tenera & infirma hujuſmodi ſubjecta aliquando afficere poteſt vehementius, atque ob debiti regiminis aliorumque neceſſariorum intolerantiam gravius periculum intentare. Non minus, antequam huc in morbis ſequiorem ſexum affligentibus progrediamur, exquirere nos decet, quo tempore fluxum *menſtruum* experiri ſoleant; ut eo ceſſante, ſtatim hoc curationis genus auſpicari & maximam partem intra tempus intermedium abſolvere, adeoque turbas & incommoda, quæ mercurialia ſalutari huic evacuationi minitantur, eo facilius avertere poſſimus. Idem de *Prægnantibus* tenendum eſt, quas potius aliis jucundiore aut leniore ſenſu fœtum & matrem erigentibus, quam tali medicatione tractare par erit. Non poſſum tamen quin hic *exemplum* apponam gravidæ, non hanc modo curandi rationem ſed & alia vulgo ſuſpecta validiora remedia ſine noxa perpeſſæ. Cruciabatur illa truculentis pathematibus hyſtericis & fluore albo moleſtiſſimo atque impatientiſſime omnia, quæ his malis levandis ſuffectura indicari poſſent, deſiderabat. Neque in præſcribendo ſegnem ſe præbuit medicus probatiſſima quæque antihyſterica &c. ſæpius repetere jubens, utpote qui pariter ac ipſa mulier nullam graviditatis ſuſpicionem conceperat; ſed tamen cunctos hoſce conatus morbi pertinacia per aliquot menſes eluſit. Cum itaque afflicta enixius aliorum præſidiorum uſum expeteret apparentibus nullis adhuc graviditatis indiciis accepit denique neſcio unde, pulverem hunc reſolventem & protinus à quarta doſi in ptyaliſmum incidit poſt octo doſes ita increbeſcentem, ut deglutiendi difficultas & copioſus ſalivæ effluxus eſſentiæ diſcutientis uſum regi nenque diaphoreticum imperare juberent. Quibus haud ex voto proficientibus ſubjuncto purgante ſalivatio ad moderamen & finem deinde pervenit. Quin & poſtea varia emmenagoga propinata & V. S. in pede adhibitam, ac nihilo ſecius improviſo denique ſanum atque omni ex parte abſolutum fœtum exclu-

12 *Gravidis non commendanda.*

Licet exemplum in contrarium afferatur.

excluſum ab hac matre fuiſſe memini. Ex quo uti inter alia hujus methodi lenitas intelligitur : ſic tamen imitandi conſilium nemo temere inibit, cum talis caſus ad rariorum ſucceſſuum claſſem pertinere videatur.

§. VIII.

Cæterum quicunque hanc methodum congruentibus morbis applicandam eſſe decernit; illum ſimul de *aliorum* quoque *medicamentorum* commode aptandorum ſubſidio cogitare neceſſe eſt. Neque enim generalia aut ſic dicta *univerſalia* ubivis ſine detrimento negligi poſſunt, neque *ſpecialia* e. g. in ulceribus externa detergentia, mundantia, balſamica vilipendenda ſunt. Quæ ſi oſcitanter fiant aut plane prætermittantur, ſolidæ curationi *remoram* injici, lentumque & ſpe multo inferiorem effectum ſubſequi obſervavimus. 12. *Cum aliis remediis copulanda. a) Univerſalibus. b] Specialibus.*

§. IX.

Id quoque experturos curæ cordique habere oportet ut ſi quæ *incommoda* ſub uſu hujus methodi impendeant aut exiſtant, mature paullo majorem eorum impetum antevertere, aut infringere & retundere conentur. Non enim diſſimulandum eſt, interdum vires inde debilitari ciborum appetentiam minui & nauſeam moveri, aut præcipue ubi ptyaliſmus imminet vel procedit, inſignem aliquando laſſitudinem artuum, faucium, linguæque tumorem ac deglutiendi difficultatem ſupervenire. Quæ moleſtia licet identidem ac natura ſponte vinciantur, tamen etiam ſæpe auxiliatricem artis operam depoſcunt. Cavendum autem eſt, ne ægrotus culpa ſua graviora, quam alias inſequi ſolent, mala ſibi contrahat, ut accidiſſe recordor cuidam puellæ, quæ cum ad ulcuſcula faciem turpiter defœdantia non mediocri ſucceſſu pulverem hunc uſurparet, poſt aliquot dierum uſum ſive ex impatientia ſive alio errore duas doſes ſimul contra præſcriptum veſperi abſorpſit, indeque ſibi tot incommoda circa fauces præcipue creavit, ut ante decimum quartum diem ad quietem & integritatem priſtinam reduci non potuerit. *Præcipue in ſymptomatibus.*

§. X.

Ultimo *diætæ* & regiminis quoque ratio habenda eſt, nam his plane deſpicatui habitis multos graviore moleſtia aut ſaltem tardiore proſperæ curationis exitu negligentiam ſuam luiſſe animadvertimus. Quocirca æquum erit injungere afflictis, ut dum hoc remedio utuntur, moderato & æquabili calore cibo modico molli & euchylo, potu leni claro vel ex ordinaria modo probe defœcata nec acorem indepta cereviſia, vel ex 14. *Diæta.*

decocto 'radicum & herbar. convenient.' C. C. hordei cum paſſulis majoribus &c. corpora ſua reficiant, omnem autem refrigerationem, cœlum humidum tempeſtuoſum, cuncta acida ſalina acria, denique & turbas ac permotiones animi quoquo modo devitent. Quod ſi fiat, utique nobis licebit, eſſe ſecuriores quamvis me minime prætereat, plurimos, quos hoc medelæ genere nos curandos ſuſcepimus, ad exactas hujusmodi diæteticarum præceptionum leges ſe nunquam attemperaſſe (cum rei familiaris cura illis potior magiſque neceſſaria duceretur) & nihilominus, a reformidatis alias incommodis liberos, tandem perfecte convaluiſſe.

CCXXXVII.

ALEX. CAMERARII
ET
WILHELMI AGRICOLÆ,

USUS CORTICIS A FEBRE AD ICTERUM EXTENSUS.

TUBING. 1730.

THESIS:

Cortex delet etiam icterum.

UT hanc firmare theſin valeamus, tradenda paucis erit uroſcopia febris & icteri. Qui enim urinæ febrilis, idem nunc etiam ictericæ tincturam delet cortex. Sufficit, nec enim eſt, quod quæras : quis cortex? Scilicet non nominatus, omnibus tamen ſatis cognitus, non paucis admodum exoſus, olim a nigro, qui primus eum Europæ noſtræ miſerat *Patrum*, nunc a naturali ſolo *Peruvianus* dictus.

Delet hic alias notorie tincturam urinæ febrilis rubram, in ſedimentum bolare præcipitari ſolitam, qua inſignis adeo eſt febris *Tritæophyes*. Spectaculum vulgo fœdum & malum, medicis non æque, ſed reſpective bonum. Quanquam ergo tinctura illa eſſe interdum ſoleat valde intenſa, etiam diu ſatis duraverit, plerumque tamen obſervatur, deleri a cortice, idque intra breve tempus, poſt paucos dies. Ambulat pari paſſu hoc phænomenon cum febre vel fugata vel ſedata, paroxyſmis jam remittentibus ac plane tandem emanentibus.

Poſt & præter tincturam febrilem famoſa eſt *Icterica*, in urina primo aſpectu etiam quidem rubra. Sed flava tamen potius & crocea; quo & colore tingit lintea, turbida ſimul & opaca, donec ſedimento luteo ad fundum demiſſo deſuper inclareſcat. Sed non tingitur in ictero urina ſola, verum & facies, imo maxime conſpicue album oculi &

 cutis

cutis reliqui corporis; unde Regius morbus audit, quo ſplendore tamen egregie carere quiſque poſſet.

Dum iſta flavent, & color eſt, ubi eſſe non debebat, alibi non eſt ubi tamen eſſe debebat. Scilicet alvi fæces colore ſuo naturali deſtituuntur, & argillaceum in modum palleſcunt, tardius etiam plerumque, ſtimulo vel monitore hoc abſente, excerni ſolitæ.

Hanc ita declaratam tincturam ictericam obſervatur delere cortex, perinde ac febrilem, ut ab ejus uſu croceus ille urinæ color remittat, deſinat, fiat iterum naturalis; cui reſpondet cutis quoque color, non minus plene, & interdum opinione vel expectatione citius, quandoque tamen etiam tardius, diſcuti ſolitus.

Ante vero, quam nunc procedamus ulterius, paradoxon hoc noſtrum, ut de veritate facti prius conſtet omnibus, liceat oſtendere in curis aliquot ictericorum, reſpectu ad ætatem, ſexum & concurrentes circumſtantias alias habito, bene diverſorum.

Habe primo *puerum* ſex annorum, tenerum, pallidum, vivacem quidem, uſque tamen ſuſpecte tuſſiculoſum. Hic poſtquam aliquandiu querelas moviſſet de *pruritu teneſmode alvi*, tempore imprimis matutino & poſt excluſionem fæcum longe graviori, bene tamen appetens, quin vorax, nec de præcordiis nec de hypochondrio querulus, erectus etiam & per ædes ambulans, flavere tamen ubique mirum quam conſpectus, & *urinam* ſature *tinctam*, alvi fæces autem *argillaceas* exhibens, a primo ſtatim triduo, quo mane quidem ipſi grana XXV. *rhabarbari*, cum paux llo *nitri*, veſperi & noctu vero *nitri*, *cornu cervi uſti*, *chaquerillæ* ana gr. III. & *corticis peruviani* grana ſex data fuerunt, cum ſubjuncto ad quartum diem pulvere anthelmintico ex *ſeminis cynæ* ſcrupulis duobus, *rhabarbari* ſcrupulo uno, non modo notabiliter jam faciei æque ac urinæ *flavedinem imminutam*, verum etiam poſt alterum triduum, quo *corticis peruviani* grana duodecim, cum *chaquerillæ* granis duobus, *nitri* tribus, *ſalis Epſomenſis* quinque, ter in die, una cum guttis ante paſtum ex *Elix. aperitiv. Clauderi & tinctura martis cydoniata* ana accepit, *plene deletum* omnem omnino *tincturam* commonſtravit, nihil quidquam ultra mali paſſus, quin ſtupenda *aſcaridum* copia per hoſce dies, imprimis poſteriores, expulſa, etiam à pruriginoſa illa alvi moleſtia feliciter liberatus.

Huic ad latus pone *puellam* decennem, gracilem, calidi & ſicci corpuſculi, cui poſt laſſitudinem octiduanam, pectoris anguſtias & vomiturationes nauſeabundas, atque narium hæmorrhagias inconſuetas, tandem intra nycthemerum facies & urina inſigniter, *flavere*, ſequentibus diebus adhuc augeri hæc flavedo viſa eſt, etiam cum ſolido fœcum pallidarum phœnomeno. Atqui poſt datos per triduum mane & veſperi pulveres digeſtivos ex *nitri puriſſ.* granis quatuor, *nitri antimon.* tribus,

matri

matris perlarum, *lapillorum cancrorum* ana granis VII, & pillulas ex *extract. rhabarbari*, *cichorei*, *trifolii fibrini*, *gentianæ*, *cardui benedicti*, cum *myrrhæ el. crocior. anani duplicati* ana gran. uno. *aloes ppt.* granis duobus, cum ſubjuncta potiuncula purgante ex *ſpec. jalapp.* ſcrupulo dimidio, *pulveris cornachini* granis XV. in *aqua* & *ſyrup cichor.* item *rhabarb.* *Corticis drachmæ tres*, cum *chaquerille* dimidia remiſtæ, & ad ſcrupulum unum mane ac veſperi, cum guttis priùs dictis ante paſtum, ad noctem verò pulviſculis ſalino abſterſivis & abſorbentibus ex *ſalis chamomillæ*, *arcani duplicati*, ana granis v. *nitri* ſcrupulo dimidio, *antimonii diaphoretici* ſcrupulis duobus, *matris perlarum* drachma una exhibitæ, etiam huic *flavedinem omnem* exuerunt, & priſtinum faciei ruborem non minus ac virium animique robur & alacritatem recuperarunt.

Liceat ordine naturali aſcendere ad ætatem juvenilem, & manendo in ſexu ſequiori producere *virginem* nubilem, toroſam atque floridam, ſub ipſo fluxu menſium ira graviter commota, poſt noctem propter atroces pectoris ſtricturas cardialgicas inſomnem, altero ſtatim mane quaſi croco illito reſplenduit, & urinam tum adhuc ex rubro & luteo inſolenter tinctam, poſtea vero ſedimento luteo copioſiſſimo non minus ſingularem, medico tranſmiſit. Præſcriptæ ipſi propter fluxum menſium (paulo licet parcius ; ſed nec alias fluere conſueverant multo liberalius) continuantem, tres doſes matutinæ *rhabarbari*, inde totidem aliæ *ſalis Epſomenſis*, per totum hoc ſextiduum vero veſperi *elix. aperitivum Clauderi*, atque noctu *pilulæ balſamicæ Stahlii*, absque tamen eo, ut, quod operæ quidem fuiſſet pretium, quidquam iſtis omnibus effectum, aut de gemina tinctura auriginoſa imminutum fuerit, atat cum *die ſeptimo*, quo urina ſumme tincta ſedimentum adhuc ad transverſi pollicis altitudinem dederat, *corticis peruviani ſemunciam*, cum *chaquerill.* drachm. II. tranſmiſſam, atque ter in die, ad 3. c. c. uſurpandam, vix inchoaſſet, ſtatim, nimirum *octavo die* præſentaneam corticis opem experta eſt in urina non amplius ut fieri craſſa, turbida, ſed pellucida, aurantia & ſplendente, quæ continuato pulveris uſu poſtero die ad plenariam ſanorum conditionem penitus pervenit, delata interim æquali celeritate omni cutis tinctum icterititia, quippe jam ad veſperam diei octavi prorſus evanida.

Non ægre feret *ſtudioſus*, qui cum inter nos adhuc verſaretur, ſedulus virginum ſectator fuerat, poni ſe hic in charta ad latus ſuæ Penelopes, cujus lanificium toties obſervarat olim in ædibus paternis. Hic ex ignota, vel nulla prorſus, ut opinabatur, cauſa, languere & appetitum deperdere, poſtea bis a cibo vomere, tandem flaveſcere etiam cœpit, atque intra biduum omnia *icteri conſummati* phænomena exhibuit. Datum ipſi, poſt præmiſſos pulveres digeſtivos, *vomitorium* ex *pulveris cornachini* drachm. dimidia, *tartari emetici* grano uno. Unde quinquies vomuit,

vomuit, alvum vero nunquam depoſuit, neque tamen aliud quidquam dolens, quam quod cibus & vinum non bene ſapiant, & propter tædioſam univerſæ cutis flavedinem domi manendum ipſi ſit. Abhinc *decem* accepit *corticis doſes*, quarum duas ſumat uno die, cum *guttis* ſupra dictis ante paſtum ſumendis; à quibus profecto ſolis *facile*, & *plene* non minus, ac *cito* admodum & *conſtanter curatus*, atque priſtino cuticulæ nitori reſtitutus fuit. Hac occaſione tamen ὡς ἐν παρόδῳ liceat paucis allegare phænomenon, quod in hoc ipſo juvene tum notavimus, memoratu forſan non indignum. Miſerat nimirum iſte veſperi famulum ſuum, qui medico nunciet, ſe *pungi* ſub axilla ſiniſtra, & exſpuere *ſtriis cruentis tincta.* Et factum quidem hoc fuit ipſo illo die, quo mane vomitorium aſſumſerat. Tum mixturam ex *bolo armena*, cum *ocul. cancr.* in *aqua papav. errat* & *ſyrup. rubi idæi*, & ad noctem *pulv. anodyn.* grana II. cum *nitri* gr. V. & *coralliorum* gr. XV. ipſi præſcripſit medicus; altero autem die cito viſitare ipſum, & in hæc omnia accuratius inquirere conſtituit, reſponſionem vero non aliam niſi ſequentem obtinuit. Per noctem quietam iſta remiſiſſe, primo mane ſe tantillum adhuc exſpuiſſe, per diem vero nihil amplius. Sibi jam bene eſſe, languorem remittere, appetitum ſenſim redire, de pauco autem cruore illo, unde venerit, ſibi nihil conſtare, niſi hoc, quod *non a vomitorio demum* venerit, ſed jam cœperit die prægreſſo. Num e naribus in fauces delapſum quidpiam, vel e loco puncturæ prodierit, ſe neſcire, interim nec hæmorrhagiæ narium, nec hæmoptoës per omnem vitam perpeſſæ recordari. Cognata tamen, forte ſimul ipſum viſitans, aſſeruit, ſe nuperrime modo ictericam ſputum ſimiliter cruentum habuiſſe, absque eo, ut mali quid poſt ſe traxerit, vel diu duraverit.

Dixeris: bene quidem hactenus dicuntur hæc vel ſcribuntur de ſpeciebus icteri levioribus, in ætate juvenili, vegeta, facile vel ſolius naturæ robore ſuperandis. Sed quid fiet in ætate ſenili, vel modo declinante, ſub robore nativo iterum remittente, cum ictero forſan graviori atque magis pertinaci? Reſpondemus: etiam ad hanc inſtantiam parata nobis ſunt exempla curationum, & ſucceſſus earundem non minus felices. Dabimus talium quoque ſpecimina quædam.

Vinitoris uxor annorum circiter quinquaginta, ab anno non amplius menſtruata, ad finem maii præter opinionem iterum menſtruatur, & febre ſimul corripitur. Febris acuta ex degeneratione varie protrahitur, ſub neſcio quibus reliquiis, recidivis & anomaliis; ut enim cum plebe fieri ſolet, partim negliguntur talia, partim male tractantur a vicinis, a chirurgis, a quibus non. Sic & hæc ſub principium auguſti adhuc dejecta & querelarum plena, vel tandem mittit filiam ad medicum, quæ referat, graves eſſe matri præcordiorum maxime dolores, *cardialgiam* tantam, ſub *tumido & tenſo epigaſtrio*, ut ne levis lecti ferat incubitum.

Huic

Huic miſeriæ longæ modo accedere *ićterum*, cum ſiti non extinguenda, urina ſpiſſa ſumme crocea, alvi tardæ fæcibus pallidis. Huic ægræ, non jam quid præſcribi potuerit vel debuerit, ſed quid præſcriptum fuerit, bona fide ſignificabimus; judicium erit penes lectores, vel & auditores, ſiquidem in conflictu iſta reprehenſuri ſint Dnn. opponentes. Scilicet *corticis peruviani unciæ duæ* datæ fuerunt intra ſeptimanam abſolvendæ; & *nitri drachmæ duæ* in primo ad prandium & cœnam juſculo, cuſpidatim aſſumendæ. Quo cum effectu? ab illorum uſu reverſa filia *cito urinam depoſuiſſe tincturam*, alvi fæces non pallere amplius, ſed dicendo modo comparere longe alias, colorem cutis remittere, dolorum priorum ceſſare unum poſt alterum, lætior retulit. Verum non ſine permutatione morbi duplici ad loca aliena: primo *ad alvum* teneſmodem, cum *fluxu* quodam quaſi comminutorum ovorum, dein fuſco liquido; ſecundo ad *coxam ſiniſtram*, dolore per femur extenſo, ut cum jam præ febre, præ epigaſtrio, vires haberet ad ſurgendum, præ *iſchiade* nequeat incedere. Volebat ex afflicto pede ſanguinem mittere, ſed præ tumore, neſcio utrum a longo morbo, vel novo dolore, chirurgus negavit ſe poſſe. Dabantur tunc *eſſentiæ pimpinellæ*, *millefolii*, ſed non erant ad palatum, deprecabatur vini ſpiritum, quem tamen plebs alias adeo amat. Ergo datæ ſex doſes ſalinæ, ex *nitri*, *borracis*, *ſalis Epſomenſis* ana dr. una, cum totidem *croci* granis, in liquido facile hauriendæ. Hinc circa medium ſeptembris demum refert filia (ut fieri ſolet a plebe, ſatis tarde) matrem corde eſſe liberam, appetitu gaudere, ſolo adhuc vexari & affixam lecto teneri coxæ dolore, ad omnem motum, etiam ſternutationis, tuſſis, utut raræ, &c. acriter exacerbari ſolito. Sed mirum, quærit inſuper, annon videatur gravida, quia urina naturalis, appetitus bonus, nec de cætero quid patiatur mali, niſi quaſdam interdum oppreſſiones. Ante quinque annos etiam diu ægram tandem præter omnium opinionem peperiſſe filium, adhuc ſuperſtitem. Sed vanum hoc fuit. *Coxæ* autem profuit inter varia plebeia, *cataplaſma ſymphyti* cum *urina*, tertia vice reiteratum. Secta quoque vena in pede minus tumido. Sic ſub uſu domeſtico herbarum ſiccarum *veronicæ*, *meliſſæ*, *betonicæ*, pro infuſo, *rad. cichor. recent.* pro decocto, convaluit; non niſi de aſcenſu interdum uteri, ut ait ad ſtomachum & caput querula.

S E X A G E N A R I U S, cui a vino facies cuprea, nihilo tamen minus ſanitas hucuſque conſtans & firma, ut amicos & in compotationibus ſodales annuis ipſorum purgationibus & venæ ſectionibus toties derideret, a duobus fere menſibus equidem obſervat, faciei colorem mutari ſenſim magis in flavum, præcipue circa oculos, id ipſum tamen parum curat, donec *flavedo* tandem nimis invaleſcens, *laſſitudo* & *ano-*

rexia obrepens, continuus *calor*, ſiccitas & *ſitis* ipſum urgens, & *tuſſicula* ſuſpecta accedens, dictos modo concives anxios redderet ac ſollicitos, de ſervando fideli hoc & ſtrenuo collega, ut ipſum primo admonerent, mox cogerent adire medicum, & rebus ſuis jam dum fere deperditis conſilium quærere. Obtemperat tandem, & medico, præter jam dicta, refert, calorem eſſe continuum, & ab aliquot ſeptimanis inſigniter *depaſcentem*, tuſſiculam fieri *humidam*, ſputum vero eſſe tenax, craſſum, *flaveſcens*, gravationem & plenitudinem præcordialem magnam, urinam *paucam*, nulli fere melius quam malvatico comparandam, cum ſedimento brevi luteo copioſo, alvum vero tardam, raram, cum fæcibus *pallidis* tenacibus. Huic equidem corticem non ſolum dedit præſes, ſed ob inveteratum atque graviora minans malum therapiam ita adornavit, ut primo quidem *nitri* drach. ſem. *ſalis Epſom.* dr. duas ſem. in ſex doſes diviſas biduo abſolveret, ac potiunculam laxantem ex *rhabarbari* drach. una, *nitri* ſcrupul. dimidio, in *ſyrupo* & *aqua cichorei* datam ſubjungeret, deinde vero mane & veſperi ſucceſſivis *cort. peruv. unc. dimidiam*, *chaquerill.* dr. ſem. *diaphor. martialis* dr. una. *ſpecier. diacret.* dr. du. ſem. ad tres cultri cuſpides ſumeret, interpoſitis per diem reliquum tam guttis *tincturæ martis Ludovici* ante partum, quam *pilulis amaris balſamicis* [*viſceralibus* ad noctem, atque vino medicato ex *ſummit. millefolii*, *hyperici*; *gentianæ*, *centaur. minoris*, *abſinth. pont. rhabarbaro*, *radic. curcumæ*, *cinnamomo acuto*, *baccis juniperi*, *ſemine fœniculi*, *aniſi*, & *corticibus aurantiorum.* Hiſce vero per dies quatuordecim continuatis, atque *corticis* formula ſemel *reiterata*, adeo non fefellit eum ſpes iſta bona amicorum & deſiderium, ut potius ſanitati priſtinæ reſtitutus. Nobilis hujus bibaculorum collegii præſidem agere adhuc per integra duo luſtra potuerit.

Pro complendo numero ſeptenario, medicis dudum ſacro, & confirmanda Theſeos veritate per exempla omni exceptione majora, claudat *fœmina*, undecimum ætatis luſtrum ſupergreſſa, ab ultima retro infantia tabem metuens, uſque tamen pertinaciter renitens, & provido quidem vitæ genere ſe ſuſtentans, calamitatibus tamen domeſticis & multiplici miſeriarum concurſu, viribus dudum fracta, proin jam dum debilis ac infirma. Hæc ab ancipiti & ſumme dubia primo quidem fortuna ſaltem, dein etiam valetudine, tandem ſubſequuta morte filii, cœpit *animo* primum angi, poſtea *corpore* etiam affici, & ſub obrepentibus ſucceſſive *agrypnia*, *anorexia*, *tuſſicula ſicca*, *febre* lenta veſpertina tabifica, ac *ſudoribus* colliquativis, adeo ad incitas redigi, ut non ipſius modo, ad analyſin beatam dudum ſeſe componentis, ſed omnium quoque, qui acceſſerunt atque viſitarunt ipſam, ſpes, reſtitui vel conſervari eam poſſe, penitus decollaret. Tandem pro complemento miſeriæ acceſſit etiam *icterus*, iſque adeo gravis, ut per omnem praxin clinicam talis ac tantus flavedinis gradus Præſidi quidem nunquam fuerit viſus, tantum

tum abeſt, ut gravioris vel intenſionis unquam meminerit. Atat divini numinis gratia aſſiſtente, etiam ex hoc procelloſo duplicatæ calamitatis mari feliciter enatavit, & oportune portum attigit ope noſtri *corticis*, per horas maxime *antemeridianas*, nimirum apyrexiæ tempora, *largiter* dati & *diutiuſcule* ac patienter continuati, dum veſpertinis ac nocturnis exacerbationum febrilium paroxyſmis ſua quoque deſtinarentur remedia convenientia, hic non demum ſpecialius recenſenda, ne in longum nimis excreſcat hiſtoriarum & curationum ſeries jam dum ſatis prolixa.

Poſſemus plura dare iſtiuſmodi curationum ſpecimina. Cui autem hæc non ſufficiunt, næ is neque nube teſtium producta convincetur, quin aſſenſum cohibebit ſuum, habiturus uſque adhuc aliquid, quod regerat, quo ſcrupulum ſibi aliiſque non tam moveat quam fingat. Unde iſtis quidem nunc miſſis, hiſce vero ad ſequentes paginas reſervatis, ad ætiologiam pedem nunc promovemus, in phænomenorum rationes inquiſituri, & ex doctrina de febribus atque ictero applicaturi, quod e re noſtra fore atque dictis lucem fœnerari poſſe videbitur.

Cauſa motuum febrilium *Galeno* eſt natura, quæ laceſſitur à cauſis materialibus. Oſcitatio enim, pandiculatio, horror, rigor, calor, pulſus &c. ipſi ſunt opera naturæ, ſed a morboſa quapiam cauſa violenter ſic moveri coacta. Quid per illam naturam ſibi velit, ipſe explicat & profitetur, ſe nihil aliud intelligere, quam iſtam facultatem, quæ corpus humanum ſive voluntatis nutu ſive præter hunc regit. Hanc naturam vero dicit eſſe morborum medicam, in actibus ſuis vitalibus admirandam, utut a nemine doctam, agere tamen ad ſui corporis ſalutem, certare contra cauſas, quæ morbos faciunt, expellere ſuperfluitates tam in ſanis, quam in ægrotantibus. Cauſa autem, quæ naturam febriles iſtos motus inſtituere cogit, ipſi eſt excrementum mordax, bilis putreſcens, commota, turgens, vel ex jecinore, in ventrem defluens, vel ex vario ſuccorum in primis viis concurſu in ventre genita, (pro tertiana quidem; etenim *quartanam* non ex jecinore, ſed ex male affecto liene, derivat, & humorem frigidum, melancholicum, acidum ipſi adſcribit), inde in venas atque ſanguinem delata, ſed à partium facultate alienorum excretrice tamdiu propulſa, donec ex omnibus ablata per urinam, vel ſudores, aut vomitus, vel per alvum quoque fuerit excreta.

Quam hæc generalia, ex priſcorum medicorum ſcholis deſumta, conveniunt, aut certe benignam tamen interpretationem admittunt, ac proin conciliari facile poſſunt cum ſcriptis atque placitis recentiorum, uti quidem inſpicientibus eorundem libros & conferre iſta ſecum invicem volentibus patebit, atque ſpecimen ejus rei publicum jam olim dedit præſidis *E. Parens* in *Spicil. Pyretol.* Tam ad ſpecialiora nunc deſcendendo facem utique accendere, atque tincturam in urina

 febrili

febrili rubram declarare poterunt eo melius, ſi attendere ſimul ac animum advertere placeat ad phænomena ſequentia.

Minus tincta, quin interdum prope naturalis eſt *urina*, quæ mittitur *ante* paroxyſmum, & per ipſa paroxyſmi tempora, ad minimum priora tria; *tinctior* autem & ſaturatior comparet, quæ *poſt* paroxyſmum mittitur. Quemadmodum laudatus antea *Galenus*, etiamſi in febribus univerſis præcipue ad urinas attendendum eſſe monuerit, febris inde ſpeciem ac totius morbi tempora docuerit, ſedimentum earum cum puris coctione comparaverit, ſub reſpectu ad naturam, ut in inflammationibus ſic & in febribus, vel ſuperantem vel ſuperatam &c. nihilominus virgulam cenſoriam *G. H.* Welschii expertus eſt ob id, quod hocipſum urinarum ante & poſt paroxyſmos miſſarum diſcrimen, tanquam τριταιογενως intermittentibus commune & proprium non ſatis determinaverit; ſic notabile hoc & conſtans phænomenon & dignius eſt, quod primo ſtatim ponatur loco, quum exinde non modo ſanguini ſub paroxyſmo tali vel infundi vel permiſceri aliquid non vane ſint qui ſuſpicantur, idque bilem eſſe velint: verum etiam ratio ſimul pateat, cur non ſemper *primus* ſtatim dies, aut primus *paroxyſmus* urinam æque tingat, ſed per gradus & paroxyſmorum dierumque decurſum tinctura *major* fiat.

Deinde, ſicuti juxta *Heurnium* in *Comment.* ad *aph.* 49. *ſect. IV. Hipp.* illa *tertiana* non eſt *exquiſita*, nec naturam ſui puram ſervat, quæ non habet flavam bilem redundantem atque motam, nec præterea tempus æſtivum, & locum & ætatem & temperaturam tempori ſimilem: æſtivis autem talibus & exquiſitis *autumnales*, tanquam magis ferinas, jam olim contradiſtinxit *Hippocrates*, & *anomalas*, *ſpurias*, *nothas* vocavit, earumque multas eſſe dixit; ita priorum *hepati* potius adſcribi ſolitarum, febrium *urinæ* familiarem habent illam tincturam: *crudæ* vero atque *decolores* ſunt autumnales, creditæ *ſpleneticæ*.

Porro, *In text.* 23. *libr. VI. ſect. V. epidem. Hippocr.* " Quæcunque „ tertianæ naturam habent, his nox ante acceſſionem moleſta eſt, „ quæ vero ſubſequitur, facilis magna ex parte". Et alterum, 13. *Sect. II.* " Cum inſtat criſis, nox ante acceſſionem difficilis ". Commentatur *Galenus*: in omnibus ferme tertio quoque die acceſſionem habentibus febribus, præter exquiſitas tertianas, nox ante acceſſionem revera moleſta eſſe ſolet. Quod ſi & in exactis tertianis id eveniat, judicationem ſequenti die futurum portendit. Approbat hoc non ſaltem, ſed ulterius etiam explicat in ſuo ad h. l. comment. *Valeſius*, rationem ejus hanc addens, quod bilis putreſcere, turgere, moveri jam tum incipiens, irritationes proin etiam difficultates majores, paſſionem longiorem & ſenſibiliorem, excitet in anomala quacunque, quam in exquiſita quidem tertiana.

Ulterius: Qui male adeo audit tranſitus benignæ febris in malignam,

nam, *raptus bilis* veterum *ad caput*, ſignificatur inter alia etiam urinæ prius tinctæ ac bolaris diſparentia, ad famoſum illud de urina bona, quacum tamen æger moritur. Illo, quod mixturam ſanguinis turbat, quod urinam antea tinxerat, quod tantum partibus internis nobilibus periculum intentat, per viſcera imi ventris non amplius demiſſo, ſed vi ſpaſmorum detento, quin ad ſuperiores partes, non ſine gravi earundem præjudicio, tranſmiſſo & congeſto. Unde in tali caſu non niſi cum grano ſalis accipi & applicari debet illud STEURLINI in *E. N. C. Cent* I. *Obſ.* 33. tantopere commendatum examen urinæ per ponderationem, ad formandum ex iſto de eventu morbi prognoſticum fallere neſcium.

Quid ergo vel tandem! ſi ad analogiam *Bellini*, qui ſchematiſmos urinæ declaravit eam incoquendo, & ſic inſpiſſatam rurſus diluendo, dicamus: tingi febricitantium urinam abſumto per calorem adeo intenſum, adeo moleſtum, ſero: forte per hunc ipſum motum generari, liberari, exaltari particulas tingentes, bilioſas, ſalino-ſulphureas. Declarabit certe prius frequens per praxin clinicam obſervatio, ipſis quibus hæcce ſcribimus diebus Præſidi aliquoties oblata, quatenus paucitatem urinæ mirantur interdum ipſi etiam ægroti, rerum medicarum alias ſatis vel ignari vel incurii. In poſteriori autem facile conſentientem habebimus *Mœbium*, qui in ſuis tabulis conformiter omnino huic noſtræ ſententiæ, urinam rubram dicit in febribus fieri ex fortiori fermentatione partium ſalinarum & ſulphurearum: iiſdem hiſce verbis uſus in lineis modo proxime præcedentibus, ad declarandam geneſin urinæ flammeæ, potiſſimum in febribus tertianis ac ardentibus obſervandæ.

Sed febribus vel tandem ſatis datum eſto. Nunc diſpiciamus etiam de *ictero*. Equidem non modo colicorum multi, ſed imprimis etiam inter febricitantes veterani (non eſt, quod mireris hoc prædicatum L. quem præſtolamur Ben. habuimus utique veteranos & novitios) quamtumvis in calore forſan plena facie rubeant, extra & poſt paroxyſmum tamen pallorem luteum exhibent, ut icterum fere præ ſe ferant, prouti *Diſchmo* ſuo quondam id probavit LENTILIUS in *Eteodr.* Et icterus ſuperveniens febribus, tam tertianæ quam quartanæ, imprimis male per corticem (quod ſub ejus uſu licet nec parco nec raro, ſibi tamen nunquam eveniſſe bona fide teſtatur Præſes) curatis & præpropere ſuppreſſis, paſſim citatur ab authoribus. Inter nos tamen non ita frequens per epidemiam febrilem nuperorum annorum fuit obſervatus. Unde etiam in *aphor. Hippocr. Sect. IV* qui exhibetur reſpectus, icteri ad febres, magis de continuis intelligendus eſt, monente ſupra jam laudato *Heurnio*; æque ac icterus ille multiplex, quem una cum hepatitide junctim proponit *Herm.* BOERHAAVE in *Aphor. d. Cogn. & Cur. morb. a* §. 914. *ad* 950. Intermittens enim in icterum erumpens rarioris hactenus apud nos quidem eſt obſervationis.

Icterici vero coloris ſubjectum ſicuti in omnium oculos incurrit, dum cauſale fundatur magis in hepate: ita non immerito *Galenus* quondam illum ſub cute humorem latitare dixit, cujus inde color reſplendet. Hic vero bilis eſt. Quæ *vel*, à ſtomacho & inteſtinis varie modificata, per vaſa lactea ſecundum chyli iter venit in ſanguinem, eumque inficit, *vel* in glandulis hepaticis libere non ſecernitur, vel ſecreta non excernitur; & quid, ſi addamus? in ſanguinem inde reſorbetur. Dum autem horum aliquid contingit in corpore, neceſſe eſt ex una parte defraudari neceſſario bilis ſubſidio inteſtina, chylum, fæces, alvum: ex altera parte bilem in ſanguine accumulari, hujusque mixturam turbare, ut varie moleſtus naturæ, ad nutriendum ineptus, bene vero, ſi longius quidem id duraverit, ad fovendum calorem hecticum aptus fiat, ſicuti interea calorem bilis e cute reſplendentis varia commixtarum particularum ſalinarum conditio ſimiliter modificabit.

Scilicet concipimus *primo* bilem motu aucto peccantem, caſu quo turgens, orgaſtica, quaſi fermentans, largius & copioſius effunditur ex hepate in inteſtina, ut hinc in ſanguinem veniat per viam ordinariam regiam. Hac ratione e. gr. ab iracundia gravi concepta, acuto ſatis modo poterit produci icterus, & in tali caſu præcipitari quoque bilis portio ad alvum, pro hujus lubricitate & flavedine, nonnunquam ab authoribus obſervata.

Secundo poterunt etiam ipſæ particulæ bilioſæ, forſan craſſiores, futuræ bilis ſanguini adhuc inexiſtens materia, per anguſtias glandularum & canaliculorum ægre tranſeuntes, ibidem hærere, & hoc organi colatorii infarctu morbum vel inducere, vel fovere, redundatione facta ad partes alias, ad ambitum & habitum corporis, conformiter omnino illis, quæ leguntur in BOERHAAVIO *I. cap.* §. 960. " finibus „ bilioſis obſtructis, facile liquor portarum bilioſus in cavam tranſit. „

Tertio poterit conſiderari bilis, ut in hepate ſecreta quidem, ſed non excreta, ſive id fiat propter ejus craſſitiem, lentorem, viſciditatem, quam ab admixtis variis e. gr. acidis, auſteris aliiſve contrahit, adeo ut etiam concreſcat in calculos, qui in aqua natantes & igne toti combuſtibiles, jam olim a *Mezgero* bilioſam naturam ſuam probarunt (num ſint virium quoque non minorum, ac tantopere celebratus ille lapis pretioſus, *piedra del porco* dictus, in veſica hyſtricis indicæ fellea concretus, problema practicum non primus demum curioſis propoſuit in ſuo *Theatro anatom. Mangetus*, ſed jam diu ante ipſum *Car. Raygerus in miſc. cur. A. III. O. CCLXXXIII.* quod num a quopiam tentatum & adhinc publico ſignificatum ſolutumque ſit, non equidem conſtat; in memoriam tamen nobis revocat, tam diſput. III. inter *polychr. exot. Valentini*, de hoc

hoc hyſtricis calculo ex profeſſo ſcriptam, quam quod de bovinæ bilis calculo ad icterum proficuo quondam legimus in *Eph. nat. cur. dec. II ann. IX. & X. append. p.* 51. notatum a *Lentilio* in parallel. ad obſ. XLIX. an. I. miſcell.) Sive quod calculus talis ductum cyſticum, bilarios in choledochum obſtruat, non ſimpliciter in veſica quietus manens, ſed per vias dictas non ſine nixibus ac ſtricturis enormibus in duodenum trajiciens, inde cum fæcibus poſtea per alvum excludendus. Scribimus hæc non ignari quidem elegantis obſervationis, quam *Nicol. Peſchlinus* inſcripſit: *icterus ſine obſtructione folliculi fellei, & obſtructio hujus ſine ictero*; ſed & probe memores tam caſus illius notabilis, abs modo laudat. *Mezgero* quondam in *diſputatione* publica propoſiti quam ſimilium plurium uti paſſim ſic imprimis in *E. N. C. Dec. III. ann. II. obſ.* 149. *A. III. obſ. XXXVI. A. IX. & X. obſ.* 246. occurrentium.

Etenim *quarto* videtur omnino bilis poſſe & ſolere etiam pati regurgitationem, reſorptionem, reflexionem, ut retroactis undis ex hepate iterum feratur in ſanguinem; ſive jam id fiat per venas earumque orificia, ſive per vaſa lymphatica, quod poſterius aſſerit *Fr.* HOFFMANNUS diſputation. de bile medicamento & veneno corporis. Et ad hunc modum arbitramur explicandam eſſe geneſin illius icteri, qui ab & ſub ſtricturis harum & vicinarum partium ſpaſmodicis, apud colicos, verminoſos atque ſimiles, quin ſub & ab ipſo calculi fellei ex cyſtide in duodenum tranſitu evenire ſolet.

Omnibus atque ſingulis hæc ad palatum fore non præſumimus. Sed nec eſt, cur cauſæ atque hypotheſis noſtræ diffidentes quidquam metuamus. Qui enim cum *Helmontio* ſtercus aliquod liquidum accuſare, vel provocare ad ſimile *lixivii*, vulgo tincti, ut urina fere ictericorum, adeoque ſalium cum ſulphure ſolutionem ſufficere volunt, talem vero negant, vel ex hac inter alias ratione, quod ictericorum non amaricent, ex dictis vel conciliari poterunt; vel tranſeant modo, dum in *Eph. nat. cur.* hæc omnia ex profeſſo diſputata legi poſſunt.

Hiſce ita ſe habentibus facile nunc patebit ratio convenientiæ & differentiæ tertianæ & icteri, ſiquidem *hepar* utrinque qua bilis organon ſecretorium, ſive altius ſive inferius ad exitum ejus in duodenum, pro *ſubjecto cauſæ* erit allegandum. Huc in febre ruit magis bilioſus humor deorſum & extrorſum, teſtimonio vomituum & flavorum & amarorum, ac dejectionum ſimilium, unde *Fr.* HOFFMANNUS l. c. ſcribit: in tertiana quo vehementior & diutius durans, eo bilioſiora ſunt excrementa, nec deſiſtit natura hæc ita gignere, quamdiu hæc febris præſens eſt. In ictero non liber eſt hic motus excretorius, eruptorius. Sed ſuppreſſus vel varie alteratus, unde ſurſum, retrorſum, introrſum reflexus, inverſus, in præjudicium non modo inteſtinorum, quæ deſtituuntur liquore ſolito neceſſario, ſed & hepatis ipſius, quod bile infarcitur,

atque

atque ſanguinis, qui bile inficitur, & infectus diſtribuitur corpori, huic colori ac ſapori non aſſueto. Etiamſi vero vi circuli æqualiter diſpellatur, Singularis tamen eſſe reſpectus videtur ad renes, qui vel ſerum tale modo facilius alias difficilius tranſmittant, vel ad quos ſerum illud modo quaſi determinatur, alias ab iis quaſi avertitur. Plenius hæc omnia legi poſſunt & merentur etiam apud *Mortonum* in *Phthiſiologia*, in cujus libro III. caput integrum deſtinatur phthiſi icteritiæ.

Quonam igitur vel tandem modo concipietur delere cortex tincturas, & quidem contrarias? ſi *Archib. Pitcarnium* audias, ratio dari nequit. Neque enim corticis, ſanguinis, aut motus quartanam excitantis naturam nobis eſſe cognitam, prætendit in ſuis opuſculis. Sed nec inveſtigari juxta ipſum debet aut meretur; nam artem medendi nullam eſſe pronunciat, medicamentorum inventionem caſui adſcribit, prætendens cauſarum phyſicarum inveſtigationem, qualem philoſophi ſolent inſtituere, medico neque utilem neque neceſſariam eſſe, ſed ad imitationem aſtronomorum obſervationes modo circa morbos eorumque auxilia conferendas, & nulla opinionum vel cauſarum ratione habita, ſaltim ex eo, quod fieri ſolet, quid futurum ſit ad faciendum, colligendum eſſe.

Ipſius conterraneus, *Rich. Mead*, in *d. Imp. Sol. & Lun. in corp. hum.* de cortice noſtro dicit, illum efficaciſſime liquoris arterioſi efferveſcentiam, qua diſtenduntur vaſa, reprimere & compeſcere. Eodem fere modo, quo in *Clerici Biblioth. Chois. T. XXIII. p. II. art. IV.* Biga illa verſuum ex Virgilii Georgic. Lib. IV.:

Hos motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

quæ de apum pugna agit, per inſtantiam jocoſam allegatur ut vaticinium Poetæ de efficacia quinquinæ ad curandas febres.

Alius ejusdem conterraneus, MART. LISTERUS, poſt Mortonum magnus corticis patronus, in ſuo ad *aph. Hipp. commentario* ſcribit, illo apte propinato omnes omnino concoctiones, imprimis viſcerum, atque glandularum ſubcutanearum inſenſibilem perſpirationem, citiſſime & occulte promoveri, corpuſque ad integritatem nullo negotio reſtitui, idque abſque ſenſibili evacuatione, niſi quod aliquibus alvum leniter moveat.

WEINHARDTUS in enchirid. encomiorum, quæ cortici peruviano tribuit, rationem in eo fundat, quod vi ſua ſtyptico amara cruditates minuat, aciditatem infringat, fermentationes atque efferveſcentias ſiſtat, ac ſanguini compagem firmiorem largiatur. Provocans ad SYDENHAMUM imprimis, quod ab ejus uſu ſudores liberaliores, aut urina copioſa & limpida plerumque ſequatur; imo ſubjungens, illum non per diaphoreſin modo

modo & urinam operari, verum ſubinde etiam ſedes movere, vel vomitum, & non febres tantum curare, ſed ſubinde etiam hydropem exinde ortum, imo & hecticas puerorum febres.

FRID. HOFFMANNUS, quantumvis loc. cit. per corticem febres ſiſti ac ſupprimi prætendat, tamen hactenus dicta confirmat, & fatetur, quod ab ejus uſu intra breve temporis ſpatium flammeus urinæ color pereat, diluta & aquoſa fiat, alvique ſcybala prius adeo bilioſa, ad colorem naturalem redeant; & hæc quidem omnia in ſequentibus declarat ex eo fieri, quod bilem nimis acrem corrigat, corruptionem ejus arceat, partiumque nervoſarum tonum, ne nimium pronæ fiant ad contractiones ſpaſmodicas, roboret.

Ex *Giorn. de Lett. d'Ital.* Tom. XXIV. novimus *Zendrinum* corticis efficaciam quærere in alteranda bile, communi febrium & icteri cauſa. Quod ipſum tamen cum vidiſſet ea ratione fieri, qua ex *Liſtero* modo notavimus, ſcil. atque ſenſibili vel notabili tamen evacuatione quadam, excogitavit diſtinctionem illam curioſam inter criſin quantitativam & qualitativam, quo poſteriori modo naturam interdum, chinamchinæ vero plerumque operari ſolere dixit.

HELMONTIUS ſi corticis hanc efficaciam ſciviſſet, pyloro ſuo gratum dixiſſet remedium, qui Rector ductuum hepaticorum claves habet claudendi, & aperiendi, modo fuerit ſedatus, placatus, aut melius informatus.

Vulgo quidem qua *adſtringens* modo conſideratur, & ex hoc ipſo capite culpatur, quin à *Stahlio* inter OVA illa famoſa collocatur, adeoque paſſim male audit. Verum enimvero, ſi modeſte imputationes iſtas declinare liceat, unum atque alterum regeremus paucis. Et *primo* quidem quam adſtringens ſit, quo gradu, quivis explorare poteſt; nobis certe admodum remiſſus videtur, potius amariuſculus & parum ſiccans. *Deinde*, quam ſtomacho grata ſunt, quæ moderate ſtringunt, exemplo cydoniorum, tam hac ipſa intentione ſcribitur à noſtris, & appetitum revocando atque ventriculum roborando toties ſe commendat. *Inſuper*, poſtquam uſus adſtringentium, juxta *Diſput.* illam *Witteb. Heucheri* in pellendis renum calculis atque menſibus fuit declaratus, major nunc tonicorum habetur ratio. Atqui non modo hanc virtutem cortici tribuit *Baglivus*, eumque febribus diuturnis magnam afferre utilitatem obſervans, deducit has à languido ac pene laxato partium ſolidarum tono; verum etiam ipſe *Stahlius* ex hac ratione in febribus longioribus, præmiſſis præmittendis, ſub prudentia methodi, perſonis motus laborioſioris eum concedit. D*enique*, ullo adſtringente alio, ſive dein quercus vel galla vel cortex, aut quodcunque aliud fuerit (de *Arſenico* jam nobis non eſt ſermo; bene vero quondam fuerat *Lentilio* &

Wepfero, allegatis in cit. *Diſp.* de *Febr. Tert. Turb. & Corr.* cui quo jure ad latus ponatur & æquiparetur cortex, tanquam ſimile *artis vitium* aliis judicandum relinquimus, judicium tamen favorabilius nos obtenturos ſperamus, ac de *Crugeri* quidem ſententia contra febrifugum Riverianum fuit illud *Schrœkii in Schol. ad obſ. XXV. Ann. V. Dec. II. E. N. C.* ibi ſimiliter citatam) quis paria præſtiterit cum noſtro cortice peruviano, nobis quidem nondum innotuit.

Dices: ſuppoſitis tantiſper rationibus adhuc de experientia erimus ſolliciti. In uno forſan & altero caſu obſervari vobis potuit uſus corticis proficuus; ſed hoc non æque ſperandum in omnibus, nec imitandum facile ab aliis. *A particulari ad univerſale non valet conſequentia.*

Ad hanc objectionem non reſpondebimus, antequam dabitur *univerſale* remedium quodcunque aliud, omnibus morbi ſpeciebus & individuis conveniens & ſufficiens. Nullum eſt, quod communis hæc inſtantia non vexet. Nec ignoramus nec diffitemur *differentias icteri* præcipuas, cum vel ſine febre, cum vel ſine hypochondrio duro, recentem & radicatum, criticum & ſymptomaticum, &c. quibus proin omnibus prudentia medici practica remedium accommodare ſtudebit. Icteros etiam invictos in praxi obvios non ſubticemus. Hoc tamen bona fide dicimus ac repetimus, ſuppetere nobis *Ictericorum* hac ratione curatorum hiſtorias adhuc plures, interque illas præcipue notabilem *Fœminæ*, à ſuperata hemiplexia levioris gradus eryſipelacee & hyſterice ſæpius turbari ac dejici ſolitæ, per quatuor annos à frequentibus paroxyſmis ægrimoniæ præcordialis ad vomitus toties ictericæ (teſtimonio urinæ & cutis tinctæ, cum pruritu, ſternutatione, ore amaro, ut ut flava amara nunquam rejecerit) ſed & toties intra diem unum & alterum *ope corticis* ab ictero plene *liberatæ*, donec tandem poſt paroxyſmum & tincturam talem acute moreretur apoplectice.

Nec eſt, quod aliorum exempla, aut non ſperanda eorundem irritatio nos deterreat, quin bona potius ſuffragia etiam hac ex parte nobis promittamus. Suppetunt enim ex practicis veteranis, ac longo rerum uſu peritis, viri exceptione omni majores, quibus idem omnino viſum, & icterus noſtro quoque remedio devictus fuit. Liceat, nec enim decet aliter, primo ſtatim & præcipuo loco ponere, nunquam ſine debita honoris & venerationis præfatione nominandum, Exc. PATRUUM Dn. Præſidis, Dn. D. *Eliam* CAMERARIUM, qui ſuperiori demum anno *Fœminam perilluſtrem*, ex primariis hujus urbis, cardialgia ſpaſmodica enormi ad clamores uſque laborantem, ſub paroxyſmorum decurſu & fine (malum enim erat periodicum, periodis non adeo ſtatis) toties *ictericam*, tranſitoria flavedine poſt horas iterum eva-

evaneſcente, ſub benedictione Divina, feliciter ab utroque iſto malo liberavit cortice peruviano. Secundo ex *E. N. C. Cent. I. obſ. V.* notum eſt, quam difficilis ibi proponatur caſus *febris ictericæ chronicæ*, cum *colica ventriculi*, fœminam non minus illuſtrem graviter affligentis & diu quidem ancipiti eventu, tandem tamen ſucceſſu non minus felici tractatæ. At quo remedio? *Cortice*, licet non ſolo, tamen primario. A quonam? A non uno, nec plebeio, ſed conquiſitis undique primariis fere Germaniæ noſtræ Archiatris; ſcil. præter *Anhornium ab Hartwiſs*, San Gallenſem, in cujus ædibus ac inſpectione ægrota fuerat, a *Schrœckio*, Auguſtano, *Brunnero*, Palatino, *Bavierio*, Curienſi, *Mejero*, Schafuſienſi, & *Mullero*, Lindavienſi. Deſideras, ut compleatur triga teſtium, in qua omnis veritas conſiſtere dicitur. Ex earundem *E. N. C. Cent. V.* ſubjungemus *Obſ. XLI.* Medici Ferrarienſis etiam celebris, *Joh. Lanzoni.* Hic ibi ſiſtit ictericum, dextri hypochondrii pondere ac dolore, faciei totius viridi, in corpore vero dextri quidem lateris atro, ſiniſtri autem luteo colore, ac urina nocturna nigra, diurna vero flava, æque notabilem, ac quidem fuit ille, qui occaſionem huic Lanzonianæ obſervationi dediſſe ſcribitur, corporis exquiſite dimidii icterus, præced. *Cent. III. obſ. LXIV.* propoſitus. En vero Therapiam ejus non operoſam, non prolixam, ſed noſtris quoque ſupra recenſitis plane conformem, facilem & compendioſam. Scil. corpore per *ſal abſinthii* purgato, *Corticem peruvianum* dedit, cum *ſyrup. de cichorio cum rhab.* & ægrotum ſic reſtituit.

Perges excipiendo: poteſt remedium eſſe *certum*, ſed *non tutum.* *Aſclepiades* autem, referente *C. Celſo L. III. c. IV.* hoc officium Medici eſſe voluit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.

Ad declinandam hanc objectionem reſpondemus *primo*, operæ tamen fore pretium, philoſophari ſuper effectum adeo evidentem, ſuper energiam adeo ſingularem, remedii tam certi, tam cito operantis. Pauca ſunt nobilia medicamenta, quæ paria præſtant, quæque proin adeo ſunt ad palatum ſeculi moderni, quod cito vult expediri. *Secundo*, foret ulterius non minus etiam operæ pretium deliberare, utrum remedium adeo certum non poſſit etiam reddi tutum. Cur hæc cura non omnes tenet publica Præſidis, B. *Parens in diſp. de nitro.* Interim tamen *tertio* nec ſine cenſura poſſumus dimittere prædicatum illud; quo cortex inſons uſque tamen dicitur & clamitatur eſſe remedium non tutum, adeoque ſuſpectus redditur perſonis rerum medicarum non gnaris. Vix autem melius expedire negotium, atque animis ab omni partium ſtudio alienis rem totam clarius ob oculos ponere poterimus, ac eundo in rem præſentem, & recenſendo prætenſos hucuſque malos corticis effectus.

 Obji-

Objicitur: Febrem cortice non curari, ſed *corrumpi* & *ſupprimi*, ideoque frequentius *reverti* ac *recidivas* facere.

Reſp. Corrumpi febres utique poſſunt ac ſolent multis modis. Idem vero per corticem fieri, ſi prudenter uſurpetur, tempore modoque decenti adhibeatur, probandum adhuc incumbit aſſerentibus. Poſſemus hiſce integram phalangem ſiſtere noſtratium, qui per corticem a febribus non modo facile, ſed & plene ac libere, nec minus cito fuerunt & conſtanter curati. Nec eſt, quod quis reputet, heic loci ſaltem ita ſeſe rem habere; aut forſan modo fingi. Suppetunt præter allegatos jam ſupra medicos talium adhuc plures, digni omnino, quorum producantur teſtimōnia. In *E. N. C. cent. III. O. XXIX. Vallisnerius* miram vim corticis in tertiana mali moris, cito tamen & abſque omni recidiva maſcule curata, probat hiſtoria lectu notatuque digniſſima, ætiologiam in ſcholis ſubjungens, iſtis, quæ a nobis ſupra dicta ſunt, prorſus conformem. *Baglivus*, primus ille, qui cum *Helvetio* corticis in aqua decocti ac in enemate injecti efficaciam non minorem febrifugam expertus eſt, in *d. prax. med. ad priſc. obs. rat. revoc.* chinam vocat remedium herculeum in curatione febrium intermittentium; & alibi, de remediis ſpecificis verba faciens: „ remedia, inquit, ſint conſtantia, me„ thodo præſcribendi munita, & cuilibet morbo ſpecifice ac ferme in„ fallibiliter reſpondentia, prouti eſt in intermittentibus cortex peru„ vianus „ Jungeremus *Helvetium*, magnum illum *Ludovici* MAGNI Archiatrum, niſi citandus foret nobis iterum infra quo proin reſervamus etiam quæ huc ſpectare poterant. Non poſſumus tamen, quin occaſione Baglivi reproducamus *Fr.* HOFFMANNUM. Hic enim etiamſi loco citato ſatis ambigue ſcripſerit, famigeratiſſimo illo cortice chinæ febres tolli, vel tantummodo ſiſti ac ſupprimi ad certum tempus, nihilominus poſt viginti & plures annos meliora edoctus in *med. rat. ſyſt. T. III. S. II. C. VIII.* recenſendis ſpecificis morborum remediis occupatus, ſtatim a febribus intermittentibus inchoat, illiſque corticem, tanquam hoc noſtro adhuc tempore quam maxime celebratum, & ob amaricans balſamicum elementum morbificam materiam corrigente, partes vero ſolidas languentes firmante efficacia ſplendens remedium, recenſet & commendat.

Quod vero tandem *recidivas febrium* concernit, has non modo notarunt & doluerunt medici diu ante quaſi natum, vel potius nobis notum & Europæ illatum corticem, verum etiam non minus experiuntur hodienum illi, qui ſine cortice curant febres, aut qui ſoli autocratiæ, naturæ relinquunt eas. Audi quam graphice ad aph. 12. ſect: II. *Hipp: quæ in morbis poſt criſin relinquuntur, recidivas facere ſolent.* Commentetur toties laudatus *Liſterus*: „ a criſi, inquit, concoctionum organa „ non ex toto detergentur ab omni humore crudo putridoque: & ſi „ eſſet,

„ eſſet nitida, tamen valde debilitantur; unde febres intermittentes non „ raro recidivas facere ſolent; etiam per ſe finitæ. Ideo cortex peru„ vianus non tam vehementer de hac re accuſandus eſt. Iſtiuſmodi ſa„ ne ægrotos, tanquam nimium negligentes ſui, olim monuit Celſus, „ ut diu iſtius diei, quo corripi conſueverint, meminerint. „ Nonne igitur ſatius foret, animo a præjudiciis libero auſcultare practicos iſtiuſmodi, non minus veteranos, & experiri, quo cum fundamento & ſucceſſu, qua cum veri ſpecie promittant atque doceant, etiam has febrium recidivas præoccupare, ab his ægrotum præſervare, longius continuando, congruis forte temporibus repetendo corticem. Cautelarum talium plures, longa multorum annorum praxi, tam propria, quam paterna avitaque expertas, non modo ſuppeditavit nobis præſes in collegio practico per hyemem habito, ſed & evolvendos atque imitandos commendavit ex ſupra laudatis *Weinhartum*, *Liſterum* aliosque.

Nec dum ſatis; *inſtant* enim atque urgent: ſi vel maxime febris ipſa non redeat, loco tamen ejus venturos morbos alios, iſta longe pejores & graviores. Unde *ſtricturas*, *obſtructiones*, *indurationes*, *placentas*, *infarctus* glandularum atque viſcerum, nec non natas & productas inde, *febres tabificas*, *hecticas*, *aſthmata*, *hydropem* atque ipſum, qui hæc ſcribendi occaſionem nobis debit, *icterum*, paſſim inter phænomena conſequentia febrium cortice curatarum audias vel legas. Verum enimvero, quod de Ictero jam ſupra diximus, idem eadem fide hic etiam de reliquis aſſerere nulli dubitamus. Scit paucis: nihil horum omnium unquam per praxin modo dictam fuiſſe obſervatum. Curationes non noſtras, ab aliis alibi ſuſceptas, neque noſtras faciemus, ſed tranſmittemus. Præter tamen experientiam hanc domeſticam atque propriam non minus etiam ad alios, eosque extraneos, poſſumus provocare & dictis noſtris fidem facere. *Liſterus* adeo non concedit ab & ſub uſu corticis talia contingere, ut potius multo rarius iſta obſervari ſcribat, ex quo uſus corticis invaluit. Alius ejuſdem conterraneus, *Th. Fuller* in *charm. extemp. D. Aylwin* Elect. Perruv. Epil. hæc ſubjungit: „ Etiamſi *Baglivus* „ accuſet corticem, tanquam cauſam obſtructionum meſaraicarum incu„ rabilium, & febrium hecticarum, nunquam tamen mihi obſervare „ licuit talem effectum, ſi corpus & remedium rite præparetur. „ Sicuti vero *Baglivus* uſum cortitis non promiſcue omnem, multo minus legitimum, ſed incongruum & intempeſtivum redarguit, prouti vel ex ſolo *d. prax. l. II. cap. III. §. IV.* inſpicientibus patere poterit; ita facile omnino largimur, etiam hic valere vulgatum illud: optimæ rei peſſimus abuſus. Etenim hæc quoque

Temporibus medicina valet, data tempore prodeſt;
& data non recto tempore China nocet.

Sed de uſu corticis legitimo meminimus pronuper modo cum Philiatris egiſſe Præſidem ex profeſſo, in lectionibus publicis hybernis, atque ſimul indicaſſe fontes, ex quibus hauriri poſſint omnia, ut ſuperſedere prolixa recenſionis opera, & eo remittere commilitones videatur conſultius.

Quam igitur huc uſque dicta de febribus quidem intellecta volumus, tam nunc ad icterum quoque eadem applicari poſſe prætendimus, non obſtante quod *Fullerus* præter febres continuas malignas, petechiales, etiam icterum, & in puerperis lochia fluentia exceperit, atque in his omnibus corticem *exitiale remedium* dixerit. Profecto recenſitæ abs nobis icteri curationes ita ſunt comparatæ, ut nec ſuppreſſionis aut corruptionis, nec recidivarum, reliquiarum aut ſucceſſionum metum ullum cum fundamento movere quiſquam poſſit. Unius modo vinitoris fœminæ ſuccedanea fuerunt *alvus* lubrica, *iſchias* & pedum *tumor*. Sed præter id, quod & rurſus evanuerint omnia, continuato remediorum uſu, de duobus quidem poſterioribus ſciendum eſt, fœminam iſchiade prius jam laboraſſe non ſemel, tumore pedis inferi toties terminata. Occaſione prioris autem recurrit illud, quod ex Liſtero ſupra jam adduximus; nimirum corticem aliquibus movere alvum. Quod in Anglia quidem frequentius obſervari oportet: nam *Fuller* l. c. n. electuario ſuo peruviano ſimplici, ob diarrhœæ metum, corticis unciæ addit *terræ japponicæ* drachm. un. *balſ. peruv.* dr. ſem. *olei nuciſtæ* gutt. ij. & ne his quidem contentus eſt, ſed in nota ſubuncta inſuper monet: ſi nihilominus diarrhœam concitaverit, veſpertinis ac matutinis doſibus addi debere *laudani liquidi* guttas XV. vel XX.

Quæſiveris porro; quanam ergo ratione caſu, quo ſolius corticis uſus videatur vel non tutus vel non ſufficiens, poſſit *reddi tutus*?

Reſp. Nulli quidem dubitamus aſſerere, multos admodum fore caſus, in quibus cortex etiam ſolus ſufficiat. Si qui tamen fuerint, qui huic ſoli nolint ſe committere, vel ſi morbi ſubjective conditio plura videatur requirere (novimus autem, *Galeno* jam vapulaſſe medicos, qui abſque diſcrimine omni ictero eadem præſcribunt remedia) poterunt omnino cortice non invito tam interponi quam præmitti, quæ convenire videbuntur. Specimina talium ipſi dedimus in hiſtoriis ſupra recenſitis. Initium plerisque factum eſt *digeſtivis*, *ſalino abſorbentibus*, tam ut evacuantia ſubjungenda ſuo melius defungi poſſe officio, quam ut hypotheſis illa, curationem materiæ peccantis evacuatione abſolvi, non maneat ſimpliciter pro regula, cum vel alteratio, vel reſolutio illius ſoleat obſervari non minus ſalutaris.

Præ-

Præter *rhabarbarum* cholagogum, paſſim ab authoribus laudatum, Studioſo datum quoque legitur *vomitorium*. Hoc mirum forte videri quibusdam poſſet, ſiquidem icterus dicitur ubique commotiones fortiores non tolerare, adeo ut in cautelis ſuis & obſ. pract. *Junckerus* ſimpliciter dicat, vomitoria omnia debere exulare. At hic non male ceſſit indicatio, hujus quaſi per accidens ex tranſverſo venientis icteri curam, vere ad æſtatem jam vergente, in ſubjecto evemeto, diætæ regulari non aſſueto, conſultius inchoari purgatione anoterica, quam quidem altera catoterica, conformiter *aph. IV. & VI. Sect. IV. Hipp.* Et ſpem eventus confirmavit. Etenim à cortice ſubjuncto curatus abhinc brevi fuit abſque eo, ut vel cardialgicas anguſtias majores, vel acutam febrem, aut lentam hecticam inde reportaverit.

Quæ in progreſſu curæ cortici vel conjuncta vel interpoſita fuerunt, aperientia, amara, balſamica, viſceralia, ſtomachica, nobis familiaria, atque œnopotis accommoda, quin ab aliis etiam authoribus paſſim commendata, nolumus tamen ita cuiquam obtrudere, ut ſint aliorum excluſiva. Etenim abunde jam diu conſtat, corticem eſſe ſocialem, & bene ſtare in conſortio medicamentorum tantum non omnium. Imo quid obſtat, quominus dicamus, eſſe analogiam quandam inter corticem & *martem*, ut in aliis ſic & in ordine ad icterum. Atque & hic non æque abſorbens & aperiens amplius audit, quam potius adſtringens, & ex hoc ipſo capite voluit ſuſpectus reddi. Nihilominus in *E. N. C.* qui volet, inveniet apologiam pro ipſo egregiam, mirabundus, quam acriter defendatur a Practico Veterano. Imo, ſi quis præter hunc aliorum quoque non minus laudatorum remediorum vires experiri velit, & una cum cortice uſurpare, quæ ſpecificam in ictero creduntur efficaciam exſerere, quales ex. gr. ſunt laudati *Junckero* paſſim *Lumbrici* terreſtres, vel *Chelidonium majus*, *Kirchero* in art. magn. luc. & umbr. dictum infallibile antictericum aut *fragariæ decoctum* in act. med. Hafn. *Bartholino* laudatum; Item *Marrubii ſuccus*, *vel ſyrupus* inde paratus, ex obſervationibus *Foreſti & Riverii*; nec non *albumen ovi* cum aqua graminis conquaſſatum inſigne laud. *Lanzoni* arcanum in *E. N. C. Dec. III. A. II. O. XXXV.* atque alia iſtiuſmodi plura, id quidem nobis facile conſentientibus fieri poterit. Hoc tamen firmiter perſuaſum nobis habemus, paucos admodum fore, qui vel *cimice* febrem tertianam, juxta præceptum atque verſus *Q. Sereni Sammonici*:

Præterea tritus cimex potatur in ovo.
Horridus attactu, ſed guſtu commodus apto.

vel icterum ex commendatione *Plateri* atque *Zac. Luſitani* pediculis, in ovo

ovo ſorbili hauſtis curare geſtiant, utut non ſemper in ægri ventriculo ſeſe multiplicaturis mortemque illaturis, prout in icterico quondam id obſervavit *Hannæus*, laud. *act. med. Hafn. vol. III.* Forſan minori cum periculo, modo certiori cum pace deiſidæmonias maſtigum, ſub uſu prudenti corticis tentari poterunt externa & amuletica, qualia non minus laudantur hinc inde. Nos ex magno iſtorum numero curioſitatis gratia citabimus primo *piſces* vivos per medium diſſectos: *Tineam* quidem, *Cnœffelio*, juxta *miſc. cur. med. phyſ. A. IV. & V. O.* 49. & *Sennerto* ventri atque pedibus, *Lucium* vero *Dn. de vinquedes*, juxta earundem *E. N. C. cent. III. & IV. obſ.* 148. ſcrobiculo cordis alligandum. Atque duo *pocula*, ex quibus bibant ægri: unum ex *radice Erythrodani* factum, ex *Plinio* citatum a *Langio*: alterum *aureum*, ex numis talibus ceræ agglutinatis conflatum, aut argenteum modo, cui tamen numus talis aureus (ſed cave, alius, niſi hæreditate acceptus) injectus fuerit, ex obſerv. ſupr. jam laud. *Lentilii* in *Eteodr.* menſſ. maj. & Octobr.

Supereſſent quæſtionum & objectionum adhuc plures, niſi contrahere ſcriptionis vela cogeremur. Unam tamen atque alteram permittere vix dum poſſumus, reſponſione modo breviori expediendam.

Cur cortici tribuitur curatio icteri, quæ tamen ipſi non debetur, ſed potius propinatis ſimul *amaris ſalinis* aliiſque ſuo loco recenſitis? *Fallaciam non cauſæ ut cauſa* nullam hic a nobis committi probat vel ſola ex ſeptem illis hiſtoriis tertia. Quam fruſtra huic per ſex priores dies data fuerunt, quam parum effecerunt, alibi licet ad icterum tantopere laudata? quam vero præſentaneam opem tulit cortex, ſeptimo datus? Et quid, ut reliquas noſtras mittamus omnes, *Lanzonus* præter corticem ſuo dedit icterico? Certe ſyrupus d. cich. c. rh. cortici non demum pondus addidit. Quidni ergo iterum optare liceat. Suppeterent modo nobis multa tam efficaciter medelam morbis afferentia ſanitatis præſidia.

An abſente tinctura urinæ cortex non juvat? Ita quidem hactenus pleriſque viſum eſt, urinæ tincturam & bolare ſedimentum, atque ſtata exacerbationum tempora, requirentibus pro indicante corticis. Præſcribi tamen ipſum etiam extra febres paſſim videas, abſque habito ad urinam reſpectu. Sic *Lanciſius de mort. ſubit. l. I. C. XXIII.* circa methodum præſervandi ab interitu corpora valetudinaria occupatus, ipſum mire juvare, & a ſpaſmo præſervare dicit illos, qui pertinacibus detinentur convulſionibus a fermento viſcidulo oriundis. Juxta *E. N. C. cent. III. & IV. obſ. CXLVI. Klaunig* cardialgiæ. frequentibus recidivis admodum gravi, ſemeſtrales tamen inducias procuravit cortice. Et l. c. *obſ. LXIII. Grimmius* inſignem ejus efficaciam depredicat in rheumatiſmis, cephalalgia inveterata & arthritide.

Num

Num præſente urinæ tinctura cortex extendi poteſt ulterius ad affectus etiam alios ? Hoc quidem analegia docuit , & experientia multiplex. Etiamſi enim *Mortono*, patronorum corticis facile principi , voluerit vitio verti, quod ultra intermittentes ad protheiformem quoque atque continentes febres uſum ejus extendere cœperit, nihilominus in ſupra laud. *Helvetii* Recueil des Meth leguntur *tiſane, opiate, lavement & ſyrop de Quinquina in Sect. III. IV. & V.* adverſus *febres* non ſolum intermittentes, verum etiam *malignas* atque *continuas.* Quam felici cum ſucceſſu Præſidis *B. Parens ad Dyſenteriam atque colicam ſpaſmodicam* illum uſurpaverit , patet ex diſputationibus duabus publicis, quibus tertiam *d. apoplexia cum febre* omni jure accenſeas. Quid ſi jam hiſce in ictero tentaminibus alliceretur aliquis ad experiundam corticis efficaciam in *urina* etiam *hydropicorum lixivioſa ?* Forſan calcar ipſi poterunt addere quæ ex *Weinharto* ſupra citavimus.

TANTUM!

SOLI DEO GLORIA.

CCXXXVIII.

GEORGII EMAN. ROSNER,

DISPUTATIO

QUA NONNULLA CIRCA VIRES LACTIS NOTANTUR.

LEID. 1756.

§. I.

INter medicamenta alimentoſa lac habetur; quod in corpore animalis ſani debite nutriti, per organa bene conſtituta, a ſanguine chyloſo ſecretum; liquor albicans, blandus & dulcis eſt.

II. Hæ lactis qualitates pendent imprimis a cremore, quem oleum ſubtile terra teneriori mixtum ſiſtit; pars aquoſa autem continet in ſe terram pinguem craſſam, & ſalem acidulum.

III. Cremor lactis mora coëuns, ſupernatat ſero; ex hoc pars caſeoſa coctione aut acido fundum petit: proportio aquæ maxima in lacte eſt; dein terræ pinguis, vel tenerioris, vel craſſæ; ſalis minima.

IV. Qualitates lactis ſe habent ut partium ejus puritas & proportio, quæ utraque oritur ac differt pro animalis genere, victu & ætate: hinc copioſa materies ſaccharina deprehenditur in lacte humano & aſinino; hinc lac ſuavius ab herbis vernalibus eſt, quam a pabulo ſicco: hinc denique nutrices juvenculæ lac tenue habent; ſpiſſum, ætate provectæ.

V. Lac præditum qualitatibus (I.), accenſendum eſt claſſi demulcentium. Nutrit cremor; incraſſat materies caſeoſa; diluit ſerum. Ideoque lac, aut ejus partem, requirit fibra tenera & debilis; humorum tenuitas

tenuitas; ſanguinis ſpiſſitudo. Cum lac priori indicanti præcipue opituletur, nutriendo; non alienum eſt ideam nutritionis proxime tradere.

VI. Moleculæ, naturæ animalis, juxta lineam conjunctæ, fibram formant.

VII. Quæ pro molecularum ſubtilitate, inertia, duritie & attractionibus, eſt plus minus tenera, craſſa, firma, flexilis; nec non elaſtica, ſenſilis aut irritabilis; atque has proprietates poſſidet vel ſeorſim, vel ſimul; exempla ſuppeditat fibra tendinis, medullæ nervi, cordis, inteſtini.

VIII. Fibræ varie flexæ, tenſæ, ſibi impoſitæ, intertextæ, prementes ſe trahenteſque; componunt veſiculas, tubulos, membranas, nervos, vaſa; ex his omnia organa fiunt, quorum plurima intra ſphæram activitatis puncti ſalientis latentia, una cum nobiliſſimis in eo jam diſcernendis, brevi tempore, magna proportione, creſcunt & evolvuntur.

IX. Organa creſcunt dum ſic nutriuntur, ut eorum ſubſtantia augmentum permanens capiat; evolvuntur, dum functionibus quibus dicata ſunt, congrue creſcunt. Nutritioni reſpondet incrementum; incremento, evolutio; evolutioni functionum vitalium, animalium, naturalium, tumque motuum voluntariorum reliquorumque productio, facilitas, robur & conſtantia; vitæ tandem magnitudo ac duratio: hæc dignitas nutritionis eſt.

X. Effectus nutritionis conſtanter obſervabilis, virium inſtauratio eſt; quæ ponit ut vis illius quod nutrit junctim agat cum vi vitæ: jam ea conſiſtit in viribus ſolidorum & fluidorum corporis ſimul ſumtis; hinc id quod vim vitæ adjuvat, in nexu quodam ſit oportet cum ſolidis fluidisque partibus corporis: iis igitur unire ſe debent moleculæ nutrientes; & cum ſolidæ partes præcipua actionum inſtrumenta ſint, ad has imprimis reſpiciendum eſt.

Alter nutritionis effectus æque conſtans is eſt, quod fibræ dum nutriuntur, indolem ſuam priſtinam retineant: ſic tenerrima fibra cerebelli, tenerrima; dura oſſis, dura a nutritione manet; eademque rei ratio locum habet in univerſa fibrarum ſerie. E. Nutritio poſcit, ut novæ moleculæ fibra cui adpropriatæ ſunt jungantur.

XI. Vis quæ ſic agit, quærenda erit, aut 1. extra fibram & moleculas jungendas: aut 2. in utriſque; aut 3. vis (2) cooperabitur cum illa (1).

Vis qualis *prima*, debet pellere moleculas novas ad fibram, eaque jungere. *Secunda*, efficiet ut fibra & moleculæ ſe uniant niſu reciproco. *Tertia*, ſuperaddet niſui illi impulſum externum.

XII. Hi, qui nutritionem vi tribuunt qualis illa (XI. 1.) contendunt; 1. Nutriri C. H. in canaliculis minimis. 2. Humores moveri continuo in iis per vim cordis & arteriarum, hoc motu avelli particulas minimas; ſic inſtertitia naſci. 3. Humorem continuo motum in canaliculis minimis, continere particulas avulſis ſimiles, eas adponere, adplicare ad interſtitia vacua; interceptas fingere, figurare, affigere ita ut adhæreant ut priores.

XIII. Illud nutriri corpus in canaliculis minimis (XII. 1.), nititur hypotheſi de compoſitione ejus mere ex vaſis; cui cum plura repugnent, liceat quædam hic objicere. Tela celluloſa quæ fibras muſculares carneas tendineasque connectit, fibris conſtat ſimplicibus. Quæ ampullulam vaſis lactei replet ſubſtantia ſpongioſa; quæ lamellas corneæ connectunt cellulæ ſubtiliſſimæ, rore limpido plenæ; quæ corpus vitreum intus conſtituunt ſquamulæ cavæ, concentricæ: ſunt totidem elegantiſſimæ variationes fabricæ ex fibris ſimplicibus. In nervi medulla quæ ad mentem fautorum illius hypotheſeos veriſimiliter canaliculos habet, microſcopium nullos detegit. Sunt etiam qui ſentiunt docti viri, quod os naſcatur, compacto ſucco glutinoſo inter duo vaſa parallela; non igitur compactis inter duo vaſa vaſculis: ſed nec illo modo oſſa generantur; quid enim compingit ita ut in fetu jam perficiat cochleam, canales ſemicirculares; dum non oſſeſcunt organa, quæ omni fere vitæ momento valide premuntur, ut cerebrum & meninges a ſanguine ſub qualibet expiratione? Repletio tandem vaſorum nitidiſſima, loca tamen vaſis vacua relinquit; inſpice perioſteum oſſis frontis fetus maturi (*a*): atqui fetus adulti corpus longe vincit vaſorum numero. Fatendum ſimul eſt, quod ſi C. H. non eſſet niſi vaſorum compages, id difficillime aut numquam detegeretur per artem vaſa replendi: nimirum in ſubtiliſſimis verſaretur naturam in his imitaturus; oporteret eum cognoviſſe penitus artificium, quo natura utitur ad implenda vaſcula illa omnia. At ne cordis quidem vis adproximatione bene ſcitur; ut taceam de humorum qui replent qualitatibus, & de modo quo ſolidæ partes, citra contractionem, in illos agunt.

XIV. Quamvis autem humores corporis non moveantur in tam multis nec tam parvis vaſis, quam dicitur in illa hypotheſi; conſtat tamen per experientiam anatomicam eos moveri in admodum minutis. Immo experimenta docuerunt celeritatem ſanguinis nihil aut parum decreſcere

(*a*) Ill. Albini Icon. oſſ. fet. humani fig. CXII.

creſcere in capillaribus, in quibus reſiſtentias, immenſum quantum, augeri, alii perhibent, hoc modo argumentantes: cor & arterias eſſe corpora elaſtica; ſanguinem corde expulſum allidere ad arteriarum parietes, ſic reſiſtentias offendere, eas creſcere in ratione directa ſuperficierum, plurimum inde in capillaribus: E. ſanguinem in his maxime retardari.

Sed 1. momento poſtquam cordis ſyſtole ſanguinem in arteria promovit, portio columnæ ſanguinis venoſi irruit in cor; unde pars reſiſtentiæ tollitur in eo loco ubi arteria inflexione ſua vena fit. 2. Dum ſyſtole arteriæ ſanguinem aliquantum in capillaribus propellit, baſis totius columnæ impingit in cor, quod tunc plenum eſt, magnaque vi reſiſtit: hinc ſanguis prope cor, id eſt in trunco arteriæ, perdit tunc de ſua celeritate; dum interim ſanguini in capillaribus fluenti demitur reſiſtentiæ pars, propter ingruentem diaſtolem cordis, ut (1.) dictum eſt. Hæc non allegavi quaſi putem, quod circulatio ſanguinis explicari poſſit per actionem cordis & arteriarum ut corporum elaſticorum; ſed ut adpareat, auctores qui toti ſunt in calculandis reſiſtentiis quæ cordi a ſanguine opponuntur; illas tamen tum non omnes indicaſſe, tum quoque minus ad ea attendiſſe, quæ reſiſtentias minuunt.

Subtilior diſquiſitio reſtat de motu humorum in vaſculis quorum lumen tam exiguum eſt, ut ſanguinem rubrum vehere nequeant; qualia ſunt, quæ humores ſanguine tenuiores ſeparant, aut exhalant. Arteriæ teſtis ſanguinem diſtribuunt in vaſcula ſubtiliſſima: & continuari videntur in canaliculos ſeminiferos. Cum particulæ talis fluidi globulis ſanguinis quos vocant rubris multo minores ſint; ultima ſanguinis columnula partem tantum ſui momenti imprimere illis poterit, abſorbta reliqua ejus portione à parietibus arteriolæ minimæ rubræ; quod continget præſertim in vortice communi tubulorum exiliorum, ſive ubi particulæ rubræ in plures alias ſecedunt. Si ſeceſſus iſte debetur vi cordis reſiduæ, hæc dividetur in tot minora momenta, quot ab ultima arteriola rubra oriuntur canaliculi minores: jam hi, poſtquam materiam ſeminis receperunt, conglomerantur, dein colliguntur in ductus qui ſibi varie inoſculantur, poſt iterum mire contorquentur, ut caput epididymidis forment (*a*). Quid quæſo in tot labyrinthis vis cordis & arteriarum devenit, quæ jam in fine arteriarum rubrarum indefinite parva erat? Conſideranti autem quam frequentes coitus animalia quædam quæ organa illa humanis ſimilia habent, exerceant tempore ipſis ad libidinem conceſſo; ſecretio ſeminis minus lente quam recepta opinio fert, peragi videbitur. Obſtaret forſan noſtræ ſententiæ tardiſſimus hydrargyri per epididymidem fluxus, niſi natura fluidi in tubulis movendi, inter primarias ſui motus cauſſas eſſet: quemadmodum vero hydrargyrum & ſemen fluida

(*a*) Ill. Haller Pr. Lin. Phyſiol.

fluida ſibi diſſimillima ſunt; ita minima affinitas hydrargyrum & epididymidis fibras intercedit. Vis igitur qua fluida moventur in vaſculis quæ ſemen præparant & ad veſiculas ſeminales vehunt, non tribuenda erit momento ſanguinis a corde & arteriis propulſi. Sufficiant autem hæc pro rei exemplo.

Quacumque demum vi fluida moveantur in omnibus corporis vaſis, avelluntur tamen particulæ a ſolidis, ſecundum hypotheſin illam (XII. 2.). Corpora cujuſcunque indolis perdunt aliquid de ſua ſubſtantia perpetuo motu. Itaque C. H. in quo omni momento plures motus concurrunt, perdet neceſſario de ſuis partibus. Cum vero plurimi ex illis motibus placide cedant, ſimulque impetus violentiorum leniatur fluidis omnes fibras alluentibus; veriſimile eſt fluida præcipue, utpote quæ minima vi adhærent, exhalari ſub motibus ad vitam & ſanitatem conſervandam neceſſariis. Nemo tamen inficiabitur avelli particulas a ſolidis ſub motu ſanguinis rapidiſſimo, aut nimia membrorum agitatione. Num ideo particulæ avelli debent ut fibræ nutriantur; aut niſi illæ avulſæ fuerint; hæ non nutriuntur? Veri ſpecie hanc opinionem ornat vis cordis validiſſima in pueris, horumque voracitas. Sed reſiſtunt avulſioni fibræ flexiliſſimæ, quales animalium juniorum ſunt; dein fames eſt in ratione irritabilitatis & ſenſilitatis, non autem deperditionis ſubſtantiæ. Evidentiſſimum denique exemplum nutritionis ſine prægreſſa particularum avulſione, fetus præbet. Recipit is & ſibi propriam facit advectam continuo rivo materiem nutritiam. Sanguis ea prægnans an ipſe avellit particulas ſolidas, deſtruitque ut ædificet? Si avellit, plures particulas quam perditæ fuerunt adponere debet, ut fetus creſcat; hinc ingens numerus earum aliter adponetur, quam in foveolis. Accedit cerebri molliſſimi, & particularum avulſione facile deſtruendi, incrementum maxime conſpicuum, & admiranda evolutio.

XV. Nihil tandem magis obſcurum in illa hypotheſi eſt quam modus, quo humores in canaliculis minimis moti, dicuntur adponere, adplicare, fingere, figurare & affigere particulas avulſis ſimiles (*a*). Altera vero pars propoſitionis (XII. 3), non abhorret a veritate, nempe quod materies nutritia in ſe contineat partes, fibrarum partibus, non avulſis quidem, ſed eas conſtituentibus ſimiles. Alimenta ex regno animali deſumta ſolidorum & fluidorum corporis noſtri indolem plane referunt; ratione habita diſcriminis quod a victu & vitæ genere animalium diverſo proficiſcitur: illa enim quæ aliis animalibus e. g. inſectis veſcuntur, aut quæ frequenti curſu agitantur; humores acriores habent, & ad alcalinum volatile magis vergentes, quam quæ in paſcuis ſatiantur. Amborum naturam temperat uſus vegetabilium: horum ſales, olea

(*a*) Conf. III. Alb. academ. annotat. Lib. III. C. X.

olea, & omnes ſuccos, motu, calore humido, admixtione liquorum ſepticorum ut ſalivæ & bilis, in naturam noſtram verti; dein terram vegetabilium tot circulis humorum actam, preſſam & attritam in tot vaſorum retibus; teneriorem ac terræ animali omni dote ſimilem reddi, quis negaverit? Et viciſſim concedendum eſt, materiem quæ nutriat, plures circulos in vaſis ſubire, & ab liquoribus noſtris varie antea mutari debere, quam pars eſſe machinæ poſſit. Excipienda ab ea regula videntur alimenta, quæ momento citius nutriunt & vires reſtaurant. An particula volatilis vini generoſi fibrillam nervi eo modo nutrit, ut repleat foveolam in ea relictam a molecula firme adhærente & magnam partem terrea?

XVI. Ex quibus (XIII. ad XV.) dictis, adparet: 1. Humores non vehi per vaſa ad omnia puncta corporis. 2. Dubitari poſſe an fluida moveantur per vim cordis & arteriarum in omnibus vaſis. 3. Nutritionem non præſupponere avulſionem particularum a ſolidis. 4. Motum humorum in vaſis conferre ad nutritionem, quatenus materies nutriens diſtribuitur per eum ubicunque vaſa pertingunt; quod erat effectus vis (XI. 3.) indicatæ.

XVII. Reſtat igitur ut examinemus, quænam vis, fibræ, aut novis moleculis, inſita, ambo jungat (XI. 2.). Vis illa debet eſſe communis omnibus fibris, nam omnes nutriuntur; hinc diverſa eſſe a vi, quæ fibris quibuſdam tantum propria eſt; puta ab elaſticitate, ſenſilitate, irritabilitate: ſi concedimus nutritionem peragi a vi vitæ; hæc non ponenda erit in irritabilitate.

XVIII. Vis quæ moleculas novas fibra jungit, ſimilis ſit oportet vi, quæ moleculas fibram conſtituentes junxit; nam effectus utriuſque ſimilis eſt. Poſterior, quæri debet in moleculis naturæ animalis; hinc etiam prior: actio corporum eſt reciproca: E. vis quæ nutritionem perficit, ſita eſt in moleculis tum fibræ, tum ea jungendis.

XIX. Moleculæ quæ fibram formant, cohærent inter ſe: cohæſio eſt illa ſpecies attractionis, qua partes corporum dum ſe fere tangunt, nituntur in ſui unionem (*a*). E. moleculæ fibram componentes jungunt ſe per vim attractionis.

XX. Si fibræ nullæ partes ſunt præter attrahentes, ſive quarum directio

(*b*) Conferendus hic & in ſequentibus eſt liber *mole parvus*, *gravis materie*, qui inſcriptus eſt: an attempt to demonſtrate, that all the Phænomena in nature may be explained by two ſimple active principles, attraction and Repulſion: wherein the attractions of Coheſion, Gravity and Magnetiſm, arte ſhewn to be one and the ſame &c. by G. Knight. M. B. F. R. S. defin. V.

directio eſt verſus centra ſua ; illæ jungent ſe tam arcte, quam impenetrabilitas partium permittit ; tunc quieſcent, quieſcet tota fibra. Sed contrarium obſervamus in fibris. E. aliquid in iis ſit neceſſe eſt, quod impediat, minus partes attrahentes ſe uniant arctiſſime. Id quod ſic agit, locum occupare debet inter partes attrahentes, & in directionem niti illarum directioni oppoſitam. Particulas tales adpellare convenit repellentes; E. Fibræ corporis particulas attrahentes & repellentes habent.

XXI. Particula attrahens quo major eſt, eo majorem numerum repellentium excludit a ſpatio quod ipſa occupat; unde ingens harum numerus determinabitur verſus illius centrum (*a*). Hæc determinatio cum ſit effectus ſimilis attractioni, eam adpellabimus attractionem materiæ repellentis (*b*).

XXII. Dum major particula attrahit multas repellentes, adquirit magnam vim repellentem; reflectit igitur multas particulas repellentes: hæ reflexæ ſi impingunt in attrahentem minorem, reflecti nequeunt, ob hujus parvam materiæ repellentis quantitatem: unde attrahens minor brevi æque copioſa materia repellente, ac major, circumfuſa erit (*c*).

XXIII. Quia vero particula attrahens minor paucas tantum repellentes attrahere poteſt; concedet liberum motum iis, quæ ad ſuperficiem ſuam non perveniunt. Contra attrahens major condenſabit materiam repellentem forma atmoſphæræ.

XXIV. Si attrahentes ſibi tam propinquæ fiunt, ut atmoſphæræ coincidant, illæ tunc ſe attrahent; hinc repellentes quæ remanent inter attrahentes, hiſque adhærent vi indefinite magna (*d*), eas æquilibrare nequeunt: quæ inde cohærebunt. Verum repellentes retroceſſæ & confluxæ in unum, formabunt atmoſphæram totis particularum ſeriebus communem (*e*).

XXV. Atmoſphæræ attrahentium (XXIII.) coincidunt in majori diſtantia; diſtantiæ eo velocius decreſcunt, quo major eſt quantitas materiæ attrahentis: E. particulæ attrahentes majores attrahunt ſe fortius, quam minores.

XXIV. Particulæ quo fortius ſe attrahunt, eo magis cohærent. Hinc

(*a*) Cl. Knight l. c. Prop. XXXII.
(*b*) l. c. Prop. XXXV.
(*c*) ibid. Prop. XXVIII p. 21.
(*d*) l. c. Propoſ. XI.
(*e*) ibid. Prop. XLIII.

Hinc ſeries attrahentium primæ magnitudinis format fibram duram ; mediæ, firmam, ſed mollem ; minores his, molliſſimam. His cohæſionis gradibus reſpondet fibra oſſis ; muſculi ; nervi.

XXVII. Corpora dilatantur calore : ut dilatentur, partes eorum retrocedant aliquantum a ſe, oportet ; quod fieri nequit, quin materia repellens, quæ partes corporum attrahentes circumdat, in motum agatur. Motus is dicendus eſt vibratorius, quippe quo phænomena corporum calentium commode comprehenduntur (*a*).

XXVIII. Quibus principiis (XIX. ad XXVII.), an explicari nutritionis phænomena poſſint, videre juvat in embryone, in quo nutritio aliis organorum functionibus minus implicata eſt.

XXIX. Rudimenta embryonis humani adparent inſtar nubeculæ opacæ, mucoſæ, in tres veſiculas diſtinctæ, quarum major duo maculas fuſcas habet ; altera, ornata puncto rubicundo eſt ; tertia, mittit filum pellucidum verſus ſuperficiem internam ſacculi ovoidei, primum transparentis, dein rubri ac magis opaci ; qui externe opertus eſt flocculis molle tomentum effingentibus. Liquor hunc ſacculum replens purus, limpidus, per abſorbtionem auctus ; tenerrimum embryonem undique leni & æquali vi premit, humidat, calore fovet, & ſolus initio nutrit.

XXX. Eadem preſſio æqualis mutat figuram cavi uterini, quod dum vacuum, minus convexum præſertim antrorſum eſt, idemque figuræ ovi accommodat. Dum uteri cavitas paullatim ampliatur, diſtenduntur etiam ejus vaſa proportionate, horumque orificia quæ in cavum hiant : his inoſculantur tubuli flocculorum (XXIX.), quibus locus placentæ externe reſpondens, confertiſſimus eſt.

XXXI. Per tubulos iſtos fluit ad placentam & ad embryonem magna vis ſeri ſubtilis, calidi, blandi, gelatinoſi ; fluit poſt forſan ipſe ſanguis. Seri illius pars ad chorion vecta, tranſit ex vaſculorum ejus oſculis in amnii vaſcula pauca numero, maxime tamen per amnii poros, in cavum ovi.

XXXII. Dum hæc parantur, aut peraguntur, embryo ante molliſſimus, conſequitur plus firmitudinis, & figuram elegantius finitam : diſtingui jam oculi poſſunt ; & extrema membra quæ prominebant ut

(*a*) Cl. Knight. Prop. LXXI. & LXXII.

ut papillulæ, producuntur nunc uſque ad apices digitorum. Et hæc quidem fiunt fere ſub finem primi menſis.

XXXIII. In ſero illo quod embryo recipit, ſoluta hæret terra, per circulos humorum matris tenerior facta. Serum eo ſubtilius eſt, quo minus embryo diſtat ab ſua origine: idem valet de terra in eo ſoluta. Terræ animali unit ſe phlogiſton (*a*): quod cum terra ſubtiliſſima ſit (*b*), aderit ſat copioſum in ſero per circulos humorum attenuato. Sanguinis rubor phlogiſto debetur (*c*): intelligitur exinde, unde ſanguis in embryone.

XXXIV. Terra eſt baſis firmarum partium corporis; hinc cauſa cohæſionis fibræ poſita eſt in terræ moleculis. E. Si terra in ſero ſubtili ſoluta, unitur fibris embryonis, tunc earum ſubſtantia augetur, ſive hæ creſcunt. Si cauſa cohæſionis fibræ in moleculis terræ eſt, hæ compoſitæ erunt particulis attrahentibus; creſcunt autem fibræ ope terræ, ſeri, iis unitæ. E. Fibræ creſcunt per vim attractionis.

XXXV. Cum phlogiſton terra ſubtiliſſima ſit, ejus particulæ attrahentes erunt minimæ; unient igitur ſibi tot, nec plures repellentes, quam ſuam ſuperficiem attingere poſſunt. Moleculæ autem terræ majores, attrahentibus majoribus compoſitæ, condenſatam tenebunt materiam repellentem forma athmoſphærarum. Quas particulæ repellentes innumeræ, libere motæ, oſcillantes, undique diſperſæ repellent, in vibrationes agent; ſerum dilatabunt, promovebunt, calidum reddent fluidiſſimumque.

XXXVI. Serum (XXXIII), terram, phlogiſton & materiam repellentem vehens; per tubulos (XXX.) placide motum; dein venæ fili pellucidi (XXIX.) inſtillatum, poſt per alia vaſcula fluens; intrat tandem in punctum rubrum, ſeu Cor: cujus figura, partes, directiones fibrarum & cavitates hic cognitæ ſupponi debent.

XXXVII. Particulæ attrahentes fibrarum cordis referendæ ſunt inter majores (XXVI.); hinc atmoſphæræ illarum retrocedunt & confluunt, pro conſtituendis atmoſphæris communibus (XXIII).

XXXVIII. Unde ſequens de corde idea habenda: quod,

1. Parti-

(*a*) Confer. Illuſtris Gaubii Patholog. nov. §. 145.
(*b*) Stahl. Spec. Beccher. membr. III. Theſ. III.
(*c*) Celeberrimus Gaubius l. c. 344.

1. Particulæ attrahentes majores forment moleculas terræ, quæ baſis fibrarum Cordis ſunt.

2. Quælibet particula (1.) inſtructa ſit atmoſphæra repellente, quæ retrocedat, & cum aliis formet atmoſphæram ſeriebus particularum attrahentium, id eſt totis terræ moleculis, communem.

3. Quod atmoſphæræ ſic formatæ iterum coincidentes, confluant in atmoſphæras ſeriebus molecularum terræ, ſive fibris ſimplicibus, ex quibus omnia Cordis, communes.

4. Quod ſic, Cordis ſubſtantia in omnibus punctis tecta ſit ac repleta materia repellente.

XXXIX. Particulæ attrahentes attrahunt repellentes (XXI); hinc fibræ ſimplices Cordis attrahent atmoſphæras (XXXVIII. 3.): hæ contiguæ ſunt materiæ repellenti quæ remanſit inter attrahentes; illa materia, ſi removere aliquantum valet attrahentium unam ab altera, facilitabit novum ingreſſum atmoſphærarum repellentium inter particulas attrahentes; prius fit ope motus vibratorii (XXVII); E. Calor facilitat novum ingreſſum atmoſphærarum inter attrahentes, conſequenter etiam moleculas ſolidas fibrarum Cordis.

XL. Quidquid tum materiam repellentem in motum agit, partem atmoſphærarum, quæ ſolidis fibrarum moleculis proxima eſt, neceſſario inter has pellet: quod ſerum in Cor fluens efficiet. Irruens materia repellens partim ſpatii a quo antea excluſa fuit, debet occupare, tendere ab omni parte verſus centra molecularum, repellere earum unam ab altera: ſic totas molecularum attrahentium ſeries, id eſt, fibras cordis, dilatare: quæ actio Cordis Diaſtole eſt.

XLI. Ergo moleculæ fibrarum recuperarunt partem atmoſphærarum ipſis proxime incumbentem; quæ ut antea integræ atmoſphæræ, retrocedit; ita ut moleculæ attrahentes poſſint nunc tam arcte ſe attrahere, quam particulæ repellentes, quæ vi indefinite magna adhærent (XXIV.), concedunt: hæc cordis Syſtole.

XLII. Dum moleculæ ſe tota ſua vi attrahunt premunt repellentes, quæ ſuperficiei ſuæ conſtanter adhærent: quarum reactio facit Cordis relaxationem.

XLIII. Diaſtolen Cordis excipit Syſtole; hanc relaxatio. In relaxatione, repellentes, quæ vi indefinita adhærent, antea preſſæ, ſe reſtituunt; in diaſtole, pars atmoſphærarum communium penetrat inter moleculas fibrarum; in ſyſtole, repellentes ante ingreſſæ, retrocedunt,

& premuntur hæ quæ remanent. Extenſio actionis cordis in ſyſtole maxima eſt; minor, in diaſtole; in relaxatione minima.

XLIV. Pars ſanguinis corde expulſi, ingreditur ſub diaſtole arterias coronarias; in his valide preſſus, dividitur in ſubtiliſſimum ſerum; cujus moleculæ attrahentes, quæ æqualem cum moleculis cordis materiæ copiam habent, ab his fortiter attrahuntur, hinc inter eas retinentur: creſcit cor.

XLV. Atmoſphæræ autem molecularum nuper adpoſitarum retrocedunt una cum iis moleculis, quæ vi minori attrahuntur, nempe cum minoribus; hæ, atmoſphæris communibus, verſus centra molecularum fibræ continuo tendentibus, innatant; & cum iis fingunt ſubſtantiam fere fluidam, mobiliſſimam, tenerrimam: mucum.

XLVI. Cum in qualibet ſyſtole novæ atmoſphæræ repellentes ponantur inter cordis fibras, ideoque ibidem accumulentur ac condenſentur; intelligitur, cur nulla corporis pars corde ſit irritabilior? Nonne alii muſculi, exercitati, ob ſimilem rationem robuſti fiunt?

XLVII. Cor animalis, cujus ſanguis eodem cum aëre calore gaudet, ut ranarum, evulſum, violenter pulſat: nam fibræ compreſſæ, diſtractæque ſub evulſione, communicarunt atmoſphæris fluidi repellentis motum rapidiſſimum; quem aër undique premens, pulſans undis, vellicansque ſuis contentis, adjuvat. Interim fluidum repellens avolat ab extima cordis ſuperficie, hæc ſicca & laxa fit; aer adhærens ſeque inſinuans, abſorbet portionem motus in parte fluidi quam tangit, & impedit ejus fluxum & refluxum liberrimum: unde pulſationes ſenſim lentiores ac debiliores; donec cor quieſcere videatur.

XLVIII. Idem aer ſe ulterius inſinuans, tangit, premit & pulſat novas atmoſphæras repellentes, quæ fibras dilatant, ab his expelluntur: ſic ſecunda, tertia aut plures pulſationum periodi creantur. Sed pars fluidi expulſi cadens in latus fibrarum, quod externam ſuperficiem cordis reſpicit, perditur, pariter mox ſequutura: hinc cor ſenſim magis languens, brevi ſubit fatum ſuum ineluctabile.

XLIX. Tremorem & retractionem fibrarum irritabilitatis reliquias explicaturus, in mentem revocet; quod 1. Pars materiæ repellentis, quæ moleculis attrahentibus vi indefinita adhæret, eas aptas ſervet ad vibrationes obeundas. 2. Quod, dum moleculæ fibræ non amplius irritabilis, integræ tamen, ſe ubique æqualiter attrahunt, earum una impediat

pediat exceſſum, quo altera attraheret, niſi retineretur a vicinis, & quod hoc obſtaculum tollatur, dum fibra diſcinditur; quæ itaque utrinque reſilit.

L. Illa de irritatione cordis aeri expoſiti dicta, valent, mutatis mutandis, de omnibus aliis modis irritationis. Quæcunque enim res, partium ſtructuram non nimium lædens, & quocunque puncto cor tangit; imprimit neceſſario motum quibusdam particulis attrahentibus, quæ alias trahunt, & atmoſphæras communes in motum agunt, ſecundum leges hucuſque traditas.

LI. Nec obſcurum eſt, cur ſtimulus detur alio fortior. Calor fibræ muſculari adplicatus, atmoſphæras repellentes tum propellit, tumque celeriter oſcillare facit: unde irritatio compoſita ex momento propulſionis & oſcillationum materiæ repellentis aucto.

LII. Oſcillationes quo fortiores ſunt, eo major dilatatio, eoque facilior diſſipatio eſt: hinc cognoſcitur, cur irritabilitas citius perit in corde evulſo animalis, cui ſanguis aere calidior eſt, quam alius animantis, quod eundem frigidum, ut ajunt, habet; *cæteris paribus.*

LIII. Ergo materia repellens collecta inter fibras muſculares; ab iis attracta; circa eaſdem accumulata & condenſata; partem nobiliſſimam *muci* conſtituens; a ſanguine, aere, calore, facile movenda; dilatans fibras, quæ denuo ſe conſtringunt: cauſſa eſt irritabilitatis.

LIV. Vis cordis minimi embryonis aucta moleculis attrahentibus (XLIV.), & atmoſphæris repellentibus (XLV.); longe ſuperat reſiſtentias vaſorum flexilium tenuiumque; ſanguinem in iis propellit nuper elaboratum, fluidiorem, facile diviſibilem, & locupletatum ſemper ſero recenti.

LV. Parietes vaſorum extenſi & elongati a vi Cordis, recipiunt in poris innumeris, & attrahunt in omnibus ſuis punctis, partes in quas ſanguis exigua vaſcula permeans, reſolvitur. Arteriæ colligunt ſimul in ſuis fibris muſcularibus atmoſphæras fluidi repellentis, & adjuvant actionem, qua cor ſanguinem per omnia organa propellit. Hæc denique pro ſuarum attrahentium magnitudine, numero, poſitione & intervallis attrahunt & retinent de variis moleculis ſeri, eas, quæ ſuis propriis ſimillimæ ſunt.

LVI. Sanguinis ingens copia fluens ad veſiculam embryonis majorem

jorem (XXIX), diſtribuitur in vaſcula innumerabilia, quæ non niſi fluidiſſimam ejus partem admittunt: hæcce ex oſculis minutiſſimis depluens, irrorat origines nervorum.

LVII. Horum fluidum repellens continuo oſcillans, ſeque libere movens, facile cedit vi affluentis ſeri ſubtiliſſimi: cujus moleculæ attrahentes, quæ fluido repellenti innatant, propius inde ad medullæ cerebri moleculas accedere, & cum iis cohærere poſſunt. Sic cerebrum & organa ſenſuum præ aliis creſcunt; ita ut fetus aut infantis corpus nervis textum dixeris.

LVIII. Interea moleculæ, quæ plurimum materiæ attrahentis habent (XXVI.) atmoſphæras ſuas coincidentes retrocedere cogunt; & prout illæ collectæ in plura puncta, aut in unum granulum ſunt, aut in quadam parte æqualiter diſtributæ; cartilaginem varie in os mutare, & moleculas ſeri adpellentes fortiter attrahendo, illam augere incipiunt. Patet ſimul, quod moleculæ *teneri gelati* aut cartilaginis eo lentius dureſcere debeant, quo longius diſtant ab foco attractionis oſſificantis, ut in oſſe femoris (*a*).

LIX. Quamprimum moleculæ oſſis atmoſphæras ſuas a ſe excluſerunt; cohærent tanta vi, ut illas nunquam readmittant; idem fit in fibra tendinis, cujus moleculæ copioſa pariter materia attrahente pollent. Elucet ex his imbecillitas argumenti, quod contra ſedem irritabilitatis in muco fibræ muſcularis, deſumitur a glutine in cute, tendinibus & ligamentis obvio (*b*). Ac ſi is qui certam proprietatem fibræ in ejus muco quærit, non præſupponat talem fibræ texturam, quæ vim in muco præſentem agere ſinat.

LX. Longe alia eſt nervorum indoles; qui ut moleculis tenerrimis leviterque cohærentibus, & ubicunque poris inſtructi ſunt; ſic fluido repellenti motum concedunt liberrimum.

LXI. Si origo, truncus aut papilla nervi tangitur, aëre, calore, aliis inſtrumentis; fibra preſſa aut diſtracta fluido repellenti motum imprimit, qui ſi continuatur uſque ad locum ubi ideæ rebus formantur, ſenſationem parit. Si nervus irritatus pertinet ad aliquem muſculum tunc non ſenſatio tantum producitur; verum etiam fluidum repellens vibratum verſus fibras muſculi, impingit in harum atmoſphæras repellentes: convellitur muſculis.

LXII.

(*a*) Celeberr. Albini Icon. oſſ. fetus humani Tab. X. & pag. 150. ſeqq.
(*b*) Cl. Whytt Phyſiological Eſſays. II.

LXII. Si pars muſculo-nervea irritatur, tunc aut papilla nervi tangitur una cum fibra muſculari; aut atmoſphæræ motæ reflectunt particulas repellentes ad papillam nerveam: talis fibra & ſenſilis & irritabilis eſt.

LXIII. Fetus moleculis tenerioribus nutritus, habet fibras teneras: docet hoc corporis infantis recens nati habitus delicatior, & motus vehementiores in illo excitati a ſtimulis levioribus: hinc alimentum tenerius, ſive illi quo in utero fruebatur ſimillimum, pro eo eligendum erit.

LXIV. Contractiones uteri ſub partu, varie premunt membra fetus; is ſeparatus a matre, niſus edit ut reſpiret aërem, qui ſuam glottidem irritat; præter hæc ſanguis arterias pulmonales, & aër thoracem violenter diſtendit: corpori ſic fatigato nullum alimentum, ſed ſola quies utilis eſt.

LXV. Quando autem aliquot horarum ſomno refecta puerpera eſt, & juſculum comedit; præbeat paulo poſt eſurienti puero mammam, ut ejus ſanitati, ſuæque propriæ boni conſulat; hoc enim modo materia lactis ubertim adpellens, liberius fluet; & puerpera nullam febrem lactis experietur, quam multi auctores ſecundum naturam contingere, minus recte judicant (*a*).

LXVI. Noviſſimum puerperæ lac ſeroſum ſalinumque, diſſolvit tenacem mucum inteſtinorum infantis; hæc ſimul irritata, expellunt facile meconium quo onerantur. Coloſtri pars vaſa lactea pueri ſubeuns, mox ſanguine mixta, humores ubique ſolvendo, fibrillas nerveas & muſculares ſtimulando; vim vitæ plenius agere facit.

LXVII. Quemadmodum infans brevi plure nutrimento opus habet, ita lac prius ſeroſum paullatim blandius & dulci cremore ditiſſimum ſecernitur, donec ad debitam conſiſtentiam ventum ſit.

LXVII. Corpus infantis recens nati tenerum, molle, ſuccis plenum, quieti & ſomno deditum, cibis ſolidioribus digerendis tum impar eſt, tum iis neutiquam indiget. Hinc ubi puerpera aut ſat lactis, ut communiter a primo partu, habet, aut nutrix ſana, ſobria, vegetaque ejus vices gerit; infantem tribus primis menſibus nullo alio cibo veſci ſinat.

LXIX. Si autem infanti lactis muliebris copiam eſſe, aliæ res vetant

(*a*) Cl. Cadogan Eſſay upon the nurſing and the management of children, from their birth to three years of age.

tant, tunc lac illi ſimillinum vel eligere, vel tale reddere, conducit. Lac aſininum omnes humani dotes poſſidet; vaccinum amygdalis optime emendatur. Cibum deinde ſolidiuſculum, qualem corpus infantis continuo creſcens brevi poſcit, præbet panis bene fermentatus aqua coctus, affuſo lacte recenti, ſive coctione non inſpiſſato.

LXX. Ad gradus quibus natura præparans puero nutrimentum, procedere ſolet (LXVI), ſedulo attendat, cui cura incumbit ſuccedanei præſcribendi. Nam ipſum lac muliebre jam pleno rivo fluens, non amplius purgans, ſed maxime nutriens, primis vitæ diebus minus aptum cenſendum eſt, quod ventriculum & organa chylopoietica infantis nimium obruit.

LXXI. Certius periculum minantur cibi crudi, ut pultes farina non fermentata confecti; aut ſaccharum & ova lacti adjecta, quæ ſpiſſitudinem lactis vaccini augent. Unde pravæ digeſtiones, ſaburra glutinoſa in primis viis; plenitudo relaxatioque vaſorum, humorum immeabilitas & aſſimilationes imminutæ, oriuntur: quæ ſyſtemati ſecretionum & oſſibus tot morborum cauſſæ exiſtunt.

LXXII. Diætam infantis recens nati (LXV-LXX), theoria & praxi medica comprobatam, multi negligunt, & deſunt fere qui commendent; immo quidam docti viri nuper negarunt lac humanum ſanitatem infantum juvare, quod ejus ope ſeminia morborum, & injuriæ a motibus animi illatæ, tenello facile communicantur. Ergone plures mulieres virubus hæreditariis aut aliis contaminatas, quam ſanas invenire licet; numque illarum plurimæ animi tam impotentis ſunt, ut qualibet levi re lædantur? Abſit certe læſura cogitatio, & videant venuſtiores medici, qui blandiri ſperant illa hypotheſi feminis delicatulis, quomodo in gratiam cum iis redire poſſint.

LXXIII. Accidit tamen ut vel gravida vel nutrix laboret phthiſi incipiente, venerea lue, ſtrumis, aut alio vitio ſyſtemati glandularum tacite inhærente. Si talis gravidæ ſtatus fuerit, infantem virus portionem accepiſſe, docet pravus nuper nati habitus, inæquale organorum incrementum, ſimilia. Nutrix ſic infecta transmittet ſuam labem cum magna vi lactis ad puerum, aut ei innatam augebit & complicabit peculiari modo. Nam particulæ rodentes, aut putridæ, plus minus volatiles, omne lac pervadunt; ſolvuntur in ejus aqua, miſcentur cum moleculis ſalinis & oleoſis; has corrumpunt; humores ſecernendos ſecretosque reddunt crudos, acres & immeabiles: particulæ illæ una attractæ a fibris teneris, irritabilibus ſenſilibusque inſigni gradu, excitant

tant ſenſationes ingratas, ſpaſmos, relaxationes proportionatas: ab his provenit impotentia vaſorum humores propellendi; muſculorum, membra movendi: animi ſenſationibus perpetuo male affecti conſuetudo ad multa, varia leviſſimaque attendendi; unde acies præcocis ingenii aliaque phænomena.

LXXIV. Effectus virus morbidi accelerantur & graviores fiunt alimentis (LXXI), aut aliis injuriis, quæ ſolida emolliunt & debilitant, quæ humores inſpiſſant, aut nimis attenuant & ad putredinem diſponunt. Quæ ſi abſunt, & portio virus minima tantum organis in utero jam unita, poſt non augetur, advectis interim humoribus bonis: ſeminium luis quietum jacebit per annorum ſeriem, immo per omnem vitam; ſed portiuncula ejuſdem iterum tranſmiſſa in embryonem, evolvi in hoc poterit, modo foveant res circumſtantes.

LXXV. Inter morbos ætati infantili familiares *Rachitis* eminet, cujus cauſſæ *connatæ* a Summo Boerhaavio (aph. 1482); & adventitiæ, (aph. 1483. 1484) ſapientia inimitabili digeſtæ, habentur. Nonne illud Boerhaavianum: *raro ante nonum ætatis menſem, vix unquam poſt biennium vitæ, ſed ſpatio hoc medio frequens, accidit*, (aph. 1581); potius de tempore quo iſte morbus invadere, quam de termino ad quem idem durare ſolet, intelligendum? Illa obſervatio igitur: *diu id malum continuari, maxime ubi febres intermittenres ab infantium habitu cachectico ortæ comites ſimul fuerint;* nihil facit contra Boerhaavii allegata verba, quæ Cl. RUSSELL confutanda ſummiſſe videtur (*a*).

LXXVI. Symptomatum rachitidis adparitio, varia indoles, ſucceſſio, analogia, magnitudo & omnia Boerhaavii (aph. 1485 ad 1588) obſervata; ſuppeditarunt medicis hujus morbi deſcriptionem accuratam, tumque futuri, ſimplicis, complicati, levioris, aut vix ſanabilis, cognitionem, indicationes & remedia generalia; methodum curandi rationalem quidem, ſed minus ſimplicem, nec omnibus abſolutam numeris. Celeberrimus LEVRET perpendens effectum radicis rubiæ tinctorum in oſſibus animalium, judicavit pro ſui ingenii acumine, quod oſſa animalium colore aliquo infici neutiquam poſſint, quin eorum firmitas ſimul, vel leviter, mutetur; jam Rubiam oſſis ſoliditatem non minuere, evinci per abſentiam mollitiei in oſſibus animalium ea radice nutritorum; oſſa exinde duriora potius fieri debere, veriſimile eſſe per chemicam laudatæ plantæ analyſin. Hoc ratiocinio uſus Vir Doctiſſimus, præſcripſit infantibus, quibus emollitio oſſium imminebat, rubiam, quæ progreſſum ſympto-

(*a*) Oeconomia Naturæ in morbis acutis & chronicis glandularum auth R. RUSSEL M. D. F. R. S.

ſymptomatum mox arcebat, & poſtea per omnes gradus morbi reſpondere viſa eſt.

LXXVII. Operæ pretium eſt ut hiſtoriam qua experimenta Cl. LEVRET confirmantur, publici juris faciam, communicavit eam mecum Celeberrimus SCHLOSSER M. D. Societ. Reg. Britannic. Sodalis, Medicinæ apud Amſtelodamenſes Practicus feliciſſimus, fautor meus & amicus æſtumatiſſimus cariſſimuſque. Inviſit Clariſſimus Vir prima vice ſub finem menſis junii h. a. puellam biennem, quæ facultatem pedibus incedendi, quam vix elapſo ætatis ſuæ anno jam poſſidebat, a ſex menſibus perdiderat. Ægra epiphyſes ad juncturas tibiæ, fibulæ, genu, radii & ulnæ multum protuberantes habet; crura conſpicue arcuata ſunt; abdomen tamen parum tumet; faciem, dorſum, femora cruraque obtegit herpes ichorem acerrimum ſudans. Præſcribitur ſequens decoctum: rec. radic. rubiæ tinctorum unc. ſem ſal. vegetabil. drachm. duo. coqu. pint. duab. aqu. comm. per horam igne leniſſimo: colat. add. mell. opt. unc. duas (*a*). Sumantur quovis die unciæ decem. Quinto die poſtquam hoc decocto uti cœpit puella, pedibus commode inſiſtit; herpes deſiccatus fere deprehenditur. Elapſis tribus ſeptimanis illa per cubiculum ambulare valet; protuberantiæ in juncturis artuum plurimum ſubſederunt, crura multo minus incurva conſpiciuntur; cruſtæ ab herpete ſuperſtites, ſponte naturæ deciduæ, relinquunt loca ulcuſculorum integre ſanata. Initio menſis Auguſti mater infantis ſuſpendit uſum decocti per quinque dies: tum puſtulæ renaſcuntur in facie occupantque loca ab ulceribus herpeticis profundioribus antea obſeſſa. Ægra decoctum iterum ſumit ſine interruptione; puſtulæ illico evaneſcunt; jam nullæ in juncturis protuberantiæ; crura fere recta; ulcera ſanata ſunt. Uſum decocti continuari adhuc per aliquot ſeptimanas, prudentia jubet. Urina a decocto primum copioſiſſima, dein minus abundans, ſemper ſaturate rubra, fluxit. Alvi dejectiones per primos quindecim dies quotidie numero quinque aut ſex, poſtea rariores fuerunt; itidem rubræ. Sudorem autem rubrum Cl. LEVRET quandoque viſum, obſervare in hac ægra non licuit.

LXXVIII. Quando ſymptomata rachitidis ſe manifeſtant in puero adhuc lactante, tunc nutrix dosin duplam decocti rubiæ quolibet die ſumat, Cl. LEVRET auctor eſt. Hæc methodus quamvis nondum, quod ſciam, tentata fuerit, promittit tamen exoptatum eventum, ſuadente analogia. Spectat huc imprimis experimentum, cum planta rubiæ ſimili in cuniculis femellis gravidis inſtitutum. Hæ nutritæ paſta ex pulvere radicis Gallii, furfuribus & foliis braſſicæ conſciſſis, parata; partus

(*a*) L'Art des Accouchemens &c. par Mr. *Levret*, aphor. 1451.

partus ſuos feliciter enixæ ſunt, lac habuerunt colore amœne roſeo tinctum, oſſaque parvulorum minime autem matrum; inventa ſunt rubore ſaturato imprægnata (*a*). Ubi parentum vis vitæ luxu aut iniqua venere, pretioſiſſima ſua virtute ſpoliata, prolem præſagit rachiticam, (Boerh. aph. 1482.); nonne tunc parvæ, plures, prudenter repetitæ rubiæ doſes gravidæ datæ, progeniem ſpondent labe illa glandulari liberam?

LXXIX. Lac vires herbarum quibus animalia paſcuntur recipere, antiqui jam obſervarunt; hi enim mentionem faciunt lactis vel adſtringentis, vel purgantis a paſtu hederæ, plantaginis, ſcammonei, tithymalorum & ſimilium: notaque res eſt, lac caprarum imbutum deprehendi ſapore immo odore plantarum, quas illæ devorant. Unde certæ regiones conſecutæ olim nomen ſunt ob lactis non minus quam aëris ſalubritatem; ut e contrario aliæ provinciæ notantur propter lac ſaporem alliaceum præ ſe ferens a ſcordio, cepa, &c. in iis uberrime progerminantibus (*b*). Poſtremo neminem fugit artificium, quo infantis alvus ſolvitur purgatione nutrici propinata, quam quidem methodum ad paucos caſus reſtringunt medici ſagaciores, ne ſanitas nutricis temere detrimentum capiat.

LXXX. Uſus medicabilitatis lactis omnium utiliſſimos, a tot claris viris prætervиſos, ſubtiliori ingenio excoluit & obſervatis illuſtravit nitidiſſimis, Celeberrimus POISSONNIER, Vir, qui cum ſapienti doctrina, tum praxi feliciſſima ampliſſimaque, medicinæ Hippocraticæ inſignem ſplendorem addit. Eximii hujus medici ſunt, quas hic ſubjungam, hiſtoriæ, quibus ille me pro ſingulari, qua ſtudiis meis favet benevolentia, humaniſſime donavit. Comitem de . . affligebat ab aliquot menſibus mictus cruentus, quem hæmorrhoides & plurimi varices in brachiis & cruribus præceſſerant. Hæc ſymptomata indicabant cum reliquis, mictum iſtum tribuendum eſſe rupturæ quorundam vaſorum debilium & varicoſorum in renibus. Curatio venæſectione, temperantibus nitroſis, abſorbentibus, mucilagineis; ſuccis demum herbarum adſtringentium fruſtra inſtituitur. Jam lenta febris ægrum in marasmum conjicit, & fluit adhucdum urina ſanguinolenta. Phthiſi renali tam dire ſævienti occurritur lacte vaccino, dein aſinino, noviſſime equino; ſed perſtant ſymptomata immutata, imprimis iſte mictus ſanguineus, primus malorum fons. Nutritur tandem, Illuſtris POISSONNIER juſſu, vacca *urticæ urentis minoris* recens collectæ copia: æger lactis

[*a*] Hiſtoire de l'Academie des Sciences pour l'année 1747.
[*b*] Ill. *Linnæi* amœnitat. Academ. Diſſ. de viribus plantar.]

ſic medicati ſumit quotidie uncias quadraginta pro omni alimento. Urinæ inde brevi recuperant colorem naturali ſimilem, oneratæ vero adparent, per menſis ſpatium, materia modo pituitoſa, modo purulenta. Evaneſcit calor febrilis, nec amplius urget æſtus in manuum volis & plantis pedum intolerabilis: redeuntque corporis vires habitusque bonus.

II. Alius æger celſiſſima ſtirpe oriundus, ſcorbuto laborans, detinebatur mictu cruento, per quindecim ad minimum dies, quovis menſe. Tractatur morbus primarius remediis congruis, quæ omnia ſigna ſcorbuti, qualia maculæ lividæ in cruribus, & mollities gingivarum ſanioſa erat, delent. Æger lac caprinum, mox vaccinum bibens, nihil proficit; lacte, urtica, modo quem indicavimus medicato, ſanitati reſtitutus eſt.

III. Sanatæ ſimili lacte ultra quindecim hæmoptoës ſunt, nec non hæmorrhagiæ quædam uteri, nulla alia methodo arcendæ. Excipient rerum harumce gnari ſpecies hæmoptoës a tuberculis pulmonum vaſa comprimentibus ortum ducentis, & hæmorrhagias uteri, quæ polypis in fundo aut collo hujus organi natis, ligatura extirpandis, debentur.

IV. Lac caprarum, herba parietariæ nutritarum, diureticum factum, ſalutares præſtitit effectus in iis hydropis caſibus, ubi omne punctum tulit, qui ſanguini diſſoluto requiſitam conſiſtentiam, tumque tubulis ſerum ſecernentibus aut exhalantibus robur ſuum reddere novit. Matrona ætatis annorum 60. aſcitica, paracenteſin ſpatio anni quater & decies paſſa, vitam ejusmodi lacte protraxit per tres annos, immunis omnino ab neceſſitate reiterandi illam operationem, quousque anni tempeſtas præberet parietariam. Alii aſcitici nondum depoſiti, qualis erat præcedens ægra, convaluerunt absque paracenteſi, ſolo dicti lactis auxilio.

V. Ægra quædam morbo hic non deſcribendo viribus exhauſta, diætæ adſtricta tenuiſſimæ, alvum habuit tantopere compreſſam, ut fæces duriſſimæ eximi non poſſent ex inteſtino, niſi ſpatula in id introducta dividerentur. Nempe purgationem vetabat debiliſſimi corporis conditio; clysmata alvum non proliciebant; periculum tamen oſtendebat illa operatio tædioſa toties repetita. Huic ægræ utenti lacte vaccæ foliis lactucæ, portulacæ, aliisque plantis eſcu entis, emollientibus & nitroſis, paſtæ; ſucceſſit brevi alvus libera, aut enemati cedens.

LXXXI. Ex his liquet 1. Virtutem plantarum totam tranſiiſſe in lac animalium illis nutritorum. 3. Plus præſtitum eſſe a lacte vaccino medicato, quam a ſpeciebus lactis nobilioribus, cum aliis remediis vulgari methodo, adhibitis (§. præc. I. II.). 3. Virtutem herbarum lac medicantem, efficaciorem in medendo viſam eſſe ipſa virtute, in ſuccis ſimilium plantarum contenta (ibid. I.).

LXXXII. Inter compendia igitur quibus ea methodus ſe commendat, principem locum tenet α. certitudo variis indicationibus curatoriis ſimul ſatisfaciendi. β. Potentia mutandi aut tollendi qualitates & virtutes tam ſimplicium indicatorum, quam ipſius lactis. γ. Elegantia ſummæ efficaciæ nupta.

LXXXIII. Animadverſione dignum eſt quod notavi (LXXXI. 3.); cujus ratio patebit ſequentibus. Si cujusdam plantæ ſuccus ingeritur in corpus longo gravique morbo confectum, agit tota ſua vi in fibras non niſi leni & æquali ſtimulo refocillandas: tunc vis vitæ magnam partem impenſa ad reſiſtendum actioni particularum a natura animali longe diſcrepantium, impar eſt iis ſubigendis ac diſtribuendis ad omnia organa: hinc natura virtutem medicamenti minime adjuvat. E contrario ſi ſucci plantæ digeſti jam a viribus corporis animalis, circumlati cum ejus humoribus, ſoluti partim in his & nuper ſecreti cum chylo per organa lactifera, corpori debiliori adhibentur; pronum eſt quod vim exerere debeant multum diverſam ab illa, quam crudi poſſidebant. Vis ſic producta reſpondebit viribus lactis & plantæ ſimul ſumtis, non neglecta mutatione quæ a modo quo ambo ſe conjunxerunt, proficiſcitur. Ea mutatio erit in lacte, facultas reſiſtendi corruptioni, quam lac non raro experitur ab humoribus morbificis, e. g. a materia puris in Phthiſicis. Mutatio vero facta in ipſis particulis ſucci plantæ, eo conſiſtet, quod partibus lactis intimius unitæ, & adaptatæ naturæ animali; afficiant fibras ſtimulo leniori & æquabiliter duraturo. Ergo partes lactis penetrant ope particularum ſucci medicati per exiliſſimos corporis meatus, & nutriunt ſubinde omnes fibras; particulæ medicamentoſæ autem attrahuntur & retinentur a fibris, ob proximam affinitatem partium lactis cum moleculis fibrarum.

LXXXIV. Morbi quibus uſus lactis indicatur, ſunt, quorum ſanatio poſcit magnam copiam ſubſtantiæ blandiſſime demulcentis, quæ ſimul nutriat, aut leniter detergat: ideoque acredo humorum fibras irritans, ſpaſmis afficiens, aut erodens; dein tenor medullæ cerebri evacuatione liquidorum vitalium nimia infirmatus, lac requirit.

LXXXV. Hæc phænomena frequenter comitatur aut inſequitur debilitas vel totius corporis, vel partis: ſaburra in primis viis, pravæ digeſtiones, relaxatio vaſorum, defectus propulſionis fluidorum, horumce lentor; obſtructio canalium minimorum, inflammationes, ſuppurationes in glandulis aut vaſculis viſcerum; reſorbtio crudi & purulenti in maſſam humorum, corruptio ſanguinis & ſucci nutritii, febris corpus perpetuo depaſcens, marasmus.

LXXXVI. Cum lac hiſce ſymptomatibus profligandis impar cenſeatur vel ab ipſis ejus laudatoribus nimiis, mirari ſubit quod iidem, omnes indicationes ad phthiſin ſanandam lacte adimpleri, contendant. Phthiſis pulmonalis excitata vel a ſanguine tenui, acriori, in finibus arteriarum pulmonalium congeſto, in his ſtagnante, iisdem ruptis aut exeſis in veſiculas pulmonum effuſo, & dum harum plures ruperit, in unum aut alterum ſaccum collecto; tum mora, motu pulmonum continuo, vicino aëre, calore humido, exhalatione omnis blandi aquoſi putrefacto, inque ſanguinem reſorbto: vel ab pituita tenaci, inerti, glandulas bronchiorum infarciente & obſtruente, unde vaſcula ſanguifera vicina comprimuntur, ſanguinis liber fluxus in iis impeditur, ſic inflammatio in vaſis, in lymphaticis & in glandulis ſupervenit, inſequiturque ſuppuratio: aut ſi forte tubercula naturæ ſint qua difficillime & imperfecte ſuppurant; actionem pulmonum tamen minuendo, elaborationem boni ſanguinis hinc etiam nutritionem neceſſario impediunt, quo fit ut corpus lente conſumatur: phthiſis inquam poſcit uſum longe continuatum, cauſisque morbi prudenter adaptatum antiphlogiſticorum, aperientium, antiſepticorum, lenium adſtringentium, concoctionem ciborum corrigentium; & jubet exulare quæcunque digeſtionem aſſumtorum non adjuvant, aut quæ male digeruntur, quæ ſaburram in primis viis augent, quæ diarrhoeas excitant, quæ febri non contraria ſunt, ſed calore febrili & pure in ſanguine hærente mutantur a blandis in acerrimum venenum, quæ obſtructa neutiquam expediunt, nec ulceratas partes detergere valent. Jam ſi reſpiciamus ad partium lactis mixtionem, facilem ſeparationem & deſtructionem, mora, calore, acidis, alcalicis; tum ad perniciosos lactis effectus in phthiſeos pulmonalis, variæ, ſecundo & tertio gradu, a conſummatis in his Practicis, Benneto (*a*), Mortono (*b*) & Raulino (*c*) obſervatos: non poſſumus non relegare lac ex claſſe remediorum antiphthiſicorum.

LXXXVII. Quando autem vomica rupta, pus evacuatum, parietes ulceris deterſi, materia puris ſecreta a ſanguine, viis convenientibus eliminata, maſſa humorum a putredine liberata ac defenſa, pulmo deobſtructus eſt: tunc corpus fere purum, ſed emaciatum atque imbecillum tuto nutritur alimentis boni ſucci & facile ſubigendis. Hinc diæta lactea utiliſſima eſt a morbo longo convaleſcentibus, degentibus in aere temperato ac ſalubri; & moderate exercitatis.

LXXXVIII.

(*a*) Criſtoph Benet tabidorum theatrum. XXVI.
(*b*) Phthiſiologia. Londini MCLXXXIX. Cap VI. *Quinto* p. 274. 314. 355. & aliis locis.
(*c*) Obſervations de medecine &c.

LXXXVIII. Verumtamen non vilipendenda ſunt, quæ a quibusdam obſervatoribus prædicantur de efficacia lactis in ſanandis morbis ſat immitibus. Ballonius lactis aſinini uſum expertus laudat in peſſimis alvi fluoribus; tum quoque ſi ſtricta alvus ſit (*a*). Wepferus matronam vidit, quæ ſolo lactis vaccini potu ultra biennium continuato, ſanata fuit a colica ſæpe redeunte, horrendis ſtipata convulſionibus; quantum enim lac emendet ſerum ſanguinis ſalſugineum, videmus, ait, in curatione podagræ (*b*).

LXXXIX. Aſſertioni noſtræ circa lacteam curam Phthiſeos (LXXXVI.) propoſitæ, adverſari ſequens obſervatio videtur. Juveni per intemperantiam phthiſico præſcripta ſunt optima remedia, imprimis lac aſininum, attamen phthiſis ad tertium gradum pervenit. Urget febris hectica, tuſſis ſomnum tollens, ſputum copioſum materiæ globatæ ſtriis ſanguineis diſtinctæ & veri puris, ſudor colliquativus. Æger ſceleto ſimilis jacet, facies Hippocratica eſt, accedunt lipothymiæ. Medici his anguſtiis prehenſi jubent, ut æger lac mane & veſperi tanta copia bibat, quam ferat ventriculus; bibit lac ad libram mediam & ultra. Sepoſitis tunc omnibus remediis, ſi excipias emulſionem temperantem, cordialem & ſedativam, & potionem aquæ communis cum conſerva roſarum; præter omnium ſpem convaluit (*c*). Hancce phthiſin originem traxiſſe a tuberculis, quæ lente & imperfecte ſuppurant, teſtantur corpora globoſa tuſſi rejecta. Sub violenta iſtorum corporum tenacium avulſione rupta ſunt neceſſario vaſcula ſanguinea proxime adjacentia. Sanguis ex his noviſſime profluens, in verum pus converſus eſt; hoc non reſorbtum eſt in ſanguinem, propter uſum lenium adſtringentium, puta anodynorum & cordialium. Sanguinem emendarunt & a putredine tutum præſtiterunt temperantia, cordialia & aqua communis; irritationem & ſpaſmum minuerunt anodyna. Sic circulus ſanguinis æquabilis reſtitutus eſt, item tuſſis & febris mitior facta eſt: Lac ſub hac quiete demulcere potuit. Dein, pulmone tuberculis liberato & deobſtructo, ſopita ſimul irritatione; vis naturæ antea fracta, omnes ſuas functiones redintegrare cœpit, butyroſas partes lactis adhibuit ad nutritionem peragendam. Et tantum præſtat remedium anceps, quam nullum, tentare.

XC. Quod methodum vulgarem qua lac hodie a Medicis præſcribitur, attinet, eam nimis notam eſſe credo, quam ut hic tradere interſit. Quinam

(*a*) Conſilior. medicor. L. 1. Conſ. L.
(*b*) Obſervat. medic. CXIV.
(*c*) Act. Phyſ. medic. Vol. VI. obſ. CXXXV.

Quinam morbi & ſub quibus conditionibus lactis aut ejus ſeri uſum exigant, intelliget, qui tum morbos bene dignoſcere didicit; tum, quod facillimum, deſcendere ab indicationibus generalibus (V.), ad indicationem in certo quodam caſu formandam, novit. Idem perſpiciet uſum variarum ſpecierum ſeri lactis, quæ in nonnullis Pharmacopœis & in diſpenſatoriis quorundam Noſocomiorum præſcriptæ extant; easque, tum medicationem lactis (LXXX.), apte imitabitur.

CCXXXIX.

JO. BOECLER & JAC. VOLMAR,

AN NITRUM SANGUINEM RESOLVAT AUT COAGULET?

ARGENTOR. 1741.

PROOEMIUM.

E*Xactam virium medicamentorum cognitionem medico, inſenſiſſimum machinæ Humanæ, curæ ſuæ concreditæ, hoſtem hydram Lernæam morborum profligaturo, ſumme utilem ſummeque neceſſariam eſſe, nemo ſanus ibit inficias. Quo major autem dictæ cognitionis exiſtit utilitas atque neceſſitas, eo magis quoque dolendum eſt eandem exoptata luce adhuc dum haud radiare. Siquidem plurimas variorum remediorum, quotidie etiam in uſum vocari ſolitorum, vires, non obſtante tam vetuſtioris, quam recentioris ævi in iis detegendis induſtria, meris adhuc difficultatibus & cimmeriis tenebris obvolutas, ac in Democriti puteo abſconditas quaſi latere quivis æquus rerum æſtimator, qui vel ſolius inter alia* NITRI, *omnium medicamentorum vix non uſitatiſſimi & ſaluberrimi, hiſtoriam medicam perluſtrat, nullo negotio perſpiciet.* Hoc *enim Polychreſtum imo Panchreſtum ſanitatis præſidium* an ſanguinem & humores noſtros reſolvat an vero coaguiet? *inter ſummos quoque ſacrorum medicorum antiſtites valde controvertitur. Reſolventem aliis; aliis vero coagulantem facultatem eidem aſſignantibus. Celebrem hanc quæſtionem, cum tanti interſit veras & genuinas remediorum, præſertim quotidiano uſui inſervientium, vires accurate noſſe, pro themate hujus exercitii Academici eligere placuit. Faxit Deus* T. O. M. *ſaluberrimarum virtutum medicamentorum Author & Moderator benigniſſimus ut omnia cedant feliciter. B. L. vero conatibus faveat & valeat!*

§. I.

ANtequam ad ipſam propoſitæ quæſtionis dijudicationem propius accedamus, de ejuſdem ſubjecto pauciſſima ſaltem generalia prælibare haud abs re eſſe arbitramur. Eſt vero hoc præſtantiſſimum illud artis & martis inſtrumentum ac præſidium NITRUM hodiernum factitium, Sal petræ, Νίτρον, λίτρον, *Salpeter*, *Salniter*, Nitre, Sel Nitre, Salpetre communiter appellatum, ut plures ſynonymias ænigmaticas aliasque jam taceamus; ab illo veterum nativo, alcalinæ, abſterſivæ, cauſticæ, non tam inflammabilis indolis, noſtris temporibus fere incognito, probe diſtinguendum.

§. II.

Nitrum namque noſtrum eſt ſubſtantia mineralis, ſalina, media, vina, alba, pellucida, cryſtallina, in cryſtallos hexaëdras, tenues, longas, æqualiter craſſas, extremitate in mucronem, pyramidis inſtar acuminatum, deſinente, concreta, in cryſtalliſationibus repetitis hanc figuram ſervans, aqua facile ſolubilis, ignis calore abſque deflagratione fuſilis, igne vero aperto aut materia ſulphurea ſimul accedente flammam concipiens lucidiſſimam, vehementerque cum exploſione fulgurans, ſaporis acris amaricantis, juncto ſenſu frigoris manifeſto, ex variis terris nitroſis, i. e. Nitro producendo aptis, non tantum alcalinæ indolis, ſed & ſulphure ac ſale alcali urinoſo excrementorum & partium animalium, vegetabilium aliarumque rerum, putrefactarum imbutis, quales ſunt lapides & muri calcarei, gypſei, ruinæ incendiorum, terræ calcareæ, lutoſæ, pingues, cellarum, fornicum, ſtagnorum, paludum, maximeque ſtabulorum, latrinarum, coemeteriorum &c. tam in India, quam in variis Europæ, præſertim Borealibus, regionibus confecta; quin quod ubivis quoque locorum confici illud poſſe nullum plane eſt dubium.

§. III.

Hiſce vero potiſſimum, totum productionis nitri negotium abſolvitur operationibus I. Præparatione dictarum terrarum, ſi opus fuerit, exponendo eas per tempus aëri liberiori, & conſpergendo urina vel aliis rebus putreſcentibus cum calce viva mixtis, donec Sale Nitroſo imprægnatæ ſint. II. Elixiviatione ejusmodi terrarum, dicto ſale gravidarum, mediante affuſa aqua facta. III. Commixtione & ſaturatione lixivii hujus cum alio alcalino ex mineribus & calce viva parato. Quam tamen opera-

operationem plures cum prima ſimul perficiunt, ſtratificatas ſtatim cum cineribus & calce viva terras nitroſas elutriando. IV. Coctione lixivii talis ſaturati ad claritatem & conſiſtentiam cryſtalliſabilem. V. Repoſitione ejuſdem in locum frigidum ad cryſtalliſandum ſeu cryſtalliſatione tamdiu cum reſiduo à priori cryſtalliſatione lixivio repetenda, donec hoc nullos amplius cryſtallos exhibeat, ex fulvo nigricans, amarum & acerrimum tactuque pingue inſtar olei evadat, Nitromitra tunc audiens, quia ad terras, pro nova nitri productione, fœcundandas adhibetur. VI. Denique collectarum cryſtallorum depuratione, à Sale comm. vel alumine aliiſque, iiſdem utplurimum adhuc remixtis, impuritatibus, per repetitam pluries, pro ratione circumſtantiarum, cryſtalliſationem & exſiccationem ultimo perfecti eleganter cryſtallini optimeque purgati hoc modo nitri. Ex hac autem jam nitri elaboratione, accuratius paulo examinata, facile apparet, ⦶ perfectum ex parte quidem naturæ, potiſſimum tamen artis eſſe opus, quidquid etiam de variis nitri nativi ſpeciebus, utpote pro perfecto nitro nequaquam habendis, circumferant. Natura namque ex corporibus omnium ſuorum regnorum, partes animalium & vegetabilium putrefaciendo, ſulphureo ſalinas urinoſas harum moleculas reſolutas terris nitroſis inſinuando, tandemque ſale acido primigenio, tam in terræ viſceribus quam in aëre hoſpitante, imprægnando, mixtum ſalinum nitroſum imperfectum tantummodo & variis adhuc heterogeneis rebus, uti ſale comm. & alumine (quæ ortum ſuum eidem ſali acido primigenio, terris horum ſalium ſpecificis cum nitroſis confuſis ſeſe implicanti, debent) aliiſque impuritatibus refertum, à quibuſdam Halinitrum vel Aphronitrum vocatum generat; ex quo poſtea ars recenſitarum operationum ope imprimis ſalis alcali vini additione perfectum nitrum demum producit.

§. IV.

In principia ſeu partes conſtitutivas hujus nitri ſi experientia & ratione ducibus inquiramus, ſal hocce medium, vinum, minerale, ex ſale acido, alcali, vino, ſulphure, acido nitri præſertim juncto, & phlegmate componi deprehendimus. Salinam nitri indolem eſſentialem illæ omnium ſalium, in hoc quoque obviæ, proprietates ſapor nempe & in aqua ſolubilitas teſtantur. Sal autem medium eſſe nitrum patet ex ſapore ſaleoſo, ut & ex eo, quod nec cum acidis, nec cum alcalinis effervefcat ac præcipitetur, nec ſyrupi violarum colorem mutet. Fixitatem hujus ſal medii demonſtrat diuturna ejuſdem in crucibulo, aqua licet vehementiſſimo fuſi, ſine mutatione perſeveratio. Minerale vocatur ſal. hoc ob primariam ejus partem, ſal nempe acidum mineralis indolis & proſapiæ, nec non ob terram ex qua producitur. Conſtare

 porro

porro nitrum noſtrum ex ſale acido, ſpir. ejus ſublimatione ex eodem, addito acido vitriolico obtinendus, cum alcalinis efferveſcens, ſolutiones ab his factas præcipitans, ſyr. violar. colorem rubrum concilians, lac coagulans, ſaporque acidus aperte loquuntur. Quod vero ſal hoc acidum nitri ſit ipſum acidum primigenium uti generatim omnium ſalium, ita in ſpecie hujus geneſis docet. Alcali vinum nitri, ſal iſtud medium, arcani duplicati nomine veniens, ex reſiduo a dicta ſublimatione ſpiritus nitri eliciendum, ut & nitrum vinum exhibent. Sulphuream ſubſtantiam nitro ineſſe, eluceſcit tam ex productione ejus è terris, ſulphure rerum putrefactarum imbutis, quam ex inflammabilitate ejus, aqua aperto vel materia quadam ſulphurea accedente. Sulphur autem hoc potiſſimum acidæ nitri parti adhærere, comprobat Spiritus Nitri color, vaſa etiam inficiens ejuſque vilitas, nec non deflagratio portionis acidæ nitri, ſalva manente alcalina; cui tamen dictum ſulphur ex parte implicitum quoque eſſe, ipſa nitri fixi natura alcalina manifeſtat. Phlegmatis in nitro exiſtentiam vel ſola ſpiritus nitri fluiditas declarat. Denique hæc vera eſſe nitri principia conſtitutiva, nitri regeneratio ex ſpiritu nitri acido ſulphureo, vel cum quovis alcali fixi, vel imprimis cum nitro fixo conjuncto, abunde confirmat.

§. V.

Vires nitrum hoc obtinet egregias, partes C. H. ſolidas leniter ad contractionem ſtimulantes, fluidas vero incidentes, RESOLVENTES, refrigerantes, temperantes æſtum & acrimoniam humorum, præſertim bilioſam, aperientes, abſtergentes, diaphoreticas, diureticas, alvum laxantes, carminativas, antiſpaſmodicas & innumeras alias vix recenſendas. Ob quas incomparabiles & pene divinas virtutes eidem principem inter ſaluberrima ſanitatis præſidia locum aſſignare nulli dubitamus. Siquidem *ſi ab hoc*, nitro nimirum, judice *Illuſtr.* HOFFMANNO *in Obſ. Phyſ. Chem. p. m.* 183. *diſceſſeris vix ullum datur in rerum natura ſimile, quod tam late pateat tamque univerſale & Polychreſtum ſit remedium.* Hinc & vix non in omnibus morboſis C. H. affectionibus exoptatiſſimo cum ſucceſſu à Medicis adhibetur, variiſque inde conficiendis eximiis præparatis, ipſo tamen nitro, ſibi relicto, longe inferioribus, deſtinatur, ut multiplices adhuc ejus uſus mechanicos, œconomicos, civiles, militares, phyſicos, chemicos &c. ſilentio jam prætereamus. Et hæc ſunt pauciſſima illa, quæ reſolutioni quæſtionis propoſitæ præmittere placuit, fuſius enim omnia explicare anguſtia pagellarum vetat, plura vero qui deſiderat adeat Authores, qui ex profeſſo hujus nitri hiſtorias conſignarunt, quorum inſignem catalogum apud NEUMANNUM *in tract. de* Nitro reperiet.

§. VI.

§. VI.

Recenſitas haſce §. præc. medicamentoſas Nitri vires omnes, imo longe plures adhuc experientia ac ratio confirmat, & communis fere Medicorum conſenſus agnoſcit, ſi unicam ejus facultatem RESOLVENTEM exceperis. Hic enim mire diſſentientes & contrarias plane ſententias foventes cernes Medicorum alias etiam perſpicaciſſimos. Alii ſiquidem idque plurimi virtute humores noſtros reſolvendi revera gaudere Nitrum aſſerunt, alii vero licet pauciores hanc vim reſolventem ei denegant & coagulantem aſſignare tentant.* Priores inter eminet *ſagaciſſimus naturæ ſcrutator*, *Illuſtris* HOFFMANNUS, qui opinionem ſuam experientiæ, fidiſſimæ rerum Magiſtræ, ſuperſtructam exponit *in egregia, de ſalium med. excellente in medendo virtute, Diſſert.* §. 16. ita inquiens: *Si humorum craſſities, quæ obſtructionibus vaſorum & concretionibus polypoſis mire velificatur, diſſolvenda eſt in Nitro certe ejuſmodi vis reſidet exoptatiſſima. Nequaquam enim Nitro vis coagulandi humores ineſt, quod nonnulli alioquin etiam periti contra manifeſtam oculorum fidem contendunt; quum ad oculum pateat, ſolutionem Nitri depurati cum aqua factam, ſanguini coagulato & obſcure nigricanti immiſſam, eum & liquidiorem & coloratiorem reddere, dum obſcuro-nigrum in pulchre miniatum & coccineum colorem convertit.* Quod quoque paſſim in pluribus aliis cedro dignis ſuis ſcriptis, imprimis *in Obſerv. Phyſ. Chem. Sel. Libr. II Obſ. I. p. m.* 103. & *in Medic. Rat. Syſt. T. III. p.* 471. inculcat. Poſteriorum Anteſignanus quaſi eſt *Celeberr.* STAHLIUS, experientiam quoque in ſuas trahens partes, uti fidem faciunt ea quæ occurrunt *in ejus Opuſc. Chym. Phyſ. Med. p.* 468. ubi ita loquitur: *Spondent aliqui Nitrum reddere ſanguinem fluidum & impedire coagulationem ejus: Reſpondet vero in contrarium experientia.* Et paulo poſt: *Drachmam dimidiam Nitri, in pulverem contriti, vaſculo impoſui; ſanguinis recentis, ex animali mactato proſilientis, unciam unam influere feci & ſepoſui; non modo ſanguis coaluit, ſed concrevit etiam in loco, ubi portio Nitri paulo ſpiſſius jacuerat, ſeroſa ſanguinis portio, in valde tenacem mucidam conſiſtentiam: Tantum abeſt, ut ullum veſtigium fluiditatis, in ſanguine hoc apparuerit. Crediderim ſubeſſe errorem aliunde natum. Laudant aliqui Nitrum, pro ſanguinis diſpoſitione, ut thermoſcopiis adhiberi poſſit. Ad quem actum, cum fluxilitas utique requiratur, nata fortaſſis aliquibus eſt opinio, quaſi Nitrum fluiditatis conſervandæ gratia hic adhibeatur: cum non, niſi ad averruncandam putrefactionem inſerviat. Deinde potuit experimentum in eo quoque fallere, quod ſanguis talis, Nitro addito, ad hoc cum ipſo bene ſubigendum & diſſolvendum, diu concuſſus & agitatus fuerit; quo utique actu ad perennem fluxilitatem redit, quamlibet Nitrum imo acida ipſa, illi immixta ſint. Verſatur autem ob oculos, alterum, quo-*

tidianum coagulatorii effectus exemplum , *in gargariſmatibus* : *ubi ſi in febribus acutis* , *aphthoideæ & prunellæ inflammationes faucium* , *gargariſmatibus deliniuntur* ; *ſi his Nitrum non additur*, *ſuccedit mox repentina ſiccitas oris* : *ſi vero additur* , *præſentiſſime*, *& nudo aſpectu ſtatim* , *deprehenditur*, *ſalivalis quæcunque humiditas circa palatum & fauces* , *ita coagulaſcere*, *ut limpidi muci conſiſtentiam repræſentet* : *qui etiam durabiliore ſua humectatione*, *tanto magis ſolatur fauces*, *cito alias iterum areſcentes.* In hoc jam tantorum, ſolida rerum naturalium & medicarum peritia coruſcantium virorum diſſenſu ; cuinam propoſitarum ſententiarum accedere velit ac debeat juvenis præſertim medicus certe dubius hærebit , niſi tandem experientia ac ratio genuini rerum Phyſicarum & medicarum arbitri dubium ſolvant veritatemque recludant, quibus propterea etiam nos in dijudicanda propoſita quæſtione uſi ſumus.

§. VII.

Experientiam ante omnia , cum dictarum ſententiarum fundamenta in eadem quærantur , conſulendam eſſe arbitrati , experimenta , & quidem præſertim juxta præſcriptam ab utroque laudatorum virorum normam ſuſcepimus ; nitrum ſub forma , conditione ac proportione iisdem cum ſanguine miſcendo hocque in diverſæ figuræ & profunditatis vaſis profundiore altero , altero planiore , quo ſimul pateret num hæc aliquam mutationem in effectu afferant. I°. itaque ʒß nitri de p. contriti in pulv. impoſuimus vaſculo profundiori s: crateri. II°. Aliam ʒß nitri pulv. injecimus vaſculo planiori s: pateræ. III°. Solutionem ʒß nitri, mediante aquæ frigidæ ea tantum quantitate , quæ abſolute ad ſolvendum requirebatur, factam crateri & IV°. ſimilem ſolutionem pateræ immiſimus. V°. Talem ſolutionem nitri cum aqua calida crateri rurſus ac VI°. pateræ infudimus. His ita præparatis viro , ſanguinem valde ſpiſſum in corpore alenti morbisque inflammatoriis obnoxio , venam aperire curavimus, atque in ſingula enumerata aliaque , partim aquam frigidam & calidam continentia , partim vacua , ℥j. ſanguinis influere fecimus ſepoſuimusque. In vaſculis a nitro vacuis ſanguis poſt horæ ſpatium coagulatus & nigricans admodum erat , nullo plane ſero ſeſe oculis offerente. In vaſculis aqua frigida & calida repletis eodem modo ſe habebat ſanguis , niſi quod in ultimo aliqualis , vix tamen perceptibilis, coloris & conſiſtentiæ mutatio obſervabatur. In vaſculo No. Io. in parte ſuperna ſimilis illi, vaſculis vacuis excepto , in inferna vero fluidior & floridior deprehendebatur , maxima adhuc nitri portione in fundo indiſſoluta jacente. In vaſc. IIo ſanguis magis fluidus & floridus in fundo & in ſuperficie minus coagulatus quam prior , ſed gelatinam liquidiuſculam referens cernebatur. In vaſc. IIIo. ſanguinem

nem nullatenus coagulatum & nigrum, ſed fluidum valde & coccineum, ſimilem fere ſanguini e vena hominis ſani proſilienti, conſpicere licebat, aqua ſolutionis circumfluente & portione quadam nitri in fundo hærente. In vaſc. IV. ſanguis fluidior & floridior multo ſeſe exhibebat. In vaſc. V. & VI. major adhuc fluiditatis & floriditatis ſanguinis gradus obſervabatur. Denique ſanguini illi, patellis vacuis a nitro excepto, coagulato & valde nigro inſperſimus pulv. nitri, & ſenſim coloris exaltationem ac aliquam fluiditatem, eo, quo nitrum ſanguinem attingere poterat, loco, vidimus. Solutione dein nitri infuſa tali pateræ illico & fluiditatem & floriditatem inſignem conſpeximus Recenſita hæcce experimenta, quo magis veritatis convinceremur, non una tantum vice inſtituimus effectu ſemper enarrato modo reſpondente, niſi quod pro ipſius ſanguinis ſpiſſitudine majore vel minore magis vel minus evidens erat.

§. VIII.

Ex his jam experimentis ſponte eluceſcit quod cum ſanguis V. S. emiſſus, ſibi relictus, vel etiam aquæ tam frigidæ, quam calidæ immiſſus, in ſpiſſum, denſum nigrumque valde coagulum, nullo fluiditatis relicto veſtigio, abierit, nitri vero in quacunque forma admixto a concretione tali præſervatus, & jam concretus rurſus fluidior redditus fuerit; hæc fluiditatis & conſervatio & productio unice nitro adſcribenda ſit, quodque ideo hoc, quia fluiditas ſine reſolutione partium concipi ne quidem poteſt, vi ſanguinem & humores noſtros reſolvente inſigni reſplendeat. Porro, quia in tentaminibus præſertim 3. 4. 5. 6. & 8. cum nitro, aqua ſoluto, adeoque ad intimiorem cum ſanguine commixtionem diſpoſito, ſuſceptis, major fluiditatis gradus ac in experimentis 1. 2. & 7, cum nitri pulvere, dictæ commixtioni minus apto, inſtitutis, obſervatus fuit, conſtat exinde quoque nitrum eo validius ſanguinem reſolvere, quo intimius eidem miſcetur. Quum autem jam nitrum ſanguinem valde coagulatum; extra C. H. exiſtentem, & quidem tanto felicius, quanto melius cum eodem ſubigitur, reſolvere evidentiſſimum ſit, certe & eandem vim in ſanguinem, in C. H. adhuc hærentem, imo majorem exerere poterit ac debebit, præſertim calore & motu, tam humorum, magis adhuc fluxilium, inteſtino ac progreſſivo, quam ambientium vaſorum, intimiorem illam nitri cum ſanguine commixtionem, & inde dependentem reſolutionem, egregie hic adjuvantibus. Quod vero etiam nitrum noſtrum revera effectum reſolutorium in C. H. edat. uſus ejuſdem aperte ſatis loquitur. Quotidiana namque experientia abunde comprobat nitrum feliciſſimo cum ſucceſſu in praxi medica adhiberi tam in ſimplici ſpiſſitudine

ſitudine humorum, quam in plurimis exinde oriundis morbis, obſtructionibus nimirum & infarctibus vaſorum ac viſcerum, ſtaſibus & morbis inflammatoriis, variis affectionibus ſpaſmodicis, cruditatibus primarum viarum mucidis viſcidis, ſe- & excretionum præſertim urinæ ſuppreſſionibus, concretionibus etiam calculoſis & innumeris malis ſimilibus; in quibus omnibus, niſi egregia admodum vi reſolvente gauderet, nil plane ſalutaris efficere valeret, quin potius, ſi virtute coagulante præditum foret, longe majora adhuc damna neceſſario excitare deberet; cujus tamen contrarium experientia docet. Accedunt & notiſſima illa experimenta circa mutationem ſanguinis injectis in venas animalium variis corporibus, & inter ea quoque ſalibus mediis ipſoque nitro, a pluribus naturæ rimatoribus inſtituta, effectum nitri reſolventem ad oculum quaſi demonſtrantia, ex quibus vel ſolum experimentum MALPIGHII allegaſſe ſufficiet, qui *in fine tract. de Polypo Cord.* ab ℥vj. nitri in fluorem redacti & venæ jugulari canis robuſti infuſi copioſum urinæ fluxum, ſine ulla animalis noxa, dum poſtea adhuc diu integre viveret, ſe obſervaſſe teſtatur, quod ſane ſine inſigni humorum reſolutione fieri neutiquam potuit. Nec deeſt tandem ratio. Siquidem nitrum, uti alia ſalia media, ad quorum cenſum pertinet, non poteſt non partibus ſuis acutis, angularibus rigidisque, motu præſertim & calore in C. H. agitatis atque cum impetu in partes tam fluidas, quam ſolidas C. H. latis, propria partium gravitate, rigiditate & acutie illarum moleculas cohærentes mox ab arctiori contactu divellere, has vero ad vividiorem contractionem, quo in illas fortius agere easque majori vi premere & in corpore circumagere queant, ſtimulare; ſicque utroque hoc nomine humores noſtros reſolvere, hocque tanto efficacius præ reliquis ſalibus mediis, quanto magis nitrum rigiditate ac figura angulari & acuta partium ſuarum hæc antecellit.

§. IX.

Stabilita itaque ex rationis æque ac experientiæ fontibus Nitri virtute reſolvente, nunc quoque pauciſſimis adhuc ex Stahliana ſententia forſan enata dubia ſolvenda erunt. Quod igitur experimentum Stahlianum concernit, illius eventum, cum ſimilem, quavis licet, tam in eo exacte ad mentem Authoris adminiſtrando, quam in obſervando, occurrentia in eodem phœnomena, adhibita diligentia, nobis aliiſque, etiam oculatiſſimis arcanorum naturæ indagatoribus, obſervare non contigerit, quin potius contrarium cernere licuerit, merito in dubium vocamus, & colligimus errorem dicto experimento ſubeſſe, quiſcunque demum is ſit; quod etiam quivis, quem tentaminum noſtrorum 1. & 7. ſuſcipere non pœnitebit, nullo negotio cognoſcet. Quod vero ulterius

terius reliqua a Celeb. Stahlio prolata argumenta attinet, illa parvi admodum ſunt momenti. Sicuti enim illud a gargariſmatibus, Nitrum continentibus, in inflammationibus faucium, cum fructu adhibendis, deſumptum, id, quod probare deberet, non probat. Siquidem mucum illum limpidum circa fauces & palatum coagulaſcentem, a Stahlio pro effectu facultatis nitri coagulantis allegatum, non nitri ſed ipſius ſtaſeos humorum inflammatoriæ ſobolem exiſtere, atque tantummodo vel fauces jam obſidentem a nitro abſtergi, vel talem e glandulis, a nitro ad excretionem ſtimulatis, excerni nemo non videt. Ita & alterum e diſpoſitione ſanguinis per additum nitrum ad Thermoſcopia cum eodem conficienda, adaptata, protractum eodem laborat vitio, quum certiſſimum ſit, nitrum hoc in caſu tam ad averruncandam putrefactionem, quam ad fluiditatem in hoc ſanguine conſervandam adhiberi, dum ineptum plane ad hoc negotium eſſet, ſi facultatem coagulantem poſſideret. Et hæc ſunt pauca illa quæ pro ſalvanda nitri vi reſolvente hac vice in medium proferre placuit, quæ ſi minus bene exaſciata ſint palatoque B. L. minus arrideant, occaſionem tamen forſan ſuppeditabunt aliis altius hanc quæſtionem rimandi. Deo T. O. M. ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula.

CCXL.

GEOR. CHRISTO. DETHARDING
ET
NICOLAI HENR. KEMMA;
DE AQUÆ CALCIS VIVÆ USU
INTERNO SALUTARI.
ROSTOCH. 1746,

PRÆFAMEN.

AB *eo tempore, quo ars ſpagirica, præeunte* Theophraſto PARACELSO, *caput extulit, plane immutata fuit artis medicæ facies. Diæta, in qua plus fiduciæ, quam in medicamentis collocaverant veteres, vilipendebatur, & ſolis medicamentis, arte imprimis chemica præparatis, efficacia morbos debellandi ſumma tribuebatur. Cauſæ morborum in alcali & acido proportionem inter ſe invicem ſuperantibus quærebantur, & remedia huic theoriæ conformia opponebantur. Medicamenta, quæ, methodo ſic dicta Galenica, ægrotis olim præſcripta erant, abrogabantur, & horum loco alia, quæ utplurimum conciſa doſi, ſapore minus ingrato, odore haud nauſeoſo, & celerrima efficacia ægris magis arridebant, introducebantur. Raro ergo in pharmacopoliis præparabantur Apozemata, infuſa, pulveres vegetabilium, electuaria, conſervæ, roob &c. ſed elixiria, tincturæ, eſſentiæ, ſpiritus, pulveres concentrati, ſalia fixa & volatilia, olea ætherea, extracta &c. omnem fere paginam abſolvebant. Scholæ medicorum percrepabant ſolutionibus, deſtillationibus, extractionibus, cohobationibus, rectificationibus &c. imo ne quid deſit quidpiam, quod admirationem novitatis ſtudioſorum excitaret, nova & inſolita introducebantur nomina; quorſum referenda Gas & Blas* HELMONTII, *Aroph & Gilla* THEPHORASTI, *Alcaheſt* GLAUBERI *&c. Ut jam nihil dicam de barbaris denominationibus arcanorum chymicorum, quibus ſic*

ſic dicti Philoſophi per ignem credulis nubem pro Junone venditarunt. Sic v. g. ſolum antimonium ab illis nuncupatum fuit Nuſador, Nutrach, Lupus rapax, Aries chimicorum, Saturnus Philoſophorum, Ginacium, Æmit, Aſinat, Aitrucat, Alzavol, Alcimat, Kuhul, Firniſum mineralium, Cheſmel, Didmad, Gegarab, Larbaſon, Gynacum, Luyſari, Calimet, Cecilargium, Aleophie nigrum, Duenech, Lanalchios, Mirinomitna, Saphex, Stimmi, Nalas, Quebeli, Tarbaſon, Magur, Cygaſpe, Althamara, Neuſares, Meculbras, Mureſi, Aphroſclenus, Alkaſnal. Sed tædet plures denominationes afferre, quarum ſola lectio terrorem incutere poteſt. Verum enim vero, prouti omnia negotia humana viciſſitudinibus obnoxia ſunt, ita & cum hoc inſano ferme in chemiam amore contigit, ut imminuta pedetentim novitate, decreverit fiducia erga remedia, arte Paracelſiſtica parata, totque encomiis mactata, inprimis, dum eadem ſæpe numero corvos hiantes illuſiſſe obſervabatur. Quinimo ex infauſto ſubinde propinatorum remediorum heroicorum ſucceſſu, in contraria delabebantur non pauci, omnia chemica medicamenta e foro medico proſcribenda autumantes, relictis ſaltem Galenicis, utpote tutioribus, & multiplici veterum experientia comprobatis. An fallor, ſi dixerim, parilia fata habere calcem vivam, imprimis aquam ex hac paratam, quæ quoad uſum externum, tantum non omnibus, quoad internum vero, pauciſſimis arridet, vel huc usque minus nota eſſe videtur. Induci me ergo facile paſſus ſum, cum habeam Diſſertationem inauguralem conſcribendam, ut thema de viribus internis aquæ calcis vivæ elegerim. Obſervavi quidem in D. Joann. Frid. CARTHEUSER, Profeſſ. in Acad. Viadrina celeberrimi Pharmacologia Theoretico practica p. 294. mentionem fieri Diſputationis ſub ejus præſidio habitæ: de uſu aquæ calcis vivæ interno, aſt præter, quod copia eandem perlegendi mihi non fuerit conceſſa, dubito, an de remedii hujus uſu ſpecifico, quem mihi explicandum conſtitui, ſpecialia protulerit. Pariter Dn. BURLET in obſerv. Acad. Reg. Scient. p. m. 401. varia memorabilia de aqua calcis vivæ, ejusdemque uſu interno, cum orbe erudito communicavit, quæ tamen morbos maximam partem internos, phthiſin, aſthma, ſcorbutum, hydropem, febres intermittentes &c. tangunt. Actum proinde me agere non autumo, quando quæ circa exhibitionem hujus remedii, præſertim in morbis exanthematicis chronicis, notatu digna judicavi, in medium proferre decreverim. Faxit ſummum numen, ut hæc mea conamina in proximi ſalutem cedant! Tu vero B. L. feſtinanti condonabis calamo, ſi quando vel neglecta quædam, vel minus accurate conſcripta obſervabis.

THESIS I.

Aqua Calcis vivæ liquor limpidiſſimus, ſaporis auſtero dulcis, odoris fere nullius, ſolubilibus particulis terreo-ſalino-alcalicis, inque auras facile avolantibus imprægnatus, ex recenti calce viva, mediante infuſione cum aqua ſimplici paratus.

§. I.

Inſtituti ratio non permittit, analyſin calcis vivæ, ejusdemque elementorum, prolixis verbis formare, præter enim, quod in hunc usque diem inter producta chymica pertineat, quorum indoles & qualitates nondum ſatis perſpectæ; provoco ad Celeb. NEUMANNUM, utpote qui in *Prælectionibus chemicis* P. V. Cap. XIII. p. 153. ſedulum ſe exhibuit in ſubminiſtrando, quæ experimenta fida detexerunt. Sufficiat proinde, pro ſcopo meo indigitaſſe, ineſſe aquæ calcis vivæ terram ſubtiliſſimam ſale maximam partem alcalico combinatam. Alcalicam indolem detegit non tantum ſapor hujus aquæ acris & lixivioſus, verum & mutatio ſyrupi violarum vel aquilegiæ in colorem viridescentem. Purum vero & ſimplex ſal alcali ex aqua hac prolici non poſſe, tot experimenta chymica demonſtrarunt, hinc cum modo laudato NEUMANNO ſtatuendum, ſub calcinatione lapidum, calcariorum, fixum ſalis acidum cum particulis bituminoſis & terreis, ignis adminiculo, ita combinari & quaſi inuri, ut qualitas alcalica inde exſurgat, ab aqua affuſa penitus ſolvenda. Præſentia particularum terrearum ab hoc acido ſolutarum detegi poteſt, quando ſali alcalino fixo ſufficiens quantitas aquæ calcis vivæ affunditur, acidum calcis, relicta & præcipitata terra calcaria, alcalico ſali ſe inſinuat, & ſal neutrum in cryſtallos abiens conſtituit. Volatilitas denique horum principiorum exinde liquet, quod aqua hæc aëri liberiori diutius expoſita omnem ſaporem & virtutem amittat, imo ſub evaporatione tota abſumatur, nullo ſedimento relicto.

§. II.

Variæ calcis vivæ dantur ſpecies, ſed ex omnibus aqua ejuſdem bonitatis & uſui medico adæquata præparari poteſt. Illa enim, quæ ex calce conchyliorum paratur, non ita diaphana, ſed rudioribus terreſtribus, & viſcidioribus particulis referta exiſtit, guſtum minus afficit, quin

quin ſubinde plane inſipida obſervatur. Quæ ex terra calcaria in noſtris oris hinc inde reperibili, & mediante ignis tortura in calcem vivam converſa producitur, ſapore quidem & pelluciditate priorem quodam modo ſuperat, aſt cedit infuſioni calcis vivæ ex lapidibus calcariis confectæ, quæ ergo ſola præ uſibus tam externis, quam internis admittenda. Neceſſe autem eſt, ex recenti calce, aëri liberiori nondum expoſita, hinc nondum in pulverem fatiſcente, ſed ex fruſtis adhuc conſtante præparetur. Præſtat pro infuſione aqua pluvialis præ fluviatili vel fontana, quandoquidem partes ejuſdem ſubtiliores, nec tot heterogeneis rebus commixtæ intimius penetrant ſubſtantiam calcis, & terram talem ſubtilem fortius ſolvunt, imprimis, quando calide affunditur. Proportionem aquæ, calci affundendæ, quod concernit optimam cenſeo, quando ad unam partem calcis ſupra memorata criteria habentis, circiter octo partes aquæ ſumuntur. Pro uſu ſiquidem interno, dilutam paulisper aquam concentratæ præfero, ne palato ægroti ita ſit offendiculo, &, dum remedium chronicum exiſtit, in morbis chronicis adhibendum, diutius abſque nauſea aſſumi poſſit. Suadent nonnulli reiterandam infuſionem, ſed cum viribus a prima longe ſuperetur, minus neceſſariam hanc exiſtimo. Cui enim volupe eſt, languidiorem adhuc ægrotis propinare, affuſa nova aqua, diluere eandem ad lubitum poterit.

§. III.

Ne partes volatiles ſupra memoratæ facile in auras abeant, ab aeris acceſſu hæc aqua probe defendenda. Hinc non approbanda methodus in noſtris officinis uſualis, quando aquam calci vivæ in vaſe ligneo affuſam, a calce fundum petente, decantando non ſeparant, nec in vaſis idoneis recondunt, ſed ita relinquunt, vix operculo ligneo munitam, vana perſuaſione capti, fore, ut vires hujus aquæ, a ſubjacente calce eo diutius non tantum conſervari, verum & augeri poſſint, cum tamen experientia doceat, calcem, ſemel a ſufficienti quantitate aquæ elutam, fatuam plane eſſe, nilque virium aquæ communicare poſſe, niſi nova calcinatione acuetur. Avolant interim particulæ volatiles & aquam omnibus viribus orbatam in vaſe relinquunt, quam nec mercurius dulcis nigredine, nec ſublimatus aurantio colore tingit, prouti hac docimaſia bonitas aquæ calcis vivæ explorari ſolet.

§. IV.

Quando diu quieta relinquitur hæc aqua, in ſuperficie cremor apparet, alcalicæ itidem proſapiæ, qui ſub levi vaſis motu divellitur & pondere ſuo fundum petere ſolet. Detrahitur vere exinde magna

virtus huic aquæ, unde liquet, recenter paratam ſemper præferendam eſſe ei, quæ diu fuit aſſervata, & pro conſervatione ejuſdem eligenda eſſe vaſa anguſto collo prædita, ne tanta cremoris quantitas ſeſe ſeparare poſſit.

THESIS II.

Uſus aquæ calcis vivæ internus omni ſuſpicione noxiæ, deleteriæ & corroſivæ qualitatis vacat.

§. I.

Uſum aquæ calcis vivæ externum in ulceribus impuris, ichoroſis, gangrænoideis, venereis, cancroſis, calloſis, in ambuſtionibus &c. pro ſcopo abſtergendi, mundificandi, exſiccandi & conſolidandi, diu ſatis, imo ab HIPPOCRATIS temporibus notum fuiſſe, & in hunc uſque diem felici utplurimum cum ſucceſſu continuari, res eſt omnibus medicis & chirurgis notiſſima. Cum interna autem ejuſdem exhibitione aliter eſt comparatum. Veteribus plane incognitum fuiſſe pharmacum, ex ſcriptis eorundem liquet, in quibus altum iſtius obſervamus ſilentium. Recentiorum itidem quam plurimi nullam hujus medicamenti mentionem injiciunt, ſive quod virtutes ejuſdem ignoraverint, ſive in uſum, ex metu noxarum inde oriundarum, illud trahere non fuerint conati. Imo nonnulli pro periculoſo non tantum, verum & nocentiſſimo remedio venditarunt.

§. II.

Provoco ad ſcripta STAHLII, HOFFMANNI, BOERHAVII, quos communes Europæ in ſcientia medica Doctores jure appellare poſſumus. Quam enim ego ſcripta eorundem volverim & revolverim, & quam compererim, quod in chymia practica non fuerint hoſpites, magis regnaverint, nulla de aquæ calcis uſu, ad ægritudines internas tollendas fit mentio, etſi vires in externis affectibus egregiæ illos non latuerint. Unicum in HOFFMANNI *medic. Syſtem. Tom. IV. P. IV. p.* 318. it. *P. V. p.* 242. deprehendi locum, quo ex SPONIO *in Aphor. nov. Sect. V. aph.* 99. uſum internum aquæ calcis vivæ cum lacte commixtæ non quidem improbat, ſed ipſum hujus remedii ſæpe feciſſe periculum non videtur. Quod ad STAHLIUM attinet, hunc præceptorem ſuum amabilem ſecuti ſunt in tacendo de illa, genuini

nuini diſcipuli, celeberrimus D. *Michael.* ALBERTI, & famigeratiſſimus D. *Jo.* JUNCKERUS, Quam enim uberrimam primus habuiſſet occaſionem de illa loquendi, in *Diſquiſit.* de *Medicament. modo operandi in corpore vivo*, & quam operoſe ſe præſtiterit in illo evolvendo, nullam fecit calcis vivæ, multo minus aquæ ex hac parandæ vel propinandæ mentionem. Alter in *conſpectu medicinæ*, quem ad mentem genuinam Præceptoris conſcriptam eſſe, hic ipſe in præfatione teſtatur, tacitus præterit eandem, licet occaſiones permultæ fuiſſent, de illa differendi. Quod magis? nec in diſputatione de *calce viva*, Reſpondent. *Joa. Gerard.* CLASSEN, a 1733. Halæ habita (eſſe vero hunc laborem Præſidis, licet Authorem in rubro ſe venditaverit Reſpondens, facile conſtabit, ſi cum illo conferuntur, quæ *Tab.* 71. *Tom. II. Conſpect. chymiæ* adducta ſunt) quando progreditur ad uſum calcis vivæ medicum, & præparata ex illa viritim enarrat, qualia ſunt magneſia, ſapo philoſophicus, ſpiritus ſalis fumans, ſpiritus calcis vivæ &c. imo diffuſus valde eſt in utilitatibus medico-chirurgicis ad phyſicæ, rationis & experientiæ aliorum authorum ductum recenſendis, & poſtmodum de uſu aquæ calcis vivæ loquitur, laudat illam in diſcutiendis quibuſdam tumoribus & mundificandis ulceribus, ſed ne verbulo meminit, convenire eandem in morbis internis. Hinc a ſilentio hoc vincibili jure colligendum, aut aquam illam ſub externo uſu, nimis quantum valentem, non mereri attentionem in morbis internis ſanandis; aut non eſſe in uſum internum vocandum, quod damnoſa & deleteria exiſtat. Clarius diſſenſum ſuum exprimit Cel. SCHROEDERUS in Lib. III. C. 8. nam etſi negare non audeat, ſalutarem quandoque ab aqua illa effectum obſervari in tabe ex ulceribus internis, ſtatim tamen addit: *non eſſe, niſi circumſpecte admodum in uſum vocandum.* Monito huic ſubſcribit *Collegium medicum Argentoratenſe* in *Pharmac.* a. 1725. in lucem edita, dum præmiſſo teſtimonio, quod aqua calcis vivæ externe frequenter admodum in uſum veniat, hoc addit epiphonema: *eandem rariſſime dari interne.*

§. II.

Vel maxime hauſtui aquæ calcis vivæ ab omni tempore obſtitit, & hodiernum obſtat calcis vivæ indoles, quam cauſticam eſſe vulgus quoque novit, adeo, ut licet in alcohol ab aere humido abierit, & iners videatur, per novam exuſtionem corroſiva iterum evadat, & reddatur, vulgari loquendi modo, viva. Ex quo eſt, quod LANGIUS l. c. affirmet: *calcem iſtam ſemper liquorem ſaturatum relinquere acerrimum, & ob igneas ſuas in calcinatione acquiſitas partes maxime cauſticum:* porro concludat: *nunquam interne, ſed externe ſaltem a practicis*

ticis judicioſis adhiberi poſſe , ubi longe potentius incidat , reſolvat , ac attenuet, quam quidem omnes reliquos lapides. addit : *in liquore illo ſuperſtite adeſſe non tantum manifeſte ſalſum , verum præterea etiam adſtringentem & maxime nauſeoſum ſaporem, ex quo peſſimo phænomeno , niſi in externum uſum vocari debeat.*

§. III.

Allegantur ad cauſticam vim calcis vivæ probandam , exempla multa, quod ab illa, ſymptomata graviſſima , aliquando mors fuerint inſecuta, ſi ejus in interiora corporis penetraverit quidquam. Notabilis valde eſt caſus, quem Conſul Amſtelodamenſis *Nicolaus* TULPIUS, *obſerv. medic. Lib. III. c.* 41. de viro refert, qui una cum familia, quæ ſecum accubuerat, *in vertiginem, ardorem gutturis, vomitum, præcordiorum anguſtiam , aliaque præſentis veneni indicia* inciderit , quod ſcrutinio facto , *ex pariete recenter calce obducto , calcis efflorescentiæ in patinam ceciderint*; addito hoc epiphonemate : *ex ignea calcis vi accenſas fuiſſe fauces , perturbatum ventriculum , eroſa inteſtina , contractos nervos , aliaque ſymptomata, exurentis ardoris calci tribuenda.* Pariter in ſupra memoratis *obſerv. Acad. Reg. ſcient.* a Dn. BURLET p. 402. relatum legimus : *boves quoſdam ſitibundos, e fovea calce exſtincta repleta, aquam calci ſupernatantem hauſiſſe, & paulo poſt mortuos eſſe.*

§. IV.

Imo ſub forma halituoſa , madidam calcem attuliſſe damna peſſima , ſicubi homines in conclavibus pronuper calce incruſtatis ſomnum ceperint , hinc inde obſervationes in libris medicorum deprehenduntur , & quotidie per experientiam augentur. Quod plures ſimul infantes inde occubuerint , refert laudatus HOFFMANNUS in *Medic. rational. Syſtem. Tom. IV. Sect. II.* cap. 2. & incuſat *pernicialem virulentamque calcis in conſtringendis faucibus & viis ſpiritualibus vim.* Addit in majorem evidentiam noxiæ illius qualitatis , relationem de viro quinquagenario, qui in *gravem* inciderit , *& chronicam ſpirandi difficultatem , ſub aeris mutatione admodum invaleſcentem* , ex incuria , quod in camera calce modo obducta, ſomnum ceperit. Sed ante illum jamdum Profeſſor Gryphicus inclutus , & magnæ fidei , experientiæque Practicus *Franciſcus* JOËL *oper. medic. Tom. V. ſect.* 3. notavit , quod ex calcis vapore , nidoreve per inſpirationem intra corpus hauſto , tandem perierit vir illuſtris , quem *peripneumonia , catarrhus , tuſſis , & ſitis inextinguibilis* diu ſatis inde vexaverint; qua obſervatione noxiam illam calcis qualitatem, ſicubi corpus , ſit quo velit modo , intraverit ,

perpen-

perpendens, eo perductus eſt, ut admodum diſſuaſerit largiorem potum vinorum, quæ in loco calce ſcaturiente naſcantur, ut Hungaricorum, Gallicorum, & Miſnicorum, utpote a quibus affatim hauſtis eadem ſymptomata, quæ vapor calcis vivæ conciliaverat, imo febres ardentes, nervorum contractiones, paralyſes &c. obſervaverit.

§. V.

Verum enim vero, licet fidem hiſtoricam hiſce obſervationibus nullatenus derogare velim, quin mihi ipſi tales contigerint caſus, veritatem prolatorum corroborantes; me tamen judice, a nociva indole calcis, & vaporum ex ea prodeuntium, ad deleteriam qualitatem aquæ ab exſtinctione ejusdem pronatæ, nulla valet conſequentia.

§. VI.

Poſſem quidem pro roborando hoc meo aſſerto provocare ad hiſtorias horum, qui calcem parietibus obductam, imo & vivam, manipulatim & citra noxam devorarunt. Sic *Daniel* HORSTIUS refert Picæ hereditariæ exemplum, in filia decenni Comitis Solmenſis, quæ a teneris calcem undique corraſit & deglutivit. *Lib. IV. Obſervat.* 7. Ex relatione Phyſici Ratisbonenſis, *Martini Chriſtoph.* METZGERI devorantem innoxie calcem vivam allegat *Joa. Jacob.* KNOPF in *Diſſert. de pica cap.* 4. De viro quodam nobili mirabundus narrat Celeb. FERNELIUS Pathol. Lib. VI. cap. 3. qui calcis vivæ deſiderio jam diu preſſus, illam tandem pugni magnitudine devoraverit, non inde vel de ventriculi, vel inteſtinorum læſione conqueſtus, ſed recreatus valde. Memorabile itidem exemplum pueri Svinfurtenſis ſex annorum affertur in *Miſcell. Acad. Natur. Curioſor. Dec. I. a.* 1. *obſerv.* 83. qui murarii filius, a tempore ablactationis cretam, arenam, pulverem ex angulis hypocauſti collectum avide deglutivit, nec vel minis, vel verberibus, vel adhortationibus qualibuscunque inde arceri potuit, ſed adultior factus, præter alia inſolita, non modo calcem de parietibus, ſed calcem quoque vivam lætus ori & ventriculo tradidit, citra quod ullas inde ſenſerit moleſtias &c. Cum vero hæc adducta exempla ad caſus non imitandos, imo certo reſpectu, ad myſteria naturæ pertineant, in hunc usque diem animos philoſophantium urgentia, nolo hiſce inhærere. Sufficiant ſaltem ad probandum, non tantam eamque abſolute deleteriam ineſſe calci efficaciam, quanta vulgo eidem tribuitur.

§. VII.

Quandoquidem ergo inſtituti ratio non poſtulat, calcis ipſius, ſed

ejus producti, nempe aquæ per extinctionem calcis paratæ, indolem non tantum innoxiam, ſed potius ſalutarem ob oculos ponere; conſideranda primo veniunt elementa hujus aquæ, quæ ex particulis terreo-ſalino-alcalicis intime cum invicem combinatis, conſtare, ſupra evictum dedi. In terra ſubtiliſſima, mediante additione ſalis alcalici detegenda, vid. p. 5. nulla reſidet vis cauſtica, & oppilans, ſed hæc omnis fere ſaporis & odoris expers exiſtit. Partes ſalino alcalicæ, tantum abeſt, ut noceant, ut potius in reſerandis obſtructionibus, reſolvendis tumoribus, incidendis viſciditatibus, & expellendis heterogeneis rebus, omnibus congeneribus remediis quandoque ſint præferendæ. Ex quo unico fere fundamento, Celeb. HOFFMANNUS aquas minerales, in quibus primus ſal alcalinum detexit, tantopere, totque ſcriptis commendavit, & has ſubinde cum lacte miſcendas juſſit, quæ methodus in hunc usque diem, cum inſigni efficacia ab ægrotis continuatur.

§. VIII.

Si porro experientiam, tamquam alterum medicinæ fundamentum conſulere velimus, ſint in exemplum producta bina chymica, omnium in manibus verſantia, *Saccharum* puto & *Saponem*, quem *venetum* appellare ſolemus, hæc bina corpora abſque additione aquæ calcis vivæ conſiſtentiam ſolidam adiſpiſci nequeunt, & tamen, imprimis ſaccharum, tantum non ſingulis diebus, & ſaporis oblectandi, & ſanitatis recuperandæ gratia, interne citra ullam noxam aſſumuntur. De ſapone in ſpecie notandum, eundem, licet admixtione ſalis alcalici & aquæ calcis vivæ acrimoniam inſignem fuerit adeptus, nihiloſecius magno cum emolumento, tamquam deoppilativum, in menſium remora, obſtructionibus glandularum meſenterii, ictero, aſthmate humido, dyſuria, item a nonnullis pro ſcopo abſtergendi, in gonorrhœa, fluore albo, diarrhœis, dyſenteria, febribus lentis &c. in uſum trahi ſolere.

§. IX.

Quod denique pro innoxio, ſi non ſalutari aquæ calcis vivæ hauſtu valde militat, eſt, quod in hunc uſque diem ne unicum quidem exemplum infauſti ſucceſſus allegari poſſit, licet indies, ad tres, uſque ad ſex uncias, per multos dies, imo menſes, fuerit aſſumpta, modo ponderatis probe indicantibus & contraindicantibus, hæc cura fuerit inſtituta.

§. X.

Reſtat adhuc, ut paucis exponam, a vaporibus parietum calce recenter

recenter incruſtatorum noxiis, ad deleteriam indolem aquæ calcis vivæ concludi nequaquam poſſe. Sæpe laudatus HOFFMANNUS in *Med. Rat. Syſtem. Tom. II. cap. IV. p.* 298. iisdem attribuit ſubtiliſſimam acrem & corroſivam indolem, quæ nervoſis partibus in arteria aſpera & in capite altius ſe inſinuans, ſpaſticis ſtricturis & commotionibus anſam ſuppeditare poſſit. An autem talis acris & corroſiva qualitas demonſtrari poſſit, valde dubito, & experientiæ hujus viri relinquo. Hoc certiſſimum, in vaporibus ſub exſtinctione calcis vivæ exhalantibus, tale corroſivum reperiri non poſſe, quin potiſſimam partem, vi experimenti a NEUMANNO facti, alcalicæ indolis exiſtant, hinc ſyrupum violarum colore virideſcente, & mercurium ſublimatum flaveſcente colore tingant. Crediderim ergo, hiſce vaporibus ineſſe Gas aliquod ſulphureum ſpecificæ indolis, quod nulla encheireſi chymica colligendum & ſenſibus exhibendum, interim tamen ſub exſiccatione calcis, in aërem ingredi, & in conclavibus arcte clauſis coacervatum, capiti, generi nervoſo, & præſertim negotio reſpirationis magnum præjudicium afferre potis eſt. Sint in exemplum vapores ex cereviſia & muſto fermenteſcente prodeuntes, virulenta indole exhalationes calcis vivæ longe ſuperantes, ita ut in loco occluſo cumulati, fere in momento animantia omnibus ſenſibus privare, imo jugulare poſſint; nihilo tamen ſecius & muſtum & cereviſia in fermentatione tali conſtituta absque ſenſuum obnubilatione & absque ſanitatis vel vitæ diſpendio hauriuntur. Obſigno hæc verbis *Joa. Gotſchalc.* TRANÆI, in *Diſſert. inaugural. de Calce viva Lutet. Pariſ. a.* 1685. *habit* §. 27. notatu dignis: *Calx a nonnullis tam in medicamentorum additione, quam in noviter exſtructis ædibus culpatur. Verum illi ipſi non attendunt, quod in medicamentorum præparatione illa non noceant, quatenus medicamenta cum calce præparata intro non aſſumuntur, ſed externe applicantur. Deinde additamenti loco ea admiſcentur, ut ejus interventu particulæ craſſiores majorem exaltationem concipiant: unde particulæ per mutuam partium colliſionem evectæ, tam exactam ſubtilitatis naturam acquirant, ut nullo modo accredine ſua corpori humano noxiæ eſſe poſſint: quia nunquam particulæ exaltatæ nobis aliquam inferre ſolent injuriam, quamdiu debito vehiculo mixtæ per corpus noſtrum deferantur: Quod dicant, recenter exſtructa ædificia halitus tetros & nocivos ſemper de ſe emittere, qui per inſpirationem attracti, ſua vellicatione ſpongioſam pulmonis ſubſtantiam lædant? Ad ea reſpondemus, quod hæc actio non immediate a calce dependeat, ſed ab acido acriore ipſius aquæ intra partes cæmenti ſtagnantis, effluvia ſua (uſque ad omnimodam ſui evaporationem) de ſe emittentis, quæ non aliter agunt, quam ſi ex palude ſtagnante elevata eſſent.*

THESIS III.

Vires primariæ aquæ calcis vivæ intus aſſumtæ ſunt abſtergentes, diureticæ, diaphoreticæ, antacidæ, deoppilativæ; hinc exulcerationibus internis, dyſenteria, hydrope, cachexia, obſtructionibus, infarctibus glandularum, aſthmate humido, & hiſce affinibus morbis, debita cum circumſpectione propinata, egregiam opem præſtant.

§. I.

Remota nunc omni ſuſpicione deleteriæ & noxiæ qualitatis aquæ calcis vivæ, ordo jubet, ut virtutes ejuſdem medicas paullo curatius evolvam, & ratione & experientia corrobandas. Repoſitas eaſdem eſſe in terra ſalino-alcalica, ex ſupra allatis ſponte ſua ſequitur, nihilo tamen ſecius differentiam quandam ſpecificam huic medicamento ineſſe, in aliis alcalicis non reperibilem, vel exinde patet, quod in auras avolet, & tamen ad ſalia alcalica volatilia ſtricte ſic dicta nequaquam referre poſſit, ut alia argumenta brevitatis ergo taceam. Concludendum ergo ex ſubtilitate harum particularum, eaſdem virtute longe antecedere remedia, quæ ejuſdem indolis eſſe videntur, & pro parili ſcopo in uſum trahi ſolent.

§. II.

Liquoribus ſale alcalico & fixo & volatili imprægnatis ineſſe efficaciam, ſanguinem ſpiſſum reſolvendi, & hujus fluorem reſtituendi, nemo forte eſt, qui negaverit. Si enim debita horum quantitas ſanguini coagulato affunditur brevi temporis ſpatio non tantum colliqueſcit ſanguis, verum & rubedinem majorem obtinet. Cum lacte commixti, hujus coagulationem impediunt, & viſcidis humoribus ſociati, hos attenuant. Neceſſe ergo eſt, ut itidem hæc aqua, ſanguini hominis viventis commixta, & mediante hujus circulo, quaqua verſum diſtributa incidendo viſcoſitates, attenuando ſanguinem in coagulum pronum, eundemque ſtagnantem & ſtaſin minitantem propellendo, & pariter deoppilando obſtructiones, ſubinde opem præſtet deſideratiſſimam.

§. III.

Pro ſcopo diuretico, ſalia alcalia tantum non ſingulis diebus in uſu trahi

trahi res eſt omnibus Medicis Clinicis notiſſima, utpote qui nunc lixivia ex cineribus vegetabilium, nunc tincturas alcalicas tantum e. g. tincturam antimonii tartariſatam, tincturam tartari, nunc ſalia herbarum per incinerationem parata &c. cum fructu ægrotis propinant. Quidni aqua calcis vivæ eidem uſui eo magis inſerviret, quo magis ejus blanda vis alcalica, hæcque magis volatilis, demulcendo particulas acres, eiſdem per tubulos renales non tantum, verum & in diſpoſitis, per peripheriam corporis exitum procurat.

§. IV.

Ex hiſce allatis inſimul liquet, antacidam, ut & abſtergentem indolem eidem competere poſſe, illa in alcalico itidem principio deliteſcit, acidum infringente, hæc in terra ſubtiliſſima eidem ſociata quærenda, quæ leviter inſimul adſtringit, id quod ſub deterſione ulcerum externorum, horumdemque exſiccatione, manifeſte apparet.

§. V.

An ergo hæ, an adhuc aliæ rationes, an vero ſola empiria Medicos pellexerint, ut aquam calcis vivæ in uſus internos traxerint, ſicque experientiam theoriæ adjunxerint, aliis dijudicandum relinquo. Sufficit indigitaſſe, in Anglia primum ejus exhibitionem innotuiſſe, poſtmodum ad Batavos tranſiiſſe, nunc vero & in aliis terris hinc inde cum euphoria continuari.

§. VI.

Omnium primo ergo memorandus venit celeberrimus Londinenſis Practicus, *Richardus* LOWERUS. Hic, qui immortalem nominis gloriam ſibi comparavit, communicando cum amicis, hinc & cum aliis arcanum, quo ſe ipſum ad ſummam ſenectutem perveniſſe ſcribit, alium vero vitam ad annum uſque centeſimum vigeſimum protraxiſſe refert, potum nempe avenaceum, Germanis ad ſimilitudinem decocti lignorum, *die Haber-Cur* dictum: etiam fortaſſis author eſt decocti calcis vivæ cum aqua ſimplici. Ad lithiaſin quippe primo illud commendavit, ut abhinc varias alias ſpecies admiſcuerit, tam ad virtutem exaltandam, quam ſaporem ingratum corrigendum, ex ligno ſaſſafras, radice liquiritiæ, paſſulis majoribus & minoribus, ſeminibus aniſi, fœniculi, vid. *Joann. Helfric* JUNCKEN *Corp. Pharmaceut. p.* 81; poſtmodum, obſervando aquæ illius vix ſperatas vires, præſcripſit eandem cum felici eventu in ſtrumis, hydrope, tympanite, ulceribus chronicis, fiſtulis &c. teſte Authore *des Engliſchen Artzney-Buchleins* p. 16.

 Tanta

Tanta experimenta fecerunt quoque, ut in *Pharmacopœa Bateana*, quæ Londini a. 1691. typis impreſſa eſt, extollatur non modo generatim in plurimis caſibus, ſed ſpeciatim in faciei rubore, puſtulis, aſthmate phthiſi, empyemate, dyſenteria maligna, tumoribus ſcroti aquoſis, fluore albo, arthritide vaga, ephelidibus, herpete, gangræna, oedemate, tumoribus genuum & tibiarum, ulceribus omnibus cum affluxu humorum; ſpecialiſſime in diabete curando. Quo circa notandum, an ad remedium iſtud vulgo celandum, aut ab hoc ex præconcepta opinione, quaſi noxium foret, haud vilipendendum, alii judicent, quod Auctor *Georgius* BATEUS, affundendum calci liquorem, nomine inſolito *Hydro-pegum* compellari voluerit. Eidem adjecit ſimplici præparationi, aliam, quam compoſitam vocat, & quæ a Loweriana parum differt. Non abludit ab his conſiliis illuſtris BOYLE in Lib. de *ſpecificis*, quando exiguam ſaltem mutationem addendorum remediorum pharmacopoeis ſuadet, v. *Artzney-Büchlein* l. c. & ut ſpecificum in ſtrumis commendat. Quod ad *Pharmacopœam Edinburgenſem* attinet, huic Collegium Medicum inſeri itidem voluit præparationem aquæ calcis vivæ, tam ſimplicem, quam compoſitam, ut immergantur lignum & cortex ſaſſafras, nux moſchata & glycyrrhiza, & colaturæ addatur Syrupus Balſamicus, qui pro baſi habet Balſamum Tolutanum. De *Thoma* WILLISIO in tractat. de *Medicamentorum operationibus ſect. IV. C.* 4. legimus, eundem, præmiſſo tam pulvere, quam electuario, ad ſanguinem incraſſandum & fuſionem hujus tollendam apto, & ab ipſo commendato, pro ſanguine reducendo, ſive figendo, hanc aquam in diabete extollere, & quemquam hoc morbo laborantem, ab illa ter in die hauſta convaluiſſe. Nec reticendus inter Anglos, fautores hujus aquæ, in ſcholis medicis, vel maxime ex erotomania corticis chinæ famoſus *Richardus* MORTON, utpote qui in *Operibus medicis Amſtelod.* 1696. excuſis *Tom. III. cap.* 4 ad morbillorum reliquias in glandulis, ex quibus ſtrumoſi tumores ſurgere poſſint, & ſoleant, auferendas, ter de die decoctum ſarſæ commendat, ad uncias duas uſque ad ſex capiendum, in quo calx viva fuit extincta.

§. VII.

Felix ergo ſucceſſus hujus methodi facile permovere potuit vicinos Batavos, ut tentamina parilia inſtituerint. Sic enim in ſupra memotis *obſerv. Acad. Reg. Scient. Pariſienſ.* a D. BURLET relatum legimus; in uſum vocatam eſſe hanc aquam a Batavis, in ca hexia, colore pallido, obſtructionibus hepatis, lienis, ſcorbuto, hydrope &c. „ Mixturam ejuſdem cum tinctura metallorum, pellendo per vias urinarias & ſanguinem valide fundendo, ſcorbuticis & hydropicis auxi-

„ liatri-

„ liatrices manus egregie tuliſſe. Ab ulteriori additione aloës & croci „ martis, efficax remedium exſtitiſſe in colore pallido. Cum reſina ja„ lappæ inſuper acuatam, purgans fuiſſe optimum pro hydropicis, in juſ„ culo vel ſucco braſſicæ rubræ aſſumendum. In febribus intermittenti„ bus, aquam hanc cum china chinæ, & tincturæ metallorum aliquot „ guttis, pro febrifugo longe certiori fuiſſe venditatum &c.

§. VIII.

Ex Gallis, inveni ſupra memoratum SPONIUM, item, præter Medicum Pariſienſem inclutum, *Stephanum Franciſcum* GEOFFROY, ſupra laudatum BURLETUM, qui hanc aquam in uſus internos traxerunt. *Ille* enim Tom. I. MORTONUM ſecutus, de hac aqua in ſanandis exulcerationibus præſtabili judicat: *ætiologiam virtutis ſalutaris quærendam eſſe in ſale calcis, a quo tota maſſa ſanguinis miteſcat, ut novus chylus ſanguini ſe aſſociet, fluxio chyli ad partes ulceratas fiat minor, & conſequenter expeditior ulcerum ſanatio.* *Hic*, exemplis allatis, ejuſdem uſum internum cum lacte commixtum in aſthmatico, & dyſenterico admodum proficuum fuiſſe refert, & inſuper in ulceribus internis & externis, hæmorrhagiis, & alvi fluxibus, menſibus nimiis, fluore albo, omnibuſque relaxationibus vaſorum, imo in ſtranguria venerea optimum exeruiſſe effectum narrat, licet ſincere inſimul aſſeveret: *quod ſæpe effectus ejus non reſponderit votis, quemadmodum & cum aliis excellentibus remediis non raro contingit, nunquam vero mala excitaverit, aut ægrotis noxia quocunque modo extiterit*, prouti & bina exempla phthiſicorum & infantum ſcrophulis infeſtatorum affert, in quibus hoc remedium irrito cum ſucceſſu fuit adhibitum.

§. IX.

Inter Germanos, uſum aquæ calcis vivæ internum non ita frequentem eſſe, ex ſcriptis eorumdem liquet, utpote in quibus ſparſim ſatis veſtigia ejus deprehenduntur. Præter ſupra laudatum CARTHEUSERUM, nominandus mihi erit *Jo. Henricus* COHAUSENIUS, qui in *Neotheæ ſect. VII. Cap.* 2. *p.* 428. itidem hanc aquam in podagra, ſcorbuto, cachexia, hydrope, febribus, phthiſi & ulceribus internis, ſub forma infuſi thei formis, vel cum foliis thee vel cum aliis herbis convenientibus acuandi ſumptam, vel cum lacte commiſcendam admodum commendat, ſeque non tantum, verum & ex Germanis MEIBOMIUM, KONIGIUM, alioſque, multiplicem & egregiam exinde efficaciam deprehendiſſe refert. Suadet inſuper additionem balſamicorum remediorum, neceſſitate id exigente, e. g. ſub inſultibus nephriticis & calculoſis,

loſis, tincturam balſami peruviani, in vitiis pectoris eſſentiam myrrhæ balſamicam & opobalſamum; in capitis affectibus liquorem C. C. ſuccinatum &c.

§. X.

Poſſent dubio procul plura adhuc exempla & teſtimonia clinicorum fide dignorum in medium afferri, ex quibus innoxius non tantum, verum & ſalutaris admodum, & proficuus uſus hujus aquæ conſtaret. Aſt, cum otium mihi jam non conceſſum, plura medicorum volumina evolvendi, & inſuper modo allegatos authores, tanquam teſtes omni exceptione majores reputem, ſupervacaneum duco, veritatem hanc, ratione & experientia munitam, ulteriori argumentorum cumulo corroborare.

§. XI.

Veniam tamen me impetraturum ſpero, ſi exempla quædam, quæ Dn. Præſes circa hanc methodum mihi ſuppeditavit, adduxero: vir generoſus ſucci plenus, temperamenti ſanguineo phlegmatici, a vomica pulmonum ex inproviſo rupta, & magnam quantitatem puris effundente, ingentem valetudinis ſuæ obſervabat mutationem; conquerebatur enim de ſenſu compreſſorio illius lateris, in quo vomica delituerat, rejiciebantur per tuſſim indies purulenta, ſtriis ſanguineis permixta, hiſce ſe jam ſociabant phlogoſes, & pulſus celerior, febris lentæ incipientis teſtis. Verbo, jam aderant phthiſeos ſigna pathognomica. Huic, præmiſſo laxante, & ſubjuncta venæſectione revulſoria in pede, propinabatur aqua calcis vivæ, cum anatica quantitate lactis bubuli commixta, indies ad uncias ſex aſſumenda. Paucis dierum intervallis, levamen exinde ſentiebat, expectoratio nempe pedetentim imminuebatur, quæ rejiciebantur, colorem flaveſcentem in album commutaverant, nullæ ſanguinis ſtriæ cernebantur, ſenſus compreſſorius ceſſabat, febris mitigabatur, denique ſub continuato ad tres ſeptimanas remedii hujus uſu, modo quod ad alvum obſtipatam laxandam infuſum mannatum interponeretur, cum ſanitate in gratiam redibat plenarie, & in hunc uſque diem athletice vivit. Pariter fœmina, obeſi corporis habitus, poſt partum difficilem experiebatur, uteri læſas partes in exulcerationem abiiſſe, teſte imprimis ſanie fœtidiſſimi odoris, indies e genitalibus haud exigua quantitate profluente; propinabantur ergo mundificantia, traumatica, balſamica, ſub forma, infuſi, eſſentiarum, pillularum ad normam Becherianarum præſcriptarum &c. ſed in caſſum, quantumvis enim ſolatium aliquod exinde perſentiſceret, nec tanta puris excretio obſervaretur, radicitus tamen malum exſtirpari non poterat, quin languor totius corporis, imprimis artuum, greſſum ſubinde impediens, ulterius auxilium indicaret. In uſum

ſum ergo trahebatur aqua calcis vivæ cum radice chinæ & ſarſaparillæ decocta, interpoſitis quandoque pillulis balſamicis, & en! octodecim dierum ſpatio ceſſabat penitus ichoris profluvium, vires cum florido corporis habitu redibant, & elapſo abhinc anno, puellam enixa, nullas in puerperio ſentiebat moleſtias.

Vel maxime in atrophia infantum, ex obſtructione glandularum meſenterii oriunda, uſum aquæ calcis vivæ ſalutarem deprehendit Dn. Præſes. Multiplici quidem experientia edoctus, ſpecificam contra morbum hunc latitare efficaciam, in foliis hederæ arboreæ, ſive ſub forma pulveris, ſive infuſi aſſumantur, aſt ſi, neceſſitate id exigente, aqua calcis vivæ hiſce maritatur, de certiori & citiori medela vix ſupereſſe dubium, refert, ſi modo tempeſtive adhibeatur, nec laxantia ſalibus digeſtivis acuata, & ſemicupia negligantur. Poſſem pluribus adhuc exemplis energiam remedii hujus evincere, ſed ne tædium lectori conciliem, hæc allata ſufficiant.

THESIS IV.

Aqua Calcis vivæ interne adhibita in morbis exanthematicis chronicis & frigidis ſpecificam energiam poſſidet.

§. I.

Ex indole & partibus conſtitutivis aquæ calcis vivæ ſupra deſcriptis, vel me tacente, conſtat, ejuſdem uſum in morbis exanthematicis febri acuta ſtipatis e. g. variolis, morbillis, purpura, petechiis &c. concedi tuto non poſſe. Vehementia namque morbi, qualitas materiæ peccantis, & methodus, quam natura ſub expulſione horum exanthematum obſervat, non admittere videntur iſtius-modi remedia, quæ correctioni perverſæ qualitatis humorum non inſerviunt, ſed potius æſtum augere, & typum morbi vel invertere, vel ſaltem irregularem reddere valent.

§. II.

Nec in quibuscunque morbis exanthematicis chronicis indiſtinctim aquam hanc adhibendam eſſe cenſeo. Si enim in porrigine ſenum hæmorrhoidali, zona ignea, ſcabie venerea, gutta roſacea & lichenibus urentibus & inflammatis porrigeretur, metuerem, ne ſubinde loco ſperatæ convaleſcentiæ, ægroti in deteriorem ſtatum reducerentur. Hi ergo morbi exanthematici uſum aquæ calcis indicant, qui colluvie ſeri

viſcidioris, acris & rodentis ortum trahere ſolent, quales ſunt ſcabies imprimis humida, herpes miliaris, effloreſcentiæ ſcorbuticæ pruriginoſæ, impetigo, cruſta lactea, achores, elephantiaſis &c.

§. III.

Conſtat ſiquidem ex accurata phœnomenorum morbos hos cutaneos ſtipantium conſideratione, cauſam exanthematum talium repoſitam eſſe in ſero acri ac viſcido, quod vel a natura, ad ſanguinem & viſcera ab illo liberanda, ad peripheriam proſcribitur, vel per contagium cuti communicatum, tubulis ejuſdem ſe inſinuat, vel a tranſpiratione inſenſibili ſufflaminata, in poris ſtagnat, & mora hac acrimoniam inducit.

§. IV.

Viſcida indoles apparet in ſanguine horum ægrotorum per venæſectionem educto, quippe qui, ſimulac refrixit, in coagulum tenax & vix devellendum abire ſolet. Acrimoniam hujus ſeri detegit non tantum eroſio cutis adhuc dum ſanæ, quando ex puſtulis prodiens ichor eandem contaminat, verum & inſignis pruritus & dolor partium affectarum, quando fibrillæ nerveæ cutaneæ ab illo vellicantur & lancinantur.

§. V.

Non me fugit, intercedere inter qualitates materiæ hujus peccantis ſpecificam differentiam; ut aliter ſe habeant exanthemata ſcorbutica, quam ſcabioſa, hæc iterum ab achoribus & cruſta lactea diſcrepent, & ſic porro. Verum diſputationi meæ præfixos limites tranſcenderem, ſi indolem uniuſcujuſque morbi, cauſas & phænomena ſigillatim recenſere vellem. Sufficiat, ad ſcopum meum attingendum, expoſuiſſe, in hoc tertio convenire omnes hos pruriginoſos & puſtuloſos affectus, ut ab acri rodente & viſcoſo ſero ortum ſuum capiant, quatenus vel in cute tantummodo nidulatur, vel cum ſuccis in corpore circulantibus ſit commixtum.

§. VI.

Ad cauſas, hocce ſerum impurum excitantes removendas, ſerum ipſum colligendum, a reliquis humoribus ſeparandum, & cutim mundificandam, varia a Medicis afferuntur remedia, quæ laude ſua nullatenus quidem privanda, interim tamen aquæ calcis vivæ non præferenda judico, quin potius, certis datis circumſtantiis, ab hac, & ſecuritate

curitate, & citiori medela ſuperentur. Huc pertinent hic dicta aperientia, diuretica, præſertim alcalina, diaphoretica, abſorbentia, purgantia, mercurialia; imprimis mercurius dulcis, & ſulphur tam externe quam interne exhibitum. In recenſendis his nolo eſſe occupatus, in omnium quippe Practicorum libris proſtant abunde, ſubjuncto eorundem uſu.

§. VII.

Experientia vero multiplex cum tædio docet quam fallax, & inſufficiens quandoque, ne dicam nociva, ſit hiſce remediis inſtituta curatio, imprimis in inveteratis morbis cutaneis, & infantum pruriginoſis & puſtuloſis affectibus, quando tandem ad ſalivationem mercurialem, tanquam ad ſacram anchoram confugere, fuerunt coacti medici, vel quaſi deſperabundi, mediante illinitione cum ſulphure auxilium quæſivere.

§. VIII.

In ſpecie monendum eſſe duco, uſum mercurii dulcis, tenellis infantibus ſub achoribus, vel cruſta lactea, vel impetigine propinati, raro ſalutarem deprehendi, quandoquidem, ut verbis HOFFMANNI „ in *Medic. Syſtemat. ſupplement.* Cap. 1. §. 22. utar, partim gravitate „ ſua hinc inde plicis ventriculi & œſophagi firmius adhæreſcit, partim acceſſu bilis acrioris & corroſivi acidi, vehementiorem, eamque „ plane corrodentem naturam induit, unde tonus inteſtinorum mirifice „ non tantum læditur, ſed ad morbos quoque, ex debilitate generis „ nervoſi & ſpaſmis oriundos, via panditur: inque eo magis, ſi in- „ fantibus, qui corroſivam colluviem, ex fecum virore & torminibus „ judicandam, fovent, temere propinatur. Idem fere effectus metuendus, quando nutricibus mercurialia exhibentur, ut mediante lacte ab infante ſugendo, corpus tenerum expurgetur, experientia enim docet, infantes exinde ſæpe pejus ſe habuiſſe, torminibus fuiſſe excruciatos, imo in convulſiones incidiſſe.

§. IX.

Quod uſum mercurii & ſulphuris externum concernit, infidum eundem & deleterium ſubinde fuiſſe, annales medicorum referunt, & quotidiana exempla proh! corroborant, imprimis, quando haud prius purgato corpore, cuti applicantur. Retropelluntur ſiquidem exanthemata, ſerum viſcidum & acre interiora corporis obſidet, atque affectus excitat priori longe deteriores, imo quandoque lethiferos, quales ſunt anguſtia præcordiorum, reſpirationis difficultas, amauroſis, pal-

 pitatio-

pitationes cordis, cardialgia, paralyſes, catharrhus ſuffocativus, febres anomalæ, œdemata, cachexia, anaſarca, convulſiones &c. Sic nuper contigit caſus in virgine quadam, quæ ad puſtulas faciem deturpantes delendas, unguento de pomis cum mercurio præcipitato albo, & floribus ſulphuris mixto, uſa erat, aſt ſpatio 24 horarum in anæſtheſiam ſiniſtri lateris incidebat.

§. X.

Ab uſu aquæ calcis vivæ, hæc aliaque ſymptomata non metuenda, blandum nempe ſal alcalinum in hac aqua dilutum omnis vehementis reactionis expers exiſtit, potius acrimoniam ſeri admodum temperat, & edulcorat, viſcoſitates incidit & attenuat, ſicque præparatam hanc materiam, per colatoria corporis organa, imprimis per renes, tum quoque peripheriam corporis ſucceſſive educit. Et dum in ſimul abſtergentem & exſiccantem indolem poſſidet, raro externis remediis opus eſt, quin puſtulæ, aliæque efflorescentiæ, fomite acri orbatæ, benigniores reddantur, & demum exſiccatæ, ſua ſponte decidant. Nec extremam aquæ calcis vivæ applicationem tanta damna, recte monente D. JUNCKERO in *Conſp. Medic. Tab. XCI. p.* 746. excitare poſſe, experientia docet, niſi frigida admodum exiſtat. Salutarem namque effectum ejus deprehendi, præſertim, ſi cum radice Enulæ vel Lapathi acuti fuerit decocta.

§. XI.

Si catalogum obſervationum, veritatem allatorum corroborantium ſubnectere vellem, Lectori forſitan tædium conciliarem, mihique tempus perderem. Non poſſum tamen non, quin in ſpecie referam, in ſcabie fœda & impetigine maligna, quæ tenellos infantes in noſtris oris quandoque miſere excruciare ſolet, quamque noſtrates *den Darm-Grind* vocare aſſolent, me aqua calcis vivæ nutricibus propinanda, nil obſervaſſe præſtabilius. Conſtat omnibus clinicis, quanta moliantur mulierculæ, in averruncando ſontico hoc malo, & quam inepta ſubinde in uſum trahant remedia, imo nociva, ut non raro mors miſeriis his finem imponat. Aſt, ſi aqua calcis vivæ convenienti methodo nutricibus porrigitur, vehementia morbi brevi mitigatur, ſicceſcunt ulcuſcula, pruritus deſinit, inquietudo cum ejulatibus continuis in ſomnum placidum commutatur, & paulo poſt puſiones tales cum ſanitate in gratiam redeunt.

THESIS V.

Uſus aquæ calcis vivæ internus non debet eſſe tumultuarius, ſed ad regulas ſanioris medendi methodi dirigendus.

§. I.

Præſtantiſſima remedia, fruſtra, imo quandoque cum damno ægrotantium exhiberi poſſe, niſi debita circumſpectione, & ponderatis ſingulis circumſtantiis in uſum trahantur, res eſt in aprico poſita, quæque medicos ab Empiricis diſtinguit. Aqua ergo calcis vivæ itidem expoſcit conſiderationem indicantium, & contraindicantium ſi de ſalutari ejus effectu certus eſſe velit medicus.

§. II.

Non in quibuſcunque morbis exanthematicis eandem convenire Theſ. IV. §. 1. adductum. Pariter uſum ejus noxium eſſe cenſeo, ſub hectico corporis ſtatu, quando corruptela viſcerum internorum nimis invaluit, & ex diuturnitate febris, ſanguinea maſſa fere jam reſoluta exiſtit, teſtibus diarrhœa & ſudoribus colliquativis. Abſtinendum itidem ab hac aqua, ſub quibuſcunque vehementioribus ſanguinis ebullitionibus, hæmorrhagiis activis, dyſenteria incipiente cum febri conjuncta, atque ſtatu inſigniter plethorico. Multo minus conducit ſub habitu corporis admodum macilento, tuſſi ſicca, ætate ſenili, ventriculi debilitate, vomitibus, anorexia, obſtructionibus alvi &c. Cholericis denique cholerico-ſanguineis, diæta vinoſa utentibus, itemque clima calidius inhabitantibus caute exhibendam eſſe, vel exinde liquet, quod felix hujus remedii ſucceſſus, in Gallia non ita reſponderit votis, quam in Anglia, Batavia & noſtris oris, ſed quandoque ab ejus ulteriori uſu fuerit abſtinendum.

§. III.

Ex his allatis inſimul eluceſcit, exhibitionem aquæ hujus certis regulis eſſe includendam, quarum potiores brevibus enarrabo.

1. Præmittatur eidem laxans aliquod, imprimis mannatum, addita terra foliata Tart. Repetendus aliquando ejuſdem uſus, quando a

 ſubad-

ſubadſtrictoria aquæ calcis vivæ indole, alvus ſingulis diebus non reſponderit.

2. Si Plethorica conſtitutio anomalias ſub propinatione hujus aquæ excitare poſſet, vel ægrotus venæſectioni ſit adſuetus, eandemque neglexerit, ventilatio ſanguinis non omittenda.

3. His præmiſſis, aqua hæc ter de die exhiberi poterit, matutino nempe, pomeridiano, & veſpertino tempore.

4. Doſis aquæ variat ratione ætatis, temperamenti, ſexus, & individualis conſtitutionis. In infantibus annorum trium ad ſex vel octo, binæ unciæ ad quatuor; magis adultis & annoſioribus quinque unciæ, uſque ad octo quotidie concedi poterunt. Celeb. HEISTERUS in compendio ſuo practico *Cap. XI.* §. 38. *p.* 266. pro ſalſedine ſcorbutica corrigenda, ad libras binas, hanc aquam ſingulis diebus aſſumendam ſuadet. Ad tantam vero doſin adſcendere non auderem, ex metu ſubſecuturæ proſtrationis appetitus, & nauſeæ, imprimis, quando paulo diutius, uſus aquæ hujus foret continuandus. Phlegmaticis interim, phlegmatico ſanguineis, fœminis, & robuſtioribus largiores doſes, quam cholericis, melancholicis, viris, & ſenſibilioribus conveniunt.

5. Tempus curæ huic deſtinandum determinari exacte non poteſt; ultra tres vel quatuor ſeptimanas, continuationem vix utilem fore cenſerem, ne ventriculo tantum afferatur præjudicium. Neceſſitate id exigente, poſt decurſum aliquot ſeptimanarum, iterari majori cum fructu poterit.

6. Ad nauſeam ab aquæ hujus continuato uſu tollendam, BURLET vinum Alicantinum aut abſinthiacum & theriacam commendat, quibus tamen radicem cichorei vel cortices aurantiorum conditos præferendos arbitror.

7. Aqua hæc pro circumſtantiarum varietate, vel ſola, vel cum lacte commixta, vel cum aliis remediis decocta exhiberi poteſt; pura ſi propinanda, fuco quodam tingi debet, ut oblectando oculos ægrotantis, eo minorem nauſeam concilies. Ad quem ſcopum tincturam coccionellæ commendarem, quia omnes reliquæ tincturæ nimis cito in hac aqua evaneſcunt.

Lacti ſocianda, aſininum reliquis præfero, quando vero ejus copia haberi non poteſt, non rejiciendum bubulum vel caprillum. Non vero coquendum, ſed proxime ante gradum coctionis conſtitutum aquæ calcis frigidæ admiſcendum judico. An anatica, an tertia pars lactis ſufficiat, judicio medici relinquitur.

Si cum aliis remediis convenientibus decoquenda, coctura fiat in diplomate, vel Mariæ balneo, neceſſe eſt, ne partes volatiles in auras abeant.

8. Ad-

8. Admixtionem laxantium, præſertim Scammonei & Jalappæ approbare non poſſum, præſtat, ſingula ſeorſim exhibére, vid. cautel. I. Reſinoſa ſi aquæ huic ſociantur, facile præcipitantur, & tormina graviſſima, imo hypercatharſes excitare valent.
9. Sub catameniorum, lochiorum, vel hæmorrhoidum fluxu, hæc aqua non porrigenda, ne excretiones tales ſufflaminentur.
10. Diætæ ratio habenda, fugienda omnia acida, ſalſa & auſtera, muriatica, fumo indurata, frixa, carnes ſuillæ, pultacea & caſeoſa. Vinum, ſi arriſerit, pro roborando ſtomacho, dulce eligendum, quale eſt Canarienſe, Hiſpanicum, & Luſitanicum, in parca tamen quantitate ſub prandio ſumendum.

Sed ſufficiant hæcce pro ſcopo propoſito attingendo. Primas ſiquidem lineas curationis hujus ducere volui, ut innoteſcat magis ejuſdem uſus, & ut aliis occaſionem ſuppeditem, ulterius inquirendi in efficaciam & virtutes aquæ hujus, utrum & in aliis morbis, in quibus tantopere eandem commendatam legimus v. g. in diabete, hydrope, ſtrumis, dyſenteria, fluore albo, febrì quartana, ſtranguria venerea &c. opem deſideratam afferat, an vero eoſdem intactos relinquat. Si prius, acceptiſſimum imprimis foret remedium pro pauperculis, utpote qui nullo fere pretio ſibi comparare poſſent remedium, cariſſimis anteferendum. Sin poſterius, (de quo tamen dubito) limitanda majori cum certitudine hæcce methodus, ut pateat ſingulis medicis, quid valeat hæc aqua, quid vero efficere recuſet.

TANTUM.

CCXLI.

SAM. THEOD. QUELMALZ,

PROGRAMMA.

QUO INFUSUM PICIS LIQUIDÆ AQUOSUM EXPENDIT.

LIPSIÆ 1745.

EXigua erant clinices ſub auſpicium ejus incrementa, nec exiguitatem hanc ſucceſſuum gravitas compenſabat. Simplicior hominum victus, abſtinentia ſolicitior a luxu & ingluvie, tranquillior & ſua ſorte magis contenta mens, rerumque reliquarum, quæ arti non naturales audiunt, errorum ſeverior evitatio morborum catervam procul eſſe jubebant. Braſſicam hinc ſolam tam pro ſecunda valetudine tuenda, quam ubi adverſa imminebat, per ſexcentos annos populum inprimis romanum adhibuiſſe, a Plinio aliiſque relatum legimus. Poſthabitis illis quæ ex diſſitis regionibus, non mediocri moleſtia ac ſumtibus, longe lateque congeruntur hodie, ea potius, quæ natale ſolum oppido præbebat, tentabant, & ubi e re ægrotantium videbatur, impoſterum quoque artis tunc periti in uſum vocabant. Copioſiori vero morborum agmine corpus humanum affligi animadvertentes, tritum illud ſibi quoque ſerio dictum putabant: plus ultra! Invitati opulentiori penu naturæ ſaluti mortalium abunde eo proſpicientis, plantarum inprimis explorationi experimentisque in emolumentum ægrorum iis inſtituendis ſedulo navabant operam. Sed qui fieri aliter poterat, quam ut pleraque diffuſas ſæpe virtutes præ ſe ferentia aut cruda, aut apozematum aliaque ſimpliciori forma aſſumta in ægris, appetitu per morbi vim jam dum imminuto, aut plane proſtrato detentis & nauſea & horror, & anxietates cardialgicæ paſſim inſequerentur ſalutiſque recuperandæ ſpem fallerent. Quantum negotii leviores ſæpe ægritudines ipſis, ſufficienti experientia fidiſque medicamentis deſtitutis, faceſſerint, ex pluribus ſolæ intermittentes febres eæque benignæ cæteroquin indolis, quippe quæ ſæpe numero ſpecifica alto ſilentii peplo tunc involuta expetunt, comprobant. Non tam intrepidos, quam audaces nuncupares, qui veteres imitaturi tribus

tribus pluribuſque diebus continuis, draſticiſque remediis vomitus ciere. & fiducia peculiari morbi fomitem his ſolis eradicare ſuſtinerent. E re igitur Machaoniæ videbatur novam conſtituere promulgareque legem, ut illam exercentes, quoad ejus fieri queat, cito, tuto & jucunde medeantur. Afflictis enim minus eſſe cumulandam afflictionem, vel ſibi relicta ratio dictitat. Quamobrem rejectis lignoſis fibris, furfuribus terreſtribus, quæ diſperſæ concretis ineſſent laudabiles partes in centrum quaſi molemque redigere, minimam, ut ceu in puncto earum conſiſtat virtus, ſicque viribus exaltata obtineantur medicamenta, quæ quantitate minori, majori autem cum fructu exhiberi poſſint, chemia arti ſalutari miniſtrans die nocteque deſudat. Quam laudabiles hæc in eo fecerit progreſſus, vereor tamen, ne ultimum ſcopum jucundæ medicationis adeo curæ cordique habentes, ut reliquis eum præferant, parum ſæpe conſiliis ſuis palato ſoli blandientibus proficiant medici hujus ſeculi. Nunquam interim iis defuturos opinor ex delicatulis, qui gratiora admittere pharmaca jucundioreſque medicationes ſatius ducunt, ſive morbi cauſam proximeque attingant ſive minus, quam beneficio efficaciorum haudque acceptorum cum ſecunda valetudine in gratiam redire, neſcio quam artis impotentiam jurene an injuria? accuſantes, pœnam interim labefactati ejus honoris luentes juſtiſſimam. Longe meliori jure illi gratioſi medici titulum tuentur, qui cognitis indicantibus illa e diametro iis opponere ſtudent, quæ viribus morbi proportionata cenſent, tunc demum gratioribus, ubi viribus æquipollent, primum locum concedentes. Aſt quæ, obſecro barbaries hominum mentes occæcare ſolet, quod faſtidium medicamentorum jucundiſſimorum ægros proceresque cepit, ut miſſis his, ad nauſeoſa, moleſta, pene dixerim ſordida totoque cœlo ab illis diſtantia revertere iterum malint. Quod enim pecudi hactenus polychreſtum propriumque erat remedium, pix fluida, ab hominibus, vero non niſi forte in morſu rabioſorum animantium, phthiſi, paralyſi, aſthmate, veterum quorundam teſtimonio uſurpabatur, quæque per infuſionem parata aqua reſtionibus & nonnullis in picis hujus excoctione occupatis prorſus incognita haud erat balſamica qualitas, quam in vulneribus conſolidandis recentibus, abſtergendiſque ulceribus frequenter præbuerat, ſuperiori anno ſub umbone Reverendiſſimi Hyberniæ Epiſcopi *Berkeleii* caput feliciter erexit, ut jam panaceæ inſtar, quæ parem neſciat, a ſummis & infimis, opulentioribus & indigis Regni Hyberniæ & Angliæ adhibeatur. Quid quod eo uſque ejus crevit fama, ut præcipuas quaſdam Germaniæ urbes in ſui admirationem rapere, morbique reſpectu fere habito nullo, in delitiis haberi incipiat. O aqua ter quaterque benedicta, quæ tantum non paria cum nonnullis aliis medicamentis famigeratis, quibuſque officinæ noſtræ ſuperbiunt, fata proſperrima experta es, quibus tam felicibus eſſe contigit, ut a Regibus, Reginis, Marchionibus,

Abbatibus, atque Comitibus commendata perpetuam gloriam reportaverint! Profecto ni tanti tamque eminentis Viri comendatitias literas tecum apportaſſes, vix molliores de plebe, nedum primicerii in corporis intima tibi aditum patefeciſſent, ac ne vix quidem; juſto metu, ne quid ex te primis viis cæteriſque partibus interioribus tenacius adhærens eaſdemque æque ac mater tua conſpurcet, veſtimentorum pretioſorum hoſtis inſenſiſſima, turpiuſque ejiciatur. Tantum valet etiam in rebus naturalibus auctoritas! tam regitur mundus opinionibus! Enim vero in Indiæ occidentalis regionibus ac inſulis commoratus aliquandiu Epiſcopus laudatus aquæ hujus vires, quas inprimis in variolis atrocius periculoſiuſque ibidem graſſantibus & præſervando, & curando exhibet, ab incolis ditionis Carolinæ edoctus, redux factus in Hyberniæ quibuſdam locis nec medicis, nec medicamentis inſtructis, non tantum in propria familia, ſed innumeris aliis, qui ejus ſuaſu eam hauſerant, de excellenti ejus virtute ultro convincebatur. Pro ea vero, qua erga inopes pollebat humanitate & liberalitate, non poterat non bonum hoc communicabile publici juris facere rogantibuſque eum, una cum præparationis ejus deſcriptione infuſum hoc gratis præbere. Verum enim vero quo in diſtribuendo hoc divinitus quaſi accepto dono liberalior Vir Reverendiſſimus, eo majori lucri cupiditate illi, ad quos idem paratu facillimum per rumorem primum pervenerat, inhiabant. Satis igitur caro pretio aquam venalem divendentes ejus ſingulares virtutes, non ſaltem adverſus unum aut alterum incoliſque endemium, ſed in univerſum omnes morbos, plus quam ſeſquipedalibus verbis extollebant. Unum modo ex tot vendacibus, Londini, Februario & Martio menſibus anni præteriti, uno die, ad trecentas menſuras ejus tanto, tamque caro pretio vendidiſſe, quanto ibidem cariſſimo vinum idemque generoſiſſimum conſtat, donec Berkeleii inſignis munificentia ac benignitas in diſſertatione de ea conſcripta, eam conficiendi modum manifeſtaverit. Ex quo tandem major infuſi, quam cerevifiæ ipſius, aut cujuſcunque conſueti potus quantitas quotidie adeo inſumpta perhibetur, ut doliorum picem liquidam continentium, Londinum illatorum numerus indicato anno, priores omnes aliquoties ſuperaverit millies. Quoties nunc eſt quiſque qui non ſponte perſpiciat, quam & medici & pharmacopoei, rebus eorum ad interitum ruentibus, animo pene exciderint, quo ſe vertant, & unde quæſtum vitæque ſubſidia in poſterum ducant, neſcii? Thermis ipſis & acidulis, quotquot unquam ſcaturivere, cum, quod lepide ſatis ſcribit, corpus exæſtuent, noſtra hæc aqua inſidias ſtruit, utpote quæ illas virtute vincat, atque diætæ regulis ſusque deque habitis opem promiſſam ferat, uti diſertis verbis exprimitur. Jam cum noſtra res agi videatur paries cum proximus ardet, operæ me pretium facturum confido, ſi ſumma-

ſummatim, quantum loci hujus conditio permittit, aſt curatius paulo in infuſi hujus aquoſi indolem inquiram, ut quid valeant ejus humeri, quid ferre recuſent, clarius innoteſcat. Quæ vero & mihi, & forte multis cognita diu fuit pix fluida, quomodo tamen præparetur, & me ex parte, ut ingenue fatear, hæc conſcripturum, & procul dubio Reverendiſſimum Epiſcopum ipſum, quod tamen pace ejus dixerim, cum ne verbo ejus confectionis mentionem injecerit, Norvegicam ſaltem reliquis, quas tamen neutiquam excludit, præferens, latebat. Bona ſpe reſtiones, remque cum noſtra habentes alii ejus ortum ac præparationem ab illis ſciſcitaturus, verum quam lubentiſſime, ut intellexi, mei me voti compotem reddere voluerint, quam tamen ab illis tuli reſponſionem, vix mancam aut mutilam dixeris. Nec id ipſum pleroſque libere confeſſos eſſe, diffiteor. Sponte ſua ex arborum reſiniferarum truncis, cortice hinc inde abſciſſo, eam tranſudare, Pometus falſo aſſerit. In peculiaribus furnis ex radicibus ligniſque reſiniferis fiſſis, igne addito, excoqui, propius ſcopum attingens Lemerius, naturæ ſcrutator feliciſſimus tradit. Clarius adhuc Joh. Conr. Axtius de arboribus coniferis & pice conficienda rem deſcribit, magis tamen reſpiciens picem ipſam conſiſtentem, quam liquidam noſtram. Ego vero dubius quodammodo permanens ad honeſtum & ſolertiſſimum civem noſtratem, cui patria ad ſylvam thuringicam atque officinam quandam, pici fluidæ excoquendæ dicatam, proxime erat ſita, me convertebam, qui utut nec reliquis exactiorem rei dare notitiam, nec dubia ſubinde oppoſita ſolvere valeret, quæ tamen ejus erat ſingularis integritas, quodque in ejus ſempiternam cedat laudem, clam iter ſeptem vel octo lapidum eo inſtituens, elapſis aliquot diebus, coram omnem confectionis hiſtoriam fideliſſimeque retulit. Scilicet in furno, in modum clibani fere exſtructo, alius, forma ollæ inverſæ conformatus, quem vas deſtillatorium inverſum rectius dicas cujus diameter trium vel quatuor ulnarum, altitudo hunc quodammodo ſuperans, ex cujus fundi fovea gaudentis latere canalis prominet, continetur. Hoc interius receptaculum fruſtulis ex ultimo ſtipite reſinifero cum radicibus fiſſis, a cortice & omnibus heterogeneis adhærentibus ſtudioſe liberatis atque erecte in eo collocatis totum repletur, clauditur perfecte, & ignis, ſecundum gradus, in furno ambiente admovetur ita, ut hoc materiam continens habitaculum ambiat, flammaque ipſa reverberet. Quo calore ſenſim applicato omnis humiditas, primo phlegmatica, cum levi ſupernatante oleo, poſtmodum, magis protracto labore auctoque igne, reſinoſæ cæteræ partes ſpiſſiores colliqueſcentes deorſum deſtillant, perque canalem lateralem extrorſum in vas recipiens ſuppoſitum confluunt. Durante operatione, a liquefacta hac effluente pice omnem accenſam candelam flammamque, ni velint oleum perdere & operam provide eſſe arcendam, quilibet, vel me tacente, hariolabitur.

Eam proinde veram deſtillationem per deſcenſum ſiſtere, qua junctis reſinoſis partibus, verum oleum ſpiſſum, ſaporis balſamico reſinoſi, acris, ſubamaricantis & empyreumatici, odoris ejuſdem ac penetrantiſſimi, coloriſque obſcuri atque ſubnigri producitur, extra dubitationis aleam eſt poſitum. Ejus igitur menſuræ quartæ parti, ex noſtri præſcripto, aquæ partes quatuor ſ. menſura una affuſa, atque per tria vel quatuor minuta, ope ſpatulæ ligneæ agitata in vitro vel alio vaſe terreo compactiori, per duos dies & noctes ſ. XLVIII. horas in locum quietum ſeponitur, vel uti infra paulo, eadem obſervata ingredientium proportione, ad quinque vel ſex minuta agitationem protrahere, atque ad triduum ſeponere præcipit. Qua enim diuturna magis commotione, quæ alias ubi copia ejus major fuerit, neceſſaria ſemper & omnino eſt, virtutes infuſi augeri, recte animadvertit. Separata jam cuticula, variegatum colorem, quem caudam pavonis appellamus, repræſentante, quippe quæ ventriculo nauſeam adfert, aquam hanc & decantatam & filtratam experimentis variis exponebam. Color fere citrinus vel vini ſaturatioris erat; odor graveolens, volatilis ac empyreumaticus adeo prodens picem fluidam, ut eam ab operatione in fundo vaſis relictam maximam fœtoris partem eapropter exiiſſe, credas. Sapor aciditatem lenem cum amaritudine empyreumatica junctam, qualem ſpiritus tartari idemque non ex crudo, ſed potius cryſtallis ejus paratus mixtuſque aqua ſiſtebat.

Aciditatem veram ejus & ſapor, & imprimis ſyrupus violarum protinus in rubrum degenerans colorem, ipſumque oleum tartari per deliquium, leniſſime cum ea efferveſcens, probant. Propterea cujuſcunque generis acida aquæ huic inſtillata actionem exercebant nullam. Attamen quanquam acidum hoc aperto marte ſic pugnet, ut prædominium ei denegandum haud ſit, ſal nihilominus lene ſalſum vel neutrum illi admixtum eſſe, ille facile largietur, qui ſuccis plantarum, quovis modo expreſſis, iſtiuſmodi ſalſum vel acido-ſalſum ſal ſæpe numero ineſſe mecum expertus eſt, quique conſpicuam, allati acidi portionem ab urinoſo ſale olei reſinæ empyreumatici, per miſcelam, ſaturari novit. Evaporata aqua hac leve poroſumque nigricans reſiduum, fuliginis inſtar ſplendentis oculis præcipue armatis, obveniebat. Per deſtillationem vero odor empyreumaticus aquæ ab initio fortior, ſenſim ſenſimque continuante ea, imminuebatur, ultimis tamen guttulis ſubacidis & ſapidioribus, exiſtentibus. In recipiente vaſe collectus per deſtillationem liquor & temperatiori odore, & ſapore blandiore conſpicuus alterationem vix notabilem, nec a ſyrupo violarum, niſi magna illius quantitas iſti adderetur, nec ab oleo tartari concipiebat, reſiduo ad vaſis fundum remanenti aqua fontana adfuſa parce, amarorem contrahens, ſyrupum nominatum, poſtquam largo ei erat commixta, quod mirandum, viridescen-

deſcentem reddebat, inſimulque alcalici quid ibi deliteſcentis palam faciebat. His ita conſtitutis, auſim nihilominus cum quovis certare, me vel ſine ipſa pice liquida idem, iiſque qualitatibus præditum infuſum, methodo facillima, ac ſine tantis ambagibus adornaturum eſſe. Enim vero dum liquida pix, ut ſcripſi, excoquitur non ſolum aqua ſpirituoſa acidula primum emanat, ſed vaſis, picem hanc liquidam aſſervantibus probeque hactenus obturatis, jam vero apertis, aqua ſpirituoſa, coloris obſcuri pariter ac conſiſtentiæ eſſentiæ vegetabili competentis, ejuſdem odoris ac ſaporis acido-empyreumatici, ut ſpiritui tartari, nondum poſt deſtillationem rectificato conformis propemodum ſit, tanta copia effluit, ut illius menſura unciam unam & ultra ejus non raro promittat. Siquidem quo magis concidit pix liquida ſpiſſior, difficulterque ex vaſe effluens, eo plus aquæ hujus in ſuperficie reperitur. Cujus ſpirituoſæ aquæ guttæ XXX. ad XL. cum aquæ fontanæ uncia ſemis mixtæ aquam picis ocyus, atque ex tempore quaſi, pollicentur, eamque & aciditate, & activitate deſiderata, imo majore adeo gaudentem, ut miſſam facta fluida pice ipſa, omnem ejus virtutem in aqua hac ſupernatante aſſervari jure meritoque arbitreris. Rem igitur acu tetigit Epiſcopus noſter, ſerio inculcans: picem hanc, operi ſemel adhibitam, virtute ſua privatam fatuamque factam, reiterandæ infuſioni haud ferendo eſſe. Tam aqua ſimplex pici noſtræ liquidæ adfuſa in ſinum ſuum recipit, quicquid de aqua hac ſpirituoſa ſale refertiſſima partium ejus poris interſperſum latitat, ut omnem hinc virtutem mutuet. Quoties ego aquam hanc ſpirituoſam naribus admovi, toties non ſolum dicti ſpiritus tartari, ſed fere mixturæ ſimplicis ipſius, ob analogum ejuſdem ſpiritus tartari eundem ingredientis odorem recordatus fui. Quare etiam per ſe eadem, ut illa, quantitate adhibita, ceu concentratim ſatis medicamentum, experientia teſte, propinari poſſet. Quod ſi contra ea cum aqua fontana commixta fuerit, hæc ſtatim turbata flaveſcensque nec tantam amaritudinem aduſtionemque ſapit, nec poſt abſtractionem tantum reſidui relinquit, levior vero & ſubacida gratiam paulo majorem, ac prior illa ſpondet, ſyrupum violarum eodem modo alterat, & cum alcali pugnat. Utrumque hoc guttula una aut altera liquoris hujus ſpirituoſi, puri & ſine commixtione cum aqua, fortiuſque præſtat. Ut reliquas in hunc finem adornatas explorationes ſilentio prætereant, aqua hæc jure ſuo locum aliquem medicamenta inter, quæ chemica arte producuntur, ſibi utcunque, ni fallor, vindicabit. Utrum vero tantum tamque ſublimem locum, pene dixerim, arcanorum majorum ſubſellia, quæ vel Epiſcopus ei aſſignare non dedignatus eſt, ex merito occupare queat, vix crediderim. Ex altera enim parte portio illa ſalis eſſentialis, quæ, aqua hac ad extracti propemodum conſiſtentiam inſpiſſata, mora ſufficienti intercedente, aliiſque non obſcuris indiciis apparet, acido

 quanquam

quanquam prævalente, de reſolvente ac diuretica ejus virtute teſtimonium luculentiſſimum perhibet. Ex altera vero, ab empyreumate contracto, activæ ac volatiles redditæ ejus partes ſanguinis progreſſivum & inteſtinum motum intendendo, ſudores, quanquam ob acidum junctum leniter magis procedentes, excitabunt. Qui inſuper incidenti ſalinæ efficaciæ adhæret, amarori carminativa ac ſtomachica vis deneganda neutiquam erit. Balſamici denique remedii titulum reſinoſæ, tempore excoctionis picis per ſalinas diductæ partes, ac ſic diſpoſitæ, ut quod alias fieri nequit, ſaponis ad inſtar reſolubiles in aqua affuſa inveniantur, una cum oleoſis rectiſſime tuentur, quæ ipſæ, etſi auctor renuat, violarum odorem in lotio, more terebinthinatis, juniperatis, balſamicisque communi producunt, quod acta Vratislav. menſ. Sept. anno cIↃIↃccxix. p. 320. de viro, qui ad prophylaxin contagii peſtilentis picem liquidam crudamque ad cuſpidem quotidie cultri, cum butyro & pane comedit, aliaque exempla plura non incognita confirmant. Qui demum ab eminenti Epiſcopo neglectus videtur, effectus anthelminticus ex infami foëtore ac graveolentia, quam vermes vix ferre valent delicatuli, in corporis latitantes latebris, clare metiendus, primas forte gnaviterque tenet partes, ut vel ea propter illi, qui in multis affectibus feminium quoddam verminoſum ſupponendum ducunt, in aqua hac inveniant, de quo ſibi gratulentur. Lubens omitto evacuationem emeticam catharticamque, quæ, quod percepi, in variis ſubjectis, fortaſſis ob nauſeam ſucceſſere; nec de hypnotica ejus energia, quam in turbis animi autor prædicat, quenquam certiorem redditum iri autumo. Quæ, reſpectu habito nullo, mecum perpendens, nolim, hoc quicquid eſt remedii incolis americanis horumque filiis, imo & aliis, defectu præprimis aliorum ſalubrium magiſque gratorum, in variolis, ſcabie aliiſque affectibus exanthematicis atque periphericis excretionibus, imo in ipſo ſcorbuto, quod autor integerrimus, extra tamen artem noſtram conſtitutus, varias cæteroquin cauſarum fallacias forte committens, tradit, ſuppetias laturum fore, inficias ire, præprimis quando ex præſcripto quotidie, ad uncias duodecim & ultra; imo in chronicis magis morbis, quoad modo ejus aſſumi poteſt, ſucceſſive, horis medicis, interdum ſuadente ventriculi imbecillitate, tepide, & ad duos tresve menſes aſſumatur. Ac tametſi obſcurius paulo intelligatur, qui aqua hæc, ex Epiſcopi mente, & calorem in aliis excitare, alios contra ea refrigerare queat, niſi partim contentæ aciditati, partim empyreumati connexo contrariam hanc efficaciam imputare velis; quod tamen in anorexia a cruditatibus, febribus, colica flatulenta hiſtericisque paſſionibus, imo in hydropicis quibusdam malis ei tribuitur præſidium, a veritate quod paſſim expertus ſcribo, haud omnino abludit. Quantum demum ſolatii cum calculo, aſthmate, cachexia, arthritide, phthiſi, hectica, aut affectibus ſpaſmodico-convulſi-

convulſivis conflictantes ex ejus aſſumtione reportent, quidque in podagra ac peſte valeat, autor magnifice quidem exprimere videtur; ego vero, etſi in aſthmatica diſpoſitione aliiſque levioribus quibuſdam, ex allegatis, pathematibus eam aliquoties opem quandam attuliſſe ſciam; ab aliis tamen in allegatis morbis, veluti etiam de motibus ſpaſtico-convulſivis mihi conſtat, ſine ullo fructu notabili hauſtam fuiſſe expertus ſum. Malim proin tamdiu humilius, quam altius inſolentiusque de ea ſentire, quamdiu & efficaciora, & gratiora conſtabunt. Nec ſatis perſpicere valeo qua certitudine, quave conſtantia Hybernus noſter infuſum hoc lepræ ac lui gallicæ tam certo mederi affirmet, ut cuncta reliqua morbo diriſſimo, duce diuturna experientia, dicata propriaque cum ſupercilio ſpernere queat. Nondum virium medicamenti hujus limites ſunto. In morbis namque externis decantata ejus potentia, qua omnia cum myrrha & ambra, nec balſamo peruviano nigro aliiſque exceptis, vinceret, non tantum vulneribus & ulceribus, quod olim jam innotuit, ſed tumoribus, inflammationibus, imo ipſi gangrænæ, ubi a cauſa interna orta, hocque ad quaſdam hebdomades hauſta, proque circumſtantiarum diverſitate, nunc balnei, nunc fotus forma applicatum fuerit, apprime convenire deſcriptio ejus evincit. Plura dicere omitto, vereor enim ne prægrandes laudes novi hujus remedii bilem moverent multis. Aſt quo ruitis, obſecro, fruſtra crepitante furore? Hæc ſcilicet fata ars noſtra non heri, aut nudius tertius eſt experta, ſed quotidie adhuc experitur, ut res minoris longe momenti, ubi in leviori affectu ex primoribus cuidam vel caſu levamen aliquod attulit, encomia ſæpe inſignia reportet, hiſque ſibi famam aliquandiu aucupetur, etſi, quod bona venia illorum dixerim, nec morbi, nec remedii, nec utriuſque proportionem, extra artis limites ut plurimum conſtituti, dijudicare norint. Et quod in ſolatium veſtrum iterum iterumque cedat, qui ingratius hoc remedium delicatiorum, ex noſtratibus, gratiam promerebitur, cum officinæ noſtræ tot gratioribus, virtute huic minime ſecundis, abundent?

CCXLII.

CCXLII.

ABR. VATER & J. GABR. MENTZ,

DE

PHOSHORI LOCO MEDICAMENTI ADSUMTI, VIRTUTE MEDICA,

Aliquot caſibus ſingularibus confirmata.

WITTEBERG. 1751.

PROOEMIUM.

NUlla res tantopere noſtro hoc ævo curioſorum ora & oculos in ſe convertit, animoſque eorum in ſui admirationem rapuit, quam tentamina circa Electricitatem facta, nihilque ſagaciſſimorum naturæ venatorum, de cauſis ſtupendorum iſtorum phænomenorum eruendis ſolicitorum, ingenia magis exercuit. Non eſt opus hic loci de hac materia multa verba facere, inprimis quia negotium totum pertinet ad naturæ myſtas, qui in Phænomenis naturalibus enodandis operam ſuam collocant. De ortu tamen & progeſſu, horum tentaminum atque præcipuis eorum auctoribus & promotoribus, concinnam Hiſtoriam tradidit Nobiliſſimus Dominus DANIEL GRALATH *in tentaminum & Commentariorum Academiæ naturæ exploratricis, quæ Gedani congregatur, Parte I. numero VJ. Ad nos tantum pertinet, an & qualis forte utilitas, in arte medica & cura morborum, inde ſit expectanda? quam non levem fore eruditi quidam Medici judicarunt. Inter hos præcipue nominandi ſunt Viri Clariſſimi Dn. D.* KRUGERUS *Prof. Hallenſis, Dn. D.* KRAZENSTEIN *Profeſſ. nunc Petropolitanus, ac Dn. D.* QUELMALZ *Medicinæ in Academia Lipſienſi Profeſſor Celeberrimus. Primus in Programmate* 1743. *edito probabiliter tantum judicat, Electricitatem forte in Medicina, ad reſarciendam ſanitatem uſum habere poſſe, alter anno* 1744. *in Theoria Electricitatis in Præfatione, partim in epiſtola, de utilitate Electricitatis in Medicina, varios*

varios morbos nominat, in quorum cura aliquid præſtare poſſit, atque duobus exemplis in quibus paralyſis digitorum hac ratione curata ſit, confirmat. Tertius eorum, Dn. Profeſſor QUELMALZ *eodem anno Programma edidit, in quo hominem electricum propoſuit, in quo plurimis argumentis hoc evincere ſtuduit. Inter alia hæc ejus ſunt verba: quo tenerioris indolis exiſtunt medicamenta, eo propius ad ſpirituum noſtrorum animalium, in fontibus nervoſis ſecretorum diſtributorumque per nervos, naturam utplurimum accedunt, eoque celerius in ſolidas muſculoſas partes agere animadvertuntur. Quæ autem ſpiritibus ſic dictis, ex corporis fluidis generandis conſervandiſque, materia iterum magis ſuppetias ferat, ætherea noſtra, plane ignoro, cum ea prora & pupis jure meritoque inſignienda veniat. Interjectis deinceps pro illuſtratione hujus ſententiæ variis argumentis his verbis pergit: quibus ita conſtitutis non leve momentum fluido huic nervoſo ex partibus omnium corporis ſubtiliſſimis felicius producendo, electrico hoc motu atque efficacia in ſubſidium, ubi pro diatheſi corporis viſum fuerit, vocato, accreſcere poſſe, ratio ſuadet, experientiæ teſtimonium expectatura. Demum adductis variis morbis, inprimis chronicis, in quibus vorticis electrici tentandæ eſſent vires, monet in plethoricos acutiſque morbis detentos ægros minus quadrare, atque majorem affulgere ſpem paralyticis, ſpaſticis, apoplecticis, aliiſque ejus ſenſus affectibus, niſi a partium ſolidarum nervorumque deſtructione aut compreſſione exorti fuerint, concludit. Hanc ſuſpicionem ſingulari plane exemplo paralyſis dextri brachii ope electricitatis curatæ, comprobat, quod legitur in libro, hoc titulo Pariſiis anno* 1749. *edito:* Expériences ſur l'Electricité par Monſieur JALLABERT, Profeſſeur en Philoſophie experimentale & en Mathematiques des Societés Royales de Londres & de Montpellier & de l'Academie de l'Inſtitut de Bologne. *Narratur ibidem hiſtoria morbi ratione originis, progreſſus, atque ſucceſſus curæ in diario addito, ubi inter alias circumſtantias, hæc notabilis eſt, quod a ſcintillis, ope vorticis electrici excitatis, ſucceſſive muſculis variis harum partium, ſenſus motuſque ſenſim reſtituti fuerint, poſtquam dolor acutus in ſummo humeri, unde nervi axillares prodeunt, ab ægro perceptus fuerat. Huic exemplo ſubjungimus aliud, quod in Novellis Lipſienſibus in Extracto N°. XXVII. die 3tio menſis Julii, ex Diſſertatione Pragæ habita, recenſetur, fœminæ fere octuagenariæ, paralyſi ſiniſtri brachii laborantis, quæ beneficio electricitatis ab hac liberata fuit, ita, ut primo die digitos contractos erigere, altero brachium ad caput uſque attollere potuerit, tertio vero plenarie reſtituta ſit, abſque uſu ullius medicinæ, licet quotidie tantum per quadrantem horæ machina electrica applicata fuerit. Quia hac in re propria experientia deſtituimur, eandem ſuo loco relinquimus, aliudque remedium, ſed interne uſurpandum producimus, a præcedente non adeo alienum, quia materia electrica, æthere nimirum, lucis omnis cauſa, plenum eſt atque turgidum.*

Siſtit hoc Phoſphorus, ex urina humana paratus, quem Experientiſſimus Dominus Licentiatus MENTZIUS, *Practicus Longoſaliſſenſis feliciſſimus atque meritiſſimus, Candidati noſtri Parens, multo cum ſucceſſu in cura morborum adhibuit. Teſtabuntur id caſus, non quidem a laudato Viro, concatenatis laboribus praxeos impedito, ſed a Filio Candidato, qui curis interfuit, medicinam ipſe adhibuit & effectus probe obſervavit, conſignati. Dignum hoc mihi viſum fuit argumentum, quod in elaboratione ejuſdem diſſertationis inauguralis proponerem.*

Faxit divinum Numen, ut labor hic cedat in ſacratiſſimi nominis Gloriam, ægrotantium ſalutem, atque Candidati noſtri commendationem & honorem.

CASUS I.

Febris maligna Petechialis.

IN *fine anni* 1748. *Vir temperamenti phlegmatici, tempeſtate frigida, nebuloſa atque pluvioſa iter faciens, in via languore, dolore lumborum & artuum affectus, domumque reverſus, creſcentibus ſymptomatibus, Medici conſilium imploravit, qui origine morbi examinata, mox ſentit, febrem malignam in augmento adeſſe, quod etiam petechiæ, die critico erumpentes, confirmarunt. Medicus propterea optima alexipharmaca, temperata tamen ordinavit, atque diætam præſcripſit, omnia diligenter interdicens, quæ diarrhoeæ occaſionem præbere, & exanthematum ulteriorem eruptionem impedire poſſent. Urgente autem calore & ſiti, ſine præſcitu medici, æger ceraſa & pruna ſicca cocta, una cum brodio aſſumſit, unde mox diarrhoea, anxietates præcordiorum, deliria cum proſtratione virium totali ſecuta fuerunt; quibus cognitis, Medicus optima alexipharmaca, expulſionem promoventia & diarrhoeam moderantia præſcripſit, quibus tamen diaphoreſin atque eruptionem macularum retroceſſarum obtinere non potuit, ut potius æger, per tres dies ſenſibus externis ac internis orbatus, proſtratus jaceret. In hoc extremo ad heroica remedia recurrendum eſſe, judicans, grana duo Phoſphori Anglicani ex urina parati, Theriaca Andromachi involuta, ipſi propinavit, a cujus uſu, quies & ſomnus cum tranſpiratione moderata ſecutus eſt, æger melius habere cœpit, quam doſin bis veſperi & altero mane repetiit, ac uno grano auxit, unde largiori ſecuta tranſpiratione, quæ odorem ſulphureum ſpiravit, ſenſim recepta memoria & ſenſuum externorum uſu, in vitam quaſi revocatus fuit, continuatis confortantibus cephalicis, cum ſanitate in gratiam rediit,*

rediit, & a morbo atrociſſimo liberatus eſt. Hoc ſingulare fuit in ægro reconvaleſcente, quod reliquis ſenſibus reſtitutis, tactus tamen in habitu corporis deficeret, quod æger ipſe ſenſit, atque loca iſta frigida monſtravit, ſed ſucceſſive, at lente, calor una cum tactu, continuatis medicamentis aliis confortantibus internis externisque, in fine morbi reſtitutus eſt.

CASUS II.

Febris bilioſa chronica a neglecta cura & regimine ortum ducens.

DOliarius temperamenti ſanguineo-cholerici, ira vehementi accenſus, brevi poſt horrores, cum phlogoſibus inſecutis, ab iſto tempore ſenſit, acceſſerunt præterea tormina ventris, præcordiorum anxietates, vomitus ac reſpiratio difficilis, aliaque ſymptomata, per notabile tempus durantia, quæ omnia tamen neglexit, nihilque uſurpavit, donec ſupervenientibus vigiliis & inquietudinibus nocturnis, indies vires decreſcerent, quam ob rem medici auxilium implorare coactus fuit. Hic mox vomitorium ex ipecacuanha cum ſtimulo ex tartaro emetico, ad educendas ex primis viis cruditates nidoroſas & bilioſas ipſi propinavit, a quo bona operatio ſecuta eſt, continuatis inſuper acrimoniam bilioſam corrigentibus, cum interpoſitis evacuantibus, a quibus aliquale levamen habuit æger, ſed tranſpiratio in toto corpore, adhibita licet mixtura ſudorifera e tinctura bezoardica mich. cum mixtura ſimpl. rectificata, obtineri non potuit, excepto capite, quod uſque ad pectus ſudore nimio continuo frigido, & quaſi colliquativo fere diffluere videbatur. cum inſigni virium proſtratione. Exacerbabantur præterea dolores capitis cum ſtupore, quam ob rem, ad reliquias bilioſas ex primis viis educendas, laxativun e pulvere rhabarbari cum tartaro vitriolato datum, & alterantia cum blandis diaphoreticis & acrimoniam temperantibus continuata fuerunt. Nullo vero levamine apparente, potius, auctis inquietudinibus, appetitu in totum proſtrato, & ſiti aucta, febrem lentam tabificam præ foribus eſſe, circumſtantiæ ſuadebant. Quandoquidem vero tranſpiratio nullo facto obtineri potuit, Medicus grana tria Phoſphori cum conſerva florum tunicarum exhibuit, hora undecima antemeridiana, qua aſſumta, parum quievit, ſed ſiti incitatus a potu abſtinere nequivit, quo accepto, per duas horas quiete ſe habuit, ac tranſpiratio in toto corporis habitu apparuit. Hoc viſo, medicus eandem Phoſphori doſin verſus noctem hora octava repetiit, a quo per noctem integram optime dormivit, ac plena diaphoreſis ſecuta eſt. Æger mire refectus, quæſivit, cur non citius inæſtimabile hoc medicamentum ſibi propinatum ſit, a quo mirifice recreatum ſe eſſe, profitebatur. Continuatis mixtura bezoardica ſudorifera, & interpoſito tonico martiali, appetitus rediit, ac doloribus capitis reſiduis, aqua cephalica camphorata profligatis, omnimode convaluit

CASUS III.

Febris Catharrhalis maligna Petechizans.

Tabellarius in quæſtura Longoſaliſſenſi, temperamenti ſanguinei, in itinere tempeſtate nebuloſa inſtituto, valde refrigeratus, domum reverſus, doloribus capitis graviſſimis, calore intenſo, ac intumeſcentia faciei, cum languore extremo, raucedine ac tuſſi ſicca afflictus, medici opem deſideravit. Hic ex ſignis pathognomonicis judicavit, febrem catarrhalem malignam eamque continuam adeſſe, pulveres bezoardicos temperantes, cum mixturis ſudoriferis, atque decoctum diluens, nec non gargariſmata ordinavit, & potum calidum commendavit. Tertio tamen die ſenſuum externorum uſu privatus fuit, atque deliria intermixta acceſſerunt, quæ quidem ſymptomata ab uſu medicamentorum quodammodo remiſerunt, ſed lapſus virium inſignis cum tranſpiratione ſuppreſſa, medicum adegerunt, ut ſepoſitis bezoardicis acrioribus atque ſtricte ſic dictis bechicis, ad uſum Phoſphori recurreret. Hunc ad grana tria conſerva roſar. albar. involutum, hora ſecunda pomeridiana exhibuit, atque doſin hanc hora nona veſpertina repetiit, quo ipſo ſtatim deſideratus effectus ſecutus eſt, æger vires recuperavit, atque continuatis remediis antica-tarralibus reſolventibus, atque acrimoniam temperantibus, plenarie reſtitutus eſt.

His caſibus illuſtrationis & confirmationis gratia, adjungimus verba ipſius experientiſſimi Domini Licentiati MENTZII, ex litteris ejuſdem ad filium datis excerpta, quæ demum acceſſerunt, cum diſſertatio hæc jam tum elaborata eſſet, ut prelo traderetur:

De Phoſphori uſu certiorem velim reddas excell. Dn. D. VATERUM, me eundem conſerva roſarum exceptum, iterato ad ſcrupulum ſemis aſſumſiſſe, quando in me inſignem debilitatem vitalium obſervavi, atque talem corporis & artuum agilitatem expertum eſſe, ut quaſi de novo natus mihi viderer, imprimis autem ab eodem flatus potenter expulſi fuerunt. In Domino Petſchken, in quo, uti tibi notum, auditus, viſus, tactus, & loquela aberant, a duabus doſibus ad ſcrupulum ſemis exhibitis, hic effectus ſecutus eſt, ut omnes convulſiones, ſubſultus tendinum, & alia ſymptomata, intra tres horas ceſſarent, lenis mador & ſomnus ſequeretur, illeque tertio die, omnium ſenſuum uſu reſtituto, in hypocauſto ambulare poſſet. GODOFREDUS HANCKEWIZ celeberrimus chymicus Londinenſis, cum quo in academia Lipſienſi amicitiam colui, me præſente Londini phoſphorum in copia elaboravit, mihique retulit, in Gallia eundem contra tormina ventris, colicam & ſimiles affectus, cum fructu adhiberi. Dolendum ſaltem, quod inſigne, quo conſtat, pretium obſtet, quo minus frequentius

quentius in uſum trahi poſſit. Ego certe obſervavi, in febribus malignis, in totali fere virium jactura, eundem præ aliis analepticis, inſignem effectum præſtitiſſe, nec dubito, ab eodem in apoplexia, paralyſi, & epilepſia, magnam utilitatem ſperari poſſe, modo non obſtaret pretium.

Thesis I.

HAbes L. B. hiſtoriam morborum in quibus Phoſphorus noſter a laudato Medico interne datus, admirandas vires ſuas monſtravit. Phoſphori nomen adeo notum eſt, ut vel lippos atque tonſores non fugiat ejus notitia. Primario tamen & originaliter competit illud, & quaſi proprium eſt Veneri Planetæ, propterea, quod ſolem antecedens, ejus adventum atque lucem diemque annunciat, unde etiam Lucifer audit, quemadmodum ſolis veſperi pediſſequus factus, Heſperus audit. Poſthac vero nomen illud corporibus variis lucem in tenebris emittentibus impoſitum eſt. Talia ſunt innumera, ſive naturalia, ſive arte producta, quæ vel per ſe, vel igni expoſita, aut frictione accedente, lucem emittunt.

Primum hoc nomen impoſitum fuit Phoſphoro Smaragdino dicto & Lapidi Bononienſi, quia carbonibus vivis impoſitus, lucet, qua indole etiam gaudet Androdamas Scheuchzeri. Poſtea Balduinus, celebris Chymicus, anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo quinto, Phoſphorum hermeticum, ſeu magnetem luminarem publicavit, quo nomine donavit lapidem aluminoſum, quem in calcinatione nitri detexit. Boyleus vero differentiam inter phoſphorum & noctilucam conſtituit, quorum illi Lapis Bononienſis & Phoſphorus Balduini lucem, aliunde, ab objecto lucido ſole vel igne illuſtrati, accipiunt, & aliquandiu in tenebris lucent. Noctiluca vero tale corpus ſignificet, qnod citra præviam extrinſecus factam illuminationem, inſita luce in tenebris fulget. Vid. *Act. Erudit. Tom. I. anno* 82. *pag.* 54. Lucem præterea ſpargunt in tenebris, inſecta quædam lucida, lignum putridum, ſaccharum contritum, mercurius vivus, commotus in barometris, ipſa aqua maris commota, & ſexcenta alia, uti in vulgus notum eſt. De his autem in præſenti agendi non eſt locus, potius accedimus ad Phoſphorum, de quo in præſenti ſermo eſt, ex urina paratum, qui lucem in ſe continet, atque nil niſi lux concentrata eſt, quam perpetuo ſpargit in ſicco, atque propterea noctiluca, imo perenniluca appellatur.

Thesis II.

Primam ejus inventionem, ut exponitur in Diſſertatione, Præſide B. Albino olim Celeberrino Profeſſore anno MDCLXXXVIII. Francofurti ad Oderam a Klettwigio Auctore habita, debemus cuidam chymicis laboribus devoto, cognomine Brandt Hamburgi, quod ſecretum innotuit Kunckelio & Kraftio, in chymicis laboribus verſatiſſimis, ſed hic præ illo felicior fuit, & proceſſum certo quodam pretio obtinuit, quamobrem etiam Phoſphorus Kraftii vocatus eſt. Comierius tamen in Tractatu de Phoſphori, qui in actis Erudit. menſe May 1684. recenſetur, ejus inventionem nec Germanis nec Italis adſcribendam eſſe diſputat, ſed Fernelio ſuo adjudicat, cui diu ante Kraftium cognitum fuiſſe vult, ac propterea Phoſphorum Fernelianum Kraftii appellat. Interea etiam portio maſſæ, præparationi phoſphori deſtinatæ, in manus Kunckeli incidit, qui pro ſua ſagacitate, quid rei eſſet, ſtatim ſubodoratus eſt, quique toties præſente B. Kirchmayero *Patre, Academiæ hujus Profeſſore* olim celeberrimo, & tum circumſtantias tum cauſas diligenter obſervante, proceſſum Wittembergæ elaboravit ac perfecit, uti hic in Commentatione Epiſtolica de Phoſphoris & natura lucis nec non de igne anno MDCLXXIX, Wittembergæ edita §. VII. pag. 11. teſtatur. Qui etiam Diſſertationem de noctiluca conſtante & per vices fulgurante publicavit, quæ videri poteſt in Miſcellan. Natur. curioſ. Decad I. anno VIII. Interea Kraftius in Anglia Boyleo innotuit, eique faſſus eſt materiam Phoſphori ad corpus humanum aliquo modo pertinere, qui laboribus in variis humani corporis partibus factis, tandem voti particeps redditus eſt. Kunckelii igitur & Boylei induſtriæ infinitis laboribus Phoſphorum, caſu Hamburgi a Chymico inventum, tribuit merito Diſſertationis ſupra memorati Auctor, dicens, ſe mirari Boylei patientiam, modo falſorum proceſſuum deſcriptione, modo aliis impedimentis deluſum, non tamen delaſſatum fuiſſe, Kunckelium vero retuliſſe, ſe tantos impendiſſe labores, ut plurimi, ſe lapidem Philoſophorum tanti mercari nolle, affirmaverint. A Boerhaavio vero Kraftii, Kunckelii & Boylei Phoſphorus vocatur.

Thesis III.

Deſcribitur ibidem proceſſus ſequentibus verbis in ſupra citata diſſertatione Kletwigii *Theſi III*; acceperunt urinam putrefactam, ope levis caloris, quicquid ſpirituoſi & humidi inerat, evocarunt, donec reſiduum conſiſtentiam ſyrupi craſſioris aut extracti liquidioris haberet, quod miſtum cum arenæ albæ & puræ triplo, retortæ firmæ amplo recipiente adaptato indiderunt. Juncturis omnibus luto probe munitis,

nitiis, igne aperto ſex horarum ſpatio per gradus deſtillarunt, ut omne phlegma cum ſale volatili & oleo tranſiret in recipiens. Quo facto ignem vitrariorum per alias ſex horas urſerunt, atque ita vapores albicantes copioſi, iis, qui in deſtillatione olei vitrioli apparent, analogi recipiens obſcurarunt. Aliquamdiu poſt recipiente reddito claro, alii acceſſere, qui flammam cœruleam, ſulphuris incenſi æmulam, exhibuerunt, Tandem vero igne vehementiſſimo ſubſtantia conſiſtens & gravis, & lumen emittens finem deſtillationi impoſuit. Tentavit vero Auctor Theſi VII, utrum idem obtineri poſſet ex urina, omiſſa fermentatione & putrefactione, quamobrem urinam recenter emiſſam in vaſe ferreo ſucceſſive evaporavit, ac reſiduum cnm triplici parte arenæ miſtum deſtillationi expoſuit, & eadem fere phænomena vidit, ac idem productum accepit. Confirmat hoc BOERHAAVIUS *Chemiæ Tom. II. part. II. Proceſſ. CI.* in uſu adjecto, urina recens deſtillata, eadem omnino dat, quam putrefacta: addunt autem loco arenæ, carbonum ligneorum pollinem triplum, aut duplum carbonum & dimidium aluminis in præparatione phoſphori, uti videri poteſt, *ibidem Tom. I. parte II. p.* 379.

THESIS IV.

Quamvis Phoſphorus non tantum ex urina ipſisque excrementis, atque ſanguine, quin etiam ex vegetabilibus, Sem. Sinapeos, melle, parari poſſit, nobis tamen cum illo ex urina profecto, nunc ſaltem res eſt, adeoque hujus indoles & elementa ad Phoſphori naturam intelligendam noſſe convenit. Liquor hic excrementitius, uti notiſſimum eſt, ex potulentis & alimentis liquidis ortum trahens, cum ſanguine, circuitu vitali circumactus ex hoc in renibus ſecernitur, atque per ureteres pro excluſione ad veſicam abducitur. Ejus analyſin chymicam, nemo forte felicius peregit, magno BOERHAAVIO, uti videri poteſt *in elementis chemiæ Tom. II. part. III. Proceſſ. XCII. ſequentibus.* Sumſit lotium hominis ſani, horis duodecim poſt ultimum cibum potumque redditum. Hic liquor, cum tanto tempore in corpore humano fuit, cum omnibus fere humoribus, per cuncta ejus vaſa fluxit, atque poſtquam cruda urina, quæ ante duodecim a paſtu horas confecta fuerat, dimiſſa fuit, demum redditur, propriam humorum naturalium & elementorum eorundem perfectiſſime exhibere, ſcite judicat. Hoc enim, inquit, eſſe lixivium aquoſum, quod abluit, ſibi miſcuit, nunc extra corpus exhibet, quidquid in aqua ſolvi & per tenuia vaſcula uropoietica renum transfluere poteſt. Hanc urinam non eſſe acidam, non tantum ex ſapore & odore, ſed variis cum ea experimentis factis, ut & exemplo ſingulari evincit. Urinam quippe viri, copiam ingentem vini rhenani acidi ſatis & cereviſiæ aceſcentis, cum ingenti copia aceti ad

obſonia

obſonia & fructuum horæorum comedentis bibentisque, duodecim horis hoſpitatam in corpore, nihil prorſus acidi ullo experimento dediſſe, teſtatur. In tali tamen lotio nihil eſſe unquam alcalini alicujus, immiſcendo varia acida, a quorum infuſione nil effervefcentiæ obſervavit, demonſtrat. Ex his in uſu addito colligit, naturam humanam acida mutare, ut talia non amplius ſint, nunquam tamen ſalva ſanitate ſales alcalinos generari, ſed ſales neutros. Proceſſu tamen C lotium idem digeſtum alcaleſcere atque calorem, odorem, ſaporem & vires mutare, atque proceſſu CI. poſt digeſtionem deſtillans, ſpiritus alcalinos, oleum fœtidiſſimum, ſalem volatilem alcalinum oleoſum, phoſphorum & ſal marinum præbere, docet. Annotatione dignum eſt, quod HANCKEWITZ *in tranſactionibus Philoſophicis volum. XXXVIII. Num* 428. *II.* teſtatur, ſe nunquam verum Phoſphorum in alia materia invenire potuiſſe, præter in tali, quæ digeſtionem in animalibus paſſa fuerat nunquam vero ex rebus crudis & indigeſtis, quod de ſe gloriatus fuit KUNCKELIUS, cui idem, pluribus experimentis factis niſus, contradicit.

THESIS V.

Phoſphorus paratur ex humoribus animalium, imprimis urina, maxime prius putrefactis, quæ omni volatili parte, quæ ſalem & oleum continet, orbatis, carbonis ſpeciem reliquit, & hæc cum triplo arenæ, aut carbonum ligneorum, polline triplo, aut cum duplo carbonum & dimidio aluminis miſta, dat phoſphorum, uti habet laudatus BOERHAAVE *Tom. I. part. II. p. m.* 379. *de igne generato in corpore frigido ex ſolo acceſſu aeris.* Hic Phoſphorus KRAFTII, KUNCKELII, BOYLEI ab auctoribus iſtis dictus, manifeſtum acidum continet. Ipſa enim aqua, ſub qua conſervatur, acorem contrahit, & ſaporem acidum habet. In aere vero accenſus, lucet, & tandem conflagrat, atque microſcopio inſpectus, motum ebullientem oſtendit perpetuum partium internarum, & paulo poſt in flagrantiſſimas flammas accenſus, conſumitur, reliquit oleum vitrioli, aut ſimillimum acedine & pondere liquorem. Supra citatus auctor diſſertationis ſub præſidio ALBINI habitæ, inter experimenta cum phoſphoro facta, Theſ. XII. Obſerv. 7. annotat. Liquidum a deflagratione phoſphori relictum, pondere eundem ſuperaſſe, atque illud experientia Slarii confirmat. Unde hoc acidum ſit, ſe ignorare fatetur ſcientiſſimus BOERHAAVE loco ſupra citato proceſſ. CI. an forte, quia alumen illi conficiundo additum fuerat? Sed quia etiam ſine alumine præparatur, forſan a ſale marino, quod urinæ humanæ ineſt, derivandum hoc erit.

THESIS VI.

Inter omnes, qui in mari verſati fuerunt, conſtat, mare noctu ſplendere & lucere, præſertim ſi fluctus ſunt vehementiores a tempeſtatibus. *In Ephemerid. German. annot. obſerv.* 22. *pag.* 55. RUMPFIUS *in epiſtola ad* MENTZELIUM *ex Inſula Ambona* exarata, & ab hoc Norimbergam ad VOLCKAMERUM miſſa, occaſione noctilucarum rerum narrat, mare maximum, quod Bandanas Inſulas 30. milliaribus verſus ortum diſſitas circumfluit, bis quotannis Junio & Auguſto noctu adeo candeſcere, ut nivis inſtar ſplendeat, interdiu vero conſuetum cum aliis aquis colorem habere. Orat propterea collegium naturæ curioſorum, an non ex chymicis ſecretis hoc declarari poſſit? præparando aquam aliquam noctilucam e ſulphureo aluminoſo ſpiritu, aquæ ſalſæ permiſto. Hoc inde conjicere ſe ait, quia Inſulæ fere omnes, circumjacentes ad propinquam uſque novam Chineam, tot Vulkanis onuſtæ ſunt, aut fodinis ſulphureis ſcatent, ut credat, totum hujus maris fundum, ſulphure prægnatum eſſe: alumen plumoſum comitem ſemper habere. Credit propterea, circa novilunia menſium prædictorum, aluminoſum illud ſulphur vapores quoſdam exhalare, qui aquis marinis mixti eas noctu ſplendidas faciant. Quandoquidem vero hæc ſententia meris conjecturis nititur, eam ſuo loco relinquimus. VARENIUS *in Geographia generali, Prop. XVII.* in quæſtionis, de luce nocturna maris, ſolutione, phænomena, inquit, requirere difficilis iſtius de cauſis colorum Diſputationis cognitionem, de quibus variæ Phyſicorum ſententiæ. Ad præpoſiti phænomeni explicationem commodiſſimam ipſi videri doctrinam, quæ colores a certo varioque motu exiſtere, ſive potius apparere docet. Accuratam expoſitionem phyſicis relinquit.

THESIS VII.

Nos cum B. Parente aliisque Phyſicis nullam aliam cauſam & materiam lucis agnoſcimus, præter ipſiſſimum ætherem, fluidum illud ſubtiliſſimum per hoc univerſum expanſum, quod cuncta pervadit, omnium corporum poros replet, atque motu celerrimo, rapidiſſimo & perniciſſimo, eoque rectilineo, lumen producit, *vid.* B. CHRISTIANI VATERI *Phyſiolog. Experimental. Sect. II. cap. VIII.* Hæc materia ſubtiliſſima ab Omnipotentiſſimo & Sapientiſſimo Creatore in ſole & ſtellis congregata eſt, ut ab iiſdem tanquam fontibus & centris, ejus motus perenni fluxu, per univerſum mundum deferretur & diſtribueretur, unde etiam iſtis præſentibus & non impeditis, tantum lucem cœleſtem, remotis vero tenebras habemus. Iſtis tamen magnis luminaribus remotis, lux etiam in tenebris excitatur & conſervatur, ubicunque æther in

tranſitu ſuo velociſſimo concentrari & in motum ejusmodi rectilineum redigi poteſt. Confirmant hoc experimenta electrica, quibus nihil aliud fit, quam quod globulo vitreo motu rapidiſſimo vorticoſo circumacto, accedente frictione, lux excitatur, atque circumſtantibus ſe invicem contingentibus in immenſam diſtantiam propagatur. Idem etiam contingit in corporibus noctulentibus, ubicunque æther in tranſitu ſuo velociſſimo concentrari, & in motum ejuſmodi rectilineum redigi poteſt. Fit hoc præprimis in corporibus reſinoſis & ſulphureis præ ceteris ad concentrandam & gyrandam materiam cœleſtem aptiſſimis, quale eſt phoſphorus noſter.

Thesis VIII.

Tale autem corpus ſulphureum & reſinoſum eſſe phoſphorum, docet tum materia e qua generatur, tum ejus indoles. In aqua enim ille non ſolvitur, ſed in ſpiritu vini rectificato aliiſque menſtruis ſulphureis, oleis deſtillatis, quale inprimis eſt oleum caryophyllorum aromaticorum & cinnamomi, in oleo vero terebinthinæ ſolvi quidem, ſed non lucere obſervavit, *Auctor Diſſertationis ſupra citatæ Theſ. XII. Obſerv. XIV.* cum Boyleo, qui inſuper oleum macis & aniſi illum haud attingere addit. In & ſub aqua non lucet, quia acceſſus liberior aeris denegatus eſt, quemadmodum ſub antlia in vacuo non lucet. In ſpiritu vini ſolutus, agitato hoc ſpiritu pariter non lucet, eodem tamen aquæ inſtillato, quam primum idem aquæ ſuperficiem attingit, lucet. Notatu dignum vero eſt, quod idem *obſervatione XVII.* annotat, in ſpiritu vini tartariſato quidem ſolvi, ſed hunc ſpiritum aquæ inſtillatum, nullas ſcintillas emittere, ſperaverat enim ſpiritum tartariſatum felicius, ſoluturum phoſphorum, quod experimentum nos fecimus, & verum deprehendimus. Accepit *idem* unicum granum, illudque primum unciis ſeptem ſpiritus vini, ſine tartaro rectificati, infudit, & cum in hoc phoſphorum quidem imminutum, ſed non ſolutum videret, uncias quatuordecim ejuſdem ſpiritus addidit, a quibus omnimode ſolutus eſt phoſphorus, illumque vi lucendi impraegnavit, ut ſingulæ guttulæ, phoſphoro valde ſaturatæ, aquæ inſtillatæ flammam late ſpargerent. Sed drachma dimidia hujus ſpiritus cum drachma dimidia ſpiritus vini diluta, ſingulas quidem guttas adhuc lucem emiſiſſe, ſed ſcintillis minoribus; atque eodem ulterius diluto affuſione drachmæ dimidiæ ſpiritus, nullas ſcintillas amplius apparuiſſe, docet.

Thesis IX.

Diffuſa illa vis, inde infert Auctor noſter loc. citat. *Theſ. ultima XIII. quam in Phoſphoro animadvertimus*, præter poros ſpecifice tales, illos

illos eſſe vix credibilis & imaginabilis parvitatis, indicio. Cum enim in minima quantitate maximam molem imprægnare poſſit, & ita quidem, ut vim lucendi retineat, hoc eſt, in tam ſtupenda particularum diſgregatione, ſingulæ proportionatam ſtructuram retineant, quanti *quæſo erunt pori?* ad hujus demonſtrationem aſſumpſit ſpiritum, in quo granum unum ſolutum, cujus ſolutionis quælibet guttula aquæ inſtillata flammam circularem late ſparſit. Ad indagandum numerum guttularum in ſpiritu contentarum, ejuſdem drachmam dimidiam ponderavit, cujus ducentas & viginti guttas deciduas numeravit. Computatione facta, cognovit granum unum Phoſphori in ſpiritu vini ſoluti 73920 ejuſdem guttas, imprægnaſſe, ut plenam lucem in ſuperficie aquæ ſpargerent. Diluto vero hoc ſpiritu, additione alius novi, guttas ſingulas adhuc lucem emiſiſſe, adeoque granum Phoſphori unum 110880 guttas & in ſpiritu magis diluto vim lucendi adhuc perſeveraſſe, ſed valde imminutam, adeoque granum unum per 147800 guttas expanſum fuiſſe. Ponendo ergo ſolummodo, quamlibet primæ imprægnationis guttam dimidii pollicis quadrati ſuperficiem aquæ texiſſe, quamvis multo magis expanſa fuerit, concludit, unicum granum ita diductum eſſe, ut trecentos ſexaginta novem pedes quadratos tegere poſſit. Merito ergo exclamat: *Stupenda hæc ſunt*, ſed nihilominus vera magis, tamen ſtupendum eſt, ſingulis partibus ſuam adhuc conſtare texturam, ita ut pororum requiſitam conſtantiam tueri poſſint. Agnoſcas, mecum mirabilia ejus opera, qui in minimis maximus eſt, cui ſit *Laus & Gloria in ſecula*.

THESIS X.

Ex hac immenſa & incomprehenſibili atomorum lucidorum, in exigua Phoſphori particula concentratorum copia, ineffabili eorum ſubtilitate atque mobilitate, atque infinita diviſibilitate materiæ, ob quam in immenſum extenditur, derivari debet virtus medica. Ea propter in corpus aſſumtus phoſphorus, motu perniciſſimo per totum corpus expanditur, cuncta pervadit, in vaſa ſubtiliſſima, imprimis canales medullares, cerebri nervorumque anguſtiſſimos* penetrat, impedimenta motui obſtantia removet, obſtructiones ſolvit, vias reſerat, adeoque vires auget. Non equidem lucem ipſam, qua talem, hoc perficere, putandum eſt, quaſi flammulam vitalem ex ſenſu veterum in corde habitantem fatiſcentem, reſtaurando, aut irradiatione ſua ſpiritus animales lucidos augendo, totum corpus intus illuminet, ſed ſoli motui rapidiſſimo effectus adſcribendi ſunt. Luci quippe phoſphori effectus non magis tribuendus erit, quam fulguri auri fulminantis virtus, alvi adſtrictionem referandi. Convenit igitur phoſphorus tum natura atque qualitatibus cum materia electrica, quam conſtituit ipſe æther. Idem enim in phoſ-

 phori

LIBRARY
Founded 1913
SCHOOL OF MEDICINE

phori ſubſtantia ſulphurea & reſinoſa, ad concentrandam & gyrandam materiam cœleſtem aptiſſima, concentratur. *Vid. B. parentis phyſicam experimentalem loc. citat. exper.* I. Sed phoſphorus non tam violenter, ut vortex electricus, ſed multo blandius agit, nec ullas turbas, in corpore producit, quales ab hoc metuendæ videntur; electriſatio enim, obſervante laudato D. KRAZENSTEINIO, pulſum in corpore ab 80, primum ad 88, tandem ad 96 auxit, quod ope horologii, minutis ſecundis inſtructo, examinavit, *vid.* Dn. GRALATH *loc. citat.* §. 59. Hic etiam *in Tentamine Gedanenſi N. XIII*, ope machinæ, a Decano Capituli Caminenſis, de Kleiſt inventæ, viribus electricis auctæ §. 19. ſeq. animalia minora occidit, quibus apertis, ſugillationes, obſervatæ in viſceribus interioribus, indicio fuerunt, radium electricum ad ea penetraſſe. Imo concuſſiones totius corporis & artuum, ope machinæ viribus auctæ, in hominibus excitare, a qua palpitationes cordis aliaque ſymptomata inducta fuiſſe novimus, monere nos debent, ut cautius cum hominibus procedamus. A phoſphoro contra in ſubſtantia aſſumto, nulla prorſus incommoda in corpore obſervare potuimus, experimentis cum eodem iterato inſtitutis. Præter ætherem puriſſimum in Phoſphoro concentratum, conſiderationem etiam merentur partes ſulphureæ & reſinoſæ, quæ viribus medicamentoſis reſolventibus gaudent, nec ſalinæ acidæ volatiles negligendæ ſunt, quæ roborando genus nervoſum, opem præſtare poſſe, ſpiritus formicarum & ſal volatile ſuccini confirmant.

THESIS XI.

Uſus phoſphori in phyſicis ſatis notus eſt, ut opus non ſit, verba de eo facere, ſed de uſu medico altum ſilentium, quia de eo ſilent, quotquot evolvimus, auctores medici atque acta ſocietatum eruditarum. Unicum tantum exemplum, phoſphori interne adhibiti & laudati, invenimus, in *commercio litterar. norimb. A. MDCCXXXIII. hebdom. XVII, pag.* 137. *ex celeberrimi* D. D. JO. GEORG. HENRICI KRAMERI, antehac archiatri ſaxonici communicatione relatum. Laudatus vir ibidem communicavit duos phoſphoros, alterum animalem, alterum vegetabilem, nullo adhuc typo, ut dicit publicatos, quorum ille animalis a pharmacopeo quodam elaboratus, veri genuinique phoſphori nomen in omnibus, quæ ad medicum effectum lucendique virtutem pertinent, tueatur. Eſt hic nihil aliud, quam ſpiritus ex urina, prægreſſa putrefactione, atque liquoris reſidui prius per filtrationem ab impuritatibus ſeparati, deſtillatione paratus, & ſepties inſtituta rectificatione rectificatiſſimus factus, cum ſale ſuo volatili atque ſale fixo, ex reſiduo primæ deſtillationis educto, imprægnatus. Hujus ſpiritus gut-

tulam

tulam, totam manum hac affrictam & inunctam, abſque ulla combuſtionis nota ſenſuque, lucentem non tantum efficere, ſed ejuſdem etiam, ſale ſuo volatili & fixo gravidi, guttis ſpiritu vini rectificatiſſimo inſtillatis, offam ſive maſſam helmontianam dulcem, albam, neque non diaphanam, ſed duram exſurgere, dicit. Hujus offæ granulum unum alterumque aqua appropriata idem ſolvit, ejuſque ſolutionis, gratæ, ſuavis ac limpidiſſimæ, neque odoræ, guttas aliquot cum alia aqua vel appropriata, vel potu ſolito, pro ætate varia miſcet. Unica ſic propinata doſi plurimos epilepticorum paroxiſmos etiam habitu valentes, adeo ſopivit, ut ex parte ultra annum penitus receſſiſſent, ſanavit idem incantationis inſtar, tam maniaca, tam melancholica, delirationum genera, ut delirantes, ad mentem ſanam rerum peractarum toti neſcii, mox hinc reverterentur. Eodem quoque modo febrium continuarum & continuentium calorem procul abeſſe juſſit, uti ibidem *loco citat.* legere licet. Hæc maxime concordant, cum iis, quæ hactenus de phoſphori virtute medica expoſuimus, eaque mire corroborant & confirmant. Sumſimus nos etiam ſpiritum vini rectificatiſſimum, phoſphoro modo ſupra memorato ſoluto turgidum, & ſolutionis hujus drachmas duas aquæ inſtillavimus, atque potui dedimus, quæ ſolutio cum phoſphoro iſto liquido, quidem comparari non poteſt, quia drachma una noſtræ ſolutionis, vix milleſimam grani partem continet, non tamen omni effectu caruit.

THESIS XII.

Ita ergo uſum medicum phoſphori ſatis ſuperque, ut ſperamus, demonſtravimus atque confirmavimus. Noſtro judicio, phoſphorus ſuperat viribus omnia analeptica, quocunque nomine veniant, ſalia volatilia, balſama vitæ, aliaque id generis, quæ orgaſmum nimium inducendo, facile nocere poſſunt. Phoſphorus vero blandiſſime & inſenſibiliter operationem ſuam perficit. Argumentum hoc quidem adeo dives, prolixum atque diffuſum eſt, ut plura ad illuſtrationem addi potuiſſent, ſi temporis penuria & negotia alia hoc permiſiſſent. Tantum igitur nobis in præſenti ſufficiat in re plane nova præſtitiſſe.

SOLI DEO GLORIA.

CCXLIII.

JOANN. JUNCKER,

ET AUCTORIS

MART. FRID. BOEHMER;

CASUS CUJUSDAM MATRONÆ

LARGISSIMO OPII USU, PER PLURES ANNOS TRACTATÆ.

HALL. 1744.

PROOEMIUM.

H*Omini ingenuit ſummus ille rerum Parens* SENSUM VITALEM; *quodque adeo verum eſt, ut experientiæ fundamento contradicere mihi videatur, qui illum præſentis illuſtris ſæculi figmentum videre, aut cauſas, quibus probatur, ceu minus ſufficientes criminari velit. Verum quot ſunt individua, tot fere diverſi ſunt illius ad ſua objecta habitus. Non excurram in ea, ne ſcopo meo aberrem, quæ moralem hominis naturam concernunt, ſed intra eorum limites me continere neceſſum erit, quæ reſpectibus medicis ſubjacent. Manifeſto ille demonſtratur in omni* rerum *ſic dictarum* non naturalium *uſu, quas inter etiam* conſuetudo *eminet, qua cognita atque perſpecta, etiam quæ intellectu difficilia alias ſunt, ſatis ſuperque intelligi atque enucleari poſſunt. Cujus veritatis teſtimonium habemus in medicamentorum adſumtione, & hæc inter eminet ille malorum domitor, ille motuum impetuoſorum rebellium, effrænatorum Hercules,* OPIUM. *Quam varia autem illius ſit pro individui differente ratione receptivitas, quam diverſos edat effectus, quin & in variis individuis ſæpe ſibi invicem contrarios, caſus præſens clare ſatis & ad unguem demonſtrabit. Faxit* Deus, *cui ſoli ex malis producendi bona poteſtas eſt, ut omnia, gratia ſua duce, cedant feliciter.*

HISTO-

HISTORIA MORBI.

Matrona quædam plus 50 *annorum, temperamenti ſanguineo - melancholici, vitæ ſedentariæ quam maxime addicta, per plures annos motus hyſtericos largiſſimo opii uſu ſublevavit. Depubis nunquam cum ſanitate in gratiam rediit, cumque ad pubertatis ætatem accederet, & menſium prima periodus inſtaret, ipſius parens in morbum ſpaſtico - arthriticum incidebat, quo novem hebdomades, & ultra, detinebatur. Una illa, parenti cariſſima, ſemper fere lateri illius adfixa, per illud temporis ſpatium ſi non inſomnes ducebat noctes, ſomno tamen ſæpe interrupto fruebatur. Subſequa parentis morte, menſes non tantum ſubſiſtebant, ſed & ægra in melancholiam hyſtericam incidebat. Præcordiorum anxietates tantum non continuas, quibus pertinaciſſimæ vigiliæ erant aſſociæ, ſenſuum perturbationes tandem minari videbantur. Medicus in auxilium accitus, & in opii uſum promptus paratusque, pro conciliando ſomno, ſtatim opium porrigebat, quod vero ægra concomitantibus cardialgiis & motibus convulſibis vomitu iterum reddebat; ſed hoc non obſtante, opium, cuneo cuneum quaſi trudendo, continuabatur tam diu, uſque dum non dicam ſomnus ſenſu medico naturalis, ſed ſemi - ſomnus ſtupor,* coma *mentiens, ſuccedebat. Durabat hoc malum uſque ad undeviceſimum annum, ſub quo tempore opium ſacra anchora erat & auxilium. Sola menſium præſentia excipiebatur: qui fluxus, quod mirandum, ordinariam ſuam periodum ad annum fere quinquageſimum uſque ſervavit. Præterea animi pathemata, præſertim terror, iracundia, dein varia infortunia malum exaſperarunt tantopere, ut ægra pro quotidiano uſu drachmam opii unam, & interdum, ob paroxyſmi vehementiam, unciam ſemis ſumeret, perque multos annos continuaret. Quod ad hæmorrhagias artificiales attinet, quater & ſex per annum venam ſecari paſſa eſt. Symptomata, hujus mali comites, ex ore ægræ excepta, & propriis ipſius verbis expreſſa ſequentia ſunt: „ occupat artus, inquie„ bat, motus tremulus, omneſque nervos diſtrahens, mox ignem quaſi per „ venas volaticum, mox quaſi glaciem fuſam eaſdem tranantem ſentio. Et „ hæc tamdiu durant, uſque dum motuum ſævitia lunavit corpus ut ar„ cum ſinuoſum. Sub hoc tempore etiam cor uritur, ac ſi carbones ardentes „ ipſi impoſiti eſſent, ita ut oneri ſuccumbere & animam agere videar, „ locumque quærere debeam, ex hiſce cruciatibus emergendi. (Nondum fi„ nitur Oreſtes). Ceſſante hoc paroxyſmo manuum, quaſi in inteſtina mea „ graſſantem, ſcindendo illa, ſentio; & omnia hactenus recenſita prius ſæ„ vire non deſinunt, quam ad ſacram anchoram confugio, nimirum ad opium, „ quo ſumto omnis tumultus conſopitur omnia ſilent. Huc uſque matronæ verba*

verba. Nullus dubito, quin multorum Medicorum auxilium imploraverit. Fuerunt, qui hirudinum adpoſitionem ſuaſerunt. Alii crebro pilularum balſamicarum, *&* eſſentiæ dulcis *uſu malo mederi conati ſunt. Ipſe noſter* HOFFMANNUS *b. m. ut ægra opii conſuetudinem abjiceret, alium, ea inſcia, ſubſtituit liquorem: ſed omnia non tantum incaſſum adhibita, ſed & cruciatibus vix tolerandis ſtipata fuere. Cæterum errores in diæta admiſſos, admodum ferre valet, exceptis animi pathematibus, quippe quæ non tantum ſuſcitandis ſed & exaſperandis paroxyſmis occaſionem præbent. Notabile etiam eſt, quod pulſus durante paroxyſmo naturalis obſervetur. Æque notatu dignum eſt, quod ſæpe per 8. 9. hebdomades, comite adpetitus proſtratione, clauſa ſit alvus, & non alia ratione, quam crebro enematum uſu ſequior reddi poſſit, quo facto excrementa in globulos duros figurata, alvo ferantur.*

CAPUT I.

PATHOLOGICUM.

§. I.

PRimum in reſolvendis caſibus clinico-practicis eſt, noſſe morbum, & quo nomine Medicis veniat. Quo utroque, ſi Medicus deſtituitur, ſine duce & luce errabit, ſimulque hiſtoriam, geneſin, prognoſin, ſymptomata, medendi methodum ignorabit.

§. II.

Tantum non omnes ultro concedent præſentem morbum eſſe malum, quod vocari ſolet hyſtericum, vel, interprete morbi hiſtoria, ſi malum hypochondriacum interſcenia ſua luſerit, *hypochondriaco-hyſtericum.*

§. III.

Differunt *in definiendo* ſontico hoc malo medicinæ antiſtites. Schola mechanica tradit definitionem, *quod ſit affectus generis nervoſi ſpaſmodico-convulſivus, ab uteri ſanguine in ejus vaſis retenti vel corrupti proveniens, & per nervos oſſis ſacri ac lumbares & totam medullam ſpinalem univerſi corporis partes nervoſas plus minus infeſtans.* Cum vero hæc definitio in cauſis materialibus deſinat, ſequentem potius ſequor ſcholæ organicæ definitionem. *Eſt molimen naturæ ſanguinem in ſyſtemate, venæ portæ,*

portæ, ſcilicet in utero & annexis vaſis ſtagnantem, vel aliam in hiſce partibus læſionem, motibus præter naturam auctis, diſcutiendi, abſtergendi, circulationemque ſanguinis per illas reſtituendi.

§. IV.

Et cum ſecundum rationalem morborum tractandorum methodum receptum ſit, *hiſtoriam morbi completam* præmittere, ita eandem ſecundum recentiores & recentiſſimos medicinæ duces, ut BALLONIUM, HOLLERUM, MERCURIALEM, HEURNIUM, LANGIUM, ETTMULLERUM, SYDENHAM, BOERHAAVIUM, FR. HOFFMANNUM, JUNCKERUM &c. exhibere convenit.

§. V.

Prodromi inſtantis paroxyſmi ſunt oculi ſponte lacrymoſi, viſus obnubilatio, ſenſuum & mentis languor, omnium rerum tædium.

§. VI.

Ipſius autem mali comites ſunt, omnium membrorum ad ſenſum gravitas, ſpiritus trahendi difficultas, ingens ad matulam ſtimulus, urina ad aquæ limpidæ inſtar eſt. Succedunt horrores, ventris inflatio, hypochondriorum & umbilici retractio, globi ex inferiori abdominis regione ad hypochondria & diaphragma, imo collum aſcendentis ſenſus, ſequuntur ſuffocationes uterinæ, palpitationes cordis, pulſus eſt inæqualis & durus, & interdum intermittens, qui experientiæ fide frequentius in hyſtericis ſine exitio obſervatur, ptyaliſmus, ac ſi mercurio unctæ eſſent, porro extremorum frigus, ita, ut æque ac cadavera frigeant; ſumma alvi obſtipatio, tanta ſphincteris ani ſtrictura, ut ægerrime, vel plane non fiſtulam clyſmaticam admittat. Tantopere ſævit interdum malum, ut in quibuſdam convulſivo - epilepticæ artuum motitationes obſerventur; aliæ ſemi - mortuæ ſine ſenſu & motu jacent, & reſtituta voce aliena loquuntur, in aliis effuſus eſt riſus, adhuc aliæ mœſtitia deprimuntur, & quæ ſunt alia. Certe! dies me deficiat, ſi omnem ſymptomatum catalogum exhibere velim. Varietate etiam tam multiplicia eſſe obſervantur, ut SYDENHAM, magnum illud inter Anglos nomen, & optimus hujus mali interpres, dicat: „Tam diverſa, atque ab in„vicem contraria ſpecie variantia, quam nec Proteus luſit unquam, nec „coloratus ſpectatur chamæleon Opp. *Diſſert. de aff. hyſter. pag.* 412. Imo alium interdum mentiuntur morbum. Externa facie colicam bilioſam, vel etiam paſſionem iliacam æmulatur, hinc colica hyſterica au-

 dit.

dit. Sic quandoque in alterutrum ex renibus incuſſat atrociſſimo dolore, quem illic parit, paroxyſmum nephriticum mentitur, ita ut dolor per ureterum ductus propagetur, & ægra ægre dignoſcere queat, utrum hæc ſymptomata a calculo incluſo an ab affectione hyſterica originem ducant. Sed neque veſica ab hoc pſeudo-ſymptomate ac ementito affectu immunis, ita ut urina ſupprimatur perinde ac ſi calculus eam obſtrueret, cum tamen nullus adſit ibidem.

§. VII.

Imminuto paroxyſmi impetu, pulſus, qui antea languidus erat & tactu haud perceptibilis, vegetior redditur, artus ubi occupat calor, frons facieſque ſerena fit & explicatior, ſed tum demum de capitis temulenta adflictione, de gravitate omnium membrorum, præſertim femorum, ac pedum, huic malo obnoxiæ conqueruntur.

§. VIII.

Jam ſi hujus mali hyſterici potiora ſymptomatum momenta, cum caſu præſenti plane ſingulari conferamus, plura adhuc notatu digniſſima offendimus. Præſertim cum Medici incongruo opii uſu, quod tamen præfiſcine dixerim, ſenſum vitalem immediate adgreſſi fuerint, & inde tantæ motuum exacerbatorum tumultuariorum, impetuoſorum, tragœdiæ anſam quaſi dederint.

§ IX.

Multum inter ſe differre malum hyſtericum & hypochondriacum ad unum fere omnes a SYDENHAMI tempore negant. Dari tamen inter utrumque, ſi utriuſque mali *ſedem* attendamus, aliqualem differentiam, negandum non eſſe cenſeo. Malum enim hypochondriacum in ſyſtemate V. P. & connexis viſceribus, malum autem hyſtericum primario, non tamen excluſa V. P. in utero, & connexis partibus ſedem ſuam figit. Et hoc differentiæ dandum, quod hyſtericæ crebriorem mingendi ſtimulum ſentiant, quam hypochondriaci. Præterea hyſtericæ ſæpius ſenſu & motu deſtitutæ in terram concidunt, nihil autem hujus miſeriæ hypochondriaci experiuntur. Reliqua, quæ differentiam concernere videntur, nihilque ad hujus caſus explicationem faciunt, miſſa facimus, ne ubique obvia & ad rem minus neceſſaria obſervaſſe videamur.

§. X.

§. X.

Subjecta hujus morbi eſſe feminas, quanquam nemo ſit, qui dubitet, non omnibus tamen cum moleſtiſſimo hoc malo ſub eodem exacerbato gradu confligtandum eſſe experientia loquitur. Illæ enim potiſſimum ad hanc ſcenam abripiuntur feminæ, quæ ſenſibilioris ſunt conſtitutionis & animi commotionibus parent. Quodque eo magis accidit, quo lautiori victu & vita ſedentaria cum inordinato rerum non naturalium uſu fruuntur. Et cum horum plurima in ægram noſtram conveniant mirum ſane nemini videbitur, eam in hoc malum incidiſſe.

§. XI.

Progredior ad *cauſarum* ſcrutinium. Non autem morabor diſſenſum inter recentiores adhuc gliſcentem. Cauſa princeps, ex qua, ceu equo Trojano, omnia hactenus recenſita & adhuc alia prodeunt mala, eſt circulatio ſanguinis per uterum, & reliqua venæ portæ vaſa ac viſcera (ſive ſit hepar, meſenterium, pancreas, lien, ſive ventriculus) impedita & intercluſa. Unde varii infarctus, ſtagnationes, ſcirrhoſæ collectiones & graviores denique læſiones proveniunt.

§. XII.

Dantur autem læſæ hujus per has partes circulationis, variæ iterum *cauſæ*. Quas inter fœcunda illa morborum mater, *Plethora* eſt. Natura pro habitu corporis gradu determinato, viribus definitis motu in ſolidis utitur, fluida in circulum ducere; nimia autem movendorum moles impedit, quo minus vegete per vaſa humores ferri poſſint Facilius autem & citius in nullis aliis corporis partibus circulationi ſanguinis injiciuntur remoræ, quam in venæ portæ & ſpeciatim uteri vaſis, ob peculiarem harum partium ſtructuram, uti ex Phyſiolog. conſtat. Plethora deinde individuam comitem & pediſſequam habet ſpiſſitudinem ſanguinis. Sub plethora enim excretionum negotium languet, & partium excrementitiarum fit accumulatio, ſanguis jam ex plethora ſpiſſus, vaſa tranans, magis magiſque condenſatur; hinc ob gravitatem & ſpiſſitudinem immobilior redditur, & facilior eſt obſtructionum exortus, præſertim in modo dictis partibus, quæ per ſtatum naturalem jamjam obſtructionibus favent. Cum itaque in ægra noſtra plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis conjuncta fuerit, hiſtoria morbi teſte, quam ex vita ſedentaria, mœrore, & inordinato vitæ regimine contraxit, hinc facilior in hunc morbum tranſitus fuit.

§. XII.

Symbolam præterea ſuam contulit *temperamentum ſanguineo - melancholicum.* Natura pro habitu corporis ſtructi, in ſui miniſterium motuum moderamen inſtituit. Cum itaque ex doctrina temperamentorum phyſiologico - pathologico - medica conſtet, quod in ejuſmodi temperamento motus fluidorum tardior ſit, conſequens eſt, ut ſub motus tarditate ſanguis ſpiſſeſcat, illoque ſpiſſeſcente, præſertim in dictis viſceribus, obſtructiones enaſcantur. Quæ iterum ad matronam noſtram adeo quadrant, ut fere primario hanc ob cauſam, cur huic morbo obnoxia reddita fuerit, concludendum eſſe putem.

§. XIV.

Inter cauſas quoque naſcentis hujus mali refertur *vita ſedentaria.* Ex phyſiologico - pathologicis autem ſatis conſtat, quam valde languidum ſe - & excretionum negotium reddat, quamque abundantiæ & ſpiſſitudini ſanguinis atque humorum impuritati ingignendæ apta ſit, & quam proclive corpus ad varios morbos per ejuſmodi vitæ genus reddatur. Id quod exemplo ſuo comprobat matrona noſtra, quippe quæ ob vitam ſumme ſedentariam, aptum hujus morbi ſubjectum facta eſt.

§. XV.

Ex morbi hiſtoria ſimul patet, ad maximam partem malum exacerbaſſe *animi pathemata.* Neque mirandum eſt: illa enim & celeritate effectus, & nocendi potentia, ceu furiæ domeſticæ, univerſam motuum œconomiam, & omnes partium functiones mirum in modum conturbant. Et licet *mœror* paullulum tardius agat, progrediente tamen tempore ſolida male adficit, motumque fluidorum in iis retardat. Ergo fieri aliter non potuit, quam ut ægra noſtra mœrore adfecta & infortunio preſſa, tam longum tempus nunc in morbo conſumeret.

§. XVI.

Tandem ne tirones quidem medicinæ fugit, quam multum ad ingignendos morbos *incongruus rerum non - naturalium uſus* contribuat, ut crebræ vigiliæ, ſomnus ſæpe interruptus, quo ipſa matrona noſtra ſub parentis morbo diuturno ſatis multumque fuit vexata, ut tandem neceſſario ad hoc morborum genus delabi deberet.

§. XVII.

§. XVII.

Quæ quum ita ſe habeant, & cohors quaſi omnis cauſarum hujus mali una deprehendatur, omnia ſymptomata, ut obſtructiones uteri, menſium turbæ vel plenaria eorum ſuppreſſio, & heterocliti in hiſtoria morbi allegati effectus, non interrupta ſerie optime enukleari & dignoſci poterunt.

§. XVIII.

Dari quidem alias adhuc hujus mali *cauſas* bene novimus, ſed *primario* ad *illas in hiſtoria morbi citatas* reſpeximus. *Incongruam* autem *medicationem* hujus morbi, ad minimum *exacerbati*, *cauſam* extitiſſe, paucis dicam.

§. XIX.

Nimirum notatu digniſſimum caſus noſtri momentum eſt *largiſſimus opii uſus.* Hiſtoriæ naturalis hujus famoſi & decantati in medicina ſubjecti repetitione hic ſuperſedeo, quivis tamen B. L. deſcriptionem inveniet in WEDELII *opiologia.* Ego eorum tantum mentionem injiciam, quæ præſenti caſui lucem fœnerantur.

§. XX.

Multum poſuerunt operæ medici in definiendis *opii partibus conſtitutivis*, in deſcribendo *agendi modo*, & obſervandis *effectibus.* Veterum frigida judicia, opium *frigidis* annumerant ſubjectis. Quod præſertim tuentur DIOSCORIDES, GALENUS, AVICENNA, TRALLIANUS, AETIUS, ÆGINETA, ORIBASIUS, alii; & ea quidem ſubjuncta ratione, quod ſtuporem ſomnum inducat, & caloris nativi igniculum ſufflaminet. Alii calidioris ingenii homines illius *calidam qualitatem* probare nituntur, quos intereſt PLATERUS, BAUHINUS, GESNERUS, ZWINGERUS, QUERCETANUS, SALA, MATTHIOLUS, alii, qui caliditatis argumenta deſumunt, ab odore, ſapore, nimirum amaritie, virtute ſudorifera, ſiti, illius uſum ſequente, inflammabilitate &c. Alii, his miſſis omnibus, aliter ſentiunt: cum enim narcoſin opii ex ipſius elementis non commode & erudite ſatis demonſtrari poſſe crederent, confugerunt ad *qualitatis occultæ* aſylum, & ineſſe opio virtutem neſcio quam myſticam ſomniant, qua ſpiritus animales figat, conſopiat, enecet. Hodie autem analyſi chymica medici edocti, opium ad maximam ſui partem *ſal volatile ſulphurque narcoticum*, & quidem *copioſum*, quod prædominio potitur, contineri unanimes fere contendunt.

§. XXI.

Quod vero ad *modum operandi* attinet, medici mechanici, pro hypotheſi ſua, unice in neceſſitate operandi mechanica deſinunt. Et inter illos nondum conſtat, ſed adhuc ſub judice lis eſt, num vis narcotica *ſalis volatilis*, an *ſulphuris* effectus ſit? Plurimi pro *ſulphure* militant, & opium ſulphure blando, facile reſolubili conſtare putant, & ſicut a variis menſtruis ſpirituoſo-oleoſis, imo ſalino-aqueis promptiſſime ſolvatur, ita etiam in corpore noſtro per particulas ſeroſo-aqueas ſolvi facile poſſe concludunt. Quum præterea ſal ſanguinis volatile cum ſero hanc ſulphuris opiati ſolutionem multum adjuvet, & ſic ſolutum particulis ſuis balſamicis poros cerebri & nervorum leniter obſtruat, ſanguinem blande conſtringi atque coagulari, adeoque opium ſomnum ita efficere quaſi ex tripode dictum conſentiunt. Prouti igitur ſpiritus animales vel libere vel impedite abeant atque redeant, ita etiam pro gradu narcoſin ex ſulphure opii enatam ſibi imaginantur. Audiamus WILLISIUM *Pharmaceut. rational. Sect.* 7. *c.* 1. *opium*, inquit, *vires ſuas exercet ſpiritus animales perimendo, profligando, debellando, conſternendo, & extinguendo.* Quid tandem verbis opus eſt? quantum eſt ſyſtema medicinæ mechanicæ totum, motuum in hoc morbo conſpicuorum ſchema cauſis materialibus adſcribit, iiſque inhæret. SYDENHAM hunc in modum fatur: *Ab hac ipſa ſpirituum ordinatione (in malo hyſterico) naſcitur perturbatio illa, & varians ſubinde tam animi, quam corporis intemperies -- animi robur & conſtantia, quamdiu hoc corporis luto is incruſtatur, firmitudine ſpirituum, eidem famulantium, maxime pendet, qui ſupremum in ſcala materiæ gradum conſtituunt in ipſo entis immaterialis confinio poſiti Opp. p.* 414.

§. XXII.

Quid? ſi vel concedamus anomalicos hoſce ſpirituum motus, ſecundum deſcriptum agendi modum, pendere ab opio, nihilo tamen ſecius, qui huic ſententiæ favent, incumbit, ulterius explicare, *quo modo, qua actione*, ſpiritus animales ſubtiliſſimi vel ſulphure, vel ſale volatili opiato compedibus quaſi irretiantur, ita ut dictatori opio pareant, aut ſe in fugam conjiciant, aut obdormiſcant. Et qui fieri poteſt, ut opii tantillum tanto effectui edendo compar ſit? in corpus enim ſumtum variis modis diluitur, digeritur, ita ut per ventriculum, duodenum, jejunum atque per vaſa lactea, & glandulas meſaraicas, maxime vero per oceanum microcoſmicum delatum ad tantos effectus edendos. Licet porro omnino non amplius ſufficiat a vaſis lymphaticis in ventriculo hiantibus, pars ſubtilior abſorbeatur, ex anatomicis tamen conſtat, quod

vel

vel ipſæ venæ majores V. C. V. P. vel capſula PECQUETIANA, vel ipſe ductus thoracicus lympham vectam ex dictis vaſis copulent, & ſic refluа illa pars abſorbta opii eadem diluitur ratione.

§. XXIII.

Jam ſi vel hæc omnia non attendamus, hypotheſees tamen mechanicæ inſufficientiam evincit diverſiſſimus opii effectus, & dictis antea ipſius elementis ſæpe contrarius. Solemnis quidem ipſius effectus eſt, ſomnum inducere: ſed non exiguus aliorum & diverſorum effectuum, in individuis obſervatorum, catalogus exhiberi poteſt. Ita interdum tantum abeſt, ut ſomnum inducat in quibuſdam, ut potius vigilias augeat WILLISIUS *de ſcorbutica labe lactis* commemorat, quod per plures noctes, hebdomades, licet opiatis, iisdemque validioribus in uſum vocatis, vigiles duxerint, *l. de ſcorbuto C.* 5. Opium, dices, virtutem ſuam narcoticam non exſerere poſſe, niſi in ſubjectis, in quorum ſanguine ſerum ſit proportionatum, quod inſtar menſtrui ſulphur opii narcoticum ſolvat, ut deinde ſolutum agere poſſit Quæ objectio etſi ſpecioſa ſatis, infirmo tamen nititur fundamento; ſiccioris enim conſtitutionis ſubjecta tantum etiam ſeri ſanguini adhuc immixtum habent, quantum ad tantillum ſalis volatilis opiati ſolvendi requiritur. Nonne alia dantur, v. gr. *caſtoreum*, *camphora*, quæ etiam ſulphure abundant, quæ tamen, circumſtantia hac non obſervata, non ſomnum, ſed vigilias inducunt. Celebratur opii vis ſudorifera. Sudores prolicit ſale ſuo volatili, ita, ut interdum, teſtantibus DIOSCORIDE, ÆGINETA, ſudores erumpentes opii odorem ſpirent; ſed non æque in omnibus idem obſervatur effectus, uti etiam noſtro, quod tractamus, exemplo id comprobatur. Notiſſimum eſt, inquit ETTMULLERUS, *Diſſertatione de virtute opii diaphoret. p.* 39. *phthiſicos, vel ad phthiſin declinantes ægros, copioſis ſudoribus nocturnis eſſe obnoxios -- obſervatio autem repetita in praxi me hactenus docuit, præcaveri optime poſſe ſudores hujuſmodi revera colliquativos opii veſpertino uſu*, ſubjunctis aliquot exemplis, & rationibus, quæ vero itidem famoſos illos ſpiritus animales pro fundamento habent. Decantata etiam eſt opii vis catarthica. Certum eſt, inquit WEDELIUS *opiol. pag.* 93. *per experientiam, quod illa, quæ ſulphure copioſo pollent, cum ſale fixo acri purgare modo ἄνω, prout ſulphur longe ſuperat ſal, modo κάτω, ſi ſal ſuo modo excedat.* Sed in ægra noſtra contrarius conſpicitur effectus, quippe quæ, non obſtante opiophagia, alvum pertinaciſſime clauſam experta eſt. Famigeratiſſima eſt opii vis in ſiſtendis clamoſis doloribus, ita, ut monſtrato quaſi gorgonis capite evaneſcant & ſileant, quod ſulphuri ſuo anodyno debetur. Et cujus rei exemplum ægra noſtra ſiſtit, ſed & hic non in omnibus

omnibus reſpondet effectus. Non enim matrona, de qua loquimur, pauca grana edendo conſumit, ſed per diem unciam ſemis devorat. Unde hæc? qua ſolvi hic poteſt ſyllogiſmus ratione? Num mechanica? quod credat Judæus Apella. Hæc ſane ſola conſideratio ad omnem medicinæ mechanicæ pompam diruendam ſufficit.

§. XXIV.

Ut tamen hæc omnia evidentius conſtent, *in altiori adhuc cauſa* hic diverſus agendi modus & effectus ſunt quærendi. Si unice *materiæ*, quod *principio intelligenti* adſcribi debet, tribuimus, cum allegatis rationibus ſane a vero valde aberrabimus. Interim habeant ſibi effectum phyſicum, phyſico-mechanicum! Secundum omnem demonſtrandi rigorem ex cujuſcunque ſubjecti elementis demonſtrentur agendi modus, effectus. Nos per divinioris medicinæ ſyſtema a variis eruditiſſimis æque ac per praxin experientiſſimis, & quorum nonnulli viri adhuc gloriæ ſuæ interſunt, non ita pridem inventum, ſed multos annos obſoletam quaſi, a ſordibus fabuloſis repurgatum & ex tenebroſis ſæculis prioribus iterum introductum, novimus, dari in corpore aliud adhuc divinitus ingenitum principium, quod omnium motuum, in ſanitatem & vitam collimantium, præſidium gerit, quodque autocratia microcoſmica, in corpus ſumta, ut medicamenta, dijudicat, ſeligit, rejicit, eorum virtutes alterat, immutat, invertit, ſuſpendit, corpore exturbat. Et idem illud principium eſt, quod medicationum ἀμετοδια provocatum indignabundum redditur, vid. B. RICHTERI *Diſſ. de ſenſu vitali circa medicationem incongruam*, ita ut deinde motus arripiat, qui vehementia, ordine, tempore, gradu, & ſic porro peccant. Non obſcura hujus indignationis vitalis indicia caſus noſter præbet. Omnes motus in ægra noſtra molimen naturæ erant, hoſtem corporis ſui debellandi, ſanguinem juſto ſpiſſiorem fluxilem reddendi, obſtructionum repagula reſerandi, humores hinc illinc hærentes, impactos diverticulis ſuis deturbandi, excretiones, ut menſium, reſtituendi, functiones omnium partium reſtaurandi &c. Cum vero opii uſu, quo nec ægræ, nec morbo ſomnum conciliabat, in hoc ſalutari negotio naturæ remoræ interponerentur novæ, hinc illæ lacrimæ novumque motuum ſpectaculum.

§. XXV.

Diu ſatis opium in foro medico innotuit, & inter materiæ medicæ ſubjecta recenſeri cœptum fuit, tantaque & ad hodiernum diem uſque *Medicorum* fuit *opiomania*, ut ſymbolum quaſi ipſis fuerit: *ſine quo eſſe nolo.* Tandem, quod maxime mirum, damna exinde naſcentia,

tia, teſte experientia, haud reformidant, ſed falſa ſpe inſecuturæ ſalutis ducti, ſeu ad ſacram anchoram, ad Deum in morbis quaſi tutelarem, confugiunt.

§. XXVI.

Unde fit, ut tam promti ſint ad opii uſum. Sed quam male ἀμετροδον ipſius uſum tulerit natura, probant motus, quibus ſe oppoſuit, contrarii, ut vomitus, cardialgiæ, motus convulſivi. Idem probat contrarius & heteroclitus effectus, ut loco ſomni exſomnis ſtupor; porro hoc evincunt omnium motuum exacerbatio, eorumque tumultuarius decurſus, & pertinacia; tandem ſucceſſiva hujus primo tam inviſi ſubjecti adſuetudo & adplicatio, ita, ut illo adſumto natura acquieverit, omniaque in motuum republica pacatiora facta fuerint.

§. XXVII.

Quibus omnibus præmiſſis ad opii uſum jam attendamus, qui in ægra noſtra eſt largiſſimus, & inter Europæos fere ſine pari. Secundum practicos ipſius doſis eſt vel ordinaria vel extraordinaria. Ordinariam iterum dividunt in infimam, mediam & ſummam, prout vel cum aliis, vel ſolitarie propinatur. Si ſolum adſumitur, doſis in adultis infima eſt gr. j. media gr. ij. ſumma gr. IV-V. Si vero cum aliis maritatur, doſis ad proportionem admixtorum creſcit. Variat etiam pro ſcopo medici vel primario in vigiliis moderandis, doloribus mitigandis & compeſcendis, ſymptomatibus urgentibus leniendis, vel ſecundario, ſi cum aliis combinetur. Extraordinariam doſin indicat conſuetudo, morbus urgens, temperamentorum, climatum diverſitas. Turcis, Perſis, & aliis orientalis oræ incolis doſis ordinaria eſt ſcrupulus ſemis uſque ad drachmam unam, uti WEDELIUS *opiol. p.* 77. *ex* CHRISTOPH. a COSTA, GARC. AB HORTO, PROSP. ALPINO repetit. Europæis cedit in medicamentum, hinc ordinaria doſis ipſis convenit. Dantur tamen inter Europæos exempla extraordinariæ doſeos, quorum recenſione ſuperſedere haud poſſum. Sic WEDELIUS l. c. p. 78. ſequentia refert exempla: ZAC. LUSITANUS dedit incorrectum opium ad gr. XII. in vehementi dolore circa umbilicum. CHARAS adſerit, ſe ſex opii grana ſumſiſſe, neque tamen ſomni majorem vim ſenſiſſe, quam conſueviſſet. Addit inſuper, ſe noviſſe delicatioris naturæ hominem,, qui drachmam ſemis gr. VI. opii ſumſerit, cuique nihil mali exinde acciderit. HOLLERIUS ex RONDELETII ore repetit, militem in ſummo æſtu opii unciam ſemis deglutiſſe *l. de morb. int.* Legatus quidam Galliæ Regis morbo detentus pro conciliando ſomno integras opii uncias devoravit. MONCONNYS *Itiner. Angl.* Plura

non allegabo Autorum teſtimonia. Et quoſdam quotidie drachmas decem opii & ultra comediſſe, ſilentio præteribo. Hac ratione conſimile habemus opiophagias exemplum in matrona noſtra, cui accedit, quod hunc largum opii uſum per tam multos annos continuaverit.

§. XXVIII.

Rapit omnes admiratio, quantum valeat *conſuetudo* ! Imperat, tyrannicam exercet vim in omnes corporis functiones, ſive ſint naturales, vitales, ſive animales. Quin imo ipſorum venenorum vim retardat. Ex hiſtoriæ monumentis conſtat, quod MARSI PSYLLI olim *venena* ſuctu labris extraxerint vulneribus, quod Rex Ponti MITHRIDATES invictum ſe contra *venena* fecerit; porro quod quidam innoxie *cicutam* comederint, quod metallifoſſor quidam ſeptuagenarius Tyrolenſis ſingulis diebus fruſtulum *arſenici* devoraverit, hoc remedio ſe vitam prolongare ſibi, aliiſque perſuadens. HERM. *Cyn. mat. med. Vol. I. Proem. p.* 3.

§. XXIX.

Neminem eſſe credo, qui hoſce mirandos effectus a mechaniſmi legibus deduci atque demonſtrari poſſe; quis putet, tantam ineſſe partibus noſtris ſolidis reactionem, ut v. gr. *venenis* vincendis compares eſſe poſſint. Spirat hoc evidentiſſime altius principium, quod venenum in corpus ſumtum, majori adfluxu, finaliter concitato diluere, ſic dilutum cicurare novit, & innoxium reddere, quo minus deleterias ſuas virtutes in corpus exerceat. Eadem eſt ratio cum aliis ſubjectis, quæ quidem non venenatæ indolis ſunt, ſed vi indolis ſuæ notabilem corpori mutationem inferre ſolent. Licet autocrator microcoſmicus ſeu principium vitale, ſufficiente rerum, qua ſtatum corporis & naturalem & præternaturalem, cognitione divinitus ſit inſtructum, ulterioris tamen & acquiſitæ rerum harum, v. gr. medicamentorum, cognitionis capax eſt, hinc ad nova ſuſpicioſum, vel pavidum interdum ſubſiſtit, ſi vero propius ea introſpexerit, facilius ea fert, seligit, applicat, iiſque longiori uſu conſueſcit, ita, ut deinde ægre, ægerrime a conſuetis avocari ſe patiatur.

CAPUT

CAPUT II.

PRACTICUM.

§. I.

Sed quid fiet tandem de matrona noſtra? Num forſan opium, largiſſima manu propinatum, tam diu continuatum & continuandum, tam avide devoratum, ſpiritibus animalibus furentibus conſopiendis, perdomandis potentiſſimum, effectus edet adhuc incognitos, & inauditos, vel in ſalutem vel perniciem cedentes? Aut verendum, ut natura ob ſummam opii adſuetudinem non amplius illius rationem habeat, aut illius pertæſa, ipſius effectum phyſico-mechanicum inertem reddat, aut effectui hactenus conſueto huic contrarium producat. Certe! malum eſt, quod chronicam jamjam induit indolem. Præſertim hoc fieri adſolet in feminis, ſedentariæ vitæ addictis, animi pathematibus ſæpe agitatis, & congruum rerum non-naturalium uſum adſpernantibus, uti in noſtra ægra factum eſt. Unde tandem mora altas agit radices, & omne medicamentum, in ſubſidium vocatum, refractarium eſt. Hinc eo minor ſpes obtinendæ ſalutis eſt, quo major eſt motuum in matrona noſtra habitus. Practicis ex morborum hiſtoria, & obſervationum practicarum fide conſtat, quam tenaciſſima propoſiti ſit natura, difficile itaque fore divinor, ut natura opii eſum deſueſcat. Interim tamen nondum omnis ſpes valetudinis conſequendæ decollat. Addam ego quædam, ut etiam conſilia & auxilia dediſſe ſaltem videar.

§. II.

Ex hiſtoria morbi conſtat, matronam noſtram opium ſucceſſivo uſu adſueviſſe. Primum parva & ordinaria doſi, aſcendendo ad extraordinariam, uſa eſt. Ex ipſa igitur re conſilium & auxilium capere artificis eſt. Hinc *eadem methodo illius deſuetudo eſt tentanda deſcendendo ſucceſſive a largiori illa doſi ad ordinariam, imo ad plenariam uſque deſuetudinem.* Et quid inde damni eveniet? Tantum non omnes concedent, opium modo motuum feciſſe inducias, majori impetu redeuntium, cum nulla exinde mali funditus tollendi ſpes ſit. Verum hæc ſucceſſiva deſuetudo non ſine ratione inſtituatur, neceſſe eſt. Bene enim novimus, iis, qui peculiari rerum non naturalium uſu hæmorrhagiis artificialibus, & aliis excretionum ſpeciebus, medicamentorum adſumtionis conſuetudine tenentur, ſubitaneas rerum conſuetarum mutationes maxime eſſe periculoſas.

 §. III.

§. III.

Sub ipſo itaque deſuetudinis tempore *cauſarum materialium remotio ſedulo eſt reſpicienda*, quæ naturam ad illos motus eluctatorios ſemper de novo provocant. Ejus cenſus materiæ in matrona noſtra ſunt plethora, & ſpiſſitudo humorum; hinc hæmorrhagiæ artificiales, hactenus conſuetæ, juſto tempore rectoque ordine inſtituendæ, & continuandæ. Præſertim offendiculum illud naturæ, nimirum ſanguis juſto ſpiſſior, ex vita ſumme ſedentaria, & aliis in hiſtoria morbi allegatis cauſis contractus, omni ſtudio removendus. Quum vero ſub motuum ferocia & turbis ἐυκρασία humorum vitioſa reddatur, & ſucci cæteroquin laudabiles in excrementa ſalino-ſulphurea fatiſcant, hinc non fortioribus, ſed benignis corrigentibus & evacuantibus ſuccurrendum eſſe cenſemus. Imo natura, ob incongruas medicationes jam indignabunda, contra materias, quibuſcum ipſi in quotidiano ſe- & excretionum negotio commercium eſt, inſurgit; hinc neceſſe eſt, ut hac ſubdola quaſi methodo blande abducatur, & ſequior reddita ad juſtum motuum tenorem eo facilius revocetur.

§. IV.

Quod ad *rerum non-naturalium uſum* attinet, ante omnia ægra noſtra ſibi caveat, ne patheticarum commotionum intemperie jactetur. Quam male ſibi conſulant, florentiſſimi corporis habitu alias præditi, ſi impetuoſioribus animi commotionibus indulgeant, ſatis notum. Profecto morbum bis patiuntur, qui ſibi ab aliis temperare nec ſciunt, nec valent. Exemplorum catervam claudat matrona noſtra, quæ animi pathematum noxas ſæpe & ſat graviter experta. *Conf. Hiſt. morb.*

§. V.

Supereſt *regimen diæteticum*. Hujus obſervantiſſima ſit ægra noſtra, opus eſt. Et ſi et, ut ipſa confitetur, *conf. Hiſt. morb.* errores in diætæ commiſſos admodum, & ſine ſenſibili noxa ferre valeat, Medicum tamen meliora monentem ſequatur, cum majus præſidium in exactiſſima vitæ ratione in ejuſmodi morbis chronicis poſitum ſit, quam in ſpecioſa pharmacomania. Et tandem, quod *illuſtr. Præſes* in ſingulari Diſſertatione demonſtravit: medice vivere eſſe optime vivere, ut ipſa experiatur, opto.

TANTUM.

GCXLIV.

CCXLIV.

SAM. THEOD. QUELMALZ,

PROGRAMMA

DE FRICTIONIBUS ABDOMINIS.

LIPSIÆ 1749.

α. ω.

QUod quælibet viliores res, etſi utilitate ſua gliſcant, experiuntur fatum, ut flocci fiant, aliiſque pretioſioribus, minori ſæpe uſu conſpicuis, poſtponantur, id medicamentis ſimplicibus, ubivis obviis adminiſtratuque facilioribus, non minus tamen ſalubribus, non raro accidit, ut reliquis pluribus impenſis comparandis prolixoque labore elaborandis ſæpenumero poſthabeantur. Qua in re & ægrotantes, & medicos interdum ipſos genii ſeculique mores paſſim imitari videas, eoque magis, ſi auxilia ejuſmodi lentiorem ſaltem, placide operantem, utcunque interim ſecuriorem præſtent effectum. Frictiones ſi nuncupem, a veteribus tanto in pretio habitas, ut vel robur corpori ejuſque partibus iiſdem conciliari fuerint perſuaſi, haud errabo. Quæ & ratio eſt, quare in palæſtris ac gymnaſiis ipſis, ceu locis in publica quadam urbis regione extructis, quibus uti GALEN. *L II. de ſanitate tuenda* loquitur, inungendi, fricandi, luctaturi, diſcum jactaturi, athletis conſuetas exercitationes aggreſſuri, aut tale quippiam facturi confluebant, his quoque locum non infimum concedere, nulli dubitaverunt. Nec a vero abludit antiquiſſimos medicos inopia medicamentorum preſſos curatius conſtantiusque externis iſtiuſmodi auxiliis inhærentes de eximio, quem exhibent, effectu fuiſſe redditos certiores eoque perductos, ut ad ſcopum quem intendebant, gnaviter eas applicarent. Serium eſt monitum divi HIPPOCRATIS *Libr. de articulis Sect. VI. p.* 822. *Multarum rerum experientiam medicum habere oportet, ac certe etiam frictionis*, de qua alio ibidem loco ſe tractaturum ſpondet. Multum negotii inſtituendæ in ſanitatem frictiones faceſſunt GALENO *Libr. de ſanitate tuenda*,

 earum

earum differentias *juxta durum*, *molle*, *multum*, *mediocre*, *uſum cujuſcunque* inſuper innuenti. Nec minus medios illas inter conſtituendos gradus ad nauſeam fere uſque, uti plerumque ſolet, pertractat, qualeſque ſingulis & adoleſcentibus, & juvenibus, & ſenibus, & ægrotis aliisque imbecillioribus, ante exercitationem & poſt conveniant, prolixe adducit, aliamque matutinam, veſpertinam aliam, ſiccam, & quæ cum oleo fit, & neſcio quæ alia notatu minus digna, ut ne quid de diverſarum ab eo adducta varia utilitate dicam, ſuperaddit. Theonem Alexandrinum gymnaſtam ſi producam, unum ex antiquiſſimis ſcriptoribus: *de frictionibus* cujus jam laudatus GALENUS quoque ſupra allegato *libro c. VI.* mentionem fecit his annumero, & ſatis evictum erit, primos quaſi cæterisque glaciem frangentes medicos occaſionem Gymnaſtices Præfectis ſubminiſtraſſe, quo frictiones etiam ſuis jungant motionibus Veluti autem illi nominatas frictiones artubus tam ſuperioribus quam inferioribus inprimis deſtinabant, quo largius eorum muſculis, motuum genuinis inſtrumentis, adducatur nutrimentum, cumque nutrimento robur; ſic poſthabitis iſtis, mihi in præſenti cum illis in abdominis ambitu ſolum ob oſſium craſſiorumque muſculorum abſentiam magis opportune inſtituendis rem facere idoneo. Quas dum aggredior, non poſſum non præmonere, non eas ſimplici, ſed diverſis modis, jam nudis manibus, jam beneficio linteorum complicatorum, teneriorum lævigatorumve, jam craſſiorum aſperiorumque, jam ex lana confectorum pannorum magiſque hirſutorum, jam denique ope excutiarum mollium duriorumve olim adminiſtratas eſſe. Nudis manibus priſcis temporibus ſubinde illas fuiſſe inſtitutas, optimus artis parens HIPPOCRATES citato libro *de articulis p.* 823. ſequentibus prodit: *Hunc igitur humerum mollibus manibus*, *tum alioqui blande*, *quod certe confert*, *perfricare convenit.* Nec ſine prægnanti, crediderim, cauſa manibus eam imperaſſe adornandam, cum quantum nativus animantium calor alii cuivis merito præferendus valeat, haud fuerit neſcius. Quotquot ex applicatione catulorum ad regiones parteſque corporis doloribus ſtrenue vexatas levamen non contemnendum unquam obtinuere, iis ipſis ejus quam corpori attulit efficacia incognita eſſe nequit. Nihil igitur obſtare puto, quo minus calidum hoc humanum majori partium teneritudine atque ſubtilitate conſtans, infimi ventris regionibus apprime conveniat. Fortius omnino exercebitur ea intervenientibus mediis ſupradictis, molliori, rigidiorive ſuperficie præditis, quippe quibus major in cutis poris vellicatio exoritur. Latiorem autem campum nominata trunci ſuperficies iiſdem præbet, ſi quod a cordis ſcrobiculo coſtarumque ſpuriorum ambitu, ſupra epigaſtricam, utraſque hypochondriacas, umbilicalem, atque epicolicas, hypogaſtricam atque illiacas regiones ad pubem uſque extenditur ſpatium perpendas, utut minus videatur abſonum, ſi vel unica ſolum

lum ex his, vel quædam earum tantum operationi adductæ propter peculiarem reſpectum ſubjiciantur. Multo quid minus determinandum quendam fricationibus his tractum ſervare, vetat, cum pro diverſa intentione nunc deorſum ſolum, nunc ſimul ſurſum, nunc tranſverſo magis ductu, a dextro ad ſiniſtrum progrediendo, nunc per ſuperficiem mediam, aut promiſcue, ſine ulla peculiaris alicujus motus habita ratione illum inſtituere fas ſit. Mirari ſubit, quanta animi applicatione hæc frictionum in artubus etiam applicanda diſcrimina *ex manuum injectu circumactuque*, uti verba ſonant, conſtituat GALENUS *Libro* aliquoties allegato *de ſanitate tuenda*, *cum non ſuperne modo deorſum, aut inferne ſurſum adhibendæ, ſed etiam tum in ſubrectum, tum in obliquum, tum in tranſverſum, quod recto eſt contrarium.* Nec multis tantum verborum ambagibus quorumcunque tractuum deſcriptionem ſollicite ſuppeditat, ſed quod riſum lectoribus propemodum moveat, figura quadam ſphærica, lineas tam rectas, quam tranſverſas, tam obliquas, quam ſubrectas, ſubobliquaſque continente, icone addito, eaſdem perſpicue exprimere tentavit. Quodſi tam ſcrupuloſa frictionum adminiſtratio ullibi inveniat locum, erit præ brachiis cruribuſque, abdominis circumferentia. Potior cura noſtra in protracta per tempus operatione verſetur, eoque magis, quo certius vulgo flocci eam facere conſuevere. Qua falſa perſuaſione capti, vix manus applicavere operi, aut ſemel vel iterum agitationem hanc manibus ſuſceperunt, & ſtatim, qui nefandus domeſticorum adſtantium nonnullorum torpor eſt, ab ea iterum deſiſtunt. Ut vero eorum eluceſcat nequitia, de eadem inſtituta a medico quæſiti, re quaſi bene geſta, omnino reſpondeat. Aſt toto errant cœlo ſpeque ſua excidunt, quicunque actionem hanc anguſto nimis tempore includunt, cum alius longe, imo exoptatior appareat effectus, ubi per quadrantem horæ vel ejus dimidium, uti decet protracta, ſæpiuſque fuerit repetita, ſecundum tritum illud, quo gutta lapidem excavare dicitur, non vi, ſed ſæpe cadendo. Ad variam eamque ſat diuturnam morborum catervam, qua infimi ventris contenta duritiem non exiguam præ ſe ferentia ſubinde affligi experimur provoco, quam nihilominus ſolamen non tralatitium hinc reportare animadvertimus. Turpiter adeoque ſe dant, ſicubi prodito inani metu, ne ſub ipſo adminiſtrationis ejus actu, non ſine damno, refrigerium ægro admittatur, neglectus atque pigritiæ vanam falſamque allegant rationem, quaſi non æque commode ſub ſtragulis, manibus aut linteaminibus probe antea calefactis abdominis peripheria eam admittat lubentiſſime. Ut jam propius ſcopo accedentes, quale corpori promittat emolumentum in compendio innuamus, ad veterum ſic dictas derivationes revulſioneſque provocare in proclivi eſſet, nulluſque eo inficias frictionibus in artubus imprimis exercitis, eas eſſe adſcribendas. Multus, pro more ſuo, in conquirendis frictionum qualitatibus, ex quibuſ-

quibuſdam veterum medicorum ſcriptis eſt GALENUS, ut in ejus lectione tempus conſumiſſe, tædeat. Tandem vero in hæc erumpit verba. *Libr.* ſupra allegato *c. V. Nam qui plus de frictionum virtute afferat, quam quæ Hippocrates in eo libro prodidit, quem* κατ' ἰητρεῖον *inſcripſit, nemo plane eſt. Ait enim dura frictione ligari corpus, molli ſolvi, multa extenuari, mediocri craſſeſcere. Habent vero ſe ejus verba ad hunc modum, Frictio vim habet ſolvendi, ligandi, carnem augendi, minuendi. Nempe dura ligandi, mollis ſolvendi, multa minuendi, mediocris carnem augendi.* Galeno igitur interprete quilibet Hippocratis, de iis, mentem, quam brevitatis ergo prætereo, optime perſpiciet. Altioris paulo indaginis eximii hujus viri aſſertum eſt *libro de articulis p.* 822. ubi vere contrariam virtutem his tribuit: *Nam*, inquiens, *& juſto laxiorem articulum frictio vincere, & juſto duriorem ſolvere poteſt.* Aſt ſalva res eſt, & antiſpaſmodicam, teſte experientia, exhibet virtutem, blande fibras demulcendo ſtrictas, dum alio tempore ſpirituum animalium influxum accelerando, tonum intendit ſicque leniorem fibrarum ſtricturam reddit. Quodſi vero modum earum operandi ſollicitius paulo indagemus, haud obſcure patebit, agere eaſdem tam in ſolidas, quam fluidas partes, adeoque ad utraſque earum redundare utilitatem. Cutem cum proxime tangat, cunctas, ex quibus ea contexta eſt partes primum, procul dubio, afficit. Vaſorum igitur tam arterioſorum, quam venoſorum atque lymphaticorum, imo ipſorum tam exhalantium, quam abſorbentium pororum lenis per frictiones facta commotio, ceu oſcillatio, contenta in his fluida neceſſario ad motum liberiorem diſponet. Quo ipſo pacto non ſolum facilior ex arteriis ultimis in venarum initia exurget tranſitus, ſed diapnoica quoque excretio, ſanitatis ingens præſidium, auctior evadet. Quibus ſic conſtitutis blandus ſecundæque valetudini amicus admodum calor, qui dum in cute phlegmonæ perſimile quidpiam, ut GALEN. *citat. loco p.* 278. loquitur, excitat, omnem humorum in circuitu ſuo ſubſiſtentiam procul eſſe jubet. Ne quis interim illas influxum in nervoſas per cutem diſperſas papillas, ipſoſque nervos alere nullum, arbitretur, cum agitatio hæc ipſis ſemper exiſtat gratiſſima, obque blandam hanc affectionem voluptatis alicujus in illis ſenſum excitare videatur. Atque hoc eſt quod liquidi ſubtiliſſimi ac ſpirituoſi in nervos provocationem quaſi ſiſtit, cujus ſolius æquali allectione veli hujus cutanei, hujuſque partium conſtituentium elaſticitatem integram præſtari conjicimus. Aſt non omnis in extimo cutis ambitu frictionum abdominis effectus terminatur, ſed ad contentas etiam partes pertingit. Scilicet nil impedit, quo minus frictionum virtus ad interiora penetret feliciſſime. Omenti ergo vaſa, imprimis venoſa, adjumentis motum ſanguinis ſui facilitantibus magis deſtituta, hincque non niſi refluxum ſanguinis tardiſſimum concedentia, de frictionum commodis mox participant. Quod

eo

eo magis neceſſarium exiſtit, ubi ſanguinis in hepate per venam portarum refluxus, in affectionibus hypochondriacis valde retardatur. Qualem ſanguinis in libero ſuo per venas, imo, conſequentia exacta, per arterias quoque, curſui objectam remoram eo uſque in nonnullis ſubjectis vivis increviſſe memini, ut vaſa indigitata epiploica eum paſſa fuerint infarctum, qui manibus digitiſque, non obſtantibus externis integumentis, palpari atque diſtingui poterat clariſſime. Quantumcunque vero idem ſit commodum, multis tamen paraſangis illi cedit maximo, quod inteſtinis tam tenuibus, quam craſſis in variis morbis frictiones abdominis pollicentur. Atoniæ primarum viarum nomen ſcholas medicorum perſonat frequentiſſime, qua muſcularem earum plus minus deficientem actionem, quæ utut cætera, quæ præparationem alimentorum variam in ore ac deglutitionem, imo menſtruum ventriculi ac humorum inteſtinalem, quæve calorem his competentem partibus concernunt, rite ſint conſtituta, præcipue tamen requiritur, indicant. Qua non modo digeſtionis opus adeo deſtruitur, ut non niſi chylus ex alimentis craſſus atque juſto tenacior generetur, vitium in reliquis corporis officinis vix corrigendum, ſed ipſæ primæ viæ adeo aeri, qui cum aſſumtis alimentis atque potulentis, imo ipſa ſaliva eo ſubinde pervenit, cedere cogantur, ut abdominis ac diaphragmatis maxima diſtenſio inde neceſſario conſequatur. Vix præſente hoc rerum ſtatu mente concipi poteſt, motum inteſtinis proprium periſtalticum in iis, ut decet, obtinere poſſe. Certe, ſi quis fuerit præſto, erit ſine dubio debiliſſimus atque ad chylificationem prorſus impar dicendus. Tantumque abeſt, ut ab hoc exemptum cenſeam vitio ventriculum, ut quotidie potius in ſic diſpoſitis, ex inflatione illa cardialgica, prandium atque cœnam non raro excipiente fibrarum muſcularium, infirmitatem, ceu a poſteriori concludere valeamus. Quodque præcipuum eſt, cum ſemper in his affectibus præternaturalibus vitium in hepate aut præcedat, aut eos comitetur, nemini mirum videbitur, qui bilis a naturali ſua indole recedat, inertiam potius manifeſtam præ ſe ferat. Scilicet bilis activitate atque acrimonia deficiente, ſtimulus quoque quum in nerveam, tum in muſculares inteſtinorum tunicas agens aberit. Hoc vero ceſſante, motum periſtalticum infringi, uti ſi opus eſſet pluribus phœnomenis facile probari poſſet, noto eſt notius. Quamquam igitur medicamentis congruis, quibus lernæ huic malorum obviam ire atque inteſtinorum canalem ad motum concitare annitimur, deſtituamur minime, habent tamen frictiones in ſcenam productæ eæque domeſticæ nuncupandæ, ſine triſti ſenſatione aut moleſtia ſemper applicandæ magnam prærogativam, & ut plura, expertus, loquar, ſuperant effectu ſalubriori longe lateque conquiſita pharmaca. Fatale dixeris nonnunquam flatuum receptaculum colon, in ſubjectis cum paſſione hypochondriaca, aut hyſterica conflictantibus, inprimis ubi

 utro-

utroque in latere in anfractibus ſuis atque plicis ab incarcerato aere adeo diſtenditur, ut liberum diaphragmatis motum impediendo ſpiritum ipſum quaſi præripiat. Neutiquam tamen ſteriles noſtras invenies hic frictiones pro individui circumſtantiis, jam molli, jam aſperiori paulo linteo inſtituendas, magiſque proficuas, ubi in regione hypochondriaca dextra inchoando ad coli ſitum, tractu tranſverſo ad oppoſitam regionem hypochondriacam ſiniſtram, deſcendendo poſt, pergitur. Eſt tandem nonnullorum tanta abdominis in morbis chronicis, a diuturna præcedente inedia, deſidentia, ut multum ſæpe promineant coſtæ, (ſignum triſtis utplurimum eventus,) quæ nihilominus tantum ab univerſis remediis, ſi quæ adhuc locum inveniant, vix obtinet præſidii, quantum ab his ſæpius repetitis exſpectare valet. Luculento indicio, in ipſa pertinaciori canalis inteſtinorum contractione & exſiccatione, cum alvi ſtipticitate refractaria conjuncta, atque præcedentibus dejectionibus diutinis oriunda, has reliquis auxiliis, cujuſcunque nominis, facile palmam præripere. Nec diarrhœa aut ipſi dyſenterici, non ſine cruciatibus accidentes fluxus, vel tormina colica, aliique ſpaſtici, a calculis ureteres ingreſſis aſperioribus dolores, qui ulteriori progreſſui ipſi ſibi viam præcludunt, eas excludent, cum nil criſpationibus, a nerveæ tunicæ roſionibus inductis demulcendis, his, aptius exiſtat. Quod autem de univerſis remediis expetimus, ut ad methodi convenientis ductum, juſto tempore, loco, ſubordinatione, reliquisque circumſtantiis probe penſitatis in conſilium vocentur, id ipſum quoque a frictionibus abdominis, etſi auxilium conſtituant innocens alienum haud ducimus. Ecquis nimirum, primis viis flatu ad crepaturam expanſis, alvo ſimul conſtipata, has commode admovebit, cum noxam potius ſit allaturus non levem, eoque graviorem, quo majorem aeris anfractibus inteſtinorum incluſi rarefactionem, cum vehementiori expanſione conjunctam, inducit. Qua cautione illæ, linteis ultra modum calefactis in ſimilibus affectionibus ſuſcipiendæ indigent. Plura huc pertinentia lubens omitto, cum cuilibet ſubacto judicio prædito, quæ reſtant, ſponte patere videantur.

CCXLV.

CCXLV.

J. ANDREÆ SEGNER,

ET AUCTORIS

J. GEORGII OEDER,

DE DERIVATIONE ET REVULSIONE PER VENÆ SECTIONEM.

GOTTING. 1749.

§. I.

Circumſpicienti argumentum ſcriptionis, qua mererer gratioſi ordinis honorificentiſſimum teſtimonium, & ſummos in medicina honores, dignitate ſe mihi ſua commendavit celebris omni tempore, multarumque diſputationum etiam recentiore ætate magnis medicis argumentum, quæſtio de derivatione & revulſione per ſanguinis miſſionem Non alio potentiori præſidio contra plurimos morbos inſtructa eſt medicina, quam eſt ſanguinis miſſio. Non aliæ ergo nobiliores quæſtiones, quam de ſanguinis miſſione, non aliæ majoris momenti habendæ diſcenti medicinam, & diſcenti eo ſcopo, cui tota ars deſtinata eſt, ſaluti hominum. Neque licet aut ſubterfugientem laboris moleſtias, aut veritum, ſi ad alterutram diſceptantium partem accedat, oppoſitæ inimicitias, ſuperſedere examine contrariarum opinionum, eum, qui ipſe medendo manum adhibiturus ſit, quam regi ratione certa decet, & conſiliis, quæ ſibi conſtant.

§. II.

Conſideret B. L. loca excerpta ex Cel. J. B. *Sylvæ*, *Traité de l'Uſage de differentes ſortes de ſaignées, principalement de celle du pied.* Et Cel. *Senac. Eſſais de Phyſique ſur l'Anatomie d'Heiſter.* Cl. *Sylvæ*

Præf. X, XI, hæc ſunt verba : " L'importance de cette queſtion, la
„ diverſité des opinions, qui partagent les medecins, le zele pour la per-
„ fection de ma profeſſion, m'ont engagé à ne rien négliger de tout
„ ce qui pouvoit me faire connoitre exactement les regles, qu'on doit
„ ſuivre dans le choix des differentes ſaignées, pour tacher d'éviter les
„ incertitudes & les variations, où la plupatt des medecins ne tombent
„ que trop ſouvent ſur un point ſi eſſentiel dans la pratique.

„ j'ai ſuivi dans cette recherche les principes, que la connoiſſance
„ de la circulation du ſang, & de la diſtribution des vaiſſeaux, & que
„ les loix de l'Hydroſtatique ont pu me fournir. (Matieres ſur leſquel-
„ les j'ai conſulté M. Winslow, & d'habiles Géometres). C'eſt ſur
„ ces principes, que j'ai déterminé la *revulſion*, & la *dérivation*, que cha-
„ que ſaignée doit operer, & que j'ai fixé les differentes parties à l'é-
„ gard deſquelles elle doit les produire.

Sylvæ alius locus, T. II, p. 23. 24. " C'étoit à notre ſiecle, qu'é-
„ toit reſervée la gloire d'expliquer l'utilité de la ſaignée revulſive : nous
„ devons cet avantage à la connoiſſance de la circulation du ſang, dé-
„ couverte importante, qui nous a fait connoitre, & condamner l'erreur
„ de Galien, (1) qui conſeilloit la ſaignée du pied dans les inflamma-
„ tions des reins, de la veſſie, de la matrice &c. --- nous pouvons
„ aiſement avec ce ſecours *marier* aujourdh'ui *la raiſon avec l'expérien-*
„ *ce, & la ſageſſe de l'ancienne medecine, avec les lumieres de la nou-*
„ *velle.*

„ Après cela que manque-t il pour juſtifier la pratique de la ſaignée
„ du pied, dans le cas, où nous la recommandons ? Elle eſt claire-
„ ment établie ſur les obſervations des medecins de l'antiquité ; (2) elle
„ eſt ſolidement démontrée par les principes de l'hydroſtatique ——.

Audiamus Cl. *Senacum* p. 514. " Par toutes ces propoſitions on a
„ voulu expliquer ce qu'on appelle *revulſion*, & *dérivation* dans la pra-
„ tique de la medecine ——. Ce ſont là des maximes ſacrées, dont il
„ n'eſt pas permis de s'écarter aujourd'hui ; ſi on les ſuit rigoureuſe-
„ ment, on riſque ſa reputation, on eſt accuſé d'ignorer les loix, que
„ ſuit le ſang dans ſon cours, on eſt chargé des reproches des me-
„ decins, des malades, & du public ; ces loix inviolables ont été re-
„ çues par quelques medecins avec le même reſpect, qu'on doit aux
„ loix, qui intéreſſent le plus la vie des hommes : mais comme on ne
„ doit pas de reſpect au préjugé, j'oſerai m'élever contre les maximes,
„ qu'on a débitées ſur le choix des ſaignées ; le ridicule eſt joint au pré-
„ jugé

[1] Lib. 13. meth. med. c. 11. Item de curandi ratione per venæ ſecti-
onem, cap. 18.

(2) Galenus tamen, cujus modo damnabatur error, obſtrepere videtur, & illi, quos Senacus citat, not. 4. 7. 8.

„ jugé dans tous les raffinemens de cette doctrine, elle inſulte des grands „ medecins, qui ont fait tant d'honneur à leur patrie par leur profond „ ſavoir, & par leur probité. Car ſi cette doctrine eſt vraie, ces fa- „ meux medecins n'ont pas pu diſtinguer dans le cours d'une longue „ expérience, ſi la ſaignée du pied n'étoit pas pernicieuſe dans les inflam- „ mations du bas-ventre, (3) & ſi elle n'étoit pas indiſpenſable dans „ les fievres malignes —— (4). Tous ces grands hommes ont ignoré „ les maux, & les avantages, que quelques medecins ont apperçu gé- „ néralement dans les ſaignées du pied, & du bras ---- Pour repa- „ rer l'honneur de la medecine inſultée je donnerai au public mes „ idées ſur le choix des ſaignées ----- Ceux, qui ont ſoutenu les opi- „ nions, que j'ai combattues, ſe ſont regardés comme les dépoſitaires „ des connoiſſances, qui forment notre art, cette préſomtion leur a per- „ ſuadé, qu'en attaquant leurs idées, je m'élevois contre toute la me- „ decine -----.

Pag. 532: " Voilà des idées, qui renverſent entierement la doc- „ trine de la revulſion, & de la dérivation, qui font la regle, qui dé- cide des ſaignées du pied, & du bras, cette doctrine avoit paru ridicule „ aux grands Phyſiciens : un illuſtre Académicien m'a dit ſouvent, qu'il „ n'avoit jamais conçu les raiſonnemens des Medecins ſur la dérivation, „ & revulſion, que toutes les loix de (†) l'Hydraulipue concouroient „ à la renverſer. L'approbation, dont il a honoré mes idées ſur la ſai- „ gnée, m'inſpire encore plus d'hardieſſe : il m'a dit pour me confir- „ mer dans mon opinion, qu'il étoit charmé, qu'un medecin de l'Aca- „ demie eut renverſé les fondemens d'une doctrine, qui faiſoit honte à „ la phyſique.

§. III.

Excuſabit ſine dubio æquus Lector rogantem, quod horum viro- rorum ipſa prolixa verba dedi legenda. Plurimum mea refert, ut poſ- ſint omnes mei lectores hunc immenſum diſſenſum ipſi videre, expen- dere, mirari. Nonnulli autem ſine dubio in lectorum meorum numero erunt, quibus plane hæc res inaudita eſt, plurimi erunt, qui libris ipſis deſtituuntur. Vix potuiſſem ſperare, ſi paginis tantum indicatis meis verbis narraſſem hunc diſſenſum, fidem me inventurum, niſi apud eos, qui ipſi legiſſent. Scopus autem citandorum mihi eſt, deducendi lecto- rem in meum locum, quo qui ſe poſitum cogitaturus ſit, credebam, non poſſe in me iniquum judicem eſſe, quem videat ſatis iniquo loco

 poſi-

3) Vid. not 2.
4) Nominat Duretum, Fernelium, Sydenhamum, Freind.
(†) Obſervet intelligens Lector, Sylvam de Hydroſtatica, Senacum de Hydraulica dicere. Uter rectius?

poſitum inter utrimque maximas auctoritates non eluctaturum, niſi his inter ſe commiſſis præjudicio auctoritatis ſepoſito, rationem ducem pede quidem forte infirmo, ſed tamen ſecutum. Sed & erit horum locorum multus per totam ſcriptionem uſus & ſubinde huc recurretur.

§. IV.

Cum primum ipſe hæc horum virorum verba legerem, illud Terentianum cogitabam: probe feciſtis, incertior multo ſum, quam antehac. At videns, non licere incertum eſſe bona fide in re magni momenti, conſtitui primum, in quo fluctuans ipſe meus animus conſiſtere poſſit, quærere, deinde publica ſcriptione fautores meos arbitroſque fortunæ meæ docere, quam mihi ſequendam rationem putem, certe ut hoc ipſis pateat, veri me amantem, & cupidum eſſe. Itaque primum proponam veterum opiniones, de V. S. revulſoria & derivatoria, deinde explicabo recentiorum potiſſimum Bellini, & Sylvæ ſententiam, quorum primus ille theoriam aliquam exſtruxit, porro meam ſententiam, denique de regulis practicis dicam.

§. V.

Hippocratis huc pertinentia hæc fere ſunt dicta (5): " Venæ igitur „ ſectiones facere oportet juxta hos modos: dare quoque operam oportet, ut quam longiſſime a locis, ubi dolores fieri ſolent, ac ſanguis „ colligi, ſecemus. Sic enim mutatio minime magna derepente fiet, & „ conſuetudinem tranſtuleris, ut ne amplius in eundem locum colligatur.

(6) " Oportet venæ ſectiones in doloribus dorſi, ac coxendicum, de poplitibus facere, ac malleolis forinſecus ".

(7) " In doloribus lumborum, ac teſtium, venæ ſectionem de „ poplitibus, ac malleolis facere intrinſecus oportet ".

(8) " Angina affectis a venis, quæ in brachiis ſunt, ſanguinem „ detra-

(5) De Venis. XIII, & de natura humana XXII. Habetur autem utroque in libro angiologia quædam, & translata quidem, ut videtur, in librum de nat. Hum. ex libro de Ven., ut in illo de N. H. Cap. XX, XXI, XXII. & in hoc de Ven. c. XI, XII, XIII, eadem plane verba legantur. Citat *Sylva* II, 7, librum de nat. oſſium, loco libri de venis, nec obſervat bina dicta Hippocr. quæ citat, unum eſſe duobus locis inveniendum, ſatis probabili ſigno ipſum non inſpexiſſe, quod ſi feciſſet, decebat non tacuiſſe alia parum ipſi faventia dicta proxima, not. 6. & 7.

(6) D. N. H. XX, de Ven. XII; cf. de internis affect. c. LVII.

(7) Ibid.

(8) De locis in hom. c. XLII.

„ detrahes, & ſimul alvum inferne ſubduces, quo id, quod morbum „ exhibet, detrahatur."

(9) "In Angina cum linguæ malus ſtatus eſt, æger cito ſuffoca„ tur, ſi non quis cito auxilium ferat, venæ ſectionem a brachiis faciens, „ & venas ſub lingua ſecans — ".

(10) "Paracynanche — huic venam ſecare oportet, maxime ſub mamma (†) — venæ ſub lingua ſecentur. Sed & a cubitis ſanguis „ dimittatur, ſi vires validæ fuerint".

(11) "In peripneumonicis, ac pleuriticis affectionibus — ſi do„ lor ſurſum tendat, ad claviculam, aut circa mammam, & brachio ſe„ care oportet internam, utra tandem fuerit parte, in ea ipſa ".

(12) Morbum deſcribens capitis ex febre lipyria (— ait, pri„ mum ſanguinem de capite mittito, undecunque tibi viſum fuerit".

(13) "Dolenti poſteriorem capitis, vena recta in fronte ſecta „ prodeſt".

Studio taceo plurima alia loca, minus ad meam rem facere viſa, quemadmodum Aph. IV. 18. de locis in homine c. 16. ſſ. & totum librum de humoribus. (14).

§. VI.

Celſi (15) in pulcherrimo capite de ſanguinis detractione per venas, hæc ſunt verba: "Mitti vero is debet, ſi totius corporis cauſſa „ ſit,

(9) De victu acut. c. XXXIX.

(10) De morbis, lib. III, c. 11.

(†) Vid. de hac ſang. miſſ. Cl. *Walbaum* Diſſertatio hoc ipſo tempore edita, *de V. S. veterum & recentiorum*, §. 27.

(11) De Victu acut. c. 52; cf. de morb. I. c. 25. & exemplum Anaxionis Epid. III, 8.

(12) De morbis II, c. 16.

(13) Aph. V, 68. repetitur Epid. VI, Sect. 2.

(14) Si quid in obſcuro, & vexato libro video, docetur, quomodo ad criſes attendendum ſit, quomodo eæ moderandæ, & commoda loca ejiciendæ materiæ paranda. Judicationum autem tempore, ſanguinis miſſioni, de qua mihi ſermo eſt, locus non amplius dabatur.

(15) Cl. *Sylva*, L. II. c. 10, reſponſurus Cel. *Hecqueto*, contra quem de V. S. in pede, in variolis, *cet.* ab Hecqueto improbata diſputabat, agnoſcit quidem, *Celſi* hunc locum parum ſibi favere, verum hæc ipſi juſta cauſſa videtur, odium ſuum in *Celſum* exercendi. Citat T. II, p. 19, contra eum collecta quamplurima iniqua judicia, in his *ipſius Salmaſii* (Saumaiſe eſt allé plus loin encore; car il le qualifie de tout à fait ignorant en medecine, in Prolegom. homonym. hyl. Iatricæ.) Obſervat, Lindenio videri, in mente *Celſo* fuiſſe illum *Hippocratis* locum in *de Nat. Hum. & de Ven.* itaque optionem Hecqueto proponit inter *Celſi* & *Hippocratis* auctoritatem. Reſpexerit *Celſus* illum librum dubiæ auctoritatis; forte hoc probabile ad augen-

„ ſit, ex brachio: ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certe quam „ proxima; quia non ubique mitti poteſt, ſed in temporibus, in bra„ chiis, juxta talos. Neque ignoro, quoſdam dicere, quam longiſſime „ ſanguinem inde, ubi lædit, eſſe mittendum; ſic enim averti materiæ „ curſum: at illo modo in id ipſum, quod gravatur evocari. Sed id „ ipſum falſum eſt. (16) Proximum enim locum primo exhaurit: ex „ ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur, ubi „ is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem".

§. VII.

Aretæus, acuti vir ingenii, cujus cum voluptate legitur ille locus (17), quo redarguit ſuperſtitionem eorum, qui inter venas brachii ambigunt in ſectione, ſuperſtitem tamen illam mirum quam multis poſt Aretæum ſæculis; *Aretæus* igitur quomodo ſanguinem, quibus in morbis miſerit, uno obtutu videndum præbebo. In cubito ſanguinem miſit, in apoplexia, phrenitide, cephalæa, & vertigine, (18) angina, cionide,

augendam dubitationem argumentum fuerit, quod *Hippocratem Celſus* non nominat, cujus ſæpiſſime mentionem facit, & honorificentiſſimam, Lib. VIII, c. 4.

(16) Similis eſt hæc argumentatio illi, qua utitur Cl. *Queſnai* dans les „ obſervations ſur les effets de la ſaignée Prop. III. La quantité, qui paſſe „ de plus dans le bras (d'un canal, qui ſe fend en deux), où il y a déri„ vation, que dans celui, ou il y a revulſion, ſera toujours égale a la quan„ tité, qu'on a otée.

(17] De Cur. acut. L. II. c. 2. Et perſpicax eſt, & prudenter opinioni, quam ſciret falſam eſſe, tamen cedens, quia parum ipſius referebat. " Sin „ e liene, inquit, ſanguis fertur, ſiniſtræ manus venam illam, quæ inter „ minimum annularemque digitum ſita eſt, reſcindito, quandoquidem medi„ corum nonnulli eam ad lienem uſque pertinere arbitrantur. Totus ille de V. S. quæ in univerſum frequentes Aretæo ſunt, pulcherrimus locus eſt, ut non poſſim mihi temperare, quin hæc etiam excerpam: " prorſus quidem „ ante animæ defectum ſanguis cohibendus eſt, atque haud ita multus aufe„ rendus: nam & ipſa cruoris per os effuſio ſatis hominem labefactare poteſt. „ Aſſidue vero poſt paucum detractum ſanguinem iterum detrahito, & eodem „ die, & poſtridie, nec non perendie. At ſi ægrotus tenuis, & inops ſan„ guinis ſit; venam ne ſcindito. " Agit autem hoc caput de curat. reject. ſanguinis. *Botallus* ſui temporis *Aretæus* eſt. Vid. de cur. Ac. L. II. c. 1, c. 5, c. 7. c. 11, de Cur. diut. L. II. c. 13. &c.

[18] Ad Cephalæam, & vertiginem aliis triplicibus ſanguinis miſſionibus utitur: Sectione venæ frontis rectæ, quam etiam in epilepſia ſuadet, & de qua cf. not. 13, arteriotomiæ, aut temporalis, aut aliarum poſt aurem, etiam Cap. de Epilepſ. commendata; arteriotomes alio genere ex naſo, hæmorrhagiæ narium æmulo.

nide, pleuritide, (19) peripneumonia, hepatitide, ileo, inflammatione renum. In malleolo, in uteri ſuffocatione, (20) ſatyriaſi, (21) calculo renum. (22) De ſanguinis miſſione ex aliis locis vide notam 18.

§. VIII.

Inter *Galeni* multos locos, qui iiſdem fere verbis revulſionis & derivationis ideam exhibent, hunc ſeligo: (23) " Ad hunc modum & reliquas omnes fluxiones, quippe communis ratio eſt, tum revelles, „ tum derivabis; (24) quæ per alvum quidem ſunt, ea per urinam, „ vel uterum; quæ vero per urinas, ea vel per alvum, vel per ſedem; „ pari modo quæ per uterum erumpunt, vel per alvum, vel per uri- „ nas; quæ in oculis, aure vel palato fluxiones accidunt, earum deri- „ vatio per nares eſt. Revulſio vero in iis, quæ ſupra ſunt omnibus de- „ orſum ſemper agitur, ſurſum in iis, quæ ſunt infra; præterea a dex- „ tris ad ſiniſtra, ſicut ab his rurſus ad illa; ſimiliter ex iis, quæ intus „ habentur, ad ea, quæ foris ſunt, contraque ab his ad illa ".

(25) " Confluentium humorum revulſio antiſpaſis Hippocrati dicta; „ obſidentium vero jam partem derivatio eſt. Utrumque enim genus va- „ cuationis per communes venas fieri ſolet. Ex utero verbi gratia re- „ velles, ſi cubiti venam ſecueris ----; derivabis autem, ſi quæ in po- „ plite ſunt, aut malleolis venas diviſeris --- atque ſi dextra uteri „ pars laboret, ſanguis e dextra manu, & crure ducendus eſt; ſin læva „ affecta ſit, ex membris illi e directo (26) reſpondentibus ".

(27) " Non ratio ſolum, verum etiam experientia indicat aliam alii „ parti

[19] Ἀφαιρέειν ὑπ' ἀγκῶνος τῆς ἐν τῷ κοίλῳ φλεβὸς, τῦ μὴ κατ' ἴξιν τῆσι ἑτέρησι πλευρῆσι, κρέσσον γὰρ ἀποτάτω ἄγειν.

[20] " Si, quæ in malleolo eſt, non bene fluida ſit, eam, quæ in cubito „ eſt, petito. "

[21) " Venam in cubito & talo aperias, ac multum, & ſæpe de- „ trahas. "

[22] Τὴν ἐπὶ τῷ σφυρῷ τάμνειν φλέβα τῷ κατ' ἴξιν τῦ νεφρῦ.

[23] Method. med. V. 3. T. X. p. 107. Chart. Conf. Meth. med. IV. 6. T. X. p. 99. Chart. Comm. ad Aph. V. 68.

(24) Ἀντισπάσεις καὶ παροχετεύσεις.

[25] M. M. ad Glauc. II. 4; T. X. p. 374.. Ch. Cf. meth. med. IV. 6, XIII. 11, de Cur. per V. S. 19. Ceterum mirum Cl. *Sylvam*, qui hos locos citat, non obſervaſſe contra ſe omnes eſſe, qui non magis initio revulſionem, quam conſiſtente malo derivationem ſuadent.

[26] Τῶν κατ' ἐνθὺ κόλων. Τὸ γὰρ κατ' ἴξιν ὑπ' αὐτῦ λεγόμενον αὐτὸ τοῦτο ἐστι τὸ κατ' ἰσότητα. Hoc eſt, quæ in eadem parte, eodem latere ſunt, κατ' ἴξιν ſibi reſpondent. Vid. not. 19. 22. Mirum eſt videre lites ortas de hac voce κατ' ἴξιν. Alio loco Galenus, de Cur. per V. S. 15. τὸ κατ' ἴξιν ὅτι κατ' ἐνθὺ λέγει πᾶσι ὁμολόγηται.

[27] Locum hunc meth. med. XIII. 11. T. X. p. 304, qui videtur terrere

„ parti vacuationem congruere —— ſatius, ubi partes quæ in ore ſunt, „ phlegmonem accerſere incipiunt, derivare ad nares : ſic venam quo„ que incidere in manu humeralem, ſi ea non cernitur, mediam. Ubi „ jecur, vel pectus, vel pulmo, vel cor ſic afficiuntur, internam. In „ angina primas in manibus, ſecundas quæ ſub lingua habentur. At par„ tibus occipitis affectis etiam eam, quæ in cubito eſt, nec non eam, „ quæ habetur in fronte. Renibus vero, & veſica, & pudendo, & u„ tero male habentibus, eas, quæ in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſſimum quæ circa poplitem ſunt; ſin minus, eas, quæ juxta malleolos.

§. IX.

Explicare penitus omnem veterum theoriam revulſionis, & derivationis, ſiquidem theoria dici meretur, ignorantium ſanguinis circuitum, cum neque hujus loci & durus labor ſit, tum ille fuerit ſane duriſſimus, (28) ſi quis compillare, quemadmodum Renatus Moraeus omnium ad ſua uſque tempora medicorum dicta de V. S. in pleuritide, ita omnium velit ad noſtrum uſque tempus, de univerſa iſta doctrina revulſionis & derivationis. Veteres (29) ſibi imaginabantur, (30) duci vaſa per corpus humanum eo fere modo, quo hodie credimus nerveas fibrillas, quin earum faſciculos continua linea & ductu ab origine ad partem, in qua conſumuntur, pertingere; & quemadmodum animales forte ſpiritus infuſi ex medulla ſpinali illi faſculo, qui a ſociis ſecedens tandem pertingit ad minimum ſiniſtræ digitum, recto flumine ad minimum digitum deferuntur, ita Salvatellam lienis ſanguinem atratum minimo

terrere debere negaturum derivationis & revulſionis effectus, ſuo loco expendam. Interim obſervo, quod facile B. L. videt, etſi favere primis verbis viſum derivationis, & revulſionis ſtatoribus, tamen omnes eorum rationes „ evertere. Vid. not. 2. & cf. de cur. p. V. S. c. 18 Renes, ait, miſſo ex „ cubito ſanguini interdum auſcultant, ubi videlicet recens fuerit phlegmo„ ne, copiaque ſanguinis affuerit, quibus vero affectio ineſt, quam proprie „ nephritim vocant, eam, quæ in proplite eſt, ſecare expedit, aut certe, „ quæ in malleolis ſunt. Porro uteri inflammationes magis, quam renum „ a venis in crure ſectis juvantur.

[28] Jam *Galenus*, de Cur. per V. S. c. 15: “ Quæcunque, inquit, de „ hoc ſcemmate a medicis dicta ſunt, ea ſi ſcribere aggrediar, opus erit „ libro eis ſigillatim dicato, eoque integro. ” Laudem tamen, quæ non defuit Moræo, is qui hunc laborem ſuſcepturus eſſet, ſperare poſſe videtur majorem etiam pro ratione majoris moleſtiæ, & dignitatis, quæ major eſt quæſtioni generali de locis V. ſectionum, quam illi ſpeciali, de V. S. in pleuritide. Ipſe jam *Moræus* hoc propoſitum ſibi fuiſſe ait.

[29] De Aretæo tamen vide §. 7.

[30] Vid. Briſſoti apolog. p. 48. 59. 81. 83. Edit. Par. Fernelii Therapeut.

minimo digito infundere. His ideis imbutum, & ſequentem illud axioma, contraria contrariis, prona via par eſt deduci ad omnes illos revulſionis, & derivationis modos, quos locis, quæ citavi not. 23. tam pulchre & ſyſtematice, & omnes variationes dabiles exſecutus Galenus indicat. Hinc illud ſequitur ex directo (κατ' ἴξιν) laborantis partis venam ſecandam eſſe, hoc eſt, ejuſdem lateris, e. gr. (31) in inflammationibus hepatis internam in dextro cubito venam.

At enim ſcopus mihi eſt, non quæ veterum opiniones fuerint, monſtrare, ſed quibus in morbis, ubi ſanguinem miſerint.

§. X.

Mitto autem auctores [32] qui a Galeno ad Harveium uſque vixerunt, obiter tetigiſſe lites decimi ſexti ſæculi auctorum de V. S in pleuritide contentus. (33) Arabum, & Barbarorum, qui dicuntur medii ævi latinorum medicorum, ſequentium, ut apertum eſt legenti citatos in Moræo locos, illum Galeni canonem [34], confluentium humorum revulſio, obſidentium vero jam partem derivatio eſt, Arabum igitur ſententia ab anno 712. ad annum 1514 obtinuit, ut nullo pene reclamante detractus ſit ſanguis ex oppoſito brachio, vel ex ſaphæna ejuſdem lateris. Extitit tandem, qui reclamaret, Petrus Briſſotus, circa annum 1514. Galeno docebat Arabes contradicere, cum Galeno ſanguinem ex affectæ partis brachio mittendum eſſe. Perſuaſit denique ſæculo ſuo in Galeni ex latebris protracti verba juranti, vicit auctoritate Galeni potius, quam pondere argumentorum. Diſputatum eſt acerrime: imputatæ invicem myriadum cædes, & impudentiſſimus quidem homo mihi videtur

rapeut. Lib. II. c. 5. " Contraria Mathematicis ſunt, quæ unius & ejuſdem " lineæ extrema tenent --- Medicis vero contraria, quæ in ejuſdem venæ " recto proceſſu, per quem humorum curſus eſt, quam longiſſime diſ- " tant.

" Aperta porro venæ primum quidem pars vulneri propinqua exinanitur, " hæc deinde ex longinquis ſanguinem prolicit, cumque id fibrarum recta- " rum ope compleat [illas ſiquidem trahendo, ut transverſas expellendo " natura deſtinavit] plus ſanguinis, & expeditius ab iis partibus, in quas " diriguntur fibræ, quam a ceteris eripiet. "

[31] Meth. med. L. XIII. c. 11. T. X. p. 303. Ch.

[32] *Cælius* quidem *Aurelianus*, quemadmodum *Aretæus* [& dicitur uterque ſecutus *Archigenem*] in oppoſiti lateris cubito ſecari vult. *Oribaſius*, *Ætius*, *Alexander*, *Paulus*, *Actuarius* conſentiunt in illo *Galeni* canone, not. 25.

[33] Moreau, c. 11 — 27. Edit. Pariſ.

[34] Vid. not. 25.

tur fuiſſe Martinus Akakia, (35) Briſſoti diſcipulus. Orbe toto diviſis in partes & factiones medicis, de fœdere (36) inter Græcos, & Arabes ſanciendo cogitarunt Nicolaus Monardus, & Hieronymus Mercurialis, poſtremo fuit Leonardus Botallus, (37) qui diceret, plus intereſſe, quantum ſanguinis detrahas, quam unde. Res tædii pleniſſima eſt, legere diſputationes horum virorum, de revulſione, & derivatione [38] andabatarum more pugnantium, quippe ante Harveium ſcribentium; niſi quod lepidæ valde ſunt geometricæ demonſtrationes, Briſſoti Fernelii & ex adverſa, parte Julii Cæſ. Scaligeri (39) doctrinæ illius dæmonii.

§. XI.

Accenſa ab Harveo toti medicinæ illuſtriſſima face, par erat etiam in obſcurum illum angulum medicæ doctrinæ, de revulſione & derivatione lucidos radios penetrare, etſi, ne plane omnes nebulæ diſperderentur, obſtitit præjudicata opinione nixa reverentia nimia antiquitatis, cui, quemadmodum viciſſim contemtui, ſui limites, modiquè ponendi ſunt. Itaque inter illa argumenta, quæ novæ lucis impatientes homines Harveo opponebant, [ſed quid objicerent, niſi veterum auctoritatem?) etiam hoc erat (40): " Tollitur ab Harveo ratio omnis revulſionis & „deriva-

(35) Moreau p. 36. Id tamen videtur obfuiſſe Arabibus, quod nimis parce ſanguinem mitterent, ut cum minus felices ideo eſſent in curando, criminarentur Akakiæ ſimiles fieri, quia in oppoſito latere ſ. mitterent.

(36) Hæc quidem ſunt Moræi p. 56. verba, at mihi potius conciliandus ſibimet ipſe *Galenus* videtur, cujus illo canone, not. 25. *Arabes*, more autem ipſo mittendi in partis affectæ latere *Briſſotus*, reliquique nitebantur. Pro *Arabibus* eſt Aretæus, cujus apud me auctoritas, ſi auctoritate pugnandum eſt, facile auctoritatem Galeni æquat, & Cael. Aurel.

(37) Regius & egregius medicus, non immerito, ni fallor, dictus Moræo, p. 59.

(38) Moræus. p. 79: " Porro ex quo fonte tam inſignis controverſia „ eruperit, ſi percontetis, invenias totum litis fundamentum in ratione „ revulſionis controverſa poſitum. Hactenus enim in ſenatu medico, qui „ de revulſione & derivatione --- in eandem ſententiam deſcenderint, vix duo „ reperiantur. " Narrat ſimiles Sanctorii querelas, & docet, quod ſibi propoſitum ſedeat, Vid. not. 28.

(39) Mor. p. 34. Briſſoti apolog. p. 82. 83. ubi in margine legitur: " „ Demonſtratio Geometrica elegans, ſed obſcura. "

(40) Verba hæc ſunt Jac. *Primeroſii*, in exerc. & animadv. in libr. Harv. de mot. Cord. Lond. 1630. p. 87. qui contra *novitiam Harvei*, de *motu ſanguinis ſententiam* libellus quatuordecim dierum fœtus fuit, ut ipſe *Primeroſius* gloriatur contra *Regium* & *Walæum*, gloriatus etiam, ſi luberet, poſſe ſe

„ derivationis; tollitur rectitudo & communio vaſorum ; cum ſanguis „ ille in V. S. a parte affecta non revellitur , ſed a corde potius , a „ quo in arterias penetrat (41)". Reſponſum eſt a defenſoribus novæ veritatis eo modo, qui doceret, niſi ut accidit reformatoribus, obruti jam fuiſſent auctoritatibus, non toleraturos fuiſſe revulſionis & derivationis nomina, atque proximum illuc paſſum futurum fuiſſe, ſi ad novas veritatem veritates ducentem liberius ſequi per ubique obſtrepentes homines licuiſſet. Igitur ex fertiliſſimo fundo is ſolus, ſanguinis miſſio-

ſe quodammodo ſuſtinere Harvei ſententiam! Juvat etiam querulum audire V. F. *Plempium*, qui feram tamen palinodiam cecinit, in grandis voluminis, de *ſubtilitate*, T. II. p. 516. En! ejus nodum 44. " quomodo in ophthal- „ mia ex brachii cephalica effuſus ſanguis ſcopo ſatisfacit, ſi oculi nictu „ cum ſpirituum copia currit, advolat ---

nod. 45. " In pleuritide ſi partem affectam perpetuo ſanguis peragrat, quo- „ modo V. S. morbus tollitur? Augmentum prohibetur? quomodo concoctio: „ ſupuratio, reſolutio fiet, Deus optime!

nod. 46. " In angina pariter quomodo e brachio ſecta cephalica ſuc- „ currit?"

nod. 48: " Et quomodo ad prohibendam inflammationem, ad revellendos „ humores, ad demulcendos & ſedandos dolores, ſanguinis effuſio Galeno „ præſentaneum remedium, frictiones, vincula --- ---

„ Sic fruſtra omnia, fallax ars medica, & tamen omnia juvant, autopſia „ atteſtante, & comprobante per ſæculornm ſæcula, quia natura ſui juris „ operatur, & medicus, ejus imitator, quibus proinde! circulus recla- „ mat."

(41) Vide quomodo adverſariis reſpondeat magnus *Harveus*, Exerc. III, cogitans, ut veriſimile eſt, Plempianos quinquaginta ſex nodos.

" Quicunque circulationem controvertuntur, eo quod problemata „ medicinalia ſolvere non poſſint, ſtante circulatione; — aut approbatas „ prius opiniones relinquere indignum putent; & per tot ſæcula traditam „ diſciplinam, veterumque auctoritatem in dubium vocari nefas exiſti- „ ment. His omnibus reſpondeo, nullam naturam antiquitatem morari. „ At problemata non ſolubilia, uti putant, ex medicinalibus obſervati- „ onibus objiciunt. Stante circuitu phlebotomia non revelli, cum ſanguis „ nihilo minus parti affectæ impellatur — ---

„ De quibus omnibus plurimiſque aliis in propriis locis — nec de „ circulationis ſanguinis conſequentibus, inconvenientiis, vel convenientiis „ convenit diſputare, priusquam ipſa circulatio ſtabilita ſit, & pro conceſſo „ admittatur." Vide etiam, quomodo Exerc. II. *Riolanum* tergiverſantem inter præjudicium auctoritatis pro veteribus, & novam veritatem, exhortetur.

Primeroſio autem quæ reſpondent *Rog. Drake*, *in vindiciis contra Primeroſium*, quæ vindic. continentur, in *doctor. vir. diſceptationibus de C. S. Lugd. Bat.* 1656, p. 235, & *Highmorus in corporis humani diſquiſitione anatomica*, p. 149, 150: redeunt fere ad revulſionem aliquam univerſalem, quæ eſt evacuationis effectus. *Nam ſalva*, inquit Highmorus,

O. S.

nem quod attinet, fructus captus eſt, ut, quod jam (42) *Aretæus* vidit, jam ante *Harveum* Anatomiæ (43) reſtauratores riſerunt, aperte tandem liceret videre, ridere ſuperſtitionem in delectu (†) venarum brachii, pediſve (44).

§. XII.

Frequentes invenio auctorum querelas de illis, qui cum delectu vaſorum ejuſdem partis etiam ſublatum irent omnino omnem partium, quarum vaſa ſecanda ſint, delectum; ipſos, qui publicis ſcriptis auſi ſint, paucos invenio, & noſtram uſque ætatem non niſi hos: (45) *Bernh. Ramazzinum*, (46) *Jo. Bohnium*, Ill. *G. E.* (47) *Hambergerum*, Ill. (48) *Senacum*, *Clmos J. C. Kuchlerum*, (49) & *Chr. Ferd. Zweigel*; neque

C S. ſalvaque revulſionis ratione, ſanguis circulans a fonte revelli poterit, atque inde a parte laborante.

(42) Vid. § 7.

(43) Veſalius, de C. H. fabr. L. VIII. c. 8. Fallopius, p. 504. opp.

(†) Niſi quem rationes medicæ ſuadent.

[44] Paſſim videas quæri, qui ſit factum, ut nobiliſſimi inventi non major utilitas in praxi medica perciperetur. e. g. a *B. Ramazzini*, in conſtitut. anni 1691, de qua mox. Importuniſſimam videſis *Primiroſii* Præf. ad *Animadv. ſuas contra Walæum. Harveius*, inquit, *de circulari motu ſanguinis aliquid ingenioſum, & laude dignum meditatus erat: ad artem tamen, quam profitetur, admodum inutile.* Audiat etiam, cui placet, apud inferos colloquutus *Eraſiſtratum* de ſanato a ſe Seleuco, novercam deperiente, gloriabundum, [ſigno tamen potius politici; quam medici acuminis] & *Harveium*, qui inter *Fontenellianos* dialogus eſt.

[45] Illos enim, qui cum revul. & deriv. plane reprehendunt omnem S. miſſionem, *Helmontium*, *F. S Bontekoe* &c non numero. *Bernh.* autem *Ramazzinus* ipſe etiam, ut videtur, nimis hæmophobus, ſpernit revulſ. & derivat. in Conſtit. Epidem. anni 1691 ſcripta ad G. G. *Leibnizium*, & inſerta tum Eph. Germ. Dec. II. A. X. app. tum opp. Sydenhami edition. Genuenſi 1726. " Revulſio per V. S. throno ſuo jam decidit --- Quorundam
" animis alte inſedit hæc de vi revulſionis per V. S. opinio, cum re vera
" non, niſi ad demendam plenitudinem conferat V. S. Condonandum qui-
" dem aliquid Aem Pariſano, & Primiroſio, qui non aliam ob cauſſam, ut
" ait L. di Capua, in Harveium ſtilum acuerunt, niſi quia viderent, ſtante
" S. C. revolſionem per tot ſæcula adeo celebre præſidium, fere penitus
" corruere.

[46] In diſputatione *de Revulſione cruenta*.

[47] In diſp. habita reſp. *Dionyſ. Krægelio*, a. 1729, recuſa A. 1747, *de Venæ ſectione, quatenus motum ſanguinis mutat.*

[48] Dans les *Eſſais de Phyſique ſur l Anatomie d'Heiſter*. Par. 1735, p. 511-532. Hic me Ill. Vir primum dubium fecit, deinde, ut in rem inquirerem, excitavit, denique ad ſuas partes perduxit, motum gravitatè argumentorum; huic plurima me debere, gratus profiteor.

[49] In diſſert. *de uſu V. S. in pede fallaci*, Lipſ. 1742, illo præſide, hoc reſpondente,

neque etiamſi me latent forte plures, conjunctorum tamen numeri ulla ratio eſt ad immenſum agmen reliquorum omnium auctorum, in quibus tot ſunt illuſtria nomina, omnem utique merito dubitationem exemtura unicuique, ſi quidem potius ſuffragiorum numero, & auctoritatibus, quam argumentorum pondere diſputandum eſſet: qui omnes auctoritatibus, quam argumentorum pondere diſputandum eſſet: qui omnes auctores uno ore aſſerunt, plurimum ad ſanandum in eo momenti ſitum eſſe, cujus partis vas ſanguinem miſſurus ſecet.

§. XIII.

Sed uno omnes ore affirmant Laurentii *Bellini* etſi non multum faventis, (50) eo etiam confidentius, & ſecurius, quod a viro, qui nihil diceret, (51) niſi quod & demonſtraret, ad evidentiam geometricarum veritatum perducta doctrina de revulſione, & derivatione creditur. Volvens plurima volumina, quæſiturus de hoc meo argumento, viſus mihi ſum obſervaſſe, a paucis ſtudio, & data opera inquiſitum in hanc rem eſſe. Diſputatum autem de ea eſt potiſſimum recentioribus temporibus in *Gallia*, ab Illuſtribus & Clariſſimis viris *I. B. Sylva*, libro, cui titulus: *Traité de l'uſage des differentes ſortes des ſaignées, principalement de celle du pied*, Tomis duobus, 1727. a *Fr. Queſnay*, (52) qui edidit *obſervations ſur les effets de la ſaignée, avec des* Re-*marques*

[50] *Bellini*, *de ſanguinis miſſione*, in ejus opuſculis practicis a *Bohnio* editis. ed. III. 1718.

[51] Senac. p. 511: "Bellini a tenté le premier de donner une théorie, „qui décidat du cours du ſang, durant la ſaignée --- il a été entrainé par „les préjugés, qui regnoient parmi les Médecins, il a même abuſé de la „Géometrie, & de la Phyſique pour ſoutenir ſes erreurs; mais en s'égarant même il a toujours marché en grand homme."

Abuſus certiſſime ſæpius eſt demonſtrationis nomine. Quis, amabo, credat Bellino, quod hac ipſa diſſert. de S. M. Prop. III. affirmat? "A ſola „M. S. & eo ipſo tempore, quo celebratur, poteſt univerſa quantitas, quæ „in vaſis relinquitur, intime tota dimoveri, rareſcere, ferveſcere, fermenteſ„cere miris modis, ita, ut, quicquid eſt morborum, & quicquid eſt in iis „admirabile, atque inexpectatum, ſtatim in corpore ſuboriatur." Quis non indignabitur has voces per totam Diſputationem recurrentes, quarum certiſſime nullus eſt ſenſus? Quis movebitur rationibus, quas dat deliquii animi a V. S. Propoſ. IV?

[52] Relinquit ſolam derivationem, revulſionem ab evacuatione non diverſam eſſe ſtatuit, medius inter citatos, not. 45. 49, & reliquos. Sylvæ contradicit in eo, quod hic V. S. derivatoriam tantum non plane damnare videtur. Ceterum in eo quemadmodum reliqui omnes, errat, quod aortam deſcendentem, & aſcendentem, tanquam diverſiſſimos canales conſiderat, & quod derivationem non ſolum in arteria ea, quæ V. ſectæ ſanguinem dat, ſed

marques critiques ſur le Traité de Mr. Sylva, 1730, a D. *Chevalier*, (53) qui ſcripſit *Reflexions critiques ſur le traité des differentes ſortes de ſaignées*, &c. 1730; a D. *Martin*, (54) qui edidit *traité de la phleboto-*

ſed & in ramis omnibus ſuperioribus ſtatuit, de quibus vid. p. 17. 18. Exemplum familiare canalis in duo brachia fiſſi, quo propoſito orditur libellum ſuum, poterat ipſum ad veritatem duxiſſe, ſi applicuiſſet non ad aortæ ramos in curvatura, ſed ad illam ipſam arteriam, quæ venæ ſectæ ſanguinem dat, & ad arterias ex eodem puncto cum illa ortas.

[53] Totus in eo eſt, ut neget Sylvæ tres propoſitiones has: 1] V. S. in brachio derivativa eſt reſpectu capitis: 2. V. S. in pede non eſt derivativa reſpectu pulmonum: 3 V. S. in pede revellit a partibus ſuperioribus; V. S. in brachio ab inferioribus. Communis ipſi eſt error ille, qui eſt omnibus de aorta aſcendente, & deſcendente, & de derivatione non ſolum in arteria dante ſanguinem ſectæ venæ, ſed omnibus ſuperioribus ex ramis uſque ad cor. Vide illud prius per totum librum, & in ipſa explicatione tabulæ ex Verheyeno, p. 473. alterum p. 348, 77. &c. Eriſticus cum ſit totus liber, ipſe autem auctor ſuam ſententiam non explicuerit ſynoptice, niſi obſcure quidem ſatis, p. 348. ſſ. ut conquirendæ ejus opiniones ex toto libro ſint, obſervavi, quod uſu venire ſolet in eriſticis libris, ſatis frequentes contradictiones. P. 105. Concedit V. S. in pede revellere ab Aortæ ramis ſuperioribus, ſed hæc eſt tertia prop. Sylv. quam negatum it. p. 11: Damnat in Pleurit. V. S. in brachio lateris affecti ob derivationem, quippe, ut ait, ſumme noxiam; p. 154 *Bianchum* contra *Sylvam* defendit derivationis damnum docentem adverſus *Bianchum*.

Et illa capitalis contradictio eſt, quod contendit, V. S. in pede ſanguinem derivare in omnes ramos aortæ deſcendentis; V. S. autem in brachio revellere a capite.

[54] Plura monet contra *Sylvam*, *Quesnæum*, *Senacum*. Contra Sylvam egregie, & ut ingenuum decet, monet, fruſtra ipſum eſſe, cum ſectionem in brachio & jugularis negat reſpectu capitis derivatorias eſſe, veritus quippe, eas ſpernere. Ipſe aſſerit S. M. in brachio lateraliter a capite revellere, ſectionem jugularis eſſe quidem derivatoriam reſpectu capitis, ſed moderatam derivationem, qualis futura ſit, ſi poſt plures revulſorias ſectiones demum jugularis ſecetur, utilem eſſe perhibet, p. 258. Cum his autem pugnant ea, quæ pag. 105. contra Queſnæum de noxis derivationis pulchre diſputat. Minus forte noxia erit derivatio moderata, utilis nunquam, nunquam tam utilis, quam eſſe prædicat ſectionem jugularis *Freindius*, cujus merito apud *Martinum* magna auctoritas eſt, qui etiam Freindius in initio adhiberi vult. Pugnant etiam inter ſe, pag. 21 & 123; p. 21. defenditur derivatio lateralis in ramis ſupra arteriam, quæ V. ſectæ ſanguinem dat, ob *imminutam* in ea arteria *reſiſtentiam*, at p. 123. ſtatuitur etiam derivatio in ramis illis lateralibus, ob clauſam venam, hoc eſt, *redditam reſiſtentiam* priorem.

Primus meminit p. 100. ſq. retrogradationis [contrecoup] poſt clauſam venam; ſed neque ipſe, nec ceteri omnes illud cogitarunt, quantumvis magnos effectus revulſionis, & derivationis credere velis, tamen eos per illam retrogradationem aboleri.

Phlebotomie, *&* *de l'Arteriotomie*, &c. 1741; ab *Hecqueto*, (55) qui ſcripſit *obſervation ſur la ſaignée du pied*; a *Meuriſſeo* a *Moriſſono*; (56) denique a *R. Buttler*, qui ſcripſit *an Eſſai concerning blood-letting*. Lond. a. 1734. (57)

§. XIV.

Dixi, vulgo quidem omnes ad *Bellinum* provocare, neque tamen eum receptæ opinioni multum favere. En *Bellini* Theoremata:

Propoſit. I. 1. " A quacunque vena mittatur ſanguis, per totum „ ſpatium temporis, quo mittitur, quantitas ejus ſingulis contractioni- „ bus cordis influens in truncum [58] arteriæ, cujus aliquis ramus „ continuus ſit venæ, a qua mittitur ſanguis, majorem proportionem „ habet ad quantitatem, eodem tempore influentem in truncum alte- „ rum, quam quantitates eodem tempore in eoſdem truncos homologe „ influentes, quando nihil ſanguinis mittitur, ſed totus fluit per canales „ ſuos.

„ Demonſtratio hæc eſt: [59] Sanguis fluens per arterias nititur „ in ſanguinem fluentem per venas, & ſanguis per venas præcedens „ impedimento eſt ſanguini per eaſdem ſuccedenti; amoto igitur impe- „ dimento - facto in qualibet vena emiſſario minuetur reſiſtentia non ſo- „ lum ſanguini per ſummas arterias venæ illi continuas, ſed per earun- „ dem ramos majuſculos, majores, ac demum truncum ad cor uſ- „ que ——.

2. „ Quantitas influens in arteriam illius partis, a cujus vena mitti- „ tur ſanguis, ad quantitatem influentem in arteriam partis oppoſitæ, & „ ab eadem origine venientem, [60] majorem proportionem habet, „ quam quantitates influentes, quando nihil ſanguinis mittitur.

„ E. g

(55) Quas Tomo ſuo ſecundo addidit Sylva.

(56) Hos binos viros video nominatos in Ill. *Platneri* Chirurg. inſt. §. 12. 81. not. cum reliquis. Nondum ipſos libros vidi.

(57) Ipſe profitetur a Sylva ſe omnia habere.

[58] Erroneam hanc diviſionem aortæ jam notavi, & notabo. Ceterum eſt ſane veri aliquid in hac propoſitione, modo non inverſa argumentatione, quia in truncum plus ſanguinis influit, dicatur etiam in omnes ramos, a corde uſque ad arterias, a qua ſecta vena ſanguinem habet, plus ſanguinis influere, quam ante M. S quod eſt fundamentum mox dicendæ Sylvianæ, & vulgaris theoriæ, quodque non video dicentem Bellinum, quodque falſum eſſe oſtendam. Dixi, *aliquid* in Belliniana hac propoſitione veri ineſſe: *multum* non eſt; incredibiliter enim exiguam eſſe revulſionem, quæ fit a ſecta pedis vena, in arteriis capitis, & extremitatum ſuperiorum, ſuo loco oſtendam.

[59] Hoc argumento, demonſtrandi revulſionem, omnes utuntur.

[60] Non modo majorem proportionem eſſe quantitatis in arteriam, a qua ſecta

„ E. g. mittatur ſanguis a ſaphæna dextri pedis ---- major eſt quan-„ titas, quæ in dextram iliacam influit, quam quæ in ſiniſtram.

3. „ In ratione quantitatum ab altero trunco in ſuos ramos influen-„ tium per V. S. nihil mutatur.

E. g. „ A ſecta ſaphæna minus quidem ſanguinis in utramque axil-„ larem arteriam influit, quam ante V. S. ſed æqualiter dividitur, ut „ ante.

4. „ Velocitas ſanguinis in omnibus venis, quæ ab emiſſario ad „ auriculam uſque cordis continentur, atque arteriis, fit major, niſi quod „ fieri poteſt, ut ſanguis contentus in toto tractu venarum, qui compre-„ henditur inter dextram auriculam cordis, & emiſſarium, & ſucceſſive „ ſanguis contentus in venis, in illum tractum confluentibus atque dein-„ ceps ſanguis in arteriis, a quibus venæ accipiunt, fiat minoris veloci-„ tatis, quam cum nihil ſanguinis mittitur.

„ Truncus [61] alter venæ cavæ prope cor, in alterum hians ni-„ tetur, atque, ſi poterit, movebitur ſuo ſanguine in alterum, ſed trun-„ cus, a cujus aliqua vena ſanguis mittitur, minorem quantitatem ad au-„ riculam derivat, quam truncus alter, igitur ex hoc defluere aliquid „ ſanguinis in alterum poterit, adeoque aliquo ſanguine, ex trunco, cu-„ jus nulla vena mittitur ſanguis devoluto in alterum, hujus etiam [in „ trunco, cujus nulla vena ſecatur] velocitas augebitur.

5. „ Velocitas aucta, quæ exercetur per venam, a qua ſanguis „ mittitur, omneſque in ipſas confluentes, ſicut per arteriam --- ad „ velocitatem in iiſdem canalibus ante V. S. majorem proportionem ha-„ bet, quam velocitas aucta per quoslibet homologos canales reliquos, „ ad velocitatem per eoſdem cum nihil ſanguinis mittitur ---.

6. „ Brevi a ſuppreſſione ſanguinis ceſſat (62) hæc inæqualitas ve-„ locitatum, ſolaque permanet aucta velocitas, major quidem veloci-„ tate

ſecta V. ſanguinem habet, influentis, ad quantitatem influentem in arteriam ex eodem puncto cum illa ortam, quam eſt ante S. M. ſed etiam abſolute minorem quantitatem durante V. S. quam ante eam influere in arteriam ex eodem puncto cum illa ortam, a qua vena ſecta ſanguinem habet, oſtendam ſuo loco, ſi quidem, quod omnes aſſeverant, derivatio fit per V. S. in arteria dante venæ ſectæ ſanguinem, quod quidem non credo.

[61] Privatum eſt hoc Bellini commentum, falſum certe! nam neque continuus canalis ſunt cava inferior, & ſuperior, neque hunc mutuum obniſum concedit Euſtachiana valvula.

[62] Ceſſante autem hac inæqualitate velocitatum, & redeuntibus priſtinis rationibus, par eſt, omnes effectus inæqualitatis hujus non ſolum ceſſare, ſed & plane deſtrui; neque aut ſperandum, aut timendum quidquam a revulſione, & derivatione. Nam ſi ſecta vena, acceleratur ſanguis in arteria dante venæ ſanguinem, clauſa retardatur. Hujus accelerationis, & retardationis effectus ſe mutuo deſtruunt, neque reſtant, niſi effectus evacuationis.

„ tate ante V. S. ſed in omnibus vaſis cum rationibus iiſdem, quæ ante „ V. S. fuerant.

7. „ Oportet autem, ut, quæ ſanguinis quantitas mittitur, non im„ minuat momenta contractionum in villis cor, muſculos reliquos, & „ membranas conſtituentibus.

Propoſit. VI. p. 106: „ Revulſionis, ac derivationis nomina non „ ſunt tam inania, quam ab aliquibus ſupponuntur; — patet ex his pro„ poſitionibus per M. S. derivari ex aliqua vena ad partem aliquam ma„ jorem quantitatem ejus intra datum tempus, quam ſi mitteretur ex „ alia: atque insuper, cum pars aliqua affecta eſt, tutiſſimum eſſe ſan„ guinem mittere ab illo trunco, cujus nulli rami ad partem affectam „ tendunt (63) deinde a venis oppoſiti lateris ab eodem trunco venien„ tibus, poſtremo ab ipſa affecta parte; & hoc non alia de cauſſa, quam „ quia ſi ſtatim ab ipſa affecta parte mitteretur ſanguis, periculum im„ mineret, ne augeretur morbus per ſolum affluxum copioſioris materiæ „ ad partem affectam; qui eſt ipſe effectus malus, qui derivationi tri„ buitur nimis mature adminiſtratæ; quia vero per M. S. ab altero trun„ co factam contingit, ut major copia ſanguinis in ipſum devolvatur, „ quam in alterum, a cujus ramis irrigatur inflammata pars, fit, ut in hanc „ minor ejus copia deducatur, & hic eſt ipſe effectus, qui revulſioni „ tribuitur —— Revulſio prius, deinde [64] derivatio adminiſtranda.

§. XV.

En Cl. (65) *Sylvæ* Syſtema: „ Omnis V. S. eodem tempore eſt „ evacuatoria: derivatoria, revulſoria.

„ Cauſſa derivationis eſt immutata (66) reſiſtentia, quæ ſe oppo„ ſuerat ſanguini in ſecta vena fluenti.

„ Incipit derivatio primo momento M. S. creſcit, dum durat, brevi „ poſt finitam minuitur, (67) denique tollitur. Major eſt derivatio in „ arteria reſpondente venæ ſectæ, quam [68] in ulla alia.

[63) Sed cur non ſtatim ab his venis oppoſiti lateris ab eodem trunco, ſi ſcopus eſt revellendi? nam hæc revulſio multo eſt major illa, quæ fit in trunco plane oppoſito?

[64] De hoc mox dicendi locus erit.

[65] T. I. p. 2, 13. 16, 22, 25. 28. 29, 46. 64. 113.

[66] Eſt argumentatio, qua Bellinus, & omnes utuntur.

[67] Enim vero non ſolum minuitur, ſed & plane deſtruitur per occluſionem ſectæ venæ omnis ille effectus, cujus cauſſa eſt ſectio venæ, quemadmodum qui viam forte miliaris, quam fecerat, relegit, multum quidem movit ſed nihil promovit.

[68] Utique; nulla enim plane derivatio fit in ulla alia arteria, præter eam, quæ venæ ſectæ ſanguinem dat,

„In his autem ramis, qui a trunco, inde a loco, in quo V. S. fit, uſque ad cor, ſecedunt, diverſa eſt derivatio pro diſtantia diverſa a corde, quo propius locus a corde abeſt, eo in illo minor eſt.

Hic [69] Rhodus, hic ſaltus. Itaque explicatius proponenda ſunt, quæ in hanc rem habet.

„ Obſtructionem, inquit, menſium V. S. in pede tollit, quia in canalem arterioſum inde a corde uſque ad locum, in quo S. mittitur, „abundanter ſanguinem derivat; pars enim hujus ſanguinis, qui præci-„pitanter fluit in truncum, intrat arterias lateraliter ſecedentes: hic au-„tem copioſioris ſanguinis impetus dilatat vaſa, & vi facit viam a natura menſtruo ſanguini deſtinatam.

„ Difficultas [70] ſe aliqua explicaturo hunc hujus V. S. effectum „opponit, ſed facile illa amovenda. Difficultas hæc eſt: IL [71] „ſem-ble, que le ſang, qui eſt attiré dans le canal arteriel, qui va en droite ligne du cœur juſqu'au pié, doive s'écouler en entier „par l'ouverture de la veine piquée, & s'écouler auſſi vîte, qu'il „eſt entré; & qu'ainſi, quelque réelle que ſoit la dérivation dans le ca-„nal direct, les arteres *uterines*, qui en naiſſent lateralement, ne (72] „peuvent point s'en reſſentir.

„Reſpon-

[69] Interim antequam contrarium demonſtro, rogo B. L. ut hoc tantum cogitet, nihil in viribus ſanguinis motricibus cordis & arteriarum mutari, durante V. S. utique nihil in ſitu vaſorum, neque durante, neque poſt V. S. quod neque Bellinus, neque Sylva negant, neque fuit, qui, qualis ea mutatio eſſet, definiret; cogitet, nihil in reſiſtentiis mutari, quæ ſe opponunt ſanguini in ramos influenti, præterquam in illa ſola arteria, quæ ſectæ venæ reſpondet: Ita mecum argumentetur, quia per minutam reſiſtentiam in arteriam, e. g. cruralem dextram, plus ſanguinis, quam antea, influit, in iliaca autem interna nihil mutatum eſt, in hanc quidem internam nihil plus ſolito influere poteſt, (detrahi aliquid, hoc eſt, revelli poteſt, quod interim negligamus,) truncus autem communis iliacarum dextrarum tanto plus capit ſanguinis, quam iliaca ſiniſtra, quanto plus admittit cruralis ſua a cœpta S. M. quam antea admiſerat; porro arteriam quidem meſentericam infer. tantum capere ſanguinis, quantum antea, truncum autem aortæ tanto plus ultra conſuetam copiam capere, quanto plus admittit iliaca dextra, atque ita pergendo uſque ad cor, etiam ſi precario concedatur illa diviſio in truncum aortæ aſcendentem & deſcendentem, efficietur, tanto plus ſolito deſcendentem capere, quanto plus ſolito capit cruralis dextra.

[70] Perſpicaciam non poſſum eam magnam dicere, quod ſenſit, quæ pronum erat intelligere objectum iri, levitatem autem non poſſum non dicere, quod ita facilem reſponſionem credit.

[71] Malui ipſius Sylvæ verba deſcribere, ne vertendo ſenſum corrupiſſe diceret forte, qui mihi ſatis obſcurus videtur, verborum parum, ni fallor, accuratorum.

[72] Ita ſane mihi videtur, nam non ſolum nihil derivatur ſanguinis, ſed etiam revellitur ex arteriis uterinis.

„ Reſponſio hæc eſt : 1. Non eſt pro certo [73] habendum, „ quantitatem ſanguinis, quæ per V. S. emittitur, æqualem eſſe „ quantitati in truncum derivatæ. Certe verum id non eſt in fine „ derivationis; nam cum impetus derivationis tum maximus ſit, appa- „ ret, non ſufficere [†] foramen in vena factum emittendo omni ſan- „ guini, qui ultra copiam conſuetam in aortæ truncum inferiorem con- „ citatur, ut ejus partem in arterias laterales adigi neceſſe ſit. 2. Etiam „ ſi concedantur illa omnia, ſufficit, celeritatem ſanguinis in canali au- „ geri, qui recta linea a corde ad locum V. S. pertingit: (74) au- „ geri autem illa in trunco non poteſt, quin augeatur in ramis. 3. De- „ nique hoc ſaltem certum eſt, derivationem in ramis lateralibus fieri „ in fine V. S. poſtquam clauſa eſt vena (75). Sanguis enim, qui „ pergit deſcendere rapide, negato recta via aditu, reflectitur ad late- „ ra, & uno impetu ramos diſtendit, qua ſubita. repletione, & arieta- „ tione extremarum uterinarum arteriarum fit id, quod ſolet a V. S. „ in pede fieri, reſtitutio fluxus menſtrui.

„ Dum per V. S. plus ſanguinis derivatur in canalem arterioſum „ reſpondentem ſectæ venæ, oportet ſimilem ejus quantitatem ab (76) „ arteriis reliquis deflecti.

„ Revulſio in omnibus partibus corporis fit, excepto loco V. S. „ ſed eſt diverſa pro diverſo ſitu arteriarum, & communicatione cum „ illa arteria, quæ reſpondet ſectæ venæ.

„ Prope cor, ubi dividitur aorta in truncum adſcendentem, & „ deſcendentem, revulſio eſt æqualis derivationi in truncum alterum.

[73] Enimvero pro certo hoc habendum eſt, ſi certum eſt illud, effectus æquales eſſe cauſſæ ſuæ. Plus autem ſolito ſanguinis in truncum aortæ derivatur ideo, quia cruralis plus capit.

[†] Celſi verbis reſpondeo: Eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur: Ubi ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem.

[74] Si illa cauſſa majoris velocitatis in trunco, vis a tergo cordis major eſſet, augeretur etiam in omnibus ramis, ſed quia cauſſa iſtius augmenti in illo ſolo ramo, aut trunci fine eſt, qui ſectæ venæ reſpondet, non opus eſt, augmentum in ramis ſuperioribus eſſe.

[75] Hæc quidem plane mirabilis argumentatio eſt, nam oppoſitis cauſſis idem effectus tribuitur. Qui pergat ſanguis rapide deſcendere, poſtquam vena clauſa eſt, ſi rapiditatis illa cauſſa eſt, quod vena aperta eſt? Verum quidem eſt, clauſa vena reflecti ſanguinem in proximas laterales arterias, impoſſibile autem eſt; verum hujus contrarium eſſe, & derivationem fieri aperta vena.

[76] Recte: ab arteriis omnibus aliquid avertitur, in omnibus fit revulſio, in nulla, præter reſpondentem ſectæ venæ fit derivatio. Et revulſio quidem illa, contra quam putat Sylva quo propior cordi locus eſt, eo in illo eſt minor, quo propior locus eſt loco V. S. eo in illo major.

„ Alia (77) autem ratio eſt in iis arteriis, quæ infra diviſionem „ aortæ in aſcendentem, & deſcendentem, ex alterutro trunco ſece- „ dunt.

„ Cum in truncum, adeoque in ipſos illos ramos plus ſanguinis „ V. S. (78) derivetur, efficitur, ut revulſio, quæ in iiſdem fit, quo „ major eſt derivatio, eo fiat minor, maxima futura prope cor, quo „ longius ramus abeſt, eo minor inverſo ordine, qui eſt derivationis.

Altera *revulſio* conſtans & *abſoluta* dicenda, altera *variabilis*.

Bona ſpero cum venia B. L. primo intuitu intellecturi, quam mirabile hoc ſit commentum, licet ſuperſedere labore recenſendi ea multa, quæ de hac revulſione & abſoluta, & variabili, a p. 29 -- 38. habentur, & breviter potius explicare, quæ de uſu diverſarum V. S. habet.

Derivationis pauci boni effectus ſunt, metus juſtiſſima cauſa. Prudentis medici eſt, nunquam eo derivare, ubi eſt obſtructio. Sola derivationis ea eſt utilitas, quod obſtructionem menſium tollit.

Revulſionis, ubicunque eſt obſtructio, maxima eſt utilitas potiſſimum in principio mali. Plane autem laus revulſionis abſolutæ non debetur [79] variabili, ſemper ambiguæ, frequentiſſime nocenti.

V. S.

[77] Hic vide B. L. ortum errorem ex illa erronea diviſione aortæ in duos plane diverſos canales, & diviſione totius corporis in duas quaſi regiones. Si voluiſſent cogitare, Sylva reliquique, nihil ad hanc quæſtionem facere angulum, quem faciunt, nihil lumina arteriarum ex eodem puncto ortarum, poterant intellexiſſe, ſi per V. S. in pede revulſio fit in axillaribus, & carotidibus neceſſe eſſe, ut fiat revulſio etiam in iliaca primum ejuſdem lateris interna, deinde in iliaca communi oppoſiti lateris, atque ita porro uſque ad cor, in ramis autem prope cor omnium minimam revulſionem futuram, derivationem in nullis.

[78] Mirabile commentum eſt *revulſio variabilis*. Mirabile eſt eidem cauſſæ duplicem, & oppoſitum effectum tribuere. Conſidera mecum B. L. hic, & in illa argumentatione not. 75. naturam recurrentem uſque, etſi præjudicatis opinionibus expellere coneris. Si ſit canalis, in quem determinata copia fluidi impellatur, a quo in diverſis ſpatiis ſecedunt rami, ſi fiat, ut in horum aliquem plus ſolito liquidi influere poſſit, detractum aliquid iri omnibus ſuperioribus ramis, hoc eſt, revulſionem in illis futuram, neminem inveni, qui non primo intuitu agnoſceret, ſæpius in amicis facto periculo, quibus, ſcopum meum ignorantibus, quæſtionem hanc, quid futurum eſſet, in tali ramoſo canali, propoſui. Non potuit Cl. Sylva impedire rationem, hoc ipſi dictantem, ſed dictante præjudicata opinione, de amata doctrina, derivationem fieri: invenitur nomen revulſionis variabilis, quod mihi verum eſt ſideroxylon.

(79) Pag. 37 hæc habet verba: ce ſeroit ou une ignorance, tout à fait inexcuſable, ſur tout dans un ſiecle, où l'eſprit de juſteſſe, la *méchanique*, & *l'anatomie* ont, par leurs progrès, répandu une vive lumière, qui a converti en démonſtrations les conjectures des anciens médecins ſur le choix des ſaignees: ou ce ſeroit le comble humiliant d'un aveugle préjugé, qui auroit entièrement aſſervi la raiſon, que de négliger dans les embarras, & dans les inflammations,

qui

V. S. in brachio facienda eſt in inflammatione extremitatum inferiorum, aut viſcerum abdominis, in pleuritide vera, cujus (80) ſedes eſt a quinta ad ultimam coſtam, in uteri hæmorrhagia, in hæmorrhoidum nimio fluxu, in eryſipelate, aut aliis inflammationibus (81) brachii oppoſiti: non eſt facienda in inflammatione mediaſtini, 80) pericardii, ſterni, propter arteriam mediaſtinam, & mammariam internam, in pleuritide (80) quatuor ſuperiorum coſtarum, in inflammationibus colli ob ramos (81) arteriæ vertebralis, in obſtructione, aut inflammatione cerebri, in inflammatione ejuſdem brachii, in quo V. ſecatur V. S. in pede utilis eſt ob reſerandam obſtructionem menſium, ſiquidem ſuſpicio inflammationis uteri abſit, in omnibus morbis, quorum ſedes partes ſuperiores ſunt, caput, collum, brachia, thorax ſuperior, uſque ad quintam (80) coſtam, potiſſimum quidem infinita ejus utilitas eſt in oppletione cerebri impedienda: nocet in obſtructionibus, & inflammationibus extremitatum inferiorum, viſcerum abdominis omnium, in hæmorrhagiis earum partium omnibus, uterinis, hæmorrhoidalibus &c. Ob revulſionem variabilem utilis forte fuerit in morbis oppoſiti pedis; ſed jam damnata eſt hæc revulſionis variabilis utilitas [82].

Sectio jugularis, quia in truncum carotidum ſanguinem derivat, derivat in externam, & internam, etſi ab aorta inferiore, & ſubclaviis (81) revellat. Itaque utilitas ejus forte aliqua fuerit in morbis inferioris trunci uſque ad quartam coſtam, ratione capitis autem nimias laudes non meretur, & nocet in morbis cerebri, ob derivationem iſtuc excitatam,

qui ont un ſiége affecté, les avantages certains de la revulſion abſolue, qui eſt toujours ſûre, toujours efficace, pour y ſubſtituer la revulſion variable, qui eſt équivoque, ſouvent inutile, & preſque toujours nuiſible. Confer B. L. § 2, potiſſimum Academici iſtius ſententiam, not. 76, 78.

(80) Vide B. L. ſuperſtitionem æqualem illi veterum, in delectu venarum ejuſdem loci, etſi diverſam.

(81) Ob revulſionem nimirum in axillari oppoſita, quam ſtatuit p. 44. his verbis: La dérivation, que la ſaignée fait vers le côte, d'ou l'on ſaigne, dérobe évidemment à l'aorte inférieure, & à l'artere ſouclaviere du côté oppoſé, une partie du ſang, qui ſans cette circonſtance auroit du y couler. Statuere autem hanc revulſionem non licet conſtantem in ſyſtemate ſuo, quod jure ab omnibus poſtulatur, qui ſyſtemata ſtruunt, & commendant ſua; nam ſi V. S. in pede in totum truncum aortæ inferioris ſanguinem derivat, atque adeo in omnes ramos, etiam iliacam oppoſiti lateris, ſi hæc V. S. in pede revellit a ſuperiore aorta, oportet eandem rationem obtinere in hac ſuperiore aorta, ut in totum truncum derivationem excitet facta in brachio V. S., ut non magis ab oppoſita ſubclavia revellat, quam V. S. in pede ab oppoſita iliaca. Ob ramum a vertebrali in inflammatione colli non ſecandum in brachio: cur non potius ob carotidem externam, in quam derivationem fieri æque oportet, quam in vertebralem, & cujus illi exigui rami ſunt?

(82) Vid. not. 78, 81.

citatam, in initio certe, etſi, poſtquam ſatis imminuta maſſa ſanguinis eſt aliis V. S., omnino fides laudantibus, nimium quidem, hanc jugularis ſectionem magnis viris non deroganda eſt (83).

Lites, quæ Sylvæ fuerunt, jam tetigi in notis 75-76; tangam porro ſuis locis, hoc loco omitto.

§. XVI.

Quos ſparſim jam indicavi, conjunctim breviter dicam potiſſimos errores omnium ſtatorum doctrinæ de revulſione, & derivatione. Primus eſt diviſio aortæ in truncum adſcendentem, & deſcendentem, atque inde totius corporis in duas regiones. Inſtar omnium ſint Cl. *Martini* verba hæc, p. 3. 4. Il faut, quand il s'agit de dérivation, ou revulſion,

(83) Pag. 111, 112, 113. Ce que nous avons dit juſqu'ici, ne doit pas donner une trop haute idée de la ſaignée du col: cette ſaignée n'a jamais aucune utilité particulière, ni a raiſon de l'évacuation, ni a raiſon de la révulſion abſolue, qu'elle produit; & par raport à la dérivation, qu'elle attire, elle eſt nuiſible dans les maladies du cerveau, quand on la fait dans le commencement. Nos ſentimens ſur ce point ſont pleinement juſtifiés par l'expérience; & les ſuites facheuſes de cette ſaignée, quand on la fait trop tôt, ſans avoir diminué d'avance le volume du ſang, n'ont que trop appris le danger, qu'il y avoit à l'entreprendre dans ces circonſtacces.

— Cependant, malgré cette difficulté pluſieurs bons obſervateurs, qui ont ſu allier la ſolide théorie avec la bonne pratique, aiant remarqué differens effets de cette ſaignée dans divers tems, & dans differentes maladies ſemblables, & guidés outre cela par un *analogiſme* (hæmorrhagiæ narium), dont l'application n'a rien de forcé: ces Praticiens éclairés ont reconnu, que la ſaignée de la gorge, qui eſt dangereuſe, quand on en uſe imprudemment c'eſt à dire prématurement, ceſſe de l'être & produit au contraire de très bons effets dans les embarras du cerveau, quand on s'en ſert à propos; c'eſt à dire après que les vaiſſeaux ont été conſiderablement deſemplis par pluſieurs ſaignées.

Reperio, jure a conditoribus ſyſtematum poſtulari, ne deſerere ea velint, niſi falli. Itaque *Sylvam*, qui ſtrenue, quin acerbe, contra *Bianchum* defendit, noxiam eſſe derivatoriam V. S. qui concedit (qui enim licebat aliter per ſyſtema ſuum?) ſectionem jugularis derivatoriam eſſe reſpectu capitis, decebat uno verbo negare utilitatem ſectionis jugularis. Illud enim, quod dicit, poſt plures alias V. S. diminuta jam ſanguinis mole, poſſe fieri eam ſectionem, tale eſt, ut ſi nihil dixiſſet, idem dixiſſet: illud, poſt ſufficientem evacuationem non ſolum non nocere, ſed prodeſſe etiam, etiam falſum. Si nocet V. S. derivatoria, quia in quem locum alienum eſt, ſanguinem concitat, parum forte nocere poteſt; cum jam parum ſanguinis reſtat, non nocere tamen non poteſt, prodeſſe utique minime. Itaque conſtans certe fuiſſet Ill. *Sylva*, ſi hoc reſpondiſſet laudatoribus V. S. jugularis, ideo non nocuiſſe, quia ſero poſt jam alias adhibitas complures M. S. feciſſent; rectius tamen ſemper in pede ſanguinem miſſuros fuiſſe.

Ceterum de jugulari ſigillatim dicturus ſum.

vulſion, faire attention au point du partage du gros tronc de l'aorte en ſupérieure, & en inférieure, où comment la dérivation, & la revulſion ——.

Neque Anatomia fert eam diviſionem, de quo videſis Ven. Præceptorem Ill. DE HALLER, Comment. Boerh. II. p. 345. qui, *Galenus*, inquit, *erroris auctor eſt, qui brutorum animalium diſſectionibus uſus, arteriæ magnæ truncum adſcendentem, & deſcendentem fecit;* neque etiam ſi ille non eſſet anatomicus error, aliter dici poſſet comparatum eſſe cum truncis iſtis, quam eſt cum iliacis, aut ubicunque eſt ramificatio, cum trunco eſt ramoque ſecedente; nihil ad quæſtionem de revulſione, & derivatione, aut a ramo truncoque incluſus angulus, aut canalium lumina faciunt. Finge tibi duos canales ex uno puncto ortos ſine alterius canalis, compone talia plura canalium quaſi ſyſtemata, ut ſemper truncus unius alterius ramus ſit: nihil refert, quales anguli, qualia lumina ſint; apertum eſt, quod in infimis ramis obtinet, in omnibus ſuperioribus obtinere; ſi infimo canale augeatur velocitas, minutum iri in ſocio ramo ex eodem puncto orto, auctum iri in trunco horum ramorum, minutum iri in hujus trunci ſocio ramo, atque ita porro. Sed hæc mox explicatius dicentur. Atque eodem modo refellitur alter error (84) quod aucta in infimo canali celeritate, creditur auctum iri in omnibus ramis ſuperioribus, uſque ad illud, quod dicitur revulſionis & derivationis initium, quod cum nullum ſit, & ſuperiorum partium arteriæ æque ſint rami aortæ, quam eſt coeliaca, aut alia quævis, ſequeretur ex hoc altero errore, etiam in illis ſuperiorum partium arteriis velocitatem auctum iri. Denique non cogitaverunt, omnem aut ſpem aut metum a revulſione & derivatione everti illa retrogradatione [contrecoup] poſt clauſam venam. Ponamus, illum ſtatum, qui natus eſt poſt apertam venam, ſemper fuiſſe, cauſſam autem nunc naſci augentem reſiſtentiam in ea arteria, quæ venæ ſectæ ſanguinem dat, non morabitur credo Sylva concedere, ſecuturos effectus contrarios oriundis a cauſſa imminuente reſiſtentiam. Jurene autem morabitur concede-

[84] Ridet hunc errorem Ill. *Senac* hoc modo pag. 513, 514: Si je diſois à un Phyſicien, voila le tronc d'un jet d'eau qui ſe partage en pluſieurs branches, chacune pouſſe l'eau avec une force égale à 10. Mais voulez vous augmenter cette force? Prenez une de ces branches, faites une ſaignée, d'abord l'eau ſe portera dans chacun de ces tuyaux avec une force égale à 12.

Si en continuant ſur le même ton je lui diſois: obſervez, que ces branches ſont les unes au deſſus des autres; quand vous faites une ſaignée à une branche d'enhaut, vous augmentez la force de l'eau dans toutes les branches, excepté dans la premiere, l'eau, qui monte de ſurplus dans toutes les autres ſe détourne de la premiere; ainſi en voila une, qui en reçoit moins, tandis que les autres en reçoivent une plus grande quantité, je n'établirois, qu'une miſerable doctrine.

cedere idem futurum, ſi hæ cauſſæ minuentes & augentes intra paucum tempus mox ſe agendo excipiant? Si vulnus venæ cauſſa eſt minuens reſiſtentiam, obturatio vulneris cauſſa eſt augens. Contrariarum cauſſarum contrarii ſunt effectus, qui ſe mutuo effectus contrariarum cauſſarum eodem tempore agentium aut ſe mox excipientium, ut in omnibus contrariis determinationibus fit, deſtruent.

§. XVII.

Defunctus labore narrandi hiſtoriam doctrinæ de revulſione & derivatione, ſatis, ut mihi videor, pro rationibus meis ſcriptioniſque meæ copioſe, ad ipſam quæſtionem, dicendamque meam opinionem accedo. Duplex autem quæſtio eſt, primum, an per ſectionem venæ in arteria, a qua ſecta vena ſanguinem habet, ſanguinis curſus acceleretur; (85) deinde ſi id fieri credamus, quid ideo in motu ſanguinis reliquarum arteriarum mutetur? De poſteriori quæram primo, de altero deinceps.

§. XVIII.

Sit canalis conice, ſi placet, convergens, per diſtantias ramos emittens: nihil refert, qui anguli, quæ lumina canalium ſint, nihil recti, an curvi, nihil an longi rami, an breves, an ipſi in ſuos ramos abeuntes. Ducta, B. L. utcunque linea, & ducta ad eam ſecatura alia, deinde, in aliqua diſtantia, alia linea, atque ita porro, repræſentare poterunt canalem, qualem intelligo. Dicatur locus, in quo ramus aliquis ſecedit, *nodus*, Dicatur canalium ex ultimo nodo ortorum alter, trunci continuatio ſi placet, A, alter, ramus a trunco ſecedens, B, dicatur portio trunci inter nodum ultimum & penultimum, canalis I. inter penultimum & antepenultimum canalis II, &c. reliqui rami ex ordine, C, D, &c. ita, ut in nodum penultimum conveniant canalis I, & ramus C, in nodum antepenultimum canalis II, & ramus D, &c.

In hunc canalem cum ſuis ramis a vi conſtanter agente, nec mutanda, adigatur determinata ſingulis momentis liquidi quantitas, quam *undam* dicam, ut, quamdiu nihil mutatur in ramis, ad ſingulum nodum determinata quantitas, ſ. unda veniat, dividenda canalibus, ex illo nodo ortis, ratione conſtante.

Si mutetur ratio quantitatum in A & B. influentium, dico ſecutura hæc:

1. Muta-

(85) *Senac* p. 522, 525: Accordons aux défenſeurs de la révulſion, & dérivation les ſuppoſitions, qu'ils démandent... c'eſt ſur cette acceleration, que ſont fondées mes difficultés.

1. Mutabuntur rationes in omnibus nodis, poſtquam ortæ ſunt conſtantes futuræ, dum durat novus rerum ſtatus :

2. Mutabuntur autem rationes non æquali modo in nodis omnibus, ſed maxime in nodo penultimo, minus in antepenultimo, minimum in ſupremo :

3. Donec mutatio rationum proceſſerit ſucceſſive ad nodum uſque ſupremum, ad quem per hypoth. ſemper æquales undæ appelluntur, ad reliquos nodos appellendæ, & in canales inde ortos dividendæ natis modo rationibus novis, ſucceſſive mutantur :

4. Nunquam autem, dum mutatus rerum ſtatus perſtat, æquales undæ eſſe poſſunt undis, quæ in iiſdem nodis ante mutationem erant. (†)

Mutationum rationis in A & B, (86) hanc duplicem cogitemus, ut aut augeatur, aut minuatur reſiſtentia in alterutro horum canalium. Ponamus, mutationem fieri in canali A. S. in canalem aliquem major ſolito quantitas influit, fit in eo *derivatio*, ſi minor, fit *revulſio*.

Ponamus, rationem in omnibus nodis (87) eandem $m : n$ = quantitas in $A : q$ B = q. canal. I : q C.

Ponamus rationem in nodo ultimo mutatum $pm : n$, & ſit aut $p > 1$, aut $p < 1$, illud minuta reſiſtentia in A, hoc aucta.

Ponatur unda quælibet ad nodum ultimum, rebus omnibus integris veniens

(†) Si qui forte erunt minus amantes demonſtrationem, qualis ſequitur, illi habeant rationes propoſitionum mearum has. 1. Quia in alerutro ramorum ex nodo ultimo, in A aut B. reſiſtentia mutatur, mutatur etiam in canale I, ex quo illi rami ſuum liquidum habent; pariterque quoniam in can. I. reſiſtentia mutata eſt, mutabitur etiam in can. II. & ſic porro. 2. Si mutata reſiſtentia in utroque ramo eodem modo eſſet, e. g. ſi in utroque imminuta eſſet ad dimidiam partem, mutaretur & imminueretur eodem modo in can. I. ſed cum mutetur in alterutro tantum ramorum, neceſſe eſt mutationem hanc minorem in can. I. eſſe, quam in A, minorem in can. II, quam in can. III. &c. 3. Poſtquam ratio ad nodum penult. mutata eſt, alia & a priori diverſa unda ad ultimum venit, & ad penult. alia venit, mutata ratione in antepenult., itaque etiam alia a penultimo ad ultimum. At poſtquam in nodo ſupremo mutatio facta eſt, quia per eum unda ſemper eadem nec mutabilis fluit, ſemper eadem ad proximum mittetur, porro ad antepenult., ab hoc ad penult., ab hoc ad ult. 4. Quia unda per ſupremum nodum fluens nec augetur, nec minuitur, propter mutationem autem in A factam, ramus A, can. I, II &c. aut plus aut minus quam antea accipiunt, nunquam poterunt B, C, D &c. accipere quod antea.

(86) Poteſt etiam mutari reſiſtentia in A & B ſimul, atque duplex etiam hæc mutatio eſſe, ut aut majorem undam conjunctim A & B capiant, quam antea, aut minorem. Ad rem autem meam non pertinet, niſi ille, quem poſui, caſus.

(87) Neminem ſpero ſatis iniquum futurum, ut per ipſum hoc non liceat, quod plurimum ad brevitatem, ad rem ipſam nihil facit. Poſſunt pro m : n ſubſtitui aliæ quælibet *rationes*, quod deinceps in calculo faciendo fiet.

veniens, P, & ſignificet Z undam quamlibet, in nodo quolibet, tempore quolibet.

In quieto rerum ſtatu, qui ante mutationem in A factam, ponitur, omnes tubi quantum dato aliquo tempore capere poſſunt, per conjunctas omnes determinationes, vim pellentem, & reſiſtentiam, quæ in ſingulis tubis fit ob quaſcunque cauſſas, tantum etiam eodem tempore acceperunt, h. e. quantum dato tempore fluere poteſt, tantum etiam fluxit tempore eodem, per ſingulum.

At ſi ponamus, non accurate eandem undam ad nodum aliquem appelli quam capere poſſunt inde orti rami, tamen quæcunque ea unda ſit, habebunt ſemper quantitates dato tempore in ramos fluentes, rationem, quam habent quantitates, quæ fluere in iiſdem eodem tempore poſſent.

Igitur mutata in primo nodo ratione $m : n$ in rationem $pm : n$, ſit ut tubus A, qui ante mutationem capere potuit $\frac{m}{m+n}$ P, nunc poſſit capere $\frac{pm}{m+n}$ P, dum tubus B in quo nihil mutatum eſt, pergit capere poſſe quod antea $\frac{n}{m+n}$ P.

Hoc facto canalis I capere poteſt quod poſſunt capere junctim A, & B, nempe $\frac{pm+n}{m+n}$ P. Ramus autem C poteſt capere quod antea, nempe $\frac{n}{m+n}. \frac{m+n}{m}$ P (eſt autem $\frac{m+n}{m}$ P unda per nodum penultimum quolibet momento fluens) quia nihil in eo mutatur.

Oritur ergo loco $m : n$ in nodo penultimo, ratio ea, quæ eſt quantitatum, quas capere poſſunt canalis I & C, nempe

$$\frac{pm+n}{m+n}\ \text{P} : \frac{n}{m+n}\ \frac{m+n}{m}\ \text{P}$$

$$\frac{pm+n}{m+n}\ m : n$$

Dicatur eadem hæc mutata ratio in nodo penultimo $qm : n$. erit $q = \frac{pm+n.}{n+m}$ Si reliquæ mutatæ rationes dicantur $rm : n$, $sm : n$ &c. invenietur pari modo eſſe $r = \frac{qm+n}{m+n}$, $s = \frac{rm+n}{m+n}$ &c.

Cum

Cum ante mutationem in ramum quemlibet B, C, D, &c. influeret quolibet momento unda $\frac{n}{m+n}$ Z, poſt mutationem fluent in B $\frac{n}{pm+n}$ Z, in C, $\frac{n}{qm+n}$ Z, in D, $\frac{n}{rm+n}$ Z, &c.

Jam ſi p $>$ 1, erunt etian q, r, s &c. majora unitate, & p $<$ 1, etiam q, r, s &c. $<$ 1, quod patet conſideranti $q = \frac{pm+n}{m+n}$ &c. itaque ſi p $>$ 1, fient undæ in B, C, D, &c. minores quam $\frac{n}{m+n}$ Z, & ſi p $<$ 1, fiunt undæ B, C, D, majores, quam $\frac{n}{m+n}$ Z, hoc eſt, *minuta reſiſtentia* in A, fit *revulſio* in omnibus ramis B, C, D. &c. & *aucta reſiſtentia* in A, fit *derivatio* in ramis B, C, D, &c. q. e. primum.

Patet conſideranti $pm + n = qm + qn$, ſi ſit p $>$ 1, fore $q < p$, & $r < q$, &c. &, ſi ſit $p < 1$, fore $q > p$, & $r > q$, &c.

Itaque ſi p $>$ 1, coëfficientes undarum in B, C, D, &c. creſcunt, & ſi p $<$ 1, iidem minuuntur, hoc eſt, *revulſio*, & *derivatio* major eſt in C, quam in B, major in D, quam in C. q. e. ſecundum.

Poſtquam ratio in nodo penultimo mutata eſt, alia unda mittitur ad nodum ultimum, quam antea, & poſtquam ratio in nodo antepenultimo mutata eſt, alia unda mittitur ad penultimum, hic autem, quia aliam accipit, aliam tranſmittit ad ultimum: & ſic porro. Poſtquam mutata eſt ratio in ſupremo nodo, quia per hanc determinata, nec mutanda unda ſemper fluit nova nunc lege dividenda, eadem conſtanter deinceps unda mittetur ad proximum, porro ad antepenultimum, ad penultimum, ad ultimum nodum. Atque tum ſtatus per mutationem in A inductus conſtans manet uſque ad novam mutationem.

Poſita eſt ratio in omnibus nodis eadem (87) $m : n$, & unda, dum nihil mutatum eſt, per ultimum fluens P, erunt undæ per reliquos, omnibus integris, fluentes, P, $\frac{m+n}{m}$ P, $\left(\frac{m+n}{m}\right)^2$ P, $\left(\frac{m+n}{m}\right)^3$ P, &c.

Poſtquam itaque nata eſt in nodo penultimo ratio $m : n$, hac ratione unda $\frac{qm}{qm+n}$ P dividitur & mittitur ad nodum ultimum unda $\frac{qm}{qm+n}$. $\frac{m}{m+n}$

Et poſtquam in nodo antepenultimo nata eſt ratio *rm*: hac ratione dividitur unda $\left(\frac{m+n}{m}\right)^2$ P, atque hinc ad nodum ultimum venit unda,

$$\frac{qm}{qm+n}. \quad \frac{rm}{rm+n}. \quad \left(\frac{m+n}{m}\right)^2 P.$$

Fiunt ergo ſucceſſive in primo nodo undæ

$$Z = P$$

$$= \frac{qm}{qm+n}. \quad \frac{m+n}{m} P$$

$$= \frac{qm}{qm+n}. \quad \frac{rm}{rm+n} \quad \left(\frac{m+n}{m}\right)^2 P, \ \&c.$$

Sunt autem ſi $p > 1$, etiam q, r, s, &c. > 1, & $\frac{qm}{qm+n} > \frac{m}{m+n}$ & totus coëfficiens $\frac{qm}{qm+n}. \frac{m}{m+n} > 1$, ergo minuta reſiſtentia in A undæ Z increſcunt.

Si $p > 1$, fiunt etiam q, r, s, &c. < 1, & $\frac{qm}{qm+n} < \frac{m}{m+n}$ & totus coëfficiens $\frac{qm}{qm+n}. \frac{m+n}{m} > 1$, ergo aucta reſiſtentia in A, undæ Z decreſcunt. Hoc eſt, *revulſio* & *derivatio* ſucceſſive *minuuntur*. *q. e.* tertium.

Poſito in ramum B, immittendam eſſe quantitatem $\frac{n}{m+n}$ P, antequam in canali A reſiſtentia mutabatur, influebat; faciendum erit $\frac{n}{m+n}$ P, $= \frac{n}{pm+n}$ Z. Eſt autem, ut jam monui, Z aliqua undarum, quæ ſucceſſive, aut majores, aut minores per nodum ultimum fluunt. Ponatur

$$\frac{n}{m+n} P = f, \ \& \ \frac{n}{pm+n} z = g$$

Ponatur coëfficiens in expreſſione valoris undæ $z = e$, ut ſit $z = c$ P. Erit ergo $\frac{n}{m+n} P = \frac{ne}{pm+n} P$, $\frac{1}{m+n} = \frac{e}{pm+n}$, $e = \frac{pm+n}{m+n}$, cumque ſit $\frac{pm+n}{m+n} = q$, erit $e = q$.

At

At ſi conſiderentur omnes coëfficientes in expreſſionibus pro z, invenitur, ſi p, q, &c. > 1, eſſe $q > e$, ſi p, q, &c. < 1 eſſe $q < e$, nunquam eſſe $q = e$, neque eſſe $e = \frac{pm + n}{m + n}$, neque eſſe $\frac{1}{m + n} = \frac{1}{pm + n}$ $\left(\frac{pm + n}{m + n} = e\right)$, neque eſſe $f = g$, ſed eſſe $g > f$, ſi p, $q < 1$, & $g < f$, ſi p, $q > 1$. Hoc eſt, *ſemper* in ramis B, C, D, &c. aut *derivationem*, aut *revulſionem eſſe*; *q. e.* quartum, & ult.

§. XIX.

Ponantur rationes in nodis $pm : n$, $qm : n$, &c. Mutetur ratio $pm : n$ in $m : n$, mutabuntur etiam rationes in reliquis nodis: fiant $aqm : n$, $brm : n$, &c.

Mutata ita ratione in nodo ultimo, A capit $\frac{m}{pm + n}$ Q loco $\frac{pm}{pm + n}$Q quod ceperat antea, & B ut antea capit $\frac{n}{pm + n}$ Q, ſit autem Q unda in ultimo nodo ante mutationem. Capit jam canalis I, undam $\frac{m + n}{pm + n}$ Q, & mutatur ratio in penultimo nodo, $qm : n$, in hanc $\frac{m + n}{pm + n}$ $qm : n = aqm : n$. fit $a = \frac{m + n}{pm + n}$ ſed eſt $q = \frac{pm + n}{m + n}$, ergo $aq = 1$, & $aqm : n = m : n$. Sublata itaque mutatione priſtina reſiſtentiæ in A omnes priſtinæ rationes $m : n$ redeunt, & effectus priſtinæ mutationis & novæ ſe mutuo deſtruunt.

§. XX.

Igitur demonſtravi, quæ Ill. *Senacus* habet pag. 529, 530, & experimento facto in canali, qualem ego cogito, didicit, derivationem, niſi in illa arteria, in qua minuta eſt reſiſtentia, in toto corpore nullam eſſe poſſe, revulſionem maximam in proximo illi arteriæ ramo futuram, quo longius a loco V. S. receditur magis magisque minorem, jam in non magna diſtantia ſenſibilem nullam eſſe poſſe. Quam hæc mea demonſtrata contraria ſint omnibus omnium ſtatorum doctrinæ de revulſione & derivatione theoriis apertum eſt, ut non opus habeam ipſe, diſſenſum exponere. Sed erunt, qui intercedent, quo minus applicatio demonſtratorum meorum ad corpus humanum fiat. Utar hic Ill. *Senaci* verbis: Je ſçai, que pour

pour répondre à ces difficultés, on peut m'oppoſer, que l'aorte eſt un tuyau flexible, qui agit ſur le ſang, & que le tuyau, dont je viens de parler, eſt un tuyau ſolide, qui n'eſt qu'un inſtrument paſſif; mais je n'ignore pas, qui ſont ceux, qui peuvent me faire une telle objection; je les prie ſeulement, de ne pas ſe (88) contenter de m'alleguer cette différence, il faut qu'ils déterminent les effets, qu'elle doit produire.

Non inveni, qui conati ſint dicere, quid ob hanc differentiam fieri par ſit, niſi Cel. *Martinum* l. c. & Exc. *Gunzium*, in notis ad *Hippocrat.* de *Humoribus* a ſe editum, a cujus celeberrimi viri humanitate pariter & animo, quem oſtendit, doctrinæ de D. & R. non mordicus, nec vinculis irreſolubilibus, qualia ſunt præjudiciorum, dedito, ſpero, placide exceptum ab ipſo iri modeſtam reſponſionem ad ipſius dubia contra Illuſtr. *Hambergerum* & *Senacum.* Præmitto autem hoc monitum: a nemine me vidiſſe derivationis & revulſionis per V. S. aliam cauſſam allegatam, quam ſublatam

(88) Itaque D. *Jo. Fr. le Fevre*, qui in præf. ad opera ſua, Veſunt. 1738 edita, uno verbo leges Geometrarum, & Hydraulicorum inutiles pronuntiat, decuiſſet, ni fallor, oſtendere, quid ex illa differentia inter illorum canales & vaſa humana ſequatur, quandoquidem id poſtulant importuni iſti homines, &, ſi in ulla alia parte medicæ ſcientiæ, certe in hac doctrina de revulſione & derivatione incommodi, vid. §. II. h. diſſert. En D. *le Fevre* verba, Præfat. p. XII. « Cum Geometrarum, & Hydraulicorum canales ſint duri, rigidi, ac in » eadem ſemper amplitudine cavitatis perſiſtentes, patet, illos valde differre a » ſanguiferis canalibus contractilibus ac elaſticis, qui in majorem, vel minorem » cavitatis amplitudinem veniunt, prout in morbis, vel nimis laxantur, vel ſpaſ- » mo afficiuntur. Deinde aqua in Hydraulicis ejuſdem ſupponitur fluiditatis. » Contra ſanguinis craſis in morbis modo eſt fluidior, modo ſpiſſior, ac phleg- » monodes apparet. Leges igitur Geometrarum, & Hydraulicorum nobis videntur » inutiles, imo fallaces ad certas regulas circa M. S. ſtatuendas; id liquidiſſime » evincit hallucinatio Bellini, qui Geometricis Legibus nimis adſtrictus Tr. de » M. S. Prop X. affirmavit, tutiſſimum V. S. tempus in febribus eſſe declina- » tionem morbi.

Cum nihil dixerit, niſi differre canales hydraulicos & vaſa C. H., nihil poteſt reſponderi: apertum enim ipſius verba faciunt contemtum omnis omnino in medicina matheſeos, contra quem contemtum ſatis eſt nominaſſe *Michelottum*, *Boerhaavium*, *Sauvagum.* De Bellino vid. not. *Nimis* Geometricis legibus, ſiquidem Geometricis h. e. veris, adſtrictus nemo eſſe poteſt. Equidem certus ſum neque videtur ſolum, remotis geometriæ & phyſices repagulis [intelligo autem non magis ipſas veritates geometricas, quam illud beneficium, quod mentibus præſtant hæ diſciplinæ, ad amorem veritatis eas aſſuefaciendo, ni alia obſtent) vaſtum campum aperiri phantaſmatibus. Si iſta ad cognoſcendum verum præſidia contemnere velimus, quem habebimus controverſiarum judicem? Experientiam? At docet tota medicinæ hiſtoria, nulli unquam errori maxime in praxi medica defuiſſe, qui obſervationibus fulcirent. Ceterum hic D. le *Fevre* liber de S. M. compilatus eſt ex auctoribus omnis generis, omnium ſententiarum, ſatis ageometretos, ſiquidem non eſt amans geometriæ.

ſublatam in aperta vena reſiſtentiam, nullam deſumtam ab hac differentia inter C. H. & machinas humanas, ut iniquum ſit, iſtam differentiam increpari in rejicientes doctrinam de R. & D. argumentis, quæ ſumta ſunt ex fonte eodem, ex quo ſtatores doctrinæ hujus ſua hauriunt: concedunt, durante V. S. nihil mutari aut vim cordis, aut directionem vaſorum, aut arteriarum elaſticitatem, aut reſiſtentiam in arteriis, præterquam in illa una, a qua ſanguinem V. S. habet, in qua ſolum mutata cogitatur, cujus mutationis qui ſint effectus, quæritur; quæ quæſtio diſſenſus omnis ſolum argumentum eſt: eorum itaque, quorum ante V. S. jam præſens ſtatus durante V. S. non mutatur, conſiderationem non pertinere ad quæſtionem, quæ ſola eſt de mutata uno in loco reſiſtentia, manifeſtum eſſe putarim. Moneo etiam hoc, totam quæſtionem redire ad conſiderationem rationum, quibus undæ ſanguinis in nodis dividuntur canalibus ex nodis ortis, quomodocunque illæ (89) rationes componantur, quarum determinatio neque ad quæſtionem generalem neceſſaria eſt, neque magis fautoribus D. & R. facilis, quam *Senaco*, aut mihi: e. g. poſſum rationem quantitatis ſanguinis in iliacam externam ad quantitatem in hypogaſtricam influentis quolibet momento, dicere $m:n$, rationem hanc per V. S. in pede mutatam dicere $pm:n$, atque eodem modo rationem iliacarum in bifurcatione aortæ mutatam dicere $qm:n$, quamdiu non quæritur, niſi derivatione an revulſio in hypogaſtrica, in iliaca oppoſiti lateris fiat? At ſi æſtimanda hæc aut D. aut R. ſit, poterunt pro iſtis literis ſubſtitui numeri quilibet, ſiquidem veri poterunt inveniri. Excuſate B. Lectores, quibus ſuperflua dicere videbor, mihi non viſa ſuperflua aliorum cauſſa, quales non poſſum ſperare mihi non futuros.

Igitur Cel. *Martini* contra *Senacum* hæ ſunt objectiones, p. 136: Quoiqu'on ne puiſſe pas diſconvenir, que (90) l'élaſticité des tuyaux, qui répondent au jeu d'une pompe, ne ſoit très néceſſaire pour en ſoutenir l'action, je n'en parlerai pourtant pas; puiſque l'auteur ne veut pas, qu'on lui allegue la difference, qu'il y a entre l'aorte, qui eſt un tuyau

(89) Ita illud nihil ad rem facit, quod ſcimus, ni fallor, omnes rationes has componi ex directis luminum, & inverſis reſiſtentiarum, quod cum video ſæpiſſime pronuntiantes Sylvam, alioſque, video videri illos ſibi non parum mathematice loqui, quemadmodum cum de *columnis* dicunt deſumtis ex Hydroſtatica, plane illa ab hac quæſtione aliena diſciplina.

(90) Precario ſibi remitti objectionem aliquam certe non vult Senacus, neque opus habet iſta indulgentia. Elaſticæ ſunt arteriæ. Bene; audio, & lego etiam p. 120, ad quem locum provocat. Elaſticæ, inquam, cum ſint, adjuvant vim cordis in propellendo ſanguine, ni juvarent, mox quieturo in non adeo magna a corde diſtantia. Adjuvant; adjuvarunt conſtanter ante V. S. adjuvant durante V. S. in loco, in quo derivatio fit, in loco, quo revulſio, quid inde ſequitur, quod pertineat ad D & R.?

tuyau flexible, & le tuyau, dont il parle, qui eſt un tuyau ſolide. Je ne raporterai pas non plus la différence, qu'il y a entre la nature du (91) ſang, & celle de l'eau, qui produit bien d'autres différences conſiderables, j'en ai déja parlé ci-deſſus. Je vais déterminer comme il le ſouhaite les effets differens, qui doivent arriver néceſſairement dans ſon expérience, & dans le jeu du cœur, & des arteres à l'occaſion de la ſaignée. La difference de ces effets vient de la differente ſtructure (92) —— L'auteur ſuppoſe dans le cas, qu'il rapporte tous les tuyaux lateraux ouverts (93) à l'exception d'un ſeul, qu'il fait boucher, & puis ouvrir, & dans le ſecond tous les tuyaux ſont (94) fermés, & on n'en ouvre qu'un, qu'on ferme enſuite.

Il eſt vrai, qu'il n'arrive dans le cas, qu'il propoſe aucun changement dans les tuyaux lateraux éloignés : mais dans l'homme quand les vaiſſeaux ſont pleins, la viteſſe du ſang, qui roule dans les arteres laterales voiſines (95) augmente toujours à l'occaſion de l'ouverture de la veine; au lieu que l'ouverture du tuyau lateral, qu'on avoit fermé, & qu'on ouvre enſuite diminue au contraire la viteſſe de l'eau contenue dans

(91) Pag. 121 ait : Non ſeulement le ſang a un mouvement de fluidité, & détruſion, comme les liqueurs des Fontainiers, mais il a encore un mouvement de fermentation, que les liqueurs des Fontainiers n'ont pas, & qui ne ſert pas peu à entretenir le mouvement des parties ſolides. Ego vero valde optarim, ut ne illi, qui nobis adeo multa narrant de fermentatione, de rareſcentia ſanguinis, &c. placere ſibi nimis velint in vocibus, quarum nullus ſenſus eſt. Et ut illa omnia liberalitate majore quam eſt erga Senacum Martini, dem, quid hæc ad D. & R.? quid inde fit? an illæ laudentur tragœdiæ, quibus nos terret Bellinus Prop. III. quam vid. not. ?

[92] Vult p. 118. cor conſiderari tanquam antliæ genus, [pompe refoulante] compoſitum duobus receptaculis, [baſſins) cum binis ſiphonibus, altero compoſito ex duobus quaſi brachiis, arteria & vena pulmonari; altero ex aorta & vena cava. Ab hac ſua antlia toto cœlo differre ait Senaci machinam. Quid tum, quid hæc differentia, quæ non prohibet, quo minus alterius ſiphonum altero brachio aortæ ſimilis ſit canalis noſter, ad D. & R.? Examinare hanc machinationem alienum, a meo ſcopo eſt.

(93) Si D. & R. cauſſa ſunt, aut major, aut minor reſiſtentia in uno aliquo canali, ſane exploraturus effectum mutatæ reſiſtentiæ Senacus recte fecit, quod unum aliquem canalem mox obturavit, mox reſeravit, quamquam potuiſſet etiam non plane obturaviſſe, ſed feciſſe mox majus, mox minus lumen, nunquam nullum.

(94) Hoc quidem plane quid ſibi velit, neſcio.

(95) Enimvero de hoc quæritur, & hoc eſt caput litis; eſtque, ni fallor, egregius hic circulus, quod hanc vulgarem ſententiam, quam nempe negaturus Senacus experimentum ſuum affert, huic ipſi experimento eluſurus opponit.

dans les tuyaux lateraux, qui étoit augmentée lorsqu'il étoit bouché; & ainſi. (96)

Quant à ce que cet auteur dit, que le ſang dans la ſaignée du pied n'eſt pas détourné des arteres carotides, fondé ſur ce que dans ſon expérience, quand on ouvre le tuyau bouché, il n'arrive aucun changement dans les tuyaux lateraux éloignés, il eſt certain, que la carotide eſt un canal qui part de l'aorte (97) aſcendante, & qui eſt par conſequent oppoſé à l'aorte deſcendante.

Exc. *Gunzius* l. c. not. 17. p. 153. hæc habet: " a derivationis, revulſionisque idea pendet ratio delectus venarum in S. M. de qua re tot „ libri, tam variæ medicorum opiniones ſunt. (98) Bellinus primus huic „ rei lucem affundere ſtuduit ——

„ Sed in dubium id vocavit Cl. Senac ----, & probare annifus eſt, „ revulſionis tam parvum exiguumque effectum eſſe, ut merito pro nullo „ habeatur. Eadem ſententia eſt Cl. Hambergeri. Et ego ſane dubito affirmare, nimium derivationi revulſionique medentes confidere. Neque „ tamen poſſum contra (99) experientiam, ſententiæ utriusque plane „ accedere. Ac ſi vel maxime ponam (100), neque flexilitatem, neque „ varios angulos flexusque canalium in C. H. efficere, ut ſanguinis velocitas mutetur aliter, quam in rigidis machinæ canalibus, ut de aliis conditionibus non dicam, primo tamen certum eſt, vim pellentem in C. „ H. duplicem eſſe, (100) cordis nempe, & arteriarum, immo & muſculorum, deinde eam vim vitalem eſſe, & quotidie non ſolum in toto „ corpore, verum etiam in ſingulis partibus nunc (100) intendi, nunc „ minui, porro ſanguinem compreſſilem humorem eſſe, eoque ab aqua „ prorſus differre, quarto celeritatem, qua ſanguis fluit, diverſiſſimam eſſe „ pro diverſa vaſorum a corde (101) diſtantia, quinto ſi vena aperiatur, „ mor-

(96) Sequitur concluſio, qua negat licere Senáco, argumentari ab experimento ſuo ad effectus V. S.

(97) Vide & mirare, quam longe hic error de truncis aortæ procedat.

(98) De hoc deinceps data opera quæro, hoc loco contentus monuiſſe, nulli iſtarum variarum opinionum ſuam experientiam deeſſe."

(99) Quandoquidem apertum eſt, tamen Cl. Gunzio videri iſta multum efficere, malim non obtrudi Senaco, & Hambergero donum, quod quamprimum poſtulare res videbitur, recepturus ſit Cl. Gunzius. Sed eſt de illis, quæ memorantur, duplex quæſtio, an aliquid efficiant, & quid efficiant.

(100) An hæc vis duplex mutatur per V. S.? Rogo, ut oſtendatur, quæ ſit mutatio. Si illa vis non per V. S. ſed per alias forte cauſas nunc intenditur, nunc minuitur, tum vero hæc alia quæſtio eſt, diverſa ab illa de R. & D.

(101) At hæ diſtantiæ conſtantes ſunt ante V. S. durante ea, poſt eam, atque adeo rationes celeritatum, quatenus ab his diſtantiis pendent, conſtantes ſunt. Quæcunque autem ſint, quæritur, an per V. S. aut intendantur, aut remittantur?

„ ſanguinem ex apertura effundi (102) tum profluere in vena poſſe, ſexto „ morbum ipſum, & dolores conjunctos in nonnullis corporis partibus „ præ aliis inſignes (103) mutationes facere, ut adeo non omnia æqualia „ ſint, quod Hambergerus exiſtimat, denique ante V. S. membrum vel „ calida foveri (104) aut panno aſpero fricari, quo motus ſanguinis in „ eo membro multum, in reliquis vix augetur. Ex his conſequitur ad „ minimum hoc, effectus ſanguinis miſſionis non poſſe ex legibus hydrau„ licis plane æſtimari. Et quamvis inter eos effectus D. & R. eſſe, niſi ex„ perientia ſatis probari non queat, & modum utique ignoremus, tamen „ inter revulſionem, evacuationemque vera quædam differentia eſt, etſi „ eam Cl. Hambergerus negat. Anne enim perinde eſt, quo loco venam „ aperias? Facias experimentum in pleuritico, & venam in talo ſeces, „ diſces ægri periculo, hunc inde lædi, juvari vero, ſi venam antea ſe„ mel, aut bis in cubito aperueris (105). Vid. Ill. Trillerus, de Pleurit. „ inprimis p. 80.

Præter ea, quæ in notis ſpeciatim repono, reſponſum hoc generale reddo, repetitis Senaci verbis, nihil effici enumeratione differentiarum C. H. & machinarum humanarum, niſi etiam demonſtretur, qui illarum differentiarum effectus ſint, quod qui tentaturus eſt, eum confido proprio labore edoctum iri, nihil ea omnia ad quæſtionem hanc, de R. & D. facere, de qua quæſtione, & controverſiæ, ut ajunt, ſtatu, optarim lectores meos juſtam ſibi ideam formare. Quæritur autem, an in loco, qui propinquus ſit affecto, ſecanda vena ſit, an in remoto loco, an per V. S. in illum locum plus ſanguinis derivetur, in alio ejus copia revulſione minuatur, quibuſque in locis fiat?

Neque

(102) Hoc fateor me non intelligere.

(103) Quæſo, quæ ſunt eæ mutationes? Et ſi a doloribus excitantur, non excitantur a V. S. Sit pleuriticus. Video inſignes mutationes a morbo & dolore conjuncto effici. Quæritur in brachione, & in quo, an in pede V. ſecanda ſit? Quæſo, quomodo magis ad brachium, aut ad pedem pertinent illæ mutationes in latere affecto thoracis? Sectio brachii, inquis, revellit a thorace, pedis in thoracem derivat, an ob illas mutationes? an ob ſitum tractumque vaſorum?

(104) Ponamus iterum pleuriticum. Poteſt calida foveri, & fricari brachium, poteſt pes. Quæro, utrum in pede, an in brachio V. S. facienda ſit?

(105) Recepta theoria non obſtat, quo minus perinde ſit, quo in loco ſeces. Si, ut ſatis apertum eſt, illa theoria non valde probatur Cl. Gunzio, optarim, ut, quæ ipſi optionis inter venas cauſſæ ſunt, dicere non ſolum velit, ſed & determinare, iſtam autem vulgarem theoriam ne laboret defendere, aut, ſi omnino revulſionis, & derivationis nomina perplacent, definitione accurata, quæ ipſius ideæ ſint, docere. De experimento capto ab Ill. Trillero ſuo loco.

Neque quæritur, quid ſexcentæ aliæ cauſſæ, ut plurimum etiam fortuitæ, quemadmodum illæ not. 101 diſcriminis forte inter hujus, aut illius loci V. S. facere poſſint ? De quibus cum nunquam qui maximi fuere ſtatores R. & D. cogitarint, videntur mihi, qui talibus argumentis in defendenda R. & D. utuntur, quæ illi ſtatores non agnoverunt, non ſolum nihil prodeſſe iſti doctrinæ, ſed etiam prodere.

§. XXI.

Subjungam calculum obiter concinnatum, quo oſtendam, quam parvus eſſe debeat in ſupremis canalis mei, & analogæ aortæ ramis effectus a mutatione reſiſtentiæ in canali A, aut analoga crurali arteria.

Inveſtigetur mutatio rationis ad nodum quintum ante ultimum, hoc eſt, eum a quo veniunt A, & B. Inveſtiganda eſt ratio $u\,m : n$. quinta Erit

$$u = \frac{tm + n}{m + n}, \quad t = \frac{sm + n}{m + n}, \text{ \&c. denique}$$

$$q = \frac{pm + n}{m + n}.$$

Evolutum valorem u recuſat ſpatium.

Hucuſque rationes ad ſingulos nodos æquales, brevitatis cauſſa poſitæ fuere, nunc ponantur inæquales, & ſubſtituantur ex ordine loco $m : n$ rationes

$$4 : 3,\ 1 : 1,\ 8 : 3,\ 9 : 4,\ 7 : 2,$$

quæ ſunt ex ordine æſtimatæ rationes quantitatum æqualibus temporibus influentium

in Iliacam externam, & hypogaſtricam;
in Iliacas utraſque in nodo diviſionis aortæ,
in Aortæ truncum, & menſentericam inferiorem,
in Aortæ truncum, & art. renales junctas,
in Aortæ truncum, & meſentericam ſuperiorem, coeliacamque junctas.

Omittuntur rami ex aorta minores, non ſolum nullo vulgaris theoriæ de D. & R. damno, ſed & commodo.

Quærantur ex ordine

$$q = \frac{4p + 3}{7}, \quad r = \frac{q + 1}{2}, \quad s = \frac{8r + 3}{11}, \quad t = \frac{9s + 4}{13}, \quad u = \frac{7t + 2}{9}.$$

Inve-

Invenietur $u = \frac{2016\,p \dagger 16002.}{18018}$

Ponamus $p = 2$, fiet $u = \frac{20034.}{18018}$

Ponamus rationem quantitatis in aorta ad inferiora fluentis ad quantitatem fluentem in ſuperiores ramos $= 5 : 3$. Ponamus quantitatem in ſuperiores ramos, quolibet temporis momento influentem ez, ut z ſignificet undam qualibet ſyſtole cordis, in aortam propulſam.

Erit omnibus integris $e = \frac{3}{5 \dagger 3}$

At mutatis rationibus fit $e = \frac{3}{5u \dagger 3}$

Erit ergo, ſi $p = 2$

$$e = \frac{54054}{154224} = \frac{3}{8} \quad \frac{1}{41},$$

& erit, ſi $p = \frac{1}{2},$

$$e = \frac{54054}{139104} = \frac{3}{8} \dagger \frac{1}{72}.$$

Ergo ſi reſiſtentia in Iliaca externa minuitur, ut ſit $p = 2$, ſit in ramis aortæ ſuperioris revulſio æqualis $\frac{1}{41} z$

Et ſi reſiſtentia in Iliaca externa augetur ut ſit $p = \frac{1}{2}$, fit in ramis aortæ ſuperioribus derivatio æqualis $\frac{1}{74} z$

Sed quæ unquam V. S. in pede facere poterit, p fiat $= 2$, aut quæ obſtructio, ut $p = \frac{1}{2}$?

§. XIX.

§. XXII.

Ex datis rationibus ſequitur in pedem venire

$\frac{5}{8} \cdot \frac{7}{9} \cdot \frac{9}{13} \cdot \frac{8}{11} \cdot \frac{1}{2} \cdot \frac{4}{7} = \frac{1}{14}$ circiter undæ ſanguinis, quam qualibet ſyſtole cor ejicit, atque omnino eandem partem totius maſſæ ſanguinis in pede eſſe.

Tribui ramis ex arcu aortæ ortis $\frac{3}{8}$ ſanguinis ejuſdem. Solet tribui carotidibus internis, & vertebralibus $\frac{1}{6}$, credo poſſe carotidibus externis tribui $\frac{1}{9}$, reſtat pro brachio uno $\left(\frac{3}{8} - \frac{1}{6} - \frac{1}{9}\right) : 2 = \frac{1}{20}$ circ. Vides B. L, obiter licet factum, calculum, nam quis æſtimet vere illas quantitatum in arterias influentium rationes, expreſſas etiam numeris exiguis, tamen ſic ſatis veriſimilem eſſe.

Ponamus intra minutum primum ' 72es pulſare arteriam, unaquaque ſyſtole ex corde in aortam ſanguinis uncias duas compelli. Ponamus apertam in pede venam per 4 minuta temporis, emitti hoc tempore libram. Hæc libra nondum tertia pars ejus ſanguinis, qui intra hoc tempus in pedem venit. At vix intra 4. min. temporis libra emittitur, & pulſus ſæpiſſime ſunt frequentiores.

Hunc calculum cogitans, atque in præparato animo accede mecum B. L. ad proximum paragraphum.

§. XXIII.

Hactenus, quod omnes aſſeverant, poſui, per V. S. ſanguinis curſum in arteria illa, a qua ſecta vena ſanguinem habet, accelerari. Enim vero verumne id eſt? Eſt hæc quæſtio altera litis pars.

Equidem quod hactenus dedi repetiturus ſum. Utar Cl. *Senaçi* verbis Nous n'avons enviſagé que par le dehors le ſyſteme qui décide aujourd'hui du choix des ſaignées: examinons les fonds de ce ſyſteme, les fondemens de la dérivation & de la revulſion me paroiſſent mal aſſurés: voici mes difficultés.

Primum calculus meus, ut jam monui, oſtendit pluſquam triplicatam quantitatem ſanguinis qui mittitur, intra idem tempus in brachium venire, ut adeo nullus metus ſit ne deficiat ſanguis venæ ſectioni, niſi per derivationem accerſatur.

Deinde conſiderentur quæ fiunt in V. S. e. g. in brachio. Fit a tenui

tenui lamina vulnus longiuſculum, cum latitudine vix ulla. Ut rivo aliquo effluere ſanguis poſſit, diſtendenda ipſi ſunt vulneris labia, non cum nullo detrimento virium quibus movetur. At ante V. S. in vena profluenti ſanguini multo quam factum vulnus amplius venæ lumen patuit, neque impedita ea via, niſi quod dicunt impedimento ſequenti præcedentem ſanguinem eſſe. Colligo, faciliorem ſanguini priſtinam & ſolitam viam eſſe, quam novam quæ ipſi monſtratur, neque hac via effluxurum, niſi ab aliis cauſis coactum. (106)

Injicitur itaque (107) brachio vinculum. Jubetur homo movere muſculos. Vinculum lumina tum ipſius venæ quæ ſecatur, tum in ambitu reliquarum, niſi etiam plane ad ſe invicem latera apprimit, certe ex capaciſſima circulari figura in oblongas mutat, multo parciorem copiam ſanguinis tranſmiſſuras. Ita impedita via acumulandus diſtendit latera venarum, per totam iſtorum vaſorum ſyſtema, ut ſunt anaſtomoſibus junctæ, atque tum fit, ut cedente loco debiliſſimo ſanguis ex vulnere ſaliat.

Motus adjacentium muſculorum comprimendo venas ſanguinem promovet, & ſpectaculo, quod in ſua ſecta vena reiterare quilibet pro lubitu poteſt, quemadmodum in ſiphone intruſio emboli, ita magnum arcum ſalientis ſanguinis quælibet muſculi contractio efficit. Anne probabile eſt per factum vulnus, cujus ut monui minima capacitas eſt, plus effluxurum, quam per illud ſpatium quod venis detrahit ligatura, ad cor fluiturum erat? Opuſne adeo eſt ſtatuere derivationem miniſtraturam ſanguinem per V. S. emittendum?

Ni legitur, ni moveatur brachium, ſanguis non effluit.

At patet exitus impedienti ſequentem præcedenti ſanguini, cur non venit ex arteriis citato curſu, cur non derivatur?

Denique examinanda argumentatio ſtatorum R. & D. hæc: quia præce-

(106) Neroniano tempore promtiſſimam habitam mortis viam, exolutionem venarum, quas promptas mortes metus carnificis faciebat, ſæpiſſime contra miſerorum vota tardiorem fuiſſe plurimæ Taciti hiſtoriæ docent. Oſtorio venæ quamquam interruptæ parum ſanguinis fundebant. Petronius inciſas venas ut libitum obligatas aperiit rurſum, iniit & vias, ſomno indulſit. Seneca ſævis cruciatibus defeſſus, fruſtra hauſto proviſo pridem veneno, poſtremo ſtagnum calidæ aquæ introiit. Pompeia Paullina uxor, Nerone inhiberi mortem jubente, preſſo ſanguine, incertum an ignaræ, addidit paucos poſtea annos, ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum. Promta mors ubicunque fuit, videtur fuiſſe ſectis arteriis.

(107) Quod in pede ſine ligatura, etſi non niſi cum reliquis præſidiis & cum his ſatis ſæpe tarde, tamen ſanguis vulnerata vena fluit, ipſum ejus pondus facit, nam etiam pendentis manus turgentes venas videre eſt momento depleri, brachio in altum ſublato.

præcedens ſequentem impedit ſanguis, impedimento remoto per conceſſam faciliorem viam per factum vulnus, in ipſa vena citius ſanguis fluit, tum in ejus originibus, tum in arteriis capillaribus reſpondentibus capillaribus venis, tum in earum arteriolarum trunco.

Obſtat huic argumentationi circulatio ſanguinis per minima. Vera eſſet in canalibus ramoſis, ramis non nimis anguſtis, adaptatis ſibi invicem quemadmodum arteriæ ſunt venæque, non nimis, inquam, anguſtis, ut nondum omni vi pellente fluidum in anguſtiis ramorum conſumta, dici poſſet fluidum ex alio canale in alterum per anguſtias ramorum trajeciſſe vi eadem a tergo in ipſo priori canale urgente.

At minimæ arteriolæ microſcopii fide, non ſolum diametros habent non majores diametris globulorum ſanguineorum, ſed & minores habere dicuntur, non admiſſuræ globulos niſi in oblongam figuram mutatos, atque globulos ſolitarios & diſtantes repere. Et aliæ plurimæ cauſſæ docent, pulſus non ſolum ſed omnino virium cordis finem in limite arteriarum & venarum eſſe Itaque non poteſt ſanguis in venis præcedens morari ſequentem in arteriis, quia non ejus impulſu movetur, ut dici poſſit conſumere partem virium quibus ille, arterioſus, movetur Dicere autem de cauſis motus ſanguinis in venis non eſt hoc loco opus.

§. XXIV.

Argumento deſumto a tarditate circulationis in minimis, utitur Cl. *Senac* oſtenſum, neque derivationis neque revulſionis effectus tantos certe eſſe poſſe, quantos perhibent vulgaris doctrinæ ſtatores. Dixi ſupra de hac ſpe metuque & evertiſſe mihi videor. *Senacum* B. L. ipſum audi, p. 517 " ſuppoſons une inflammation dans quelque viſcere, ſuppoſons de ,, plus que cette inflammation ſoit renfermée dans l'étendue d'un pouce cu-,, be, il eſt certain que de cet eſpace enflammé le ravage ſe repandra fa-,, cilement dans tout le viſcere, & même dans tout le corps. Or que ,, produiront la revulſion ou la dérivation dans une telle étendue, je veux ,, dire dans le pouce cubique, où eſt la ſource du mal? La dérivation ,, n'y portera pas plus de fluides, qu'il n'y en abordoit avant la ſaignée ,, dérivative, ſi les liqueurs n'y arrivent qu'avec une extreme lenteur & en ,, très petite quantité. La revulſion n'en detournera par la même raiſon, ,, qu'une quantité des fluides ſi petite, que cette quantité ſera égale à ,, rien.

,, Puiſque le ſang parcourt les vaiſſeaux capillaires, avec tant de ,, lenteur, puiſqu'il n'arrive qu'à travers tant d'obſtacles au pouce cu-,, bique où nous avons ſuppoſé l'inflammation, condamnera-t-on les ,, doutes qu'on peut former ſur les dangers de la dérivation? --- Des

„ filets de ſang pouſſés par la dérivation, des filets infiniment lents dans „ leur cours; des filets, dis-je, qui à peine ſont ſoumis à l'impulſion „ du cœur, pourront-ils, cauſer des félures & des crévaſſes dans les „ arteres qui les renferment? Apprehender un tel deſordre dans les ſaignées dérivatives n'eſt-ce pas craindre qu'une eau dont le courant eſt „ entierement inſenſible ne renverſe des digues par ſa rapidité?"

Hic mentio facienda eſt *experimentorum Antonii de Heyde*, *circa ſanguinis miſſionum* &c. contra Bellini novum tum librum de S. M. Ipſas ejus argumentationes contra Bellinum non examinabo, breviſſime tantum narrans obſervationes in ranis factas. Generatim curſum ſanguinis in minoribus vaſis inconſtantem ait eſſe, non tantum, quoad diverſos & oppoſitos terminos, ſed & quoad velocitatem, p. 9.

Ad vulnus venæ obſervavit non ſolum ejus venæ ſanguinem, ſed & per anaſtomoſes proximarum & motu retrogrado ipſius adeo trunci ad quem ſecta vena pertingit, quaſi ex peripheria ad centrum ita undique ad vulnus ſanguinem venire, p. 2. & 172. in venis cutaneis, p. 4. in vaſis muſculorum abdominis p. 5. in meſenterio, ligato utrimque aliquo venoſo trunco, ut intercepta portio cum venis in ipſam pertingentibus, junctis inter ſe per anaſtomoſes, ſyſtema vaſorum efficeret plane ſimile venis brachii, cui V. S. cauſſa injectum eſt vinculum. Vid. §. præced.

Brevi tempore exinanitæ venæ ceſſarunt fundere ſanguinem occupante vulnus grumo quo paullo poſt remoto denuo effluebat, nempe interim eluctatus anguſtias minimorum canaliculorum. cf. §. præc.

Ad vulnus arterioſi rami cucurrit ſanguis non ſolum trunci, ſed & rami ſocii (quæ eſt revulſio, quam ſupra demonſtravi maximam eſſe in ramo proximo) & ex ipſius ſecti rami portione infra vulnus. Sed diſſentit obſervatio alia p. 6. quo loco dicitur ſanguis velocius latus etiam in laterali ramo.

In portione ſectæ arteriæ infra vulnus locum habet illa, quam veri nominis revulſionem dixit Senacus p. 521. Nempe contrahentia ſe latera arteriæ ad utramque directionem, verſus cor & verſus venas ſanguinem ſuum propellere nituntur, datque hæc conſideratio ideam pulſus. Itaque ſublata vi a tergo premente ſequentis ſanguinis, at nunc per vulnus effluxuri, cogitur ſanguis, qui jam intraverat portionem infra vulnus, iter relegere. Simile eſt experimentum, quo injecta ligatura cuicunque vaſorum meſentericorum, tumet arteria inter inteſtinum & ligaturam, retrogreſſo liquore, & nitente in vinculum. Vide *Senacum* l. c. & potiſſimum *Ill. & Ven. Præceptorem meum de Haller comm. Boerh. II.* p. 302. Erit locus adhuc aliquid de hac revulſione dicendi.

§. XXV.

§. XXV.

Venio, ad difficilem juveni diſputationem de regulis practicis. Vereor enim, ne ſint, qui *Galeni* (108) me verbis teneant his: non ratio ſo- „lum, verum etiam experientia dictitat, aliam alii parti vacuationem con- „ gruere;" aut qui cum *Baglivo* (109) ſeveris verbis objurgent: " non „ obſtante continuo liquidorum circulo, dantur tamen revulſiones & de- „ rivationes humorum in curatione morborum. Hujus theſis veritas quo- „ tidiana in curandis ægris experientia confirmatur. Garriant, quidquid „ velint nonnulli delicatuli ex ſchola hypotheſiſtarum." Erunt autem, qui mihi indignabuntur, qui *placidam* Baglivi ſententiam in me ingemi- nabunt, hi fere, quos *Senacus* pingit, qui quaſi penes ipſos ſolos tanquam theſaurus depoſitæ eſſent veritates medicæ, hanc ſibi irarum cauſſam cre- dunt, ſi quis alius aliam ſibi opinionem eſſe profitetur. Hos ego viros rogo, ut antequam pergant legendo, quæ de experientia dicturus ſum, quam quidem plane a ſuis partibus ſtare perſuaſi ſemper eſſe ſolent, re- legant §. 11. h. d.

§. XXVI.

Omnis veri certa experientia magiſtra male ſæpiſſime ſe conſuli, male reſpondentem intelligi, non raro fallacium ſententiarum patronam in- vitam dici ipſa quotidianis exemplis teſtatur. Ne dicam niſi quæ ad V. S. pertinent, ad experientiam provocarunt, qui aſtra hominem quippe regentia conſulenda ſanguinem miſſuro voluerunt, ſuperſtitione tam olim ſeria, (110) quam nunc eſt ridicula: experientiam utique ſuæ opi- nioni conſentire putarunt, qui pro magni re momenti habuerunt dele- ctum venarum ejuſdem loci, e. g. brachii & manus: experientia expe- rientiæ oppoſita pugnatum eſt bello de V. S. in pleuritide geſto ante duo ſecula, Arabibus, qui dicuntur, ſe tuentibus annoſo more in latere oppoſito ei quod affectum eſt mittendi, Briſſoto (111) a ſua ſuorum-

(108) Meth. med. XIII. 11. T. X. p. 304. ſupra jam dixi plane non ad- verſum mihi eſſe hunc locum etſi viſum. En plura Galeni verba. " Illud vero, „ internane, an media, an humeralis vena ſecanda ſit, an, ea quæ juxta „ malleolum eſt, an quæ in poplite; id vero ex laborante parte indicatur. Poſt ea, quæ in ipſa § cito, ſequuntur hæc: „ ſiquidem ex iis, quibus oculi „ tentari phlegmone cœperant, nonnullos ſola purgatione per alvum una die „ ſanatos vidiſti: quam rem ſi quis facere in jecore tentet, quum phlegmo- „ ne laborare incipit, maximam excitabit phlegmonem. ſequuntur, quæ ci- „ tavi not.

(109) De fibra motrice propoſ. IV. p. 340. Antw. Ed.

(110) Vid. Ephem. Germ. D. II. A. V. p. 248. cf. D. III. A. V. VI. p. 121.

(111) Vid. Vita Briſſoti p. 97. ſſ.

que diſcipulorum felicitate. Et, ut ſingulare exemplum dem ; vetus potius, quam recentioris ætatis, nam ſunt exempla odioſa. *Galenus*, (112) „ quibuſcunque, inquit, κατ' ἴξιν eruptio ſanguinis accidit, ſummum id „ commodum laborantibus affert - quibus vero contra evenit nihil juvat, „ aut etiam interdum nocet, quod vires ſcilicet citra morbi levamen de„ jiciat. Non enim in liene turgente ex dextra nare erumpens ſanguis, „ nec in jecore ex ſiniſtra ullam fert utilitatem —— Dextra igitur nare „ ſanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula, cla„ re celeriterque ſiſtitur : ſicut ad ſiniſtram, ex ſiniſtra erumpens."

Hic mihi videtur æquum meum poſtulatum hoc, ut mihi liceat, eorum, qui experientia ſibi conſtare aſſerunt, quod palam eſt falſum eſſe, in univerſum omnes obſervationes pro ſuſpectis habere.

§. XXVII.

Non ego copioſe logicus exſequar, quibus fallaciis in experimentis capiendi locus ſit, non quid præjudicatæ opiniones poſſint, monuiſſe contentus, frequentiſſimam illam eſſe, quæ dicitur, *fallacia non cauſſæ ut cauſſæ*, quæ quemadmodum in omni philoſophia naturali, ita in ejus ſpecialiſſima parte, medicina, frequentiſſime niſi maxime attentis & oculatis imponere ſolet. In noſtra autem quæſtione frequentiam exemplorum hujus fallaciæ inquiſiturus qui inveniet, non mirabitur, opinor, ſi videat, rariſſimas eſſe obſervationes & experimenta auctorum ſtudio & data opera in hanc rem inquirentium, neque enim ego inveni niſi unum ſolum *Ill. Trilleri*, de quo deinceps ; & ſi cogitet, ſummam difficultatem capiendi experimenti, nam ſit e. g. in pleuriticis explorandum, utiliusne vena brachii ſecetur, an pedis, utilius brachii lateris affecti, an oppoſiti? oportet ægrorum, in quibus experimentum capiendum eſt, totam naturam, morbi ipſius omnes circumſtantias æquales eſſe, ſæpius experimentum iterari.

§. XXVIII.

Omiſſis iis (113) defenſoribus doctrinæ de R. & D. quorum mihi argumenta videntur non magni momenti eſſe, expendam aliquot exempla & caſus ſingulares in hunc ſcopum a claris viris propoſitos. Primum

(112) De Cur. rat. per V. S. XV. T. X. p. 444. Ch. addatur totum c. XVI.

(113) I. L. Hannemanno Eph. Germ. Dec. III. A. V. VI. p. 122. Roſ. Lentilio. ib. D. II. A. VII. app. 88. Ridlino Lin. med. A. 2. p. 146. Pechlino Obſ. Lib. II. 10. ad quem video provocantem Cl. Tralles de ſ. v. jugul.

Primum *Baglivus* loco, quem citavi, quo ad quotidianam experientiam provocat, & delicatulos hypotheſiſtas increpat libro, quo neſcio an aliud medica hiſtoria luculentius exemplum oſtendat ſuperſtructi levi hypotheſi maximi ſyſtematis, Baglivum itaque non decebat, ni fallor, adeo ſeverus cum ſit, contentum eſſe inter infinita exempla, quæ afferri poſſe ait, caſu Lindani relato ab (114) Ettmullero.

„ Pergit *Baglivus*, ſi menſes inſtant „ vena brachii ſecanda, & „ fluent; ſi iiſdem fluentibus eadem ſecetur, ſupprimentur: non ſupprimentur autem, ſi ſecetur ſaphæna. "

Equidem dubito de canonis hujus veritate. Fluentia menſtrua ſupprimi poſſe a. V. S. facile credo, ſunt enim plethoræ effectus, minuendæ per V. S. ſed an magis per V. S. in brachiis quam in pede, de eo quidem dubito. Pergit, " in partu difficili ſecta v. brachii fœtus exit, & in iſchuria eadem ſecta urinam profluere facit, „ teſte Foreſto. " Exitum fœtus facilem, quin ipſum adeo abortum parari V. S. aut brachii, aut pedis poſſe, id quidem hodie fere delitum eſt credi. Vena autem ubi ſecatur, fit id matris, non fœtus cauſſa. Illud alterum de iſchuria quorſum valeat, non perſpicio.

Idem Baglivus p. m. 141. inter alios aphoriſmos hos habet: „ obſervavi in febribus ex mutatione aëris Romæ, quod quando „ ſanguis mittebatur ex brachio, ſtatim ſuccedebat ſopor, non ita, „ ſi ex pede. "

„ In febribus malignis dum ſanguis mittebatur ex brachio, æger „ in pejus ruebat, & totus morbi impetus ferebatur ad caput, unde „ paullo poſt deliria, ſopores &c. contra miſſo ſanguine ex pede melius „ habebant: idque obſervavimus Romæ in Xenodochio. " Ut judicari de hujus aphoriſmi veritate poſſet, opus eſſet hiſtoria morbi ſingulorum ægrorum accurata & minuta. Ea eſt malignarum febrium natura, ut in univerſum ſanguinis miſſiones multis non prodeſſe obſerventur, ob complexum circumſtantiarum poſcentium in unoquoque ægro ſigillatim inſtituendum examen. Non ſolum in malignis, ſed & in ordinariis acutis non una V. S. conficienda febris, & quaſi eludens nondum ſatis fortem initio oppugnationem etiam increſcit ſæpe poſt V. S. primam

(114] Opp. T. III. p. 59. Ed. Gen. 1736. Longum eſt citatum ab Ettmullero Lindanum ſuper Hartmannum ipſum adire. *Recte*, inquit Ettmullerus, *Lindanus dicit, quod in principio & gravi ophthalmia primo V.* S. *ſit inſtituenda in pede pro revulſione, hinc in brachio loco contrario loco inflammato pro revulſione particulari.* Ego vero dico, ſi V. S. in brachio potior effectus obſervetur, fieri id, quia ſecunda V. S. eſt. Repeto non decere Baglivum cum ſuperbis vocibus attuliſſe exemplum, cum tantas divitias obſervationum oſtentet, ſumtum ab alio & ſumtum ab hoc a tertio, ut manifeſtum ſit, inſpectum a Baglivo Lindanum non fuiſſe.

mam. Itaque ſi prima V. S. in brachio forte facta, increſcere malum obſervatur, atque iterato V. ſecatur in pede ſucceſſu apertiore, pronum eſt multos non illud cogitantes, par eſſe, ut poſterioris ſectionis major effectus ſit, quam prioris, referre cauſſam diſcriminis ad diſcrimen locorum. Conferatur exemplum juvenis apud (115) *Sydenhamum*, qui cum ferme animum agere videretur, aperta vena & ſanguine paullo copioſius educto, emicuit febris, qua vehementiorem nondum ſibi viſam ſenex Sydenhamus teſtatur.

Hæc etiam moneo contra Cel. *Martini* p. 115. hiſtoriam fœminæ eryſipelate capitis laborantis, cui cum ipſo invito & clam jugularis ſecta eſſet, facies etiam magis inflammata fuit. Præceſſerant quinque ſectiones in brachio, ſecuta eſt juſſu Martini primum V. S. in pede, tum plures etiam, ſanataque eſt. Cauſſam, quod vetarit ſecari jugularem, dat, quod præſcierit, nondum ſatis depletis vaſis attractum iri ſanguinem in caput. Nempe incertus eſt terminus V. S. in acutis, definiendus a ſymptomatibus. Illæ quinque V. S. in brachio, parcæ ſine dubio, ut ſolent eſſe ſingulæ Gallorum, vim morbi gravis non poterunt frangere pergentis creſcere etiam poſt ſectionem jugularis, incertum, an multum ſanguinis præbentis, ſexta in pede V. S. juſſu ſupervenientis Martini facta, ut conjicere licet ex ejus verbis, vehementior fuit, ſuccedentibus tamen etiam huic aliquot adhuc aliis, denique victus morbus eſt.

Eadem, quæ adhuc monui, valere etiam putarim de hiſtoria tertii & quarti ægrotorum illorum, quarum decadem elegantiſſimo ſuo libro de *Pleuritide* adjecit *Ill. Trillerus* p. 79. Duo ſtabularii, unus Joannes, juvenis ſanguineus, toroſus & ſucci plenus, XXI annorum, alter Petrus, procerus & macilentus, ſanguineo-phlegmaticus, XXXIII. annos natus, uno eodemque temporis puncto pleuritide corripiuntur ———

Præceſſerat compotatio in ſeram noctem, & addunt jam ſentientes malum aliquot ſpiritus vini hauſtus. Perendie demum accerſitus Ill. Trillerus videt attonitus res ægrotorum deſperato loco, inprimis vero Joannis. „Ut ſemel, inquit, experirer, quantum diſcriminis intereſſet V. „S. inter loco affecto proximam, & inter alteram ab iſto longe remo„tiorem, Joanni, quem ſæviſſima delirii & ſuffocationis ſymptomata „adhuc vehementer urgebant, e brachio dextro uncias ſanguinis extraxi „quemadmodum duodecim. Petro vero totidem quidem & amplius, „ſed e pede dextro.

„Quo facto, ille prior vix duabus horis elapſis illico ad ſeſe re„diit, liberius reſpirare faciliuſque ſputa emoliri cœpit, in ſomnum quo„que delapſus, per aliquot horas deinde placide quievit, leni ſudore

„totum

(115) Sched. monit. p. m. 542.

„ totum corpus perſperſus, nec iterata V. S. per omnem morbi decurſum opus habuit unquam.

„ Petrus vero nihil plane levaminis ex V. S. ſenſit ——

„ Meliora igitur & certiora hoc ancipiti experimento edoctus mane „ ne die quarto eidem venam brachii dextri incidendam curavi, eductus „ ad uncias fere decem ſanguis ſancta fide aſſeverare poſſum, currente „ adhuc ſanguine & nondum obligato adhuc vulnere, ægrotum jamjam „ tantum levaminis, & commodi percepiſſe, ut lætus nobis fateretur, „ ſibi ita videri, quaſi grave aliquod pondus a pectore ſuo devolutum „ eſſet. "

Liceat breviſſime, nam brevem me eſſe multa jubent, quid mihi videatur, præfaſſo honorem, qui debetur *Ill. Trillero*, monere.

Fateor, in Joanne me ebrietatis potius reliquias & ſigna videre conjunctæ cum pleuritide leviore, quam illos gravis mali malos mores, quos pulcherrime exaratæ hiſtoriæ novem reliquæ docent, mali, inquam, poſt alteram interdum tertiamve V. S. recrudeſcentis. Si Joannis grave & ſævum, quod dicitur, delirium a pleuritide fuit, ſane mirum eſt, non opus habuiſſe iterata V. S. per totum decurſum morbi.

In Petro, procero & macilento, video, quæ uſu venire in pleuriticis ſolent, illum morbi genium non uni V. S. cedentis. Repeto illud monitum, V. S. Petri in brachio alteram fuiſſe. Ut omni dubitationi locus negari poſſit, opus eſt accuratione mirum quanta, potiſſimum difficillima æſtimatione cauſſarum prœgumonon & procatarcticarum.

Ipſe Ill. Trillerus ægroto decimo in pede ſecari venam juſſit, quia, ut ait, nihil ſanguinei ſputi excreabatur, dolorque in utroque latere fixus hærebat. Paullo poſt manſueſcere omnia viſa: rediit tamen circa veſperam æſtus — die quinto larga hæmorrhagia narium ferum capitis dolorem, morbumque ipſum levavit.

Ut ſemel experimentum faceret, Petro in pede ſecari venam juſſit Ill. Trillerus. In plusquam quadraginta pleuriticis felicem ſucceſſum V. S. in loco affecto proximo prædicat p. 31. Facile credo, ſed nihil hæc contra eos, qui non quo loco, ſed quantum ſanguinis detrahatur, referre dicunt. Nempe in totidem ægris non ſecta eſt vena in latere oppoſito. Ratione, inquit p. 30, experientia, reique natura dictante nullo alio in loco quam in brachio lateris affecti facienda V. S. Deſidero rationem, non invenio, certe non p. 83. ubi dicit locis affectis ſuccurrendum non ſanis adhuc, nam de hoc ſcilicet quæritur, cujus potiſſimum loci V. S. ſuccurratur.

Narrat *Ill. Morgagnus in Epiſt. Valſal. op.* adjectarum decima tertia §. 24. hiſtoriam, quam cum ipſo *Valſalva* communicavit acceptam a præceptore ſuo *Paulo Salano.* Hic mulieri ex apoplexia utrimque reſo-

tutæ

utæ cum ſanguinem in dextris miſiſſet, morbum ſolvit in ſiniſtro corporis latere; deinde cum a ſiniſtris miſiſſet, ſolvit in dextero.

Liceat profeſſo venerabile mihi nomen *Morgagnianum* eſſe, fateri non me perſpicere cauſſas ſatis juſtas, quominus per fortuito caſum habeam, qui etiam non ipſi Morgagno, ſed ab ipſo tertio Salano contigit, quominus credam, quia una V. S. non ſufficiebat tollendæ integre apoplexiæ, factum eſſe, ut non niſi uno in latere paralyſis tolleretur, & quidem in ſiniſtro, poſt V. S. alteram malo penitus ſublato, utique in reſiduo dextro; ut primum in ſiniſtris ſolveretur paralyſis, factum eſt fortuna (116), ut a dextris miſſionum ſanguinis initium factum ſit, factum eſſe fortuna; ſi ab iiſdem dextris ſecundum miſſus eadem copia fuiſſet, tamen ejuſdem reſidui dextri lateris paralyſin evanituram fuiſſe. Qui mihi negaturus ſit hanc veniam, ei incumbit grave, ni fallor, onus oſtendendi, non potuiſſe non, cum a dextris primum ſanguis miſſus ſit, oppoſitum latus prius convaleſcere, neque niſi permutata vice ſanguine a ſiniſtris miſſo, convaleſcere dextrum. Grave, inquam, onus crediderim tentaturo explicare hæc ex ea ratione, quam Ill. *Morgagnus* affert, quod venæ dexteræ cum ea capitis parte magis communicant. Sanguis dicitur miſſus a dextris & ſiniſtris, non definito loco. Ceterum hemiplecticis a ſano, non a reſoluto latere ſanguinem mittendum eſſe (117) probabile mihi videtur, etſi neque ob *Valſalvæ* rationes, & ſententiam de paralyſi lateris oppoſiti læſo cerebri lateri, quam ipſe in experimentis vidi veram eſſe, neque ob vulgarem doctrinam de R. & D, ſed quia motu caſſis muſculis ægre ſanguis fluit, atque in univerſum ejus partis circulationem impeditam eſſe oportet, quia credo, non poſſe non etiam arteriarum tunicas paralyticas fieri.

His exemplis mihi adverſis addo aliud mihi favens, a *Vallisnero* narratum in Eph. Germ. Cent. VI. p. 191. Secatur feminæ dolore capitis vexatæ vena in brachio & pede fruſtra, recrudeſcit vulnus per ſomnum effluunt adhuc tres libræ ceſſat dolor. Docet hoc exemplum, conſentiente *Valiſnero*, non ubi ſed quantum ſanguinis detrahatur, referre.

§. XXX.

Oſtendi in particularibus exemplis & caſibus viſis maxime facere vulgari doctrinæ de revulſione & derivatione quomodo dijudicandos credam ſexcen-

(116) Imo non opus eſt mihi fingere niſi ſimplicem hanc fortunam, quod primum in ſiniſtris ſoluta fuit paralyſis, ſuas ſine dubio ob cauſſas, ſed non extricandas illas, niſi forte cui datum fuiſſet ipſum intus cerebrum inſpicere, non opus, inquam, mihi, qui credo, nihil referre, utro in latere vena ſecetur.

(117) Cf. Bagliv. in hiſtoria morbi Marc. Malpigh. p. 681.

ſexcentos alios. Addam brevem diſputationem de canonibus & axiomatibus practicorum generalibus, eo maxime ſcopo, ut oſtendam, ipſorum practicorum methodos ſibi invicem contrarias, contrarias potiſſimum eſſe vulgari doctrinæ de R. & D. Hic mihi diſſenſus auctorum argumentum eſt non poſtremum, certe contra præjudicium auctoritatis tutiſſimum, vid. §. III. quo nego magni rem momenti eſſe delectum venarum in V. S. Atque ego, quippe facile concilians diſſentientes, videor mihi de invitis mereri, nam cum ſibi invicem diſſentientes experimenta ſua opponant, auctoritatem ipſi invicem ſuam deſtructuri, ego qui utrimque factas obſervationes de felici aut hujus aut illius loci V. S. facile recipio, utriusque auctoritati conſulo.

Videor mihi meo jure poſtulare poſſe, ut qui credunt revulſionem & derivationem per V. S fieri, utriusque magnos effectus eſſe, aut amplectantur aliquam theoriam adhuc notarum, aut ſi forte earum nulla placet, forment ſibi privatam novam, huic quam profiteantur adhæreant, nec recedant niſi falſi. Qui vero inſpecturus ſit ipſos auctorum libros, huic niſi omnia me fallunt, patebit frequentes quidem ſatis eſſe voces derivationis & revulſionis, frequenter citari experimenta & obſervationes quæ demonſtrare dicuntur effectus derivationis & revulſionis, at theoriam quæ doceat quomodo illa & derivatio & revulſio fiat, quibus in locis, qui ejus neceſſario effectus ſint, vix inveniet ullam, experimenta facta ſtudio & intento in hanc ipſam quæſtionem de D. & R. oculo, vix ulla, facta autem repetito ſtudio & cum ea accuratione, qua opus eſt ut omnis dubitationis locus abſit, auſim dicere, plane nulla eſſe. Et cum ſoleant vulgo illi, qui practici dicuntur, ſpernere theorias, fit, ut pleriſque per totam vitam aut nullum ſuboriatur dubium, aut deſit certe animus ceteraque ad pertractandam quæſtionem.

§. XXX.

Primum ingens eſt controverſia de utilitate venæ ſectionis derivatoriæ, nam de revulſoria fere omnes conſentiunt utilem eſſe. Vitio magno vertit *Bellino Sylva*, quod in fine morborum inflammatoriorum commendet derivationem, ad quem errorem videtur Sylvæ Bellinus tractus præjudicio auctoritatis minuiſſe illam laudem quod primus theoriam derivationis & revulſionis dederit Hanc litem *Sylvam* cum *Biancho* agitavit T. I. p 69 - 106, cum *Hecqueto* toto tomo ſecundo. Inter eos, quibus *Sylvæ* liber ſcribendi cauſſa fuit *Queſnay* defendit derivationem, *Chevalier* & *Martin* damnat, quos tamen ſibimet ipſos contradicere ſupra oſtendit not. 53 54. Mea quidem opinione, ſiquidem concedam R. & D. fieri. *Sylva* recte negat derivationis utilitatem, niſi in obſtructione menſium referanda Revulſionis & derivationis oppoſitæ ſunt

 ideæ,

ideæ, oppoſiti effectus: ſi utilis eſt revulſio, in quo omnes conſentiunt, inflammatoriis morbis, ſane non video quomodo utilis eſſe oppoſita derivatio poſſit. Creditur revulſione fieri, ut quia ab inflammato loco ſanguis evertitur, minuta hac a tergo premente vi, contractiles arteriæ obſtruentem materiam repellant. Creditur autem derivatione impacta alicubi obſtruens materia propelli, aut ubi cedere neſcia eſt, potius vehementius impingi, adigique. Poſt prægreſſas aliquas reliquas revulſorias V. S. derivandum eſſe aiunt. Hoc qui dicunt, videntur mihi nihil dicere. Non poterunt non revulſoriæ & derivatoriæ V. S. contrarii effectus invicem ſe deſtruere. Cf. not.

§. XXXI.

Vidiſti B. L. quam ſtrenue Ill. *Trillerus* defendat in Pleuritide V. S. in brachio lateris affecti, qui quidem plurimorum mos eſt; audi oppoſitum D. *Chevalier* p. 111. Il eſt aujourd'hui démontré, que la ſaignée du bras du coté attaqué de pleureſie détermine une plus grande quantité de ſang vers la partie malade, & que la ſaignée du bras oppoſé en détourne conſiderablement. An integrabimus bellum geſtum ante ducentos annos?

§. XXXII.

In morbis capitis vulgo plerique jubent ſecare venam pedis, exceptis paucis, in quibus potiſſimus eſt Sydenhamus, ſed πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, qui fere ubicunque ſanguis mittendus erat, nec erat ſanguinis parcus, ſecabat venam in brachio, loco propter chirurgicas aliaſque cauſſas commodiſſimo. Qui aſſerunt derivationem & revulſionem fieri, ſane ſi hypotheſi, pro qua propugnant, ingenue ſervire velint, non poſſunt non V. S. in brachio damnare in morbis capitis, ut ideo etiam laudem damnantem etſi timidius Sylvam. Timidius ut dixi Sylva damnat, alii reveriti auctoritatem eorum quibus in uſu eſt, plane non audent damnare. Hinc ille quem ſupra oſtendi diſſenſus auctorum in omnes partes ſe flectentium, ut alii negent derivatoriam eſſe V. S. in brachio reſpectu capitis, alii dicant quidem revulſoriam, ſed non niſi lateraliter, alii non negent derivatoriam eſſe, ſed negent derivationis ſemper nocuos eſſe effectus. Apud nonnullos eoſque potiſſimos auctores, qui de affectibus capitis ſcripſerunt *Lanciſium*, *Wepferum*que vix invenitur mentio factæ R. & D. per V. S.

§. XXXIII.

De ſectione jugularis obtinet (118) par diſſenſus oſtenſus l c. Hanc ego, qui parvi faciendum credo delectum vaſorum concedo utique præcellere reliquis V. S. minime autem, quod aut derivatoria ſit, aut revulſoria, ſed ob eam rationem quam mirum eſt prætervifam vulgo ipſi (119) *Freindio* cujus ceterum fides & experientia inter optima argumenta eſt, quibus nititur dignitas hujus V. S. ſed quæ indicata (120) *Lancifio*, ob privatam encephalo fabricam venoſorum canalium, qui ſinus dicuntur. Aperta eſt utilitas hujus ſtructuræ ea, ut in irregularioribus his canalibus & ad angulos anfractusque ſe accommodantibus & extenſilibus locum habeat accumulanda forte nunquam varias per cauſſas ultra ſolitum liquidi copia. Hæc ſe utilitas in plerisque capitis morbis exſerit, in quibus ſuas ob cauſas ſanguinis major copia ad caput determinatur. Conjuncta autem eſt cum hac utilitate, quod difficilius hi canales rumpantur illud incommodum, quod extenſi encephalum premant, potiſſimum illud, quod difficilius aqua ventriculorum reſorbetur. Per ſectionem ergo jugularis externæ depleri credo internam, ſinusque cerebri, propter frequentes anoſtomoſes (121) potiſſimum illam prope ſuperiorem laryngem. Docent effectum hujus V. S. contraria non ſolum ſtrangulatorum mors ſimilis morti apoplecticorum, ſed ſola brevis retentio ſpiritus, ut nullo alio modo melius in conſpectum producatur jugularis interna, quam conſtrictione abdominis. Rubor faciei in phrenitide explicari inde poſſe videtur, potiſſimum ſi cogitetur paraphrenitis, quæ eſt phrenitis oriunda ex inflammatione diaphragmatis, impedimento reſpirationis maximo. A ligatis jugularium externarum una aut utriſque illi quidem effectus non obſervantur, & mors qualem efficit funis infamis in ſtrangulatis, ſed etſi hac citiſſima morte lentiora tamen certe maxima mala producere hæc ligatura poteſt. *In Prælectionibus Boerhaavianis* tribuitur (122) *Peyero*, & alio loco (113) *Stenoni* experimentum, quo viſum ſit animal a vinculo venarum jugularium apoplecticum factum, ſed *Ill. de Haller* utrumque in illorum libris non invenit. *Lowerus* (124) in cane obſervavit poſt aliquot horas partes ſupra ligaturam intumeſcentes, & intra duos dies interitum quaſi ab angina ſuffocati, hydropem manifeſtum. Feci ipſe experimentum. Ligavi cani jugularem externam primo unius lateris, deinde etiam una alterius

(118) Vide etiam Freind, l. citando, p. m. 115.
(119) Freind. commen. de Febb. ad epidem. Hipp. Comm. II.
(120) Lancifi opp. T. l. p. 35. Ed. Venet.
(121) Winslovv. tr. des Vein. 74, 105. 33.
(122) Vol. II. p 270.
(233) V. C. p. 665.
(124) Tr. de corde 123.

rius. Neque intumuere multum venæ ſupra filum, neque multum aperti damni paſſus eſt canis, neque ſtupidus factus eſt, ſed pene per totum diem vegetus, continenter latrans, ſuffecit deinceps alii experimento. Portio infra filum ſingula reſpiratione evanida denuo replebatur. Imitandi *Lowerum* opportunitas nunc mihi deeſt, & ipſius Loweri obſcurior narratio eſt, cum ait *venas jugulares* ligaſſe, ut obſcurum ſit, ſolaſne externas, quas quidem difficile eſt vivo cani ligare.

Neque vero hoc experimento velim negaturus videri effectus venæ ſectionis jugularis, nam cum hoc experimentum oſtendat, maximam certe jugularium internæ & externæ communicationem eſſe per anaſtomoſes ſuas, eandem viciſſim par eſt pronam viam deplendæ internæ ſinubuſque adeo, ſi ponamus quaſcunque ob cauſſas repletiores parari ſectione externæ.

§. XXXIV.

Inſigniſſima etiam controverſia eſt de loco V. S. in obſtructionibus menſium. Vulgare eſt ſecare in pede, cujus ſectionis effectus explicantem *Sylvam* ſupra vidiſti B. L. Decantata eſt *Lindani* doctrina apud (125) *Ettmullerum*, decantatiſſima eſt hiſtoria feminæ *Riverianæ*. „ *Lindanus* ubi menſes inſtant, nondum tamen fluunt aut caſu ſubito re„ ſtringuntur, tunc ſaphænam aperiendam monet. In pede vero nun„ quam ſecandam eſſe venam ſuadet, niſi menſtruatio actu fluat, aut ipſe „ fluxus ſuppreſſus fuerit". *Freindius* (126) Lindanum & Ettmullerum rejicit argumento ſatis bono " quod ſi menſes, inquit, & jam fluentes „ promoveat & in fluxu ſuppreſſos revocet ſaphænæ ſectio, quidni etiam „ & extra fluxum reſtrictos queat deducere? Decantatiſſima eſt hiſto„ ria a (127) *Riverio* narrata feminæ, " cui quoties ſecabatur vena „ malleoli, menſtrua cohibebantur, dum vero ex vena brachii mitteba„ tur, ea largius profluerunt," neque vero mihi magni momenti viſa, etſi mihi non adverſa, cum & unica ſit, neque integra & accurata & omnes circumſtantias complexa hiſtoria morbi feminæ, " quæ varios af„ fectus patiebatur, quibus multa Medici adhibuerunt præſidia." Pro V. S. tamen in brachio pro qua eſt Lindanus eſt etiam Cl. (128) *Mauriceau*, cum *Freindius* ſit pro ſectione in pede. Conſiderandam cum (129) *Freindio* credo Plethoram ſolitariam, & eam, quæ cum lentore ſanguinis conjungitur, quem lentorem, ſymptomataque omnia a ſuppreſſis menſibus

(125) Opp. T. III. p. 244. *Declaratam* dixit Freind l. citando.
(126) Emmenelog p. m. 113.
(127) Obſ. 2. Cent. I.
(128) Tr. des maladies des Femmes groſſes, L. III. ch. 10. p. 419.
(129) p. m. 115. & 79. ſq.

bus oriunda pulcherrime idem explicat. Conjunctæ cum plethora ſolitaria obſtructioni menſium mederi poteſt una V. S. , illa , quam efficit plethora cum lentore , poſcere poteſt V. S. plures. Hoc plethoræ diſcrimen ſive plethoræ diverſos gradus qui non attendunt facile ad diverſitatem loci referunt , diverſitatem effectus venæ ſectionum. Accuratas hiſtorias circumſtantiarumque mentionem facientes non invenio.

§. XXXV.

Complectar paucis ſummam ſcriptionis meæ. Nota eſt doctrina de revulſione & derivatione ex obſcuris & vagis ideis , potiſſimum *Galeni* , ſuſtinuit eam reverentia antiquitatis , quæ fecit , ut ab *Harveo* coacti medici emendandam quidem agnoſcerent *Galeni* doctrinam , abjiciendam non agnoſcerent , manſerint nomina , manſerit ſemper aliqua D. & R. doctrina, etſi a variis in varias formas immutata. Oſtendiſſe mihi videor , everti omnem de R. & D. doctrinam poſſe quadruplici modo. Primum illud , quod omnibus doctrinæ fundamentum eſt , nego , in ea arteria a qua ſecta vena ſanguinem habet , minui reſiſtentiam ; deinde etiam ſi illud verum eſſet , ſecutura dico alia omnia quam quæ vulgo dicuntur ; tertio, ſi concedatur utrumque , tum illa imminutio reſiſtentiæ , tum illi qui perhibentur effectus , tamen ſe invicem deſtruent effectus a ſectione venæ, & ab ejus occluſione ; denique ipſæ auctorum diverſæ ſententiæ diverſa theoremata munita invicem experimentorum commemoratione , invicem ſe deſtruunt.

§. XXXVI.

Itaque uſuum V. S. qui triplices numerantur , evacuatio , derivatio , revulſio , ſolum primum evacuationem ſtatuo , evacuando a V. S. effici omnia bona , quæ efficit ingentia , & relinquo ſolum cum *Senaco* illam revulſionem , & meritam quidem hoc nomen , cujus ſupra mentionem feci. De hac *Senacus* ait : la revulſion , dont on parle ordinairement , conſiſte en ce que le ſang eſt détourné de certaines arteres ; mais la revulſion dont je veux parler , conſiſte en ce que lorsqu'on fait une ſaignée , le ſang , qui ſurcharge certains vaiſſeaux arteriels , ſort de ces vaiſſeaux par le même chemin , par lequel il eſt entré , c'eſt - à dire , qu'il revient ſur ſes pas. Sed raro locus datur huic revulſioni , qui ſolus eſt ille , qui afficitur , nunquam datur in viſceribus. Scarificationes locorum affectorum videntur hanc revulſionem efficiendo prodeſſe.

 §. XVXVII.

§. XXXVII.

Fuit cum animus mihi eſſet pertractandi totum ambitum doctrinæ de revulſione & derivatione, & examinandi effectus illorum, quæ dici ſolent ſuccedanea V. S., modorum ſanguinem mittendi reliquorum, purgantium, ulcerum artificialium, epiſpaſticorum &c. Ut abjicerem hoc conſilium tum ipſa me laboris longi & liminum ſcriptionis academicæ conſideratio permovit, tum illa perſuaſio, fore, ut quibus probare poſſim a V. S. nullam aut D. aut R. fieri, non tergiverſentur aſſentiri negaturo in univerſum.

Obiter tamen indicabo, qui mihi videantur modi agendi potiſſimorum ex iſtis reliquis revulſoriis & derivatoriis remediis.

Sectio arteriæ ejus, quæ ſanguinem dat loco affecto, efficit revulſionem dictam § antec. ſed exiguam futuram, ſi eidem loco aliæ ſuum ſanguinem dant. Ceterum ab arteriotomia, quæ a citiori evacuatione ſperari poſſunt, ingentia autem ſperari non poſſunt: neque mihi exſpectari poſſe videntur argumento ducto a maximo levamine ab hæmorrhagiis narium, non ortis a friabilitate vaſorum. Hæmorrhagia hæc in acutis docet vim morbi, vim cordis, copiam ſanguinis, magna, plethoram maximam. Bonos itaque effectus hujus hæmorrhagiæ inde certum eſt oriundos eſſe, quod plethora minuitur, inde oriri, quod ſanguis arterioſus mittitur, quod ex naribus, dubium eſt. Eadem natura, cujus conſilio oriri dicuntur eæ hæmorrhagiæ, ſive complexus cauſſarum in C. H. agentium, per quas in corporibus qualia ſolent eſſe acutis tentata, cietur neceſſitate mechanica hæmorrhagia narium cietur in aliis hæmorrhoidum fluxus, aut profluit ſanguis in alio quocunque loco, in quo minima eſt reſiſtentia, pariter cum levamine. Pauci ſanguinis ſtillicidium, triſte *Hippocrati* præſagium, indicat cum illis, quæ indicat fluxus largior, vaſorum cedere neſciorum nimium robur indicat neglectam eſſe S. M.

Boni effectus hæmorrhagiæ narium hæmorrhoidumque omnium in ſanis oriuntur ex imminutione plethoræ, quemadmodum ſalubritas fluxus menſtrui in feminis. Sunt & illæ ſæpe hæmorrhagiæ periodicæ. Conſultum autem eſt has vias, quas ipſe ſibi ſanguis quærit, non impedire, neque aliis S. M., niſi neceſſitas cogat, ideo, quod talia corpora apta nata ſunt reparandæ plethoræ, vaſa autem illa quæ illum ſanguinem fundere ſolent, dediſcunt fungi officio aliquoties intermiſſo, occalleſcentia forte, quo facto perit illa menſura termini plethoræ, turbatur ordo, turbatur totum corpus.

Purgantia minuendo totam humorum maſſam agunt, & detrahendo quidem ſpecificam partem. Ulcera artificialia & ſetacea nonnihil

nihil

nihil ſtimulant, potiſſimum autem proſunt detrahendo ſpecificam humorum partem.

Epiſpaſtica ſtimulant. Inflammationis hæc mihi theoria eſt: irritantur aut ipſius cordis aut alius cujuſcunque, in quo inflammatio incipit, quacunque ex cauſſa, nervi, irritantur in his etiam illi qui ad tunicas arteriarum abeunt itaque hæ ſanguinem ſuum fortius propellunt, pulſant interdum, quæ antea ſentiri non potuerunt, eſtque inflammatio topica ſine febre, niſi nimius ſit ſtimulus, qui ſtimulus ſi ipſum cor tetigerit, aut cordis nervos in conſenſum traxerit, oritur febris. Itaque mihi videntur epiſpaſtica agere ſtimulo contrario cauſſæ facienti inflammationem. Certe in convulſoriis morbis irritationem ſyſtematis nervoſi cauſſam habentibus, epilepſia, malo hyſterico, proſunt ſtimulantia. In affectibus ſoporoſis epiſpaſtica vel ideo proſunt, quod excutiunt lethargum, qui niſi his excutiatur, quod ſæpe fit, nullis aliis præſidiis excutitur. In phrenitide utilitas epiſpaſticorum utraque eſt, quam dixi.

In univerſum omnia illa, quæ vulgo dici ſolent revulſoria aut derivatoria præſidia, nomina hæc non merentur, non ab ipſis ſtatoribus R. & D. per V. S.

§. XXXVIII.

Finio mutuo ab (130) *Ill. Trillero* ſumptis ſuavidicis æſopiarum fabellarum ſcriptoris verſibus:

Superſunt mihi quæ ſcribam ſed parco ſciens:
Primum eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein, ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui.
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitatis noſtræ præmium ut reddas peto.

Certe ingenuitatis præmium ab æquis & intelligentibus lectoribus peto & ſpero, quibus niſi ipſam ſententiam meam, certe veritatis amantem animum ſi probavero, egregie credam compenſatum mihi in hac voluptate moleſtiam, quam aliorum forte iniquorum & moroſorum judicia creabunt.

(130) Fin. libri de Pleurit.

CCXLVI.

GEOR. ERNESTI STAHL,

ET

J. JEREM. COLER,

DISPUTATIO

DE SANGUISUGARUM UTILITATE.

HALL. 1699.

PROOEMIUM.

Sanguis, uti vitæ theſaurus, & princeps organum exiſtit, mediante quo univerſa machina corporea, ab omni corruptione putredinoſa, ita vindicatur, ut licet mixtio corporis ſummopere præceps in hanc corruptionem ſit, imo etiam actu de tempore in tempus corruptionis hujus primordia ſubeat, & in ſulphureo-ſalinam inteſtinam diſſolutionem abeat, nihilominus, per continuum motum & tranſitum ſanguinis, ſubtiles hæ ſecedentes portiones, perpetuo ſecernantur atque excernantur, neque ad ulterius diffundendam ſuam fermenteſcentem putredinoſam efficaciam, vel moram ſufficientem, l. collectionem copioſam nanciſci poſſint: Ita ſi tamen hic ipſe ſanguis, in quantitate ideo luxurioſe coacervatur, ut motum expeditum, cujus beneficio efficaciam ſuam vitalem præcipue exſequitur, ſubire & ſervare non poſſit, e vitæ theſauro, morborum promptuarium, imo ipſius mortis obſtetrix, facile evadit.

Natura quidem, ne has noxas temere, & circa ullam reluctationem, in ſe ſuſcipiat, agit quicquid poteſt, ut vel expreſſione directa, notabilem quantitatem hujus ſui moleſti hoſpitis excutiat; vel plurimum dierum operoſa impetuoſa concuſſione, notabilem ejus portionem colliquet, in ſerum redigat, & ſub tali tenui forma, per varia emunctoria, præcipue vero urinæ & ſudoris organa, exoneret.

Poſterior hæc expulſionis ſpecies: febriles æſtus format; prior hæmorrhagias.

rhagias. Ad utrasque, præcipue tamen ad has poſteriores, exercet varios motus ſpaſmodicos, quibus ſanguinem tum ad ſecretionis, tum ad excretionis loca, preſſius reſtringat, hydraulicis quaſi directioribus.

Hæ congeſtoriæ, & ad expreſſionem deſtinatæ ſpaſmodicæ motitationes, quo minus ad actualem hunc intentionis ſuæ effectum pertingunt; eo pertinacius inſiſtunt, recurrunt ſæpius, imo & repetitis inſultibus perrumpere moliuntur, levibus occaſionibus denuo incitantur, & ad promptam omnino repullulationem magis magisque aſſueſcunt.

Exſerunt ſe hujuſmodi turbæ duobus præcipue generalibus corporis locis, in externo nimirum ambitu, & internis contentis corporis partibus. Illic, varios arthriticos, rheumaticos, fatigatorios quoque ſeu oſteocopos affectus & dolores formant; hic, internos iſtos ſpaſticos importunos motus, quo prudenter, jam ante tempus haud exiguum, ad convulſiones retulit Williſius: ſcholæ vero medicæ triviales, à ſitu loci affecti, hypochondriaca mala appellare contentæ ſunt: licet interdum, & ubi ad nihil diſſimulatas epilepticas convulſiones impetus erumpit, epilepſiæ hyſtericæ nomen imponere non dubitent, & non magis in infantibus epileſia inteſtina, das böſe Weſen im Leib, *ab ipſo vulgo agnoſci atque accuſari ſoleat, quam etiam in adultis ſubinde, colicæ convulſivæ appellatio adhiberi.*

Sicut autem externis illis moliminibus, tempeſtiva depletio plurimum ſubvenit; ita etiam internis illis, & velut inteſtinalibus, plurimum conducit, dummodo expeditè perpetrari queat, & non potius ipſo tentamine magis magiſque excedat, ſtaſes, inflammationes, tenſiones, obſtructiones, concitet potius, quam corrigat ac propulſet.

Fit tale quid præcipue hæmorrhoidum internarum moliminibus; à quibus quam graves & ſonticæ turbæ, & quam prompto ordine atque ſucceſſu, pendeant ac pullulent, alibi prolixius, & velut ex profeſſo, commemoratum eſt. Quam operoſum ſit: ſi non nudas ſpeculationes, ſed experientiam ſequamur, motus hos vel ſalubriter penitus opprimere, vel ad exitum utiliter perducere, ibidem pariter indigitatum. Interim promptiſſimum ſimul atque præſentiſſimum ex omnibus remedium, ad ſinceræ ejuſmodi evacuationis effectum, ſunt hirudines, ſ. ſanguiſugæ; non tantum commendabiles hoc nomine, & actu à peritis practicis paſſim commendatæ: ſed etiam ad alios quoſdam immediatæ evacuationis uſus, non ineptæ.

Non placet quicquid de hirudinibus dici poteſt, hiſtorice, phyſice, & medice, hic colligere, cum argumentum hoc ſatis pro dignitate jam tractaverit Johannes Heunius Profeſſor Gryphiswaldenſis, Ann. 1652. ſed placuit ſolum practicam hujus medicationis utilitatem denuo quaſi ſpeciali paræneſi laudare, & cum in noſtris regionibus hactenus minus uſitatum ſit, & tamen iiſdem, ſane ſi ulli alii, maximopere appropriatum videatur, propterea ad ejus exercitium, & frequentiorem uſum Practicos exhortari,

tari, idque non ſolum ex ipſo experientiæ ſuaſu, verum etiam rationis luculenter adſtipulantis teſtimonio.

Suſcepimus hoc præſente Diſſertatione peragere, cui cœpto ut divina clementia adſpiret, ſupplices oramus.

CAPUT I.

De hiſtoria Sanguiſugarum generalia quædam.

HIrudines ſeu *ſanguiſugæ*, non adeo ignotum animalculum, ſive, ut vulgus loqui amat, *inſectum*; reperitur partim in ipſo *mari*, partim in *dulcibus*, præſertim quieſcentibus, ſive *ſtagnantibus*, aquis: ea differentia, ut *marina*, non modo *magnitudine*, ſed fere etiam ipſa *figura*, notabiliter a *paluſtri* diſtincta appareat: quemadmodum apud *Rondeletium* de piſcibus, & *Aldrovandum* legere licet.

Nihil adeo intereſt, unde *hirudinis* vocabulum dictum cenſeatur; ab hærendo, an undecunque alias; cum *ſanguiſugæ* vocabulum, apud *Latinos*, & appellatio *Blut-Egel* apud *Germanos*: æque ac nomen βδέλλα apud *Græcos*, ab ipſa *indole*, nempe *ſuctione* ſanguinis, animalculo huic attributa eſſe ſatis appareat.

Eſt animalculum *reptile* eoque ipſo *vermibus* accenſeri ſolitum; *oblongum*, ſed non æque *teres* quam potius compreſſum ſeu *latum*, transverſis lineis interſtinctum, capitulo latiuſculo, & ore ſubrotundo, ac veluti *calloſo*, *aſpero*, quod *dentibus* inſtructum eſſe, recepta eſt ſententia. Sane, quo ſcrupuloſius proſapiam *hirudinis* penſitare libuerit, eo magis *limacum* tribui illas accenſere, juſtum apparuerit, de quorum, & præcipue cochlearum *dentibus*, quatumcunque ſupervacua, non tamen in ſe vana, ſed in tenui laborioſa, diſceptatio occurrit apud *Bonanum* in curioſa ſatis *Conchyliorum* hiſtoria.

Color ipſis eſt diverſus; ſiquidem aliæ *ſubruffo*, aliæ *virideſcente*, aliæ *nigreſcente*, aliæ ſub his coloribus, *maculis* alienis conſperſæ, conſpicuæ ſunt. Inter quas quidem *ruffas* illas, *nigricantes* quoque, & valde *fulvas*, neque minus obſcure *maculoſas*, deterioris notæ habent: *ſubvirides* vero, cum notis, ſeu ſplendore quaſi ſtriato, *dilutiore*, *flaveſcente*, aut *ruffeſcente*, extra ſuſpicionem ſunt.

Vivunt in ipſis *aquis*, *cruore* piſcium, quibus adhæreſcentes ſubinde reperiuntur: appetunt etiam extra aquas, inſigni promptitudine, ſanguinem, unde corpori glabro admotæ, non modo avide adhæreſcunt, ſed ſanguinem etiam notabili copia imbibunt, donec eodem impletæ turgeant, imo obſaturatæ prorſus, decidant.

Interim,

Interim, utut frequentius *paludoſa* loca, & *nidoroſo* limo ſcatentia, fere incolant, non tamen æque inquinatas & *ſqualidas* corporis partes amare, aut ambire obſervantur; ſed potius *abſterſa* demum, imo *dulcedine* lactis imbuta, aut *ſanguine*, neque illo quidem *ſalſo*, aut valde *acri*, madentia loca, prompte aggredi ſolent.

Eo ipſo, neque *hæmorrhoides cæcas ſuppuraſcentes* æque avide arripiunt, quamvis etiam ſuctioni alias ſic ſatis aſſuefactæ: bene vero, *turgidas* tantum, *veſiculares*.

Ubi nempe notare libet, quod utique differentia ſubſit, hirudinum, uſui huic nempe *artificiali* applicationi, jam alias ſæpiuscule adhibitarum, præ *recentibus*; ubi etiam *famelicæ*, diutius nihil paſtæ, utique longe præſentius invadunt, quam *obſaturatæ*.

CAPUT II.

De Suctione Hirudinum.

Quæ in *Phyſica* theoretica diſceptatione, pro ardua haberi ſolet, quæſtio, an *tractione*, an vero *pulſione*, abſolvatur, illa ſanguinis, e corpore in hirudinem transmiſſio, illius ſcrupuloſa disquiſitio, in noſtra, medica, tractatione, non magis forſe ἄτοπος, quam ἄλογτος apparuerit, unde ab eadem abſtinentes, potius recepta voce *ſuctionis* uti, conſultum ducimus.

Admota videlicet *abſterſo*, vel etiam leviter *perfricto*, corporis loco: hirudo, præcipue *famelica*, affigit ſeſe, capitulo ſuo; & ubi ſemel firmiter adhæſit, inhæreſcit loco ita occupato, adeo tenaciter, ut vix vi avelli ſeſe patiatur.

Imbibit ita, intra non adeo longum tempus, inſignem quantitatem ſanguinis; adeo, ut vel mediocris digiti magnitudinem craſſitie & turgiditate ſua æquet. Fit hoc tanto promptius, quo expeditius affluxum ipſius ſanguinis, ex ipſis v. g. vaſis, haurire poteſt.

Satiata, ſponte denique, omiſſo quod inflixit vulnuſculo, delabitur; relinquens in parte commorſa vulnuſculum quaſi *triangulare*: hoc, ſi *vas* aliquod *ſanguiferum* ſimul immediate penetravit, pergit ſæpe ſanguine pertinaciter manare, ita, ut ſpeciali demum adſtrictione egeat; ſi verò non niſi ipſam *cutim* ſolum ſauciavit, facilè, & ferè ſtatim ceſſat ſanguinis emanatio.

Quo minùs vero accurata *quantitas*, quantum *una hirudo* exſugere poſſit, definiri valeat, impedit præcipue diverſa illarum *magnitudo*: interim majuſculam, ad 6. drachmas imbibere poſſe, minime improbabile

eſt, præcipue, ſi ſuctionem ſuam ſine offenſa externa, vel etiam magis interna, à ſanguinis ſalſa diſcraſia, ſatis diu continuent.

Larga vero quantitas educitur, ſi *amputatis*, poſtquam jam turgeſcere incipiunt, *caudis*, diutiùs ita affixæ corpori relinquuntur, ubi ſuppoſito commodo vaſculo, ſanguis ex illis ita deſtillans, capeſſi poteſt. Ex ipſis vero etiam, ſanguine imbibito *inflatis*, poteſt hic iterum prompte exprimi, ſi in vaſculum repoſitæ, *ſale*, aut acri *cinere* conſpergantur: ubi pauco tempore, compunctionis illius impatientes, ſeſe contrahunt, & quicquid humoris imbiberant, prompte iterum evomunt.

Quoad *applicationem* earundem, fit hæc promptius, ſi non *obſaturatæ*, ſed pauliſper, *famelicæ* exiſtant. Unde, dum in aqua munda ſervantur, & nonnunquam grumoſo *ſanguine*, *pullorum*, *agnorum*, *vitulorum*, cum recenti ſubjuncta aqua cibantur, neque nimium fieri hoc debet, neque omnes ſimul ita ſatiandæ ſunt; ſed inter plures, quas uſui aſſervare expedit, diverſæ, diverſis etiam diebus, ut ita cibentur, omnino e re fuerit. Quemadmodum utique ſemper, aliquandiu jam aſſervatas, &, (poſt lenem *expreſſionem* ſtatim à captura, qua limoſum ipſarum paluſtre nutrimentum ex ipſis excutitur,) in aqua ſæpius renovata detentas, demum uſurpare convenit. Quamvis enim querela illa de *virulentia* hirudinum, ſi verum æſtimare velimus, magis ferè nudæ traditioni veterum, in *calidioribus* regionibus verſantium, ſcriptorum, ſuperſtructa, neque adeo tam eximiam in noſtris climatibus attentionem promereri videatur: præſtat tamen revera, cautiorem ſemper, quam temerarium fuiſſe.

Aſſervatæ ita, & ſufficienter *avidæ*, hirudines, ſi ad ſpecialiſſimum quaſi *punctum* apponi debeant, commode in fruſtulum *arundinis*, ex uno latere ſecundum longitudinem fiſſum, ut aperiri & denuo plicari poſſit, aut in *metallicam*, nihil corroſivam ſive ſepticam, ita complicabilem, *cannulam*, impoſitæ capitulo ſuo ad locum arripiendum admotæ, hunc, præcipue leviſſima ſuperficaria punctura, ad *ſanguinei* ſtigmatis eruptionem, affectum, facile invadunt.

Si vero minus exquiſitus ſit locus, cui pertundendo deſtinantur, tunc *digitis*, *linteo* tamen, ne in hos ipſos morſum ſuum deflectant, munitis, ſatis commode applicari valent. Imo etiam commode ſi latiuſculi ambitus ſit locus, in *cucurbitula* vitrea admoventur; & donec ita adhæſerint, detinentur.

Poſtquam multum ſuxerunt, *avellere* eaſdem, neque adeo promptum, neque fere utile eſt. Pauco *ſale*, ſaliva madefacto, aut *cinere*, capitulis ipſarum aſperſo, facile cedunt & cadunt.

Liceat, in tranſitu, ſemiſuperſtitioſæ ipſarum applicationis meminiſſe, quam in quodam *Crainiæ* tractu, ſolennem eſſe, eximius illius provinciæ Hiſtoriographus, *Baro Walvaſor*, commemorat; dum nimirum

rum incolæ horum mapalium, in aquis illius viciniæ abundantes hirudines, ſed ſponte ſua ad arripiendum hominem non æque *avidas*, copioſe ad ſeſe pelliciant, *verbis* tantum aliquot: *piime pijaнka* &c. aliquoties proclamatis. Qua quidem provocatione catervatim ita irruant, ut vel periculum ab ipſis provocatori immineat.

Noſtrates, pedibus in ſtagnum cœnoſum diutius demerſis, invaſionem hanc taciti præſtolantur, & plurium ſæpe adhæſionem paſſi, partim earundem ſaturationem expectant: partim avulſas rejiciunt. Si tamen in quocunque fortuito neceſſitatis caſu, præter voluntatem affixas, ad *ſpontaneum* delapſum diſponere neceſſarium viſum fuerit, *urina* conſperſæ, aut, quia hodie vix ullo loco deeſt, momento *tabaci* maſticati, aut *cinerum* ejus, aut *fumo* ejus afflatæ, imo pulvere aridiore ex improviſo aſperſæ, vel ſponte cadunt, vel longe languidius hærentes, facilius auferuntur.

Quæ mediante *ſale*, vel *cineribus*, ad evomitionem compulſæ fuerunt, ſi mox in *recentem* aquam *dulcem* reponantur, & ex hac in *alteram*, imo *tertiam*, transferantur, revertuntur ad ſeſe, & ad ulteriorem uſum ſervari poſſunt.

Optamus ſane, & ſuademus, ut animalcula hæc frequentiori uſui adhibenda, apud Medicos & Chirurgos, perpetuo aſſervata præſto ſint: *vere* quidem, & *æſtate*, facile nova captura ſupplenda: *autumno* vero, in hyemem, penui inſerta, tanto circumſpectius cuſtodiantur.

CAPUT III.

De generali, imo & quadantenus ſpeciali utilitate ſanguiſugarum.

Quanta differentia ſit inter *conſiderationem* utilitatis, & *perceptionem* atque experientiam ejuſdem, nemo fere certius æſtimare poteſt, aut certè ſolet, quam ille, cui *experientia* hæc non modo *commoditati*, ſed etiam *neceſſitati*, in aliorum fruſtratione operæ pretium fecit.

Sane, non modo ubi uſus hirudinum aliis ſanguinis evacuationibus ſubordinari queat, ſed maxime, ubi aliis irritis, efficaciter adhiberi valeat, effatum fuerit, Medico-Practico, rerum ſuarum, & conſcientiæ ſuæ ſatagenti, auro contra carum. Unde placet hoc noſtro loco uſum hirudinum ita partiri, ut eundem triplicem conſideremus: Primo generaliſſimum, nude ad *generalem* evacuationem, loco *venæſectionis* aut *ſcarificationis*.

Secundo, *ſpecialem*, ad talia loca, ubi ad minimum *longe commodiorem* uſum quam *venæſectio* aut *ſcarificatio*, exhibere poſſint.

 Tertio,

Tertio, *ſpecialiſſimum*, cujus efficacia quæ & *venæſectionem*, & *ſcarificatioſinem*, *practice* fere conſtanter excludit & eludit, eſt adhibitio earundem ad *hæmorrhoides*. De quibus quidem, & earundem pathematibus, mediatis & immediatis, cum D. D. Præſes hactenus plura fere quam alias fieri ſolet, in medium proferre operæ pretium duxerit; hanc quoque, quandantenus *practicam* negotii iſtius proſecutionem ſubjungere, non ſupervacuum viſum fuit.

Miſſis itaque, aut verbo ſaltem notatis illis propoſitionibus, quibus *hirudinum* applicatio *generali* evacuationi, *venæſectioni*, *ſcarificationi*, ſolum *ſubſtitui* poſſe cenſetur. Pauca quædam ex autoribus, in *ſpecialis* uſus approbationem conſignata, ſolum indigitabimus tanto magis, cum optime in hoc negotio verſatus *Heunius*, neque minus *Diſput. inaug.* elegans D. D. *Kamperi*, Jenæ 1652. habita, id ipſum jam dum verbotenus perfecerint: de noſtræ vero intentionis, nempe *hæmorrhoidalis* applicationis efficacia, & quæ eidem reſpondent, tanquam negotio inſtituti noſtri primario, proprio demum loco, & prolixius agemus

Ita *tineam*, *rubi nodum*, ſeu cum *roſeo* cutis tumentis colore, *hirudinum* ſuctione, ad ſanitatem perduxit, *Rhaſes*, Libr. 36 Tract. 3 Cap. 2. cujus hiſtoriæ & curationis non imperita recenſitio & illuſtratio eſt apud *Zacutum Luſitan.* Med Princ. Hiſtor. IV. Similiter *puſtulæ faciei* inveteratæ, poſt variorum aliorum remediorum fruſtraneum uſum, *quater* applicitis faciei, *quadraginta* hirudinibus, ad ſanitatem perductæ, leguntur ap. eund. *Zacut.* ibid. *Obſervat.* 3. *in paraphraſi Hiſtoriæ IV. Phreniticus* quoque, ex retentis *lochiis*, neque *venæ ſectione* in talo, neque tibiarum coxarumque *ſcarificatione*, neque hirudinibus ad *hæmorrhoides* adhibitis, levabatur: ex iisdem ad *uterum* magis immediate admiſſis, *quatuor* numero; ſecuta larga evacuatione, melius habuit patiens: narrante eodem *Zacuto*, Obſerv. V. Et Libr. I. *Praxeos Admir* Obſervat. 23. *Epilepſiam* poſt partum, retentis lochiis, pari modo mitigatam, idem recenſet. Ubi quidem *Nic. Fontan.* fidem autoris in ſuſpicionem vocat, quod alias etiam facit, *Conringius*, in Introduct. ad Hiſtor. Medic. quo tamen fundamento, nunc quidem perquirere minus vacat.

In *epilepſia*, cum *melancholico*, ſeu *craſſo* ſanguinis ſtatu, inſigni cum fructu eaſdem adhiberi, teſtatur *Gariopontus*, & *Gualterus Bruele*: in *Capitis* dolore, præcipue *rheumatico*, eaſdem *venis retro aures* adhibitas, vel *intra nares*, a *Benedicto Faventino*, notat *Foreſtus* Libr. IX Obſerv. V. & LX. in *Scholiis*. Eodem nomine, *Ludovicus Mercatus* Libr I. de V.S. Cap. 4. In immani *temporum* dolore, efficaciſſimas expertus eſt *Zacut* Libr. I. M. PP. Hiſtor. *Alexander Benedictus* ad *vertiginem* efficaces, eſſe aſſerit, ſi *retro aures* adhibeantur. *Amatus Luſitanus*, *melancholiam* in viro 33. annorum, ſuctione *duarum* hirudinum circa *orificium ani*, levavit. Cui ſimile quid in viro *quadrageſimo*, & *muliere*, poſt irritas varias alias medicationes, perpetravit *Nic. Fontanus Cur. Med.* Libr. I. Idem *Zacutus* Libr.

I Obſ-

I. Obſ. VI. *Foreſtus.* Libr. X. Obſerv. XIV. XV. & XVI. efficaciam hujus remedii pro eodem ſcopo, repetito commendat. *Fabricius Hildanus ſeptuagenarium*, ex *hæmorrhoidum menſtruarum* emanſione, in *vertiginem*, & mox *paralytodem* affectum dextri lateris, delapſum, hirudinibus ano adhibitis, reſtituit. *Linguæ anginodem* intumeſcentiam, hirudinum ſuctu exinanitam, commemorat *Zacutus* Libr. I. Obſ. 47.

Confirmat uſum hirudinum pro *melancholicis*, *Sennertus* quoque, *libr. I. Praxeos*, *Part.* 2. *Cap.* 11. & 12. Idem prolixius ſtatuminare nititur *Nic. Fontanus libr. I. Reſp. & Cur.*

In *apoplexia*, *jugularibus* venis hirudines admovere, *Bruele* ſuadet; *Fontanus*, *temporibus*, & retro aures, affigit. In *ophthalmia*, *fronti* adhibitas extollit *Kiranides*, & *Hollerius*, *lib.* 1. *de Morb. Intern. Cap.* 19. Quibus verbo aſſentitur *Foreſtus libr. XI. Obſervat.* 2. *Gingivis*, *in dentium rheumatico* dolore, deſtinat *Alexand. Benedictus*; & experientia ſua roborat *Paræus* lib. XVI. Cap. 25. & *Strobelbergerus* de *dent. Podagr.* cap. 24. Ad *Jonthos* & reliquam *guttam roſaceam*, efficaces laudat *Bauerius* & *Zacutus Luſitanus* loc. ſupra alleg.

In *ſtrumis*, earundem uſum, & ſpecialem adhibendi modum, tradit *Autor Addit. ad Brev. Arnoldi Villanov.* lib. II. Cap. 4. nempe poſt uſum pillularum, hirudines complures, in circuitu partis affectæ, apponere; vulnuſculis deinde pulverem *Helleb. nigri* adhibere, idque ſemel; Poſtea vero *unguento albo* tantum illa illinire. Ad *anginam*, & *cynanchen*, *Capivaccius*, *Bruele*, *Zacutus*, *Rolfinccius O. & M. Comm. lib. IV. Sect.* 4. *Cap. II.* In *hæmoptyſi*, præcipue ſuppreſſis *hæmorrhoidibus*, *Ephemerides German. Dec. II. Ann. IV. Obſ.* 19. Confer. *Rhodius Centur.* 2. Obſ. 11. &c. *Obſervationes* quoque plures hirudinum efficaciter adhibitarum, ſunt apud *Zacutum*, *Prax. Hiſtor. lib. VII. Cap.* 14. *lib.* 8. *Cap.* 2. & *Cap.* 6. *Obſervat.* 6. & in *MM. PP. H. lib.* 2. *obſervat.* 9. nec non *Pr. Adm. lib. I. Obſervat.* 104. *libr.* 2. *Obſ.* 57. & 159. *libr.* 3. *Obſ.* 108. Ad *ſinis duritiem*, *Fontan. lib. I. p.* 100. *Hildan.* de valetud. tuenda; ubi etiam efficaciam in *quartana*, in proprio corpore compertam laudat.

CAPUT. IV.

De utilitate Sanguiſugarum ſpecialiſſima.

Sicut nulla æque alia *ſpecialiſſima* ſanguiſugarum eſt efficacia, ſed ſola *generatior* illa, quod *ſanguinem evacuent*; ita *ſpecialiſſima* earum *utilitas*, in eo præcipue verſatur, ut illis locis adhibeantur, quibus aliæ operationes ad hunc effectum uſitatæ, minus commode ſubveniunt.

Quamquam vero *vena frontis*, *venæ jugulares*, *vaſa retro aures*, *arteriæ*

teriæ temporales, hunc cenſum non injuria ſubeant; ſuperant tamen easdem omnes *vaſa hæmorrhoidalia*. Hæc enim, cum propter *exilitatem* ſuam ſummam, *inſtrumenta* plane ſubterfugiant; neque etiam *cucurbitulæ* appoſitionem æque ſubeant; præcipue in illis, quibus *nunquam* quidem *emicuerunt*, interim tamen *interne*, *anxietatibus*, *anguſtiis*, *inflationibus*, *ſpaſmis*, & *doloribus hypochondriacis & hyſtericis*: *externe*, *rheumaticis*, *arthriticis*, *iſchiaticis*, *nephriticis*, *podagricis*, *varicoſis*, *ſceletyrbicis*, *ſtupefactivis*. imo παρτλυτάδεσι præludiis & inſultibus, multum negotii cauſantur & minantur.

Talibus ſane non modo optime, ſed vix non *unice*, ſubveniunt *hirudines*. Cum enim de affectuum horum *conſanguinitate*, cum *motu*, ſeu *molimine fluxus hæmorrhoidalis*, alias hactenus abunde actum ſit; ſimulque a *practica* experientia thema illud: *An non præſtet hæmorrhoidum fluxum*, quod ſane facile factu eſt, *prorſus & in perpetuum*, *ſupprimere*? *Negative* deciſum: Et illud quidem quaſi magis abſolute, ubi jamdum *aſſuefacto*, *diuturna*, aut *copioſa*, præceſſit: Et quidem, quod toties non ſine prægnanti cauſa, repeto, *aſſuefacto* non ſolum *fluxus* actualis, ſed ſolius quoque *motus* & *moliminis* ad exitum hæmorrhoidalem: hujusmodi vero evacuationi *artificialiter* promovendæ, *unice* ſubveniant hirudines: propterea earum hoc in genere eximiam *utilitatem* non poſſumus non commendare.

Agemus vero hoc per illa *medicæ*, imo univerſæ, *demonſtrationis*, fundamenta & firmamenta, *rationem* & *experientiam*.

Suppoſito videlicet, quod evacuatio *hæmorrhoidalis*, ad paulo ante dicta iſta varia mala, *interna* & *externa*, quam plurimum levaminis afferre poſſit; præcipue cum ex impedito illo *venæ portæ*, quaſi labyrintho, nulla penitus *artificialis* evacuatio alia, locum inveniat, ut recte prorſus monet *Sennertus*, *Praxeos lib.* 1. *Part.* 2. *Cap.* 11. & 12. His inquam ita ſe habentibus, evacuationi huic aptius remedium ullum aliud nequaquam occurrit, præter hoc unicum, *hirudinum* nempe ſubſidium.

Reperit ſane hic quoque D. Præſes, quod ſi quis verum *ſpecificum* remedium, pro hæmorrhoidibus, *ſine alia inſigni commotione*, *uti audis*, idque *certum* & *efficax*, habeat, ipſe ſane communicationem ejusmodi medii, non indigna compenſatione obtinendam cenſeat: in enim vero, & in notorio talium defectu, ſolent utique communiter autores, *hirudines* ſub *ſpecifici* remedii nomine recenſere, vid. *Prævotius* in Mat. Med. *Capivaccius*, *Sennertus* &c.

Evacuato itaque, libere & commode, per *hirudines*, *ſanguine*, ceſſant tanto facilius in futurum, *molimina* illa ad hunc effectum ſæpius, & communiſſime quidem fruſtra, ſuſcepta.

Cumque adeo per aliam methodum ejusmodi evacuatio, nulla ſimili efficacia obtineri poſſit, confirmat inde ſane ipſa *ratio*, hujus noſtri medicamenti utilitatem.

Ne

Experientiæ vero duplex affero teſtimonium; unum quidem *generale*, quod nempe evacuationes *hæmorrhoidales*, in affectibus hujusmodi apprime utiles obſerventur: ubi præter illa quæ in Diſputationibus ſub directione D. Præſidis habitis, de *Vena portæ*, *de Motu Sangu. Hæmorrhoidali* & *Hæmorrhoidibus externis*, de *Hæmorrhoidibus internis*, de *Podagra*, de *Calculo* &c. citata ſunt; & hoc loco ſaltim allegando indigitari poſſent: alia adhuc hujus ejuſdem cenſus πράγματα eodem nomine, & *ſpecialiſſimo* ad noſtrum negotium effectu, adduci merentur: quomodo nimirum, per (etiam alias *non aſſuefactam*) *hæmorrhoidalem* per *hirudines* evacuationem, ſimilia mala eximie, ſublevata, imo ſublata eſſe, obſervatum ſit.

Lienis durities, in muliere quadragenaria, poſt univerſalia remedia, *hirudinibus* ano admotis, tum ipſa, tum gravia ipſam comitantia ſymptomata, eximie percurata recenſetur apud *Fontanum* p. 100. *Obſtructio lienis*, & *malum hypochondriacum*, in nobili, aliquot ſupra viginti annorum, per aliquot annos fruſtra à Medicis pluribus, variis medicaminibus tractata, denique ſuaſu *Hildani*, poſt conſueta univerſaliora, adhibitis hirudinibus, & largiter. ad 9. vel 10. uncias, educto ſanguine, plurimum *ſublevatus*: *repetito* vero, ſequente anno, ſub prima frigora autumni, eodem remedio, ita *curatus*: imo, ſervata annuatim hac methodo, ita impoſterum *conſervatus* atque *præſervatus* fuit, ut perpetuo deinde, cum uxore inſuper ducta, & genitis liberis, incolumis vixerit, annotante *Hildano*, qui idem etiam in ſeipſo, *quartana* detentus, remedio hoc efficaciter levatus fuit. vid. lib. *de ſanit. tuenda.*

Breviſſimis quidem, & in ipſo exitu capitis de *affectibus hypochondriacis*, meminit *Excell. Dolæus*, hypochondriacos *hæmorrhoidum* fluxu levari; ſed meretur ſane hæc ipſa *brevis* allegatio, non perfunctoriam conſiderationem.

Sennertus in *praxi*, locis alleg. & *Martinus*, de *abſtruſis meſenterii morbis*, non celant, quanti hanc evacuationem habendam cenſeant. E noſtris obſervationibus libet ſequentes allegare. Vir aliquot annos ultra *quadraginta* progreſſus, habitus corporis *ſanguinei*, ad *melancholicum* vergentis dum ante aliquot luſtra, ubi adhuc diæta pure *vinoſa* utebatur, hactenus vero per 5. vel 6. annos *cereviſia* aſſueſcere neceſſe habuerat; ſolicitudinibus inſuper, & officio, occaſionum ad iraſcendum feraci, jam deditus, ad *anxia*, *melancholico-hypochondriaca* pathemata præceps, inſuper nunc ultimo præludia *iſchiatico-nephriticorum* pathematum perſentiſcens; cum à nobis moliminum *hœmorrhoidalium* mentio fieret, & *hirudinum* utilitas hoc nomine laudaretur: confeſtim ille, ſe quoque his, ait ante 8. vel plures annos, ſemel vel bis, medici conſilio, cum tanta efficacia uſum eſſe, ut inde quaſi *reviviſcere*, ſibi viſus ſit, *ihm wäre geweſen, als wenn er neu gebohren wäre.*

Vir habitus *ſanguinei*, quinquagenarius, à pluſculis annis, circa orificium ani, *pruriginoſo*, & quaſi leviter *ſerpiginoſo* malo, (quod ferè Galli *les hemorrhoides blanches* vulgo vocare ſolent) vexatus, tandem *oleo* compoſito *hyperici*, *liliorum alborum*, & ſimilibus, ab hac quidem moleſtia liberatus fuit; ſed incidit non ita multo poſt, n *febrem intermittentem*: a qua, ut eſt ſuſpicio, per *Chinam Chinæ* liberatus, cum paulo poſt iter ſuſcepiſſet, & quidem pluvia & frigida tempeſtate, in *febrem* cum paroxyſmo vehementiſſimo, & paralytode, relapſus, mox inde *rheumaticas* paſſiones in *artubus*, perſenſit: quæ mox magis magiſque in *iſchiaticas*, & *arthriticas* converſæ, jam in tertium annum patientem, exagitant, repetitis nempe variis inſultibus. Apud hunc patientem, cum etiam denique *hirudinum* mentio fieret, ipſe ſimiliter recordatus eſt, quod præſidio hoc, ante 18. circiter annos, ſimiliter aliquot jam vicibus uſus fuerit, eoque ipſo, tum temporis non exiguum levamen & *alacritatem* corporis animique inde perſenſerit.

Vir *quadraginta* annos prætergreſſus, natione *Suecus*, adhuc cœlebs, habitus corporis *melancholico-choleri*; cæterum, & in juventa *Gallicis*, & intra paucos annos *Italicis*, *Auſtriacis* quoque, & *Hungaricis* vinis uti ſolitus, incidit tandem in *ſpaſmum iſchiaticum*, ut *ſtanti*, ſpina dorſi *obrigeſceret*, ut cito eandem *flectere*, ad conſidendum, non valeret; *ſedens* prompta ſeſe *erigere* non poſſet, ſine *penetrantiſſimo*, & quaſi *laceratorio*, dolore, commodum evenit, ut, cum iteratis vicibus paſſione hac agitaretur, *Viennæ* eſſet; ubi Medicorum ſuaſu, *hirudinum* uſu, à paſſione ſua *promptiſſime*, & hactenus etiam *conſtanter*, liberatus fuit. Cumque, de hac ſui ſublevatione, ſibi ipſi gratulabundus, erga celebris ordinis *Religioſum* mentionem feciſſet, intellexit ex hoc, veluti ſub ſecreti cujuſdam fide, quod *Cænobii* ſui, quinimo potius univerſi *Ordinis* participes, remedio hoc non aliter, quam *panacæa* veluti quadam, uti conſueverint, indeque pancratice habeant.

Efficaciam uſus hirudinum in *iſchiatico* affectu, legere licet apud *Zacutum*, *Pr. Adm. lib. 2. Obſ.* 162. Ubi quidam, temperamenti *melancholici*, frequenter *coxæ dolore* exagitatus, & nullo effectu, ſæpius invadente malo, V. Sne iterato uſus, tandem *hirudinibus* ad *mariſcas* appoſitis, liberatus, & anno integro à recidiva immunis, fuit.

Eodem libro *Obſervat.* 57. recenſet, quod alius vir (cujus tamen *temperamenti* mentionem non facit), ingenti *lumborum* dolore affectus, *venæſectionibus*, in *ſuperioribus* & *inferioribus*, *hirudinum* etiam ad *hæmorrhoides* adhibitione, nihil ſublevatur, denique *hirudinibus* ad ipſam *partem* affectam, nempe *lumbares* muſculos, appoſitis, ſecuta larga, ſive ut autor loquitur, *nimia*, ſanguinis evacuatione, liberatus fuerit; idem ibidem *Obſervat.* 159. Quidam intolerabili coxæ dolore detentus, cum fruſtra

fruſtra uſus fuiſſet *venæſectione*, in *cubito*, in *talo*, *purgationibus*, *linimentis*, *ſcarificatione*, *cauterio*, tandem Zacutus, juxta conſilium *Pauli lib.* 3. *Cap.* 77. & *Cœlii*, de tardis paſſionibus ſeu *chronicis libr.* 5. *Cap.* 1. appoſuit ipſi loco dolenti, 8. *magnas hirudines*, quarum ſuctu facta *larga* evacuatione, poſt paucas horas liberatus fuit æger. Ubi autor ſimul ſubjungit, quod hoc auxilio, *chiragra*, *podagra*, *gonagra* ſæpiſſime cum optimo effectu uſus ſit *corpore tamen prius decenter vacuato*.

Neque vero minorem conſiderationem meretur hiſtoria *Auguſtini Thoneri*, de eadem materia, ubi nempe *Joh. Scultetus*, ſæva *iſchiade* infeſtatus, cum variis, etiam validiſſimis *purgantibus* : *venæſectione* in talo, *veſicatoriis*, *clyſmatibus*, *opiatis*, *topicis*, omnibus fruſtra, uſus eſſet, tandem 5. *hirudinibus* ad *hæmorrhoides* admotis, invictum illum hactenus dolorem ſuperavit. Hirudines hæ ſanguine *turgidæ*, ſale conſperſæ, ad 6. *uncias* ſanguinis, referente autore, evomuerunt.

Podagræ per *hirudines* efficaciſſima *ſublevatio*, imo *ſublatio* omnimoda, per *menſtruam hæmorrhoidum*, medicantibus *hirudinibus*, evacuationem, notabiliſſime commemoratur à *Mouffeto Theatri Inſect. lib.* 2. Cap. 41.

Quæ omnes obſervationes, uti non modo *lectionem*, ſed ſane prudentem *imitationem*, quam maxime merentur; ita unam hiſce parallelam, ex noſtra propria obſervatione, ſuperaddere, non abs re fuerit.

Fœmina 36. annorum, *ſanguineo-phlegmatici*, ad *melancholicum* tamen declinantis, aut ſi mavis *melancolico-phlegmatici* habitus, cum *menſium* ſucceſſus vacillare inciperet, ſenſim in *arthritica* pathemata, neque *languida* illa quidem aut ita levia, ſed *moleſtiſſima* ſimul, prolapſa eſt; adhibitis medicamentis, ſublevata quidem, minime vero reſtituta eſt. Injuncta V. S. in pede; admiſſa, plurimum levaminis attulit. Vertente anno, cum denuo tentata, & prævenire malo geſtiens, juberetur V. Sne denuo ſeſe præmunire; laudat præteritam quoque ejusdem efficaciam, ſed incuſat tamen formidinem ſuam, qua ſub uſu hujus remedii graviſſime angatur, & ordinarie fere lipothymiam patiatur. Dum vero in ſanguinis evacuatione, haud parum præſidii ponentes, inter penſitationem gratificandi patienti, & difficultatem remedii fluctuamus, commodum incidit memoriæ quod juxta vicum, ubi patiens habitabat, conſtitutus lacus uliginoſus, *hirudinibus* ſine dubio ſcateat. Gratificaturus itaque pauperculæ, Præſes, ſuadeo, ut captas aliquot hujusmodi *hirudines*, alterutri, aut utrique pedi applicet. Ibi illa mox, ſe vero, ait, jam aliquando, ante tres vel 4 annos, hoc idem egiſſe, quod alias quoque vici ſui, incolis ſolemne ſit, nempe pedibus in lacum merſis, affixionem & ſuctionem *hirudinum* expertam eſſe, & tunc quidem 13. numero animalcula talia ſuxiſſe: Et ſane, per tempus non exiguum inde optime habuiſſe.

buiſſe. Suaſu itaque noſtro denuo hoc remedio uſa, ab *arthritico rheumaticis* illis externis pathematibus, egregie etiam ſublevata vixit, & vertente anno, plane cum deſiderio opportunitatem temporis, ad idem denuo celebrandum, expectat.

E plerisque his exemplis illud maxime notamus, quod interdum tales *ſanguinis evacuationes* ſuſcipiantur, quæ non modo *decubitum*, ſed & *exitum* circa certam partem promoveant, & eo ipſo naturam denuo laborantem, ad hoc genus levaminis, veluti invitent; de quo, ſi Medicus nihil ſciat, ſuſpicetur, aut exquirendo comperiat, fruſtra, aut ſane cum longe minore ſucceſſu, aliis ſubſidiis utetur: cum contra, tum ex hoc fundamento, tum etiam ex directa efficacia ipſius remedii, ſæpe numero affectibus talibus, alias valde pertinacibus, commodiſſime ſuccurri poſſit.

CAPUT. V.

Cohortatio ad uſum remedii hujus introducendum.

Ingens Rei Medicæ calamitas eſt, quod Studioſi quidem vel vanis oſtentationibus, traditionibus, transſcriptionibus, autorum decipiantur; vel ſpecioſa quidem, verum interim inani ſpe lactentur, quaſi maxima farrago exquiſitiſſimorum remediorum, ad quam plurimos morbos ita abundet, ut vel copia nauſeam faciat, ſive ut vernacula dicimus: *daſs einem die Wahl weh thue*; interim, quando jam non amplius de *perſuaſione*, ſed de *ſucceſſu* & *effectu* ſermo oritur, tanta ſæpe numero *penuria*, *anguſtia*, imo *deſperatio* ingruit, ut non modo ægri patientia, ſed & Medici ſpes, undique decollent. Gloriantur interim & jactant ſeſe *Empirici*, circa unum aut alterum affectum, unico forte, & ſæpenumero *ſimplici*, medicamento, feliciorem effectum perpetrantes, quam *Medicus* univerſa ſua *ſpeculatione* & *ubere* remediorum cenſu, aſſequi poſſit.

Maxime itaque commendabilia cenſemus talia medicamenta, quibus *certius* fidere licet, & de effectu ſecuriorem eſſe.

Annumeramus huic cenſui, optimo jure, *uſum hirudinum*, de quo tantum apud nos ſilentium hactenus fuiſſe, tanto minus quidem miramur, quoniam *hæmorrhoidum* quoque, vix leviſſima mentio apud *autores*, & ipſos *practicos*, occurrebat. Quemadmodum vero ſperamus fore, ut *artis*, *proximi*, & *conſcientiæ* ſuæ amantes, ea accuratius perpendant, quæ hactenus prolixe dicta ſunt, a me Diſputationis Præſide, de *motu* ſeu *eluctatione* ſanguinis *hæmorrhoidali*, per *hæmorrhoides externas* & *internas*; & de hinc pendentibus multiplicibus, pathematibus *ſpaſticis*, tam *hypochondriacis*,

driacis, quam *arthriticis*, *podagricis*, *nephriticis* : ita confidimus etiam tanto magis, remedia, *hæmorrhoidalibus motibus* efficaciter ſubvenientia, tanto magis conſiderationem promeritura.

Inter quæ, cum princeps ſint ipſæ hirudines; (præcipue ad tales hujus generis affectus, qui jam jam, ſive actuali *exitu*, ſive ad minimum repetito pertinaci *decubitu* & contumaci *molimine*, *conſuetudinis* haud levia rudimenta jam jam ſubierunt) tanto magis in uſum hunc trahi merentur.

Quanquam enim nos, ſi quisquam alius, ab *aſſuefactione* medicationum, omni modo alieni ſimus, novimus tamen ſimul, graviſſimum illud *offendiculum practicum*, quod ſæpenumero improvide timeatur, ne patiens *ſervitutem* alicujus talis evacuationis in ſe ſuſcipiat, quæ tamen *rarius iterari*, *cito perpetrari*, & tamen *plurimum perficere* valeret: dum interim, ex vano talismodi metu, ab utiliore remedio, ſub hoc prætextu, abſtinentes, ægrum non modo in *ſervitutem fruſtranearum*, *diuturnarum ſumptuoſarum* medicationum, devolutum, quotidie videmus: ſed & inſimul, magis magisque, in veram *ſervitutem* magis magisque *aſſueſcentium*, & ob *leves* cauſas, *recrudeſcentium* talium affectuum, provolutum deprehendimus, & negare non valemus.

Unde, ſub hac *cautela*, *ne temere & promiſcue*, & *propter leviſſimas quasque indicationes*, ſuſcipiatur & repetatur *hirudinum uſus*; ſed ad *juſtas indicationes*, & ante omnia *præmiſſis univerſalioribus*, & *ſubjunctis*. atque *interpoſitis* etiam, aliis convenientibus medicamentis, introductionem *hirudinum* in noſtris quoque regionibus, maxime commendamus.

CAPUT. VI.

Impedimenta quædam diluuntur.

Ne diſſimulando, negligere & præterire videamur *dubia*, quæ contra uſum hirudinum ab aliquibus moventur, placet paucis illa quoque excutere. Inſurgunt nimirum, pars contra univerſum negotium *in genere*; pars contra *hirudinum* adhibitionem in ſpecie. *Primi* generis ſunt, qui *hæmorrhoidum* apertionem *in genere* ſuſpectam habent; tanto magis vero evacuationem earundem etiam *non protuberantium*, averſantur, ne *conſuetudo* inducatur.

Inter hos præcipue eſt *Trincavellus*, qui *lib. X. de Rat. Cur. Partic. Affect.* Cap. 14. cum *hæmorrhoidum* provocationem, potius victu moderatiore, & *exercitatione*, compenſari poſſe, arbitratus eſſet; mox tamen jam *aſſuefactas*, omni modo in ſucceſſu ſuo conſervandas

das cenſet, & huic ſcopo commendat *herbas, parietariam, mercurialem* &c.

Denique nihilominus denuo quaſi dubius; in *hirudines* quidem præcipue invehitur: interim tamen *aſſuefactionem* quoque ſic facile eventuram, ſuſpicatur: ultimo tamen quaſi denuo in ſolas *hirudines* rem rejiciens, damnat, quod non modo *nigrum* & excrementitium ſanguinem (qui ſolus, per *hæmorrhoides* utiliter evacuetur) ſed etiam *floridum* & *utilem* exſugant. Quemadmodum vero, quod *primum* attinet, nemo facile nudam, & quaſi *temerariam* hæmorrhoidalis fluxus non modo *provocationem*, ſed & *repetitam* hanc, ſive *aſſuefactionem*, citra *indicationem* ſonticam, approbaverit; ita ubi talis *indicatio* ſubeſt, aut omnino jam actualis *aſſuefactio* aliunde præceſſit, tunc *indicationi* quidem citra intentionem *aſſuefactionis*, ſatisfacere decet: *conſuetudini* vero ipſi proportionate ſuccurrere (quod quidem autor per *repetitam ſcarificationem* efficere ſperat, ſed in vitiis hæmorrhoidum *externarum, difficulter* quidem, *internarum* vero *nullatenus*, obtinetur.) Interim nequaquam utique oblivisci fas eſt, quod tum locus *Hippocratis* ac autore allegatus, (quo non niſi *nigrum* ſanguinem κάτω ſecedentem probat) de *conſueti* fluxus colore, intelligi non poſſit: ſiquidem *praxeos* hic imperitum eſſe oportet, qui neſciat, quod *conſuetudinalium* hæmorrhoidum ſanguis, *floridus* utique & *fluidus*, & qualis alias in talis ſubjecti univerſo ſyſtemate eſſe ſolet. Sed ex eadem *experientia practica* & illud memori mente tenendum quod nullæ hæmorrhoides, niſi ejuſmodi *conſuetudinales*, ſive tantum *eluctari*, ſive actu *erumpere* diutius *ſolitæ* ſint, ſubſidium *artificialis* ventilationis maxime efflagitent, aut his deſtitutæ, graviſſima damna corpori inferant.

Hirudines vero *in ſpecie*, pro hoc ſcopo, non probat autor, *primo*, quia *veteres* nullam hujus remedii mentionem fecerint: *Secundo*, quia *floridum* quoque ſanguinem educant. Quemadmodum vero illud *autoritatis* præjudicium, in ſe parvi momenti eſt, quaſi nempe nulla enchiriſis, quæ *veteribus* ignota fuit, in uſum trahi mereatur: ita in hac quoque parte, erudite ſatis contradicit *Zacutus* M. P. H. *lib.* I. *Hiſt.* 4. Cum nempe *Trincavellus* dicit: Novum eſt *juniorum* (*recentiorum*) Medicorum inventum, quod ad aperiendas provocandasve hæmorrhoides utamur *hirudinibus*: non enim memini ejus eſſe mentionem factam ab aliquo *Græcorum* aut *Arabum* Medicorum: ibi *Zacutus*, tum ex *Actuario*. lib. 3. *Method. Cap.* 3. & *lib.* 4. *Cap.* 6. diſertis verbis hujuſmodi medicationis factam mentionem profert: tum ex libro de *Dynamid*, qui *Galeno* tribui ſolet, *ſanguiſugarum ano imponendarum*, conſilium allegat: imo vero ex ipſo *Plinio lib.* 32. *Cap.* 10. *hirudinum* uſum jam tum quoque notum fuiſſe, probat.

Poſt

Poſt hunc, inter *recentiores Valæus*, in methodo medendi, uſum hirudinum minus probare videtur, dum (1) ſimplicem *evacuatorium* per ipſas effectum, præ *venæſectione* & *ſcarificatione* contemnit; (2) ad effectus vero *ſpecialiſſimos*, ubi *venæſectio* & *ſcarificatio* minus commode celebrari valent, ſuſpectum reddit uſum ipſarum, maxime propter metum *malignitatis* alicujus, quam *morſus* ipſarum poſt ſeſe relinquere poſſet.

Sed quoad *primum*, *promiſcuum* uſum, & præcipue *venæſectionis* aut *ſcarificationis vicarium*, nemo facile urgebit: ſed unice alterum illum, ubi hirudines venæſectioni & ſcarificationi manifeſto *antecellunt*.

Secundum vero, niſi *endemium* quiddam ſit, ſive ab illorum locorum *hirudinibus* ſævioribus, ſive ab *hominum* ſpeciali conſtitutione dependeat, ſane *praxi* contrariatur; ſiquidem in iis locis, ubi in *perfrequenti uſu* ſunt hirudines, nihil tale facile evenire, ſatis certum eſt, dummodo *applicatio* & *remotio* ipſarum, provide adminiſtretur, & *ſelectæ*, atque aliquandiu *aſſervatæ* in uſum trahantur. Ante omnia vero conducit maximopere, imo neceſſarium eſt, ut ante uſum harum corpus legitime *præparetur*, ne impetuoſus affluxus temere provocetur.

Sub tali *circumſpectione*, *utilitatem hirudinum*, PRAXIS ſemper confirmabit, eoque nomine uſum earum efficaciſſimum iterum iterumque commendamus.

FINIS PARTIS VI.

DISPUTATIONUM

A D

H I S T O R I A M

E T

CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM.

PARS SEPTIMA;

PRIORUM VOLUMINUM

SUPPLEMENTUM.

AD MORBOS CAPITIS.

CCXLVII.

GUSTAV. CASIMIRI GAHRLIEP,

DISSERTATIO

CUI TITULUS

VIRI EX LAPSU LENTE DEFICIENTIS CASUS.

Leid. 1662.

§. I.

MEDICUM eſſe puto, in omnes quas libitina ferox valetudini humanæ ſtruit inſidias oculorum pariter & mentis ſtringere aciem. Æquum nimirum, ut qui pro ſanitate mortalium indefeſſas ſatagere cenſetur excubias, omnibus quibus in ea vaditur tempeſtive, quoad fieri poteſt, occurrant inſultibus. Cum tot ultima rerum linea proſperitati huic unicæ atque ſummæ intentet laqueos, ut vix pedem in calamitoſo vitæ proferamus ſtadio, quin illius ſubinde irretiti pedicis, identidem cœſpitantes, ruinam tandem incurramus inevitabilem; imo quilibet quaſi greſſus in propriam conſpirans perniciem, novas hoſti huic crudeli machinas ſuppeditat, quibus auream invadat & evertat ſalutem. Quotidiana, ne dubitemus experientia, varia nobis indies ſuggerit argumenta, quibus noſtra excitentur & exerceantur ingenia. Quæ quo magis nova minusque obvia eo majorem requirunt eorum qui ad medicam aſpirant artem, inveſtigando induſtriam atque ſollicitudinem.

§. II.

Inter rariora, quæ hoc tempore ſub ingenii pecudem revocari poſſunt, atque non immerito debent, ſequentem qui diſcurſui

huic materiam ſuggeret, caſum abſtruſum æque ac periculoſum, Medica conſideratione non indignum judicavi. Ejus itaque hiſtoriam primo nude proponam, tum in ea, quæ circa illum in diſquiſitionem venire poterunt, paucis inquiram.

§. III.

Vir quidam, triginta circiter & octo natus annos, lanificio deditus, decem abhinc menſibus, Antwerpia, quo cognatos viſendi ergo ſe contulerat, cum uxore redux, in itinere non ferens anguſto navigii alveo includi, tabulatoque prohibitus, quo liberiori frueretur aere & proſpectu, ſcalarum quibus ſuperior navigii contignatio ſcanditur, extremis demum gradibus (monitu uxoris) innitens, dum reciproco nautæ curſu adverſi vim venti eludunt, navisque proinde in oppoſitum latus inclinat, improviſus retro una cum ſcalis ſternitur, atque caput adverſo navis parieti allidens demortui inſtar ſupinus cadit, perque tres circiter horæ quadrantes immobilis, nulla fere ſenſus motusque indicia præbens, niſi quod circa initium uxori caſum lacrymis atque ejulatibus proſequenti, nihil ſibi factum diceret, oculis clauſis ſine ullo vitæ ſuperſtitis argumento jacet.

§. IV.

Tandem ſibi redditus, quid actum quærit ac reliquum navigationis tempus ebrii inſtar quo in loco verſetur ignarus, ſæpius idem ab uxore percontatus, tranſigit.

§. V.

Mox finita eodem die navigatione, dum pedem terræ infert, altius utrumque quolibet greſſu adtollens, uxori cauſam ſciſcitanti omnia prominere & verſus caput aſſurgere refert, deque capitis gravitate conqueritur: qui vertiginoſus capitis affectus in ipſo quoque morbi durat progreſſu, ut ad quemlibet paſſum caput verſus terram delabi, terraque oculos verſus adtolli videatur.

§. VI.

Interea domum reverſus, manum quidem operi ſueto applicat. Verum minori quam ante ſucceſſu; præter enumeratum enim capitis atque greſſus vitium pedetentim auctum, aliquem mox virium quoque lapſum ſentiens, qui paulatim accreſcens in dies magis magiſque torpidum & ad labores ſubeundos ineptum reddidit.

§. VII.

§. VII.

Menſe uno alterove, inter lenta quidem at quotidiana malorum incrementa elapſo; tumor aliquis levis univerſum corporis habitum occupat, atque hypochondria imprimis leniter diſtendit. Quo aliquantiſper perſeverante, atque demum ſenſim ſubſidente, gravitas illa capitis tandem in dolorem faceſſit gravativum, quem corporis mox totius præcipue genuum moleſtia excipit, motus ſimul difficultate ſiniſtrum præſertim crus occupante.

§. VIII.

Quæ dein incommoda vires ſenſim acquiſiverunt eundo, donec ante aliquot ſeptimanas, motu in ſiniſtro tandem crure plane ſublato, ſenſuque pariter torpente, dextrum quoque in dies magis magisque debilitatur, ſimulque immenſis torquetur cruciatibus, robur lumborum omne flacceſſit, atque regio illa, ut ægri verbis utar, aſſeri quaſi affixa flectendo impar redditur, adeo ut non niſi aliorum adminiculo, ſumma cum moleſtia in lecto erigi, deque latere in latus provolvi queat.

§. IX.

Dolori interim in dies tam in capite quam in reliquis partibus, præprimis Hypochondriis ac utroque genu immenſum aucto, jamque non gravativo ſed lancinanti, accedit ſtuporis aliqua in univerſo fere corporis ambitu ſpecies: tactus nimirum ſenſus in ſuperficie corporis vitiatus & fere ſublatus, ut, ſi crus cruri applicet alterum ab altero non percipiatur, ejusque loco formicationis, uti vulgo vocant ſenſum, aut innumerarum acicularum cuſpides carnem terebrantes pati videatur. Præterea alvus ſegnior vix pluribus diebus ad officium redit: ſphyncter muneris quoque ſui immemor, urinam turgentem ſanorum, qua colorem, conſiſtentiam & contenta non abſimilem, rarius & non niſi cum difficultate emittit.

§. X.

Appetitu licet aliquatenus adhuc conſtante, nec etiam ventriculo pro tempore aſſumta alimenta ægre ferente; macies tamen & aliqualis atrophia totum corpus, præcipue vero debilitatas partes invadit, malumque in dies in deterius ruit, atque exacerbationes ejus aeris æmulantur viciſſitudines.

§. XI.

Frigoris ab ambiente in regione lumbari, & dolorum augmenta tanta ſunt, ut ſi paululum a foco recedat, atrociæ eorum fere penitus ſuccumbat vixque ad ſe redire poſſit.

§. XII.

Hoc rerum ſatis miſero ac deplorato prope ſtatu noſocomium illatus, examini ſe practico atque curæ ſubmittit, ac licet re accuratius perpenſa, ſpes pauca vel omnino nulla affulgeat, non tamen omittuntur quæ aliquam levaminis fiduciam polliceri videntur; verum irrito fere effectu.

§. XIII.

Nec alvus præter naturam aſtrictior lenientibus & purgantibus, nec veſica ſegnior ſuis excitatur remediis.

§. XIV.

Hydrotica ſudorem quidem copioſe movent, ſed ſymptomatum levamen nullum adferunt.

§. XV.

Quin dolor potius, qui ante in occipite ex gravativo in lancinantem tranſierat, jam rurſus findens, atque mox cum ardore pulſans, quem fabrilis officinæ nomine æger exprimit, per intervalla immenſum cruciat, mentemque quadantenus alienat.

§. XVI.

In abdomine tormenta potius quam tormina, ab hypochondriis ad os uſque Iſchii penetrantia omnia quaſi viſcera in nodum colligare videntur.

§. XVII.

Mox & dextrum crus motu carere incipit, non tamen perinde ſenſu, quin horrendis cruciatibus, genu præſertim affligitur. Siniſtrum latus totum paralyticum quaſi, ſenſu motuque maximam partem deſtitutum.

§. XVIII.

§. XVIII.

Tandem ne ventriculus quidem officium ſuum facit, ſed medicamenta aſſumta reſpuit. Dolores immenſi nocte dieque affligentes ſomnum omnem excutiunt.

§. XIX.

Ac licet a mixtura roborante & anodyna aliquando paululum quieverit, indéque pulſus ante debilis admodum, vixque tactui obvius, paulo liberior redditus, dolores in partibus antea ſtupentibus recrudeſcentes, atque ſpaſmi aliqua in ſiniſtra manu, motus omnis eo tempore experte, apparens ſpecies levem aliquam levaminis ſenſuſque ac motus redeuntis ſpem facerent, omnia nihilominus reliqua ſymptomata in deterius vergentia, coxæ & cæteræ corporis quibus incumbit partes excoriatæ atque gangrena correptæ, puſtulæ in excoriatarum ambitu flavæ, pectus lividis obſitum maculis, oculi rectilantes vagi & inconſtantes, mens mota, reſponſa incongrua, vox atque loquela vitiata, reſpiratio, quæ per totum morbi decurſum difficilis, jam ſuſpirioſa & interrupta, omnem rurſus ſpem tollunt.

§. XX.

Imo mors duodecim circiter dies cum vita conflictata, tandem ejecto hoc hoſpite gratiſſimo, omnibus excruciatum modis occupat.

§. XXI.

Corpus anatomico ſubjectum ſcrutinio nullum partis affectæ manifeſtum præbet indicium, licet quàm diligentiſſime tam in ipſum cerebrum quam in lumbares ſpinæ dorſi vertebras fuerit inquiſitum, niſi quod, quo loco ductus bilaricus cum pancreatico in inteſtinum duodenum inſeritur, nigredine præter naturam fœda, cruentaque non inteſtini modo qua ad pylorum aſcendit interioris tunicæ ſuperior, ſed & ea quæ immediate pylorum ſequitur ventriculi pars inferior corroſionem, adeoque humorum illic confluentium acrimoniam incuſent.

§. XXII.

Caſus certe, qui, licet prima fronte non adeo gravis, utpote, qui ex imis tantum ſcalarum gradibus contigit, nec ob id ſollicita medici cura dignus videri potuerit, re ipſa tamen & eventu heu, nimium difficilis ac calamitoſus: documento eſſe poſſet longe certiſſimo, quam ſit

ars

ars noſtra hactenus incerta, quam dubiis initatur talis: ut ſæpe numero nos, meris tantum conjecturis, iiſque ut plurimum fallacibus & incertis implicitos, & ratio deſerat & experientia.

§. XXIII.

Neque tamen ob id deſpondendus animus, ſed quo res magis ardua, latentem eruere certitudinem, eo in adverſum majori nitendum conamine.

§. XXIV.

Ergo ut in caſu hoc abſtruſo, atque recondito, quem enucleandum ſelegi, juxta aliquid tentem methodo, cum præter contentorum acrimoniam nil oculis noſtris ſubjecerit anatome, hoc tanquam indubio præſuppoſito ex iis, quæ tum ipſius ægri, tum uxoris ejus relatu innotuerunt, una junctis ad ea, quæ ſenſum noſtrum fugiunt procedens, illi quæ ſuprema facile praxeos dogmaticæ lex eſt, ut ex iis quæ experientia conſtant, quæve oculis hauriuntur & auribus, ea eliciantur, quæ ſola ratione percipi poſſunt, me ſubjiciam.

§. XXV.

De certo aliquo & definito morbi genere aſſignando, quæ prima nonnullorum ac præcipua in tractatione ſolet eſſe cura, ſollicite non laborabo: in ea enim ſymptomatum congerie, qua omnes fere totius corporis functiones læſæ deprehenduntur, ad certum aliquam morborum claſſem affectum adeo intricatum reducere qui voluerit, laterem proculdubio lavabit. Prout & retrogradi mihi videntur omnes illi, qui certo morborum numero conſtituto, quæcunque homini præter naturam obveniunt, ad natam hanc in cerebro ſuo cynoſuram exigunt, omniaque affectuum quorumcunque phænomena, imo naturam aliquatenus ipſam ſuis ſervire volunt arbitriis, ne dicam deliramentis. Cum autem, ut ad noſtrum revertar propoſitum, præcipuum in noſtro ſenſi[illegible] læſis ſitum ſit hujus mali ſymptoma, ſi quis ad paralyticos affectus quadantenus referre voluerit, non repugnabo, dummodo meminerit plurima in hoc affectu occurrentia nihil plane cum paralyſi commune habere.

§. XXVI.

Nomen aliquod ſpecialius aſſignare operæ pretium non puto, cum non opus ſit, de nomine anxium eſſe atque ſolicitum, dummodo de re conſtare poſſit. Miſſa ergo curioſa potius, quam neceſſaria & ad criti-

cos

eos releganda ſollicitudine, ad rem ipſam inveſtigandam properabo. Rectius enim mihi & via magis tuta progredi videntur, qui à ſymptomatis ceu magis obviis ad morbos eorumque nomen, naturam & cauſas indagandas procedunt. Qua in re cum Clariſſimus Platerus nobis præiverit, æviternam nominis meretur celebritatem.

§. XXVII.

Pleraſque ſi non omnes functiones, humani corporis in hoc ſubjecto vitiatas fuiſſe, accuratius, aliquanto miſeram rerum illius, in qua toto morbi ſui tragico proſcenio verſatus, faciem intuenti, facile patebit. Quod ut obtineam, compendioſe præcipuas, ſi non omnes quarum læſio vel ſenſibus vel rationi pervia, luſtrabo, & quidem eo quo communiter enarrantur ordine.

§. XXVIII.

Inter naturales (liceat ita, ne veterum plane exulent nomenclaturæ, cum vulgo, licet, minus apte loqui) appetitus, alimentorum in ventriculo retentio, digeſtio & in inteſtina excretio, licet inter initia & in ipſo morbi progreſſu videri poſſint talis ſibi conſtitiſſe, diverſum tamen patebit in ipſa deductione, in poſtremis autem plane vitiata fuiſſe vomitus aſſumtorum, nauſea, & ſimilia teſtantur ſymptomata. Alimentorum in inteſtinis ſecretionem, qua ex recentiorum obſervatione effervescentiæ ibidem ſuſcitatæ debetur, non ritè ſæpius, imo fere ſemper factam, tumor docet hypochondriorum, ac dolores abdomen torquentes; excretionem ſecretorum tam alvi quam veſicæ vacillaſſe ipſa docet ægri relatio. Earum, quæ ad rite obeundas has functiones requiruntur, labes, quæ miniſtræ aliqua dici poſſunt ratione, qualis eſt alimenti aſſumendi in ore per ſalivam præparatio, fermenti propagatio, bilis & reliquorum humorum ad effervescentiam illam & ſecretionem requiſitorum generatio & affluxus in inveſtigatione cauſarum ſe prodet.

§. XXIX.

Vitales, quæ mihi in ſanguificatione debite procedente, diſtributione ſanguinis & applicatione conſiſtunt, pulſus plane à naturali ſtatu ſecedens, frequentior debito, exilis atque debilis, adeo ut plurimum vix ſenſu potuerit percipi. Reſpiratio immane quantum læſa, corporis totius ingruens Maraſmus ſatis loquuntur.

§. XXX.

Animales, quas eas, omnes eſſe puto, quarum ad exſequutionem immediate anima corporeis videtur uti pro lubitu organis, tum illas, quæ minus principes vulgo audiunt, motum nempe atque ſenſus tam internos, quam externos atque hos inter primario tactum, quam quæ principes dicuntur, ſi non ſublatas in totum, uti motus, vitiatas tamen & imminutas ex parte aut depravatas, dolores in univerſo corpore urgentes, ſtupor, fornicationis ſenſus, oculi vagi & caligantes, reſponſa abſona, deliri geſtus & ſimilia docent.

§. XXXI.

Quæ cum ita ſint; non immerito quæritur: quæ tot tantorumque ſymptomatum cauſa fuerit? Dicam quod ſentio: vitium in ſpirituum animalium generatione & diſtributione. Sed unde illud? Ut paucis multa in ſequentibus latius deducenda complectar: uno verbo: cecidit. Qua autem ratione ex caſu illo hoc in ſpirituum animalium generatione ac diſtributione vitium, atque ex eo, omnia illa accidentia deduci poſſint, hic *Rhodus* erit, hic ſaltus. Maxima quæ me urget difficultas eſt, quod in cerebro diſſecto nullum, quod quidem incuſari poſſit manifeſtum deprehenſum fuerit vitium, omnia ad ſenſum ſatis integra, omnia ſatis firma atque ſolida: niſi liquorem quis, tam in ipſis ventriculis repertum, quam, inter ipſas, craſſam puta tenuemque, menynges, aut ſeceſſum lymbi ſpontaneum à radice ſpinalis medullæ allegare velit, quæ tamen, illum quidem etiam in ſanis ſæpenumero his præſertim in regionibus cerni, hunc vero pondere ipſius cerebri, cranio profundius ablato, propendentis cauſatum, nil præter ſolitum oſtendiſſe fidem faciunt. experti.

§. XXXII.

Ardua ſane res & intricata. Verum qui circulum rerum in corpore exſiſtentium conſiderat, tandem licet non ſine inſigni difficultate aliquatenus ex labyrintho hoc ſeſe extricabit, ſed Ariadnæo opus eſt filo, ordine puta, qui nobis in ſymptomatis enucleandis. ab animalibus ad reliquas functiones deſcendendo, retrogradus erit, in cauſis inveſtigandis ab ovo rem auſpicaturis.

§. XXXIII.

Prima ergo, antecedens, evidens & externa cauſa uti dictum caſus eſt. Primum quod paſſus ſymptoma ſpecies aliqua fuit ſyncopes, aut

aut lypothymiæ ſatis fortis. Speciem dico ſyncopes aut analogum potius veræ lypothymiæ, cum in vera lypothymia non cerebrum, neque primario cor, ſed orificium ventriculi ſuperius affectum eſſe, ut rationes taceam, propria me docuerit experientia; nec ſi rem exactius examinemus, mens huic penitus mota, cum uxorem lamentantem ipſo emotionis tempore audierit atque conſolatus fuerit, ſed mentis tantum organa turbata, atque ad ſenſum motumque plene exercendum inepta reddita fuerunt.

§. XXXIV.

Cùm igitur quid in caſu illo factum fuerit, unde tale quid ipſi acciderit, pro certo ſtatuere non poſſim, videndum erit, quid fieri potuerit? Cecidit autem & occiput oppoſiti in navigio lateris alliſit tigno, eoque ipſo humi proſtratus fuit. In hac occipitis alliſione cerebrum procul dubio violentam paſſum concuſſionem, qua ipſa cerebri ſubſtantia forte pondere ſuo ad partem cranii poſticam alliſa conceſſit, qua ratione non ſolum ſpiritus eo ipſo momento in cerebro ſequeſtrati, excuſſis animæ habenis, quibus eorum moderatur officium, præter ordinem in nervos expreſſi, vel etiam, quod magis mihi vero videtur ſimile, conniventе in concuſſione illa ſatis violenta tam ipſius cerebri quam nervorum molli ſubſtantia, influxus ſpirituum in ſpinalem medullam & nervos fluxus ex parte impediri potuit; ad hæc vaſa omnia, tum illa quæ ſanguinem advehunt, arteriarum nimirum, tum carotidum cum cervicalium propagines, quam illa per quæ revehitur. Sinus ipſi craſſæ menyngis utrinque ad latera & inter cerebrum & cerebellum lati, vaſcula in ſinus ſanguinem à nutritione cerebri & ſpirituum animalium ſegregatione reſiduum exonerantia comprimi, eaque ratione affluxus ſanguinis ceu ſpirituum generandorum materiæ ad tempus ſufflaminari potuerunt; unde non mirum, ſi impedito ſpirituum animalium, unde meo ſaltem judicio ſenſus omnis & motus pendet, influxu, turbata ad tempus univerſa corporis œconomia, non hæc modo mentis quaſi emotio aliquantiſper tantum durans, ſed cætera quoque longe difficiliora cum tempore orta fuerunt ſymptomata.

§. XXXV.

Hanc autem in cerebro ex concuſſione mutationem & ad functiones, quibus a ſapientiſſimo noſtrum opifice inde a primo ortu dicatum eſt, obeundas ineptudinem obortam evincit principum animæ functionum, judicii nimirum ſive ratiocinationis, imaginationis, atque memoriæ læſio, dum ſibi reſtitutus, quid factum, quo in loco ſit, quorſum tendat, ignorat, & ab uxore iteratis idem vicibus, quid modo quæſierat, quodve

reſponſum tulerat oblitus, rogat, & ebrii inſtar reliquum navigationis tempus inclamat: viceque verſa hæc rurſus longe commodiſſime ex organis, quibus anima in hiſce functionibus obeundis utitur, concuſſis, compreſſis, aut quocunque modo tandem, (quem, quoniam ne ex ſectione quidem patuit, me latere, non diffiteor) ad officia ſueta ineptis deduci poteſt.

§. XXXVI.

Ex eadem hac cerebri aliquali, licet levi & oculos fugiente ſubſidentia, vertiginis illa ſpecies, qua caput antrorſum prolabi, terræque ſuperficies eminere videtur, non inepte poteſt colligi. Quod enim plurimis aliis corporibus, quæ inter liquida ambigunt & ſolida, ſi aliquanto vehementius conquaſſentur accidere ſolet, ut in ſe concidant, ſubſideant, adeoque minus quam ante ſpatium occupent, idem cerebro quoque ex concuſſione illa violentiori analoga quadam ratione obtingere potuit, ut partibus cerebri in ſe aliquantulum recedentibus, ſpatiolum exiguum inter utramque menyngem reliquerint, in quo ad quemvis greſſum motitari (unde caput prolabi) nervique optici, & fortaſſis ſimul ipſius quoque oculi aranea, quæ dicitur, tunica, quæ ob officium, quod cryſtallino obducta humori, ceu bractea ſpeculi vitris, præſtat, ſpeculum audit, in quo nimirum objectum viſionis repercutitur, retrahi poſſint, quibus ceu centro, in quo radii objectæ ſuperficiei coire debent, motis terræ ſuperficies quæ potiſſimum viſus in greſſu objectum, moveri & pro diverſo capitis atque cerebri nutantis motu adtolli deprimive videatur. Advertendum tamen, ne quis adeo me ineptum putet, ut ſupera inferis in conquaſſatione illa mixta velim, vel minima enim ſubſidentia quæ receſſu ſuo interſtitio illo, quod naturaliter inter tenuem craſſamque menyngem deprehenditur vel tantillo majus concedit, motui huic ſufficiens erit, ut moto illo centro ea quæ in peripheria ſunt, multis numeris motum in centro factum excedere videantur, quod e ſpeculo radios ſolares excipiente & circum circa longe lateque ſpargente vel vulgo notum eſt. Magna certe læſio nec eſſe potuit, quæ oculorum effugit aciem, nec debuit, quæ tot menſium ſpatio demum ad metam ſuſpenſo quaſi gradu contendit.

XXXVII.

Huic denique cerebri etiam leviſſimæ concuſſioni debetur illa, quæ ab ipſo lapſus puncto toto morbi tempore ægro moleſta fuit capitis gravitas; nam ut taceam, eam quæ a ſubitaneo aliquo eſt fortiori aliquanto membri alicujus motui alias dicati & per aliquod tempus non exerciti, brachiorum puta aut crurum, motu in muſculis ſentitur, gravitas & moleſtia, qualem in hac parte a motu plane aliena, violenter contra natu-

ram

ram mota ſuſcitatam concipere non plane ineptum foret. Quid obſtat, quo minus conjiciamus, illam quæ inter utramque menyngem, craſſa diſſecta, apparebat, ſeroſam materiam, loco quo craſſa menynx cerebrum a cerebello diſtinguit, ſub illo penetrantem, non eam tantum capitis generaſſe gravitatem, quam in aliis, qui de dolore ejusmodi ad ipſum uſque vitæ terminum conqueſti, a ſimili humore excitatam, artificioſus clariſſimi Dn. F. Sylvii, Medicinæ in hac Academia Practicæ Profeſſoris publ. longe Celeberrimi, Præceptoris & ſtudiorum meorum Promotoris nunquam non Venerandi cultellus anatomicus ſæpius oculis noſtris uſurpandam dedit, quæque noſtrum ab ipſis morbi incunabulis afflixit ægrum; ſed & aucta datis ſudoriferis, ſolutisque hac ratione ac motis in corpore humoribus, copia illud quod occuparat inter cerebrum & cerebellum implendo atque diſtendendo intervallum, findenti quem poſtea ſenſit dolori cauſam fuiſſe.

§. XXXVIII.

Imo ſi quis, accumulato hoc tractu temporis humore, vaſa illic loci ſuperficiem cerebri lambentia ac ipſos ſinus compreſſos, ſtagnationem ſanguinis tam affluentis quam refluentis, adeoque inflammationis primordia pariendo, dolorem, quem fabrorum in opere verſantium officinæ comparare ſolebat æger, pulſantem ſuſcitatum voluerit, bellum ipſi non facile movebo, qui cum illis libenter facio, quibus inflammationem, non ſemper in extravaſatione ſanguinis, ſed nonnunquam in ſola ſtagnatione, humorumque ſtagnantium corruptela conſiſtere vaſcula illa, omnem alias viſum fugientia, quæ ſanguine turgentia in oculorum inflammatione cernuntur, evincere videntur: licet non negaverim ſtagnationem ejusmodi ſæpenumero vaſorum rupturam adeoque ſanguinis extra vaſa effuſionem inducere.

§. XXXIX.

Hæc prima mali incommoda ſequutus virium lapſus paulatinus, non immerito conſiderationem noſtram a tramite, quo hactenus ingreſſi ſumus recto, paululum ſevocat, ut quid virium nomine venire debeat, quæque vires integræ ſint atque proſtratæ prius inquiram, quam in cauſis harum inveſtigandis pergam. Neque enim hactenus ex ſcriptis eorum, qui primam & præcipuam in omni morbo indicationem, virium conſervationem eſſe, uno ore inculcant, quid proprie vires ſint & in quo conſiſtant, diſcere licuit.

§. XL.

Optimo autem jure illos, qui in naturæ ſcrutinio plus propriæ fidunt induſtriæ, quam aliorum decretis, virium integritatem ex functionum non modo vitalium, quæ pulſu vulgo dijudicantur, ſed omnium omnino, exercitio integro metiri puto. Proindeque vires nihil aliud eſſe cenſeo, quam eorum ad ritum functionum exercitium in corpore requiruntur, præſentiam integram, & e contrariorum regula, abſentiam illorum imo defectum unius aut alterius, quod ad functionum requiritur exercitium, virium introducere ruinam. Non, inquam; ſolum omnium functionum iu unum collectarum lapſu, ſed unius etiam aut alterius vitio, ſi ei in tempore non occurratur, labaſcat totum virium atque roboris opificium.

§. XLI.

Quod ut demonſtratum dem. Paucis videndum, quo nexu non functiones modo ſingulæ inter ſe communicent, ſed ea etiam, quibus anima (hanc enim omnium actionum tam naturalium quam animalium primam ſtatuo motricem & moderatricem) ceu mediis ad omnes functiones exercendas utitur. Illa enim omnia continua quaſi catena, ea tamen lege cohærent, ut ſi vel unus catenæ hujus vere aureæ ſolvatur annulus, rumpatur totum atque denodetur virium atque ſanitatis vinculum.

§. XLII.

Mutuis nimirum officiis naturæ, aut ſi mavis, ut decet, chriſtiane philoſophari, ſummi illius atque ſumme admirandi, omnium, quæ in natura rerum ſunt, imo ipſius naturæ architecti ſapientiſſimi decreto, humani corporis regitur œconomia, nec contenta magis ac ipſa continentia ab hac pro communi ſalute ſuſtinenda excuſantur ſollicitudine. Duo nempe hæc eorum quæ corpus conſtituunt, ſumma ſunt capita, ſub quorum inſignibus reliqua militant, quodque ab alterutro horum negligitur officium, in univerſi corporis cedit detrimentum.

§. LXIII.

Videamus in utroque genere principaliora, ſi omnia, compendii ergo non liceat, ut inde, quid ſingula in publicum conferant, eluceſcat, ſed brevibus, ut eorum uſu paucis perſpecto viam mihi ſternam ad cauſas non ſolum fractarum virium, ſed & reliquorum in progreſſu morbi emergentium ſymptomatum explanandas, una, ut vulgi verbium fert, fidelia duos dealbaturus parietes.

§. XLIV.

Præcipua continentium, quæ publicis deſtinantur muniis præter externam corporis compagem, in numero ſunt: caput & in eo cerebrum, pulmones, cor, lien, hepar cum cyſtide, pancreas, & cum eo univerſa glandularum tam conglobatarum, quam conglomeratarum cohors, tandemque omnium reliquorum promus condus, ventriculus; & quibus invicem communicant viæ publicæ, nervi, arteriæ, venæ, cerebri ſinus, inteſtina, & moderni ſeculi inventa, lymphatica vaſa, venæ lacteæ ac utriuſque continuatus ductus chyliferus, ſive thoracicus, pancreaticus tandem, atque cholodochus uterque.

§. XLV.

Contentorum nomine veniunt: alimenta aſſumpta, chylus inde paratus, affluens huic tum pancreaticus ſuccus tum ipſa bilis, chymus ſive lacteus ille qui diſtributionis tempore per lacteas fertur humor, lympha quæ huic miſcetur, & cui uterque hic humor confunditur ſanguis, indeque ſecreta partim in ſalivalibus ſaliva, partim in ipſo cerebro ſpiritus animales, imo ipſa quoque excrementa tam alvi quam veſicæ, nam & horum ſi laboret ſecretio, incommodum in univerſum corpus redundat.

§. XLVI.

Singulis his, quæ partim antiquis nota, partim recentiorum induſtria ad oculum patent, fuſius explicandis inſudare actum eſſet agere. Quo autem ſingula modo ſuam in corpore ſpartam ornent, cum lucem inferius dicendis allatura ſint, non abs re fore arbitror, in tranſitu luſtrare.

§. XLVII.

Alimenta quæ nutritionis adeoque virium inſtaurationis materia, in ore maſticata ſaliva imbui, in ſtomachum mitti, concoqui, vel ut appoſite magis loquar, cum ignis coctioni ſufficiens deſit, digeri, aut ut aliis placet, fermentari, in inteſtinis ſecerni, optimam eorum partem in chymum, indeque in ſanguinem converti, per univerſum corpus diſtribui, indeque robur inſtaurari, vitam conſervari, ne veteribus quidem ignotum fuit.

§. XLIX.

§. XLVIII.

Qua vero cuncta ratione fiant, aut ignorarunt, aut ſi ſciverunt, quod ſane qui ſtatuunt injurii mihi in candorem illorum videntur, minus ſincere egerunt, quod non ſatis fideliter & dilucide relinquentes, fucum tot ſeculis fecerint.

§. XLIX.

Quæ noſtri ævi ſolertia innotuerunt propius puto ad ſcopum collineare. Ea enim detectis induſtria ſectione plurimis tam partibus quam ductibus, quorum apud veteres nulla plane mentio, merito aliam rerum ad vitæ conſervationem ſpectantium ſeriem ſuſpicata eſt.

§. L.

Solum illum & ſatis blandum, qui in corporibus vivis brutorum novacula ſubjectis deprehenditur, calorem cibis coquendis non ſufficere animadvertit; unde aliud quid inquiſivit, quod aptum eſſet alimenta a ſoliditate qua aſſumta gaudent, incidendo, attenuando in talem, quæ cibo jam digeſto apparet, tenuitatem transformare, idque fermenti naturam habere, non ſine ratione aſſeruit. Quid autem illud & unde oriatur res etiamnum valde controverſa.

§. LI.

Qui veterum de humore melancholico in liene ſeparando ſancitis etiamnum acquieſcunt, vas breve hactenus a liene ad ſtomachum acidi quid referre ſomniarunt, adeo ut ne Helmontius quidem, acutiſſimus qua cætera ſpeculator, ſe ab hoc præjudicio liberare potuerit, & fere perſuaſiſſet in aliis veterum placitis examinandis ſatis rigidi cenſoris authoritas, niſi diverſum curioſa clariſſimi Præceptoris mei prædicti indago oculis ſubjeciſſet, quæ vaſis brevis commentum adeoque omnem fere mihi, quam hactenus magni illius viri ſcriptis adhibui, fidem, oculata in locum ſubrogata, extorſit.

§. LII.

Obvium magis mihi videtur, fermentum hoc a ciborum, quæ in ventriculo ſemper poſt excluſionem reperiuntur reliquiis, reſiduam aliquam a cibis antea fermentatis, vim fermentandi poſſidentibus petere, quæ accedente ſaliva ſubinde deglutita augentur, atque blando viſceris ipſius

&

& circumjacentium calore ad eum aciditatis (quam ad incidendum & adtenuandum aptam ſpiritus acidi , qui corporum duriſſimorum compagibus ſolvendis adhibentur , docent) fermentalis gradus aſſurgant, qui non ſolum cibis impoſterum fermentandis , ſed etiam halitibus acidum ſpirantibus (quod vel e panificio notum) qui orificium ſuperius feriant, vellicent, triſtemque , quæ in appetitu naturali ſeu fame illic loci percipitur ſenſationem, efficiant, excitandis ſufficiat. Prolixius hæc proſequi poſſem, & qua ratione omnia quæ tam in ægris quam ſanis occurrunt, circa appetitum vel auctum vel proſtratum notabilia deducere, verum brevitas cui ſtudendum, præſertim cum ad rem præſentem abſolute non faciant, diverſum jubet.

§. LIII.

Comminutum in ventriculo cibum, & in inteſtina naturæ lege deturbatum, inibi effervеſcere ſedula Modernorum Anatomicorum experientia loquitur, qua autem ea effervеſcentia ratione contingat, non minus quam de fermentatione quæritur. Helmontius uti in aliis paradoxus , ita hic quoque felleum a cyſtide accedens fermentum fingit , non ipſam bilem; chylum nimirum in ventriculo fermentali aciditate inbutum, adventante novo hoc , uti barbare loquitur , blas fermentali , aciditatem in ventriculo contractam deponere & in ſalſum commutare , ſimulque ad ſequeſtrationem puri ab impuro diſponi aſſerit , quam vere ipſe viderit.

§. LIV.

Oculi ſaltem mei me docuere, bilem ductu aperto, qui ſtylum quoque ſatis magnum nonnunquam admittat, ad inteſtina ferri. An vero hæc ad occurſum chyli, an ſucci pancreatici, qui ductu ſatis aperto in eandem, qua cholodochus , inteſtini fiſſuram contenta ſua exonerat, cum ea concurſum , effervescat, donec de aciditate hujus , quem non niſi ſemel in vitulo inſipidum deprehendi, certiora me docuerit experientia meam non immerito ſuſpendo ſententiam.

§. LV

Suffecerit mihi & huic negotio, vel ad hujus vel ad illius cum bile concurſum (non enim propterea uſu ſuo deſtituetur pancreaticus) effervеſcere chylum , ac eas , quæ ad ſeparationem fermentatione ventriculi diſpoſitæ ſunt , partes in hoc contrariorum confluxu , velut in ſolutis ab acidis ſpiritibus cernimus, craſſiora a ſubtilioribus quaſi præcipitari. Non tamen adeo (cum non exacte pureque contraria , ſed mixta jam

& temperata aliis concurrant) ut omne quod in chylo eſt craſſum ſeparetur, humoremque plane limpidum atque clarum relinquat. Id enim ſi contingat, uti in noſtro ſubjecto ob auctam utramque concurrentium acrimoniam contigiſſe non levis ſuſpicio eſt, jam vitioſa fit in inteſtinis ſecretio omniaque ad nutritionem inepta redduntur; ſed partibus adhuc quibusdam craſſiuſculis relictis, continuante affluxu in hiantia lactearum viarum oſcula motu inteſtinorum periſtaltico exprimitur. Ubi ſuccum lacti ſimilem, quicquid in contrarium nitatur ſedulus alias atque accuratus Anatomicus Bilſius, colorem hujus lactis album a ſola violenta impulſione & conquaſſatione in ſpumam verſi roris ſui deducens, referre ac ne poſt diſſectionem quidem vaſis colorem effluendo mutare oculos, non meos tantum, ſed aliorum aſtantium, rem hanc, quam fieri potuit attentiſſime examinantium, in fidem ſecto cane vivo vocavi.

§. LVI.

Succus hic, quem ad differentiam a chylo nondum ſeparato chymum mihi appellare liceat, per continuatos viarum lactearum canales infinitas meſenterii glandulas tranſiens, in ciſternam, commune lymphæ e corpore redeuntis & chymi receptaculum, indeque per ductum thoracicum) cujus in jugularem ut plurimum, nonnunquam etiam axillarem venam aut in ipſum utriuſque interſtitium (ludit enim in his, uti in univerſo ductu & inſertionibus vaſorum lymphaticorum, natura multifariam) anaſtomoſis cum valvulis eam munientibus & influxum ſanguinis arcentibus, monſtrante non ſemel Clariſſimo Domino Sylvio, propriæque in vivis indagini patuit) perque jugularem in cavam, ad cor deſcendentem, venam, ſanguini per eandem à nutritione ſuperiorum corporis partium reduci mixtus confluit, atque in auriculam cordis dextram deſcendendo ventriculum dextrum intrat, ubi accedenti ab hepate per aſcendentem venæ cavæ truncum ſanguini, ab inferiorum partium alimentatione revertenti (duplicem enim auriculæ & plane diverſam dilationem unicam cordis contractionem ſubſequutam fuiſſe, in cane vidi) miſcetur.

§. LVII.

An interpolato illo ſanguinis diverſi affluxu, efferveſcentia ſuſcitetur nova? (Uti magnum docti hujus ſæculi lumen, magnis & prægnantibus rationum ponderibus motum ſuſpicatur) an prior in duodeno facta redintegretur ad caloris cordi congeniti ſenſum? Quod in artificialibus cernitur effervefcentiis; an nulla fiat? Hæreo; Quouſque enim de lymphæ qualitatibus, atque, bilis ad cor motu, certi quid iterata docuerit experientia, tale quid aſſerere, aut ab aliis non ſine ratione aſſertum in dubium vocare, temerarium foret, & in ingenium tanti viri injurium.

§. LVIII

§. LVIII.

Satis mihi hactenus fuerit, utrumque ſanguinem in ventriculo cordis dextro concurrentem, mediante arteria venaque pulmonari per pulmones circulari: ubi ab adtracto per reſpirationem aëre, vel, ut Helmontio viſum, ad promptiorem diaphoreſin eorum, quæ in nutritione à continua alimentorum applicatione ſuperſunt diſponitur, vel ut ii malunt, qui efferveſcentiam in corde novam ſtatuunt, ad refrigerandum eundem in corde ebullientem, ventilatur. Eaque via ad cor reverſum, utrinque tam dextro quam ſiniſtro ventriculo impleto, ipſiſque adeo cordis fibris extenſis, animalium ſpirituum influxum ſolicitare, ac motuum naturalium, à voluntatis arbitrio non pendentium, lege, ad ſucceſſivum contractionem & ſanguinis in arterias expulſionem irritare, atque vel hac ratione ad calorem cordi ab ipſa nativitate congenitum, motu iſto continuo in corpore ac humore in ſe calente conſervandum, ſymbolum hoce conferre.

§. LIX.

Expulſus in arterias cum impetu ſanguis motum illum, qui pulſus vulgo audit, atque unde virium communiter robur ac vitalium functionum integritatem metiuntur medici, arterias identidem implendo cauſatur, indeque per arterias partim in univerſam corporis peripheriam tendit, præcipuum illi, in quem omnes hactenus alimentorum mutationes conſpirarunt, uſum præſtiturus, alimentum nimirum omnibus tam ſuperioribus, quam inferioribus partibus, pro cujusque diverſitatis ratione, iis qui pinguiori gaudent pinguiorem, quam butyroſam nonnullis vocare placuit, qui ſolidiori, terreſtriorem ſui partem, caſeoſam aliis dictam, impertendo. Reliquæ ejuſdem partes in ſuis quæque viſceribus ſeparantur & in ulteriorem corporis uſum, deputantur.

§. LX.

Quamprimum enim cordis ſiniſtrum ſanguis ventriculum deſerit, altera ſui parte per ramum aſcendentem arteriæ magnæ partim ad manus & brachia aliaque pectoris ſuperioris, nutrimentum mittit, partim ad caput aſcendit atque in arterias tum carotides tum cervicales diſtributus, cerebrum petit. Ubi per ſuperficiem tam hujus quam cerebelli, quæ obſcurioris quam ipſa medullaris pars coloris, beneficio vaſorum lati ſubtiliſſima & maxime ſpirituoſa pars ſecernitur, ac a pinguidula cerebri ſubſtantia imbibitur & in ſpiritus animales faceſcit, cui aliqua ſui portione ad ſenſuum organa, alia rurſus in univerſum orpus delati, ſenſibus atque motui, nec non humorum, ſanguinis

 nimirum

nimirum, jam alterius, quam cum eidem adhuc permixti per arterias volvebantur, naturæ, bilis, ſucci pancreatici, lymphæ atque ſalivæ contemperationi, ad earum naturalem conſtitutionem neceſſario inſerviunt. Eos autem hoc nomine ad naturam ſpiritus vini ſubtiliſſimam accedere, aptam quæ per cerebri ſubſtantiam ſubpinguem, nervorumque poroſam, cavitate tamen notabili deſtitutam, penetrare, ſed & utrique tam lixivioſæ, quam acidæ acrimoniæ temperandæ, ſpiritus vini ad inſtar, ſufficere poſſit, colligimus.

§. LXI.

Altera vero ſui medietate per ramum aortæ arteriæ deſcendentem ad inferioris regionis tum viſcera tum artus fertur, inibique pro eorum diverſitate diverſas ſubit mutationes & ſeparationes, non nutritioni modo partium quibus allabitur, ſed communi quoque bono fervientes.

§. LXII.

Primum cui per arteriam, ſplenicam inde dictam, allabitur & vel hoc nomine non ignobile, aut ut veteribus viſum, cloacæ impuriorum ſanguinis partium deſtinatum, viſcus lien eſt, in quo ſi innumerorum omnis generis vaſorum ut & nervorum concurſum, atque plexum vere ſtupendum, ſi admirabilem ejus ſtructuram, ſi providam ſapientiſſimi opificis, tam firmiter ipſum in ipſis abditiſſimis ſiniſtri lateris penetralibus annectentis, & ab externis injuriis hac ratione munientis ſollicitudinem conſidero, fere inducor, ut æquum illi cum corde ſanguinis non quidem conficiendi ſed perficiendi tribuam officium, atque iis aſtipuler, qui ſanguinem inibi tum lymphæ connubio fluidiorem, tum ſpirituum animalium, quos copioſe illuc ferri innumeri, qui per ejus ſubſtantiam retis inſtar denſiſſimi complicantur, nervi docent, mobiliorem & ſubtiliorem reliquo corporis ſanguine, adeoque pluſquam perfectum reddi; quoad hepar per portæ ramum ſplenicum qui in tranſitu ſanguinem tum [à ventriculi (per ramum, cujus communis cum hoc lienari propagine truncus ſub ipſa pinguedine omenti latens, commento vaſis brevis, de quo ſupra, anſam dedit) tum a pancreatis nutritione, ſuccique pancreatici ſequeſtratione ſuperſtitem recipit] adductus atque reliquo qui per portæ venam ab inteſtinorum ac reliquorum viſcerum inferiorum nutrimento reſtat, ſanguini mixtus eum, ut per minimas quibus in hepatis ſubſtantiam porta diſſeminatur propagines facilius tranſire poſſit, cum fæculentior alias ſit, ſua mobilitate ac fluiditate diſponit. Alii inſignes, quos nobile hoc viſcus corpori procul dubio tribuit uſus humanum hactenus fugiunt ingenium,

nium, hic, ſi nullus alius eſſet, ab injuria prioribus ſeculis ipſi inuſta vindicando ſufficeret.

§. LXIII.

Reliquus qui per eundem canalem fertur, parte ſui aliqua pancreati nutrimentum, ac unde ſuum eliciat ſuccum materiam ſuppeditat, qui cujus naturæ ſit; hactenus ſaltem cum incertum ſit, nam licet in vitulo id vivo, ligato ejus ductu & liquore, quantum quidem ex eo intumeſcente verſus ligaturam hauriri poterat, guſtato, tentaverim, nullum tamen ſaporem hactenus deprehendere licuit; quodve ejus officium? An quod doctioribus eorum, qui ſuo vivunt ingenio, non ſine cauſa viſum, effervefcentiæ in inteſtinis cum bile naturaliter ſemper excitando, an pituitæ in iiſdem propagandæ deſtinatus, cui alias ſaliva ſervire putatur, non facile, donec ulterior induſtria de uno alterove certiorem me reddiderit, mecum tranſegero.

§. LXIV.

Alia inteſtina parte alit, hincque per venas meſenterii, ad portæ truncum adeoque ipſum hepar refluit, ſanguini per venam cavam ad cor redeunti per illas, quæ in hepate radicare vulgo dicuntur, propagines reddendus.

§. LXV.

Parte in cyſtidis tunicam ramulo propagato nutritionis ergo tradit, & quidem maxima in ipſam hepatis ſubſtantiam reliquo rami qui jam hepaticus fluit, ductu diſtribuitur.

§. LXVI.

Hepati viſceri præter pulmones maximo ſanguificationis ſpartam magnitudine ejus, ſitu, venarumque tum meſaraicarum per portam, tum aliarum inibi concurſu freta, veneranda delegavit antiquitas. Verum a quo poſterorum ſeculorum ſolertia oculatam fidem auritæ prætulit, ſedulaque in interiora corporis indagine venas lacteas, ductumque a lacteis thoracicum, recta chylum ad eos devehere vidit, jam dudum hepati munus hoc abrogatum eſt. Adeo ut tumulum eidem ſtruere non ſit veritus vir magnus, cujus in anatomicis admirari potius datur, quam imitari ſcientiam.

§. LXVIII.

Non tamen perinde tumulandum inſigne hoc viſcus puto, nedum

omnes in ſanguificatione vices illi denegandas, qui fruſtra tantum apparatum vix creatum præſumo, quin pro inſigni viſceris magnitudine, vaſorumque frequentia, magnum ipſius uſum eſſe, non immerito ſuſpicor. Quis autem ille ſit cum hactenus abolita veterum opinione, lateat, variis doctiorum conjecturis occaſionem præbuit.

LXVIII.

Aliis *diviſum imperium cum Jove Cæſar habet*, aliquem ſanguificationis partem, venarum meſaraicarum magnitudine motis, hepati etiamnum vendicantibus. Alii venas meſaraicas a chylo transvehendo excuſantes, bilem in hepate generari, indeque partim ad inteſtina, partim ad ipſam cyſtidem (non tanquam inutile excrementum, ſed utiliſſimum corpori ſuccum, qui balſamus vitæ humanæ merito audiat) ſi turgeat, nec liber ad inteſtina tranſitus detur, futuris aſſervandam uſibus transferri. Alii a cyſtide una parte per communem qui dicitur, ductum ad inteſtina in uſus ſæpedictos ferri, alia per cholodochum in hepar tranſire, ſanguini rurſus miſcendam ad excitandam in cordis ventriculo dextro novam cum ſanguine per cavæ venæ ſuperiorem partem deſcendente efferveſcentiam, ſuſpicantur; utrobique rationum pondera urgent, nec cui me parti addicam, video.

§. LXIX.

Vidi equidem ductum qui porus bilarius dicitur, & ab hepate juxta vulgarem ſententiam in ductum communem fertur, inſtituta in medio ipſius ligatura ligaturam verſus in cane vivo ab hepate tumuiſſe, verſus communem autem ductum detumuiſſe, ſublatoque hoc vinculo, atque ligato communi ductu utrumque, tam eum, qui a cyſtide, quam eum, qui ab hepate intumuiſſe. Vidi præterea ligato vituli ductu cyſtico, ea ligatura non obſtante ex ductu hepatico diſſecto continuo liquorem bili plane ſimilem flavum & amarum fluxiſſe, an vero is naturalis motus, an ex angore præter naturam fuerit, etiamnum hæreo, ſpero tamen temporis atque cum tempore ſedulam plurium inquiſitionem litem hanc diremturam.

§. LXX.

Tandem quæ adhuc ſupereſt per aortam deſcendens ſanguinis portio (Renibus in itinere parte tributa, unde ſuum illi quoque nutrimentum capiant, ac ſeparata ſimul ſeroſa, in veſica colligenda, ſuoque tempore excernenda ſalugine, reliquum venæ cavæ revehendum reddant) partibus extremis nutrimenti ergo allabitur, quod in ſe fluidum cum partibus

partibus ſolidis ſit aſſimilandum, mirum non eſt, ſi non ſolum, optima p imum ſui parte, partibus aſſimilata, aliqu.m & quidem magnam venis revehendam inſinuet, ſed & quod partibus ſolidis applicari nequit, a nutritione reſiduum humidum, iis, qui a limpido quem vehunt humore, lymphæ non abſimili, lymphatici dicuntur, ductibus in futuros reliquarum functionum uſus ad cyſternam referendum relinquat, qui ſuccus, quam diu a vitali igne calet, fluidus, minutiſſimis qui viſum omnem fugiunt, quibus primum communicatur, vaſculis in majora deſinentibus, quantum hactenus experiri licuit & viſu aſſequi, ad glandulas, præſertim conglobatas (in conglomeratis enim idem tam aperte obſervare non datum, licet & harum pleræque nec venis nec arteriis nervisque careant & ductus ſatis apertos habeant, quibus ſuos in uſus humorem collectum in cavitatem aliquam deponunt) quarum in ſuperficiem ductus hi ſubintrant, contentumque ſuum in ipſam earum ſubſtantiam deponunt.

§. LXXI.

Num illic denuo immutetur, aut ex ſanguinis, qui per arterias allabitur ſpirituumque animalium, qui per nervos ad eas feruntur confluxu, incrementum aliquod aut emolumentum ei accedat, licet non ſatis capiam, abſonum tamen non videtur, quinimo ſi ductus, qui e medio quaſi eorum corpore exeunt, majores multo iis, qui in ſuperficiem inſeruntur quis conſideret, & ad mala, quæ partibus his ſæpenumero obveniunt, reflectat animum, neceſſarium fere puto tale quid ſuſpicari, qualis autem illic fiat mutatio, nec ſenſuum hactenus beneficio, cum præter ſalſum, qui & ſanguinis ſero familiaris ſapor, nullum alium percipere potuerim, nec rationis indagine aſſequi licuit.

§. LXXII.

Illud ſaltem, ut obiter hoc, brevi huic functionum enarrationi colophonem impoſiturus, moneam, hinc patere puto, cum non ſolum ad majores, quæ humoribus præparandis ſerviunt, qualis cor, hepar, l en, pancreas, ſed & has minimas, & ob id a veteribus, obiter ſaltim corporis contenta perluſtrantibus, fere neglectas partes, pro magnitudinis dignitatisque diverſitate majores, minores, majori minorique quantitate ac numero nervi teſte autopſia mittantur, indicio eſſe ſatis aperto, non ſolum ſenſui atque motui ſed etiam humoribus contemperandis ſpiritus animales ſervire.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

His ita poſitis cuilibet ratione ſana prædito ſatis conſtare puto, quanta inter ſe neceſſitudine cuncta, quæ in corpore ſunt, cohæreant, quam unanimi omnia conſenſu, ubi integra ſunt, in ſui & totius conſervationem conſpirent, quamque ex diverſo facile, ſi unum illorum vitio aliquo inſigni laboret, univerſa corporis œconomia, communionis lege violata, in ataxiam præcipiti lapſu ruat. Ut tamen rem claram alias clarius adhuc & magis perſpicue efferam, ſimulque ea quæ hactenus dixi ad vires, quarum cauſa extra oleas hactenus, non tamen ſine ratione, vagatus ſum, applicem, cum omnia eo, uti dictum, ordine in circulum agantur, proindéque ad virium tuendum robur functionum omnium requiratur integritas, hæcque rurſus tam continentium quam contentorum inter ſe mutuum poſtulet ſubſidium, facile patet, quantum vel uno horum deficiente, vel uno ſuum quacunque de cauſa denegante officium, univerſæ mox inde vires patiantur detrimentum.

§. LXXIV.

Functionibus læſis tam continentibus quam contentis, infertur damnum, ac e diverſo continentibus atque contentis perperam habentibus ipſæ quoque functiones minus commode procedunt. Læſis continentibus læduntur contenta, viceque verſa his male affectis, illa utroque male afficiuntur; læſa, verbi gratia in ventriculo fermentatione, læditur in inteſtinis ſecretio, ſecretione læſa, læditur in corde ſanguificatio, ſanguificatione læſa læditur in univerſo corpore nutritio, in cerebro ſpirituum animalium generatio, bilis in hepate, ſucci pancreatici in ſuo viſcere, ſalivæ in ſalivalibus, lymphæ in conglobatis glandulis præparatio, ſeparatio, & contemperatio, ni ſcilicet commodo his malis remedio mature occurratur.

§. LXXV.

Et ordine rurſus inverſo, quo magis ab iis, quibus nova hæc fortaſſis & inaudita hactenus ſunt, percipiantur, læſa ſpirituum animalium in cerebro ſegregatione, non modo, uti modo dictum motus & ſenſus, quibus eos ſolis hactenus ſervire putatum, ſed & ipſa contentorum corporis temperies, bilis nempe in hepate aut cyſtide, ſucci proprii in pancreate, lymphæ in univerſi corporis glandulis, & quidem conglobatis, ſalivæ in ſalivalibus, hiſque læſis, fermentatio, effervescentia & quæ eam vitiatam inſequuntur vitiatæ functiones reliquæ. Niſi enim huic quoque fini inſervirent ſpiritus animales, fruſtra

fuiſſet

fuiſſet, ut ante innui, ſapientiſſimus rerum conditor, qui viſceribus, quibus nec ſenſus ineſt exquiſitus, nec motus tantam nervorum largitus eſt farraginem, qualis, uti dictum, in hepate, liene, ipſis quoque licet minimis glandulis cernitur, quod vel cogitare impium foret.

§. LXXVI.

Hic ille circulus, cujus ante mentionem feci, hi aurei aureæ illius catenæ annuli, cui latius diducendæ ſi diutius immorarer, ſoli meridiano lampada præferrem.

§. LXXVII.

Quibus ita in tranſitu, prout rei tractandæ exegit neceſſitas, conceſſit brevitas, carptim delibatis, omnia enim accurate deducere juſtum efflagitaret opus, viam ſtratam puto, qua expeditior jam ad ſymptomatum in noſtro ſubjecto occurrentium originem perſcrutandam tranſire poſſim.

§. LXXVIII.

Hac etenim humanæ ſtructuræ (quæ ſuo quidem merito, confidentiſſimæ naturæ machina, Zoroaſtro, ſed minus recte, creatoris gloria creaturæ tributa, audit) compage admirabili luſtrata, nil jam ſupereſt, quam ut laboris, quod hac ratione quæſivi compendium ad duo capita revocem; primo nimirum ut demonſtrem in defuncto noſtro animales ſpiritus vel defectu vel alio aliquo vitio laboraſſe; in hoc enim poſtulato totius rei hujus quæſitæ cardo vertitur; dein ut examinem, qua ratione ex defectu ſpirituum animalium omnia, quæ eum tandem exanimarunt mala propagata fuerint, cum qua ratione propagari potuerint, abunde jam, uti ſpero, demonſtratum dederim.

§. LXXIX.

Primum quod concernit non puto id probatu difficile, dummodo obtinuero, ſpirituum animalium influxum auctum, præcedente animæ decreto ad omnem motum animalem, tanquam cauſam efficientem, cum integritate nervorum atque muſculorum tanquam inſtrumentali concurrere. Id quod neminem facile negaturum ſpero, qui conſideret, muſculis atque nervis naturaliter ſe habentibus, ſpiritus animales ſemper dummodo & ipſi bene ſe habeant, in muſculos influere, atque

actione reactioneque contrariorum muſculorum motum illum, qui tonicus dicitur, producere.

§. LXXX.

Si quis autem hoc negare auſus fuerit, eum jure quidem meritiſſimo ad experientiam deplorandam eorum ablegavero, quibus alterutro muſculorum aut nervorum præfecto, oppoſitus adhuc integer, continuo ſpirituum affluxu continue agendo, os ſæpe, naſum, oculos aliaque membra mire diſtorquet. Quæ diſtorſio ad voluntatis arbitrium, influentibus in integros muſculos ſpiritibus, cum immenſum augeatur, luce meridiana clarius demonſtrat, metum omnem a ſpirituum influxu pendere, eum vero qui a voluntatis regimine pendet, ab aucto eorundem affluxu deducendum eſſe. Hinc continuato aliquantiſper animali motu laſſitudo oboritur, quod nimirum diuturniori influxu ſpiritus exhauriantur.

§. LXXXI.

E contrario, motu aliqua in parte ſublato aut vitiato cauſam vel in muſculis tanquam immediatis motuum animalium organis, vel in nervis, ceu viis per quas ſpiritus animales feruntur, vel ipſis ſpiritibus animalibus quærendam eſſe, hoc ipſo evinci poteſt.

§. LXXXII.

Cum itaque, ut ad propoſitum redeam, in ipſis ſubjecti noſtri muſculis vitium initio nullum deprehenſum fuerit (niſi fruſtra quis contuſionem aliquam ex lapſu in poſteriora incuſare velit, quæ tamen tot malis excitandis vix ſufficeret) cum animadverſum ſit motus vitium diu ante viguiſſe, quam in muſculis aliquod ex vitiata nutritione vitium perceptum ſit. Neceſſario in nervis ponenda labes vel in ipſis ſpiritibus. Quodcunque tandem ſit res eodem recidit: ſpiritus nimirum vel defectu peccaſſe vel aliquam paſſos eſſe corruptelam. Utrum horum dicatur, perinde mihi fuerit, in quod quis culpam conjecerit:

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habeto.

Quod enim hic præoptem, an alterutrum? an utrumque? libere fateor, non habeo.

§. LXXXIII.

Alterum quod attinet in ulteriori ſymptomatum examine una opera expedietur. In his tamen, ne anguſtos propoſiti limites excedam, brevior eſſe cogor.

§. LXXXIV.

LXXXIV.

Ut igitur, qua ſubſtiti parte, telam paucis pertexendam uſus ordiar. Puto ex his quæ modo dixi ſatis manifeſtum eſſe, quæ virium ſenſim deficientium cauſæ in noſtro fuerint ſubjecto, functionum ſcilicet omnium aut plerarumque ſaltem, præcipue tamen motus animalis paulatinus, & quidem ex animalium ſpirituum vel vitio vel defectu lapſus. Ex eo enim fonte omnia reliqua pullularunt incommoda.

§. LXXXV.

Tumor ille, quem in hypochondriis ſubortum, pauloque poſt rurſus ſubſidentem narravit, vitii, quod in humoribus ſaliva nimirum, bile (cujus acrimoniæ cyſtis ad continuam excretionem ſtimulata, indeque fere exhauſta, fidem in ſectione fecit) atque ſucco pancreatico non rite ob cauſam enumeratam temperatis primum dedit indicium; cum enim vita anteacta, atque diæta, pro vivendi in his regionibus genere vili, minus accurata, ut & alimenta ſucci non uſque quaque laudabilis, pituitæ procul dubio viſcidæ proventum in inteſtinis dederint ſatis uberem, unde accedente fermentationis in ventriculo læſæ vitio, ac concurrentibus ſimul depravatis humoribus bilario atque pancreatico, quis dubitaverit vitioſam ſuſcitatam in inteſtino effervefcentiam, flatus excitaſſe, qui inteſtina primum mox & hypochondria diſtendentes tumorem illum produxerint.

§. LXXXVI.

Ubi vero in majorem acrimoniæ gradum humores aſcenderint, qui ante incidendæ viſciditati pituitæ impares erant, jam acriores redditi ſuperantes, adtenuantes & incidentes paulatim hanc pituitæ tenacitatem, jam non flatus nec ideo tumorem illum amplius, ſed continuata & indies aucta vitioſa effervefcentia, dolores eoſque pro augmentis acrimoniæ adeoque vitiatæ effervefcentiæ, primum gravativos, mox lancinantes, tandem intolerabiles, quæ univerſum inteſtinorum non tenuium modo ſed & craſſiorum ductum gravando, rodendo, lancinando, torquendo, pervagantes, mirum non ſi ab hypochondriis ad ipſius oſſa iſchii, quibus hinc inde colum inteſtinum fibris quibuſdam alligatum, penetrare omniaque inteſtina in unum quaſi faſciculum colligare viſi fuerint.

§. LXXXVII.

Eadem humorum intemperies, cum neceſſario univerſo corpori, nullis præſertim adhibitis remediis, onereque tam moleſto ſolius naturæ humeris relicto, communicari debuerit, quod eundem inibi ac præcipue in genubus, acrimonia ſynoviæ, quæ deliniendis illis in continuo adtritu verſantibus partibus ſervit, communicata, eundem ſortita ſit effectum, quis facile mirabitur.

§. LXXXVIII.

Verum id fortaſſe incongruum alicui videri poſſet, motu ſublato, ſenſum ſuperſtitem in cruribus agnoſcere, cum utrumque a ſpiritibus illabentibus fieri, a deficientibus autem tolli aut imminui hactenus ſtatuerim. Qui tamen expenderit, prouti id innumeris patet experimentis, multo majorem ad motum quam ad ſenſum requiri organorum apparatum, multo copioſorem ſpirituum proventum, facile cognoſcet, deficiente licet ſpirituum, quæ motui ſufficeret copia, adeoque motu abolito, poſſe tamen eam adhuc ſupereſſe ſpirituum animalium quantitatem, quæ objectis adeo violentis, qualia in ea humorum acrimonia in ſenſorium tactus irruunt, percipiendis ſufficiat.

§. LXXXIX.

Cum autem in exterioribus corporis partibus, ſuperficie præſertim, ſenſus abolitio motum abolitum immediate ſequuta ſit, quod ipſius ægri, crura propria invicem conjuncta non ſentientis, relatione innotuit; cur humorum acrimonia, cum ſpirituum animalium inopia ſimul aucta, toto fere morbi tempore ſenſum formicationis ſeu acidularum pungentium excitaverit, vel illi facile planum fuerit, qui unquam tale quid a ſpirituum animalium atque ſanguinis interceptione ſublata, in membro, quod vulgus vocat, dormiente, paſſus fuerit.

§. XC.

Quæ tamen mali ſiniſtrum potius latus quam dextrum affligentis? Dein inferiores partes prius quam ſuperiores invadentis cauſa ſit? Si quis quærat. Suſpicor, quod primum, malum unde ſpirituum ille defectus aut ineptitudo pependit, ſive illud in ipſo cerebro concuſſo, ſive in ſpinali medulla aliquatenus compreſſa, ſive etiam in nervorum, quacunque tandem ratione læſis propaginibus quærendum ſit, potius in ſiniſtra parte quam dextra ſive cerebri, ſive medullæ hæſiſſe.

§. XCI.

§. XCI.

Qua alterum, non inepte puto quæri ejus cauſam illic loci, ubi etiam ægro adhuc vivente, vitii ejuſmodi ſuſpicio fuit. In regione nempe lumbari. Haud enim fruſtra rigiditatem vertebrarum lumbarium ægrum incuſaſſe cenſeo; cui protuberantia trium vertebrarum, in convexa ſpinæ parte ſiniſtri lateris in ſectione apparens, aſtipulatur. Ac licet ipſa illa ſpinæ, per quam medulla fertur cavitate nulla ad oculum patuerit anguſtia, non levis tamen inde ſuſpicio eſt vim aliquam ipſi ſpinæ, adeo medullæ quoque, factam unde illæ protuberantiæ enatæ fuerint; ſponte enim enatas vix crediderim.

§. XCII.

Præterea neſcio, num ſanguinem paucum illum quidem, attamen pro ratione anguſtiæ quæ illic loci eſt, ſatis multum ab utroque medullæ ſpinalis latere, ſiniſtro tamen potius quam dextro venularum inſtar deſcendentem, præter naturam fuiſſe atque aliquam ejuſdem compreſſionem induxiſſe augurari debeam, quæ utut valde levis, defectum tamen ſpirituum ex ſuperiori aliqua latione proprie pendentem augere, proindeque in cauſa eſſe potuerit motus in cruribus citius, quam ſuperioribus partibus enervati. Si cui vero hæc cauſa non ſatisfecerit, illi vel ſolus ille ſpirituum animalium a cerebro influxus languens, qui, quo remotius partes a fonte hoc diſſident, eo proculdubio languidior evadit, ſufficere poſſit.

§. XCIII.

Ea enim meo quoque judicio cauſa videtur, cur ſenſus tactus citius in ipſa corporis ſuperficie, quam in anterioribus ejus partibus, cur in remotioribus potius quam in propioribus, cur denique hic potius ſenſus depravatus imminutus & abolitus fuerit, quam reliqui, quibus breviori multum via ab ipſo cerebro ſpiritus, præſertim ſi ſuo hi quoque vitio tardiores ſolito ſint, per ſuos utique nervos communicantur; pleraſque enim ſi non omnes in corpore actiones mechanicarum proportionum normas ſequi, jam demum fere totus perſuaſus ſum.

§. XCIV.

Ab hoc demum ſenſus motusque vitio, ne quidem alvus ſphincterque immunis, officium ſuum uterque neglexit Alter quidem vel excrementorum præſentiam non, niſi copia obſuatur, percipit, vel motu

tu inteſtinorum periſtaltico & muſculorum abdominis, excrementorum excretioni ſubſervientium, vacillante elumbis, naturali non ſubvenit indigentiæ: alteri licet ſarcinam qua premitur copia ac acrimonia ſtimulante percipiat, vix tantum ſuppetit virium quantum vinculo opportune laxando, ſatisfaciat.

§. XCV.

Tandem in pectoris quoque muſculis, ipſoque perinde diaphragmate impeditus primum, mox fere abolitus motus quid obeſt? quin pro legitima reſpirationis difficilis initio mox ſuſpirioſæ ac interruptæ cauſa agnoſcatur. Atque ab eodem ventilationis defectu accedente ſanguinis & humorum vitio, quin cordis quoque motus vitiatus, atque pulſus tum frequentia, tum parvitate nec non debilitate immane peccans deducatur.

§. XCVI.

Appetitum tandem humoris acrimonia, cujus manifeſtum in inteſtinis indicium ſectio monſtravit, orificium quidem ventriculi ſuperius, ſed præpoſtere, vellicando aluit; unde alimenta minus commode ingeſta aliquod equidem, impediendo, ne halitus ſurſum ferri, atque orificium ſuperius acrimonia ſua ferire poſſint, levamen attulere, ſed fallax: ſpurii enim illius fermenti impoſtura, cum alimentum debite confici non potuerit, pravum inde humorem chyli loco produxit, unde in detrimentum potius corporis quam emolumentum ceſſit; in augmentum nimirum acrimoniæ hactenus univerſo corpori nocivæ, dumque vitioſam in inteſtinis excitavit efferveſcentiam frigori potius in regione lumbari ab ambiente frigore exacerbato, quam calori vitali fomitem præbuit. Atque eadem hac ratione alimento non debite præparato, ac in efferveſcentia hac violenta nimis accurate ſecreto, proindeque ad nutrimentum corporis inepto, maraſmi ſenſim ingruentis anſa fuit.

§. XCVII.

Denique cum in hanc ataxiam corporis ipſius œconomia lapſa fuerit antequam medicam imploraverit opem, mirum non, quod oneri ſuccumbentes naturæ vires, auxilium omne reſpuerint, atque humoribus in ſummum malignitatis faſtigium aſſurgentibus, ac ipſas jam muſculorum carnes depaſcentibus vitæque præſidia reliqua ſimul oppugnantibus, de ipſius vita, ut aiunt, conclamatum fuerit.

§. XCVIII.

§. XCVIII.

Imo vero admiratione majori dignum medicamenta, in tanta ſymptomatum omnium procella ipſi propinata, tantum habuiſſe virium, ut æſtuantium in univerſo corpore cruciatuum curſum, aliquo modo ſufflaminare, atque aliquam licet fruſtraneam reconvaleſcentiæ ſpem excitare potuerint.

§. XCIX.

Eventus ſane, miſera rerum cataſtrophe calamitoſo, quod momentanea hæc atque fallacia mox inſequutum halcyonia, vitæ naufragio abunde docuit veritatem illius veriverbii:

Sero medicina paratur

Dum mala per longas invaluere moras.

§. C.

Non enim nego, ut de curatione quoque hujus mali (neque enim de remediis quibus curari potuiſſet, multa, cum quæ hic valuiſſent ſub aliis quidem titulis apud practicos paſſim obvia ſint, ſed de ipſius mali origine atque progreſſibus admirandis hoc loco diſſerere animus fuit, cum id ipſum breviter quidem, ſi materiæ ubertatem pariter ac dignitatem, ſatis tamen prolixe, anguſtos, quos inſtituti ratio præfinivit, ſi carceres ſpectes (me præſtitiſſe ſperem) pauca quædam addam. Non, inquam, nego ſi mox ab ipſo lapſu, venæ ſectione motus humorum atque ſpirituum in ipſo caſu & ſubſequuto animi deliquio ſufflaminati ac poſtmodum toto morbi decurſu torpentis atque tandem fere plane ſublati, conſentientibus inprimis aliis coindicantibus redintegratio; ſi in progreſſu iis, quæ ſpiritu atque ſale abundant volatili, qualia cinnamoni tinctura, ſpiritus vini, imo ipſum vinum, generoſum præſertim, & omnia alia, quæ corroborantium atque cephalicorum nomine veniunt, aromatica, juſta methodo modoque præſcriptis, tum animalium ſpirituum tum humorum vitiatorum inſtauratio; ſi copiæ eorum, quæ fortaſſis humorum emendationi impedimentum aliquod atque remediis allaturum fuiſſet, lenibus quibusdam evacuantibus imminutio; ſi denique eorundem, contracta jam penitiori labe magis contumacium, aut in ipſa corporis peripheria jam hærentium,

um, nec lenitivo cedentium, per diaphoretica diſcuſſio, aut per ſudorifera eductio in tempore tentata fuiſſet, fortaſſis aliquid in ſubjecti commodum proficui præſtari potuiſſet. Sed occaſio, ut divinus ille ſenex ait, præceps eſt. Sero piſcator ictus ſapit; ac rebus ita ſtantibus, ridiculum foret ove ſubducta ovile velle claudere.

DISPUTATIONES

AD MORBORUM

HISTORIAM ET CURATIONEM

FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMI SEPTIMI PARS II.

PRIORUM VOLUMINUM SUPPLEMENTUM.



LAUSANNÆ,

Sumptibus SIGISMUNDI D'ARNAY.

MDCCLX.

CCXLVIII.

J. HENR. SCHULZE ET FRID. WILHELM. BRUNE

CASUS ALIQUOT MENTE ALIENATORUM AUT PERVERSORUM

HALL. 1737.

PROOEMIUM.

QUanta ſit hominum felicitas, quibus mentem ſanam in corpore ſano Deus indulget, tunc demum cognoſcimus, quando miſerrimos illos intuemur, qui vel penitus mente alienati ſunt, vel perverſa bonæ mentis parte quadam velut cum ratione inſaniunt. Quo autem magis venerari divinum beneficium diſcamus, & ne quiſquam elatius de ſe ſentiat, credo fieri ut Deus, qui omnia hominum negotia dirigit, inter nos haud raro permittat aliquos rectæ rationis uſum vel omnino amittere, vel per intervalla eo privari, vel denique aliqua ex parte delirare & a vero itpertinaciter aberrare, ut omnes, qui cum ipſis vivunt, agnoſcant quantum ſibi ipſis diſſimiles facti fuerint, & calamitatem eorum non ſine dolore & commiſeratione intueantur. Quo autem nobilior eſt animi, quam corporis integritas, quoque plus damni ſæpe infertur hominum ſocietati ab ejuſmodi ægrotis, qui mente corrupti, quam corpore affecti ſunt; quum hi fere tantum non juvando, quantum poſſent, noceant; illi vero ſæpe magnarum calamitatum auctores inviti fiunt: apparet ſane quam digna ſit medico hæc cura, quæ impenditur ſollicite notandis ac perpendendis caſibus iſtiuſmodi, ubi homines antea bene ſani in hujuſmodi calamitatem inciderunt. Quamquam enim ſunt aliqui, ubi vix licet aliquid invenire, de quo certo perhibere queamus hoc conſequuti eventus ſufficientem rationem fuiſſe: in aliquibus tamen aliquid cum ſumma veri ſimilitudine elucet, quod ſi

tamquam indicem in curando ſequimur, aliquando ad ſalutem recuperandum valere poteſt. Res ſane digna videtur, quam non permittamus empiricis, inter quorum manus aliquos periiſſe non ſine dolore recordor, quemadmodum neque deſunt, quorum ad rectæ rationis ductum, per methodicam & ſatis blandam curationem, reſtitutorum non ſine gaudio & gratiæ divinæ celebratione meminiſſe poſſum. Putavi igitur non committendum ut caſus mihi bene noti, & a D. D. PRÆSIDE mecum communicati, privatim mihi ſerviant. Referam bona fide acceptas facti circumſtantias, &, quas meditatione crebra elicere hinc licuit veri ſimilitudines, candide impertiar, pro lucro habiturus ſi quis loco vero ſimilium certa & demonſtrata hinc deducere, & ad communem fructum conferre valuerit & voluerit.

CASUS I.

JUvenis vigeſimum annum egreſſus, jamque academiam ingreſſus, non lauto quidem ſtipendio, ſed integra mente, bonis litteris operam daturus, honorato cuidam viro ſuam operam addixerat, ut ipſi aliquibus negotiis inſerviret. Corripiebatur autem ſcabie humida, quæ tantopere manus obſidebat, ut miniſterio ineptus redderetur. Anxius ille quærebat non a quo ſecuriſſima ratione, ſed ut citiſſime curaretur. Incidit in hominem qui ſulphur oleo ſubactum jubet injungere. Paret, & mox conſequitur manus nitidas. Enimvero ſat cito emicabant valetudinis magnopere labefactatæ conſpicua ſigna, & hæc inter peſſima, corruptæ mentis indicia. Cantillabat, ubi minime decebat, cachinnabatur, alia omnia agebat, quam locus, tempus & demandatum miniſterium requirebant. Aliquando ſubito & tanta cum pernicitate, ut nemo eum aſſequi poſſet, per medium forum & plateas decurrebat, donec omnino feſſus & viribus deſtitutus in agro procidebat. Non opus eſt plura dare ſpecimina. Quum in ſingulos dies, tam corpore, quam mente, deterior omninoque cachecticus, mox etiam hemiplecticus factus, diem tandem obiiſſet, cultroque via pararetur ad extiſpicium, mire omnia corrupta offerebat abdomen ſua viſcera. Cum peritonæo omentum cohærebat: hoc inferius cum inteſtinis, hæc inter ſe & cum ventriculo, hepate & liene valde craſſo & duro ita coaluerant, ut unam quaſi paſtam hæc omnia ſiſterent lividis ulcuſculis & paſſim vero pure turgentibus puſtulis, quales ſunt ſcabioſorum, in hoc magno glomo hinc & inde conſpicuis. Pulmones ad quamvis bronchiorum diviſionem obſeſſi erant crebris tuberculis, quorum maxima nucem juglandem æquabant, cetera proportione eadem, ut ipſi bronchiorum rami anguſtiores

tiores diametros habebant, minora obſervabantur. Inciſa hæc materiam in quibuſdam molliorem, inſtar gypſi modo aqua ſubacti, in aliis aliquantum ſpiſſiorem, inſtar gypſi magis jam conſiſtentis, offerebant. Caput ne ſecaretur, efficiebat dirus fœtor cadaveris, cujus ſat multum ſe devoraſſe præſentes omnes exiſtimabant & his viſis acquieſcendum rebantur.

EPICRISIS MEDICA.

§. I.

Siſtit hic caſus complura, quæ medicum allicere ad conſiderationem maturiorem poſſunt. Sed nos unicum hoc, quod promiſimus, venabimur, ſcilicet ut inveniamus, cui in mente pervertenda aliquid juſte tribuere poſſimus. Fuiſſe autem mentem deliram ex caſu ſatis patet: potuiſſentque plura, quæ id comprobarent, documenta ſimilia adferri. Quum omnino poſt hemiplexiam & ſermonis & omnis rationis uſum aliquanto ante obitum tempore amiſerat.

§. II.

Præcipue hic nobis in abdomine occurrit magna illa omnium partium, naturalibus actionibus deſtinatarum, a recto & laudabili ſtatu diſcrepantia: quam ut quidem orta fuerit, & ad producendos effectus in mentis officinam pravos valuerit, ex mea ſententia proferam. Scabioſa materia, ad interiorem ſuperficiem compulſa, ibi effloruit & exulcerationes fecit. Hæ exulcerationes effecerunt illum a natura omnino abludentem coalitum. Hoc facto motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus & undulatorius neceſſario pervertebantur. Hinc vitium redundabat ad chylificationem: qua depravata ſanguinem non potuiſſe bonum elaborari per ſe patet. Cognoſcitur autem qualitas vitii chylo affricti ex glandularum bronchialium magno infarctu, & in illis deprehenſa collectione materiæ inſtar caſei aut gypſi magis vel minus mollis. Quum vero ad illas glandulas nihil venire poſſit, niſi mediate per lympham a ſanguine digreſſam: non poteſt ſane dubitari ipſum ſanguinem craſſioribus etiam ejus generis partibus plenum fuiſſe: quum ad lympham non niſi id, quod in humorum maſſa eſt tenuiſſimum, perveniat.

§. III.

Quum hic talis humor, ad trajiciendum tenuiſſima colatoria & canaliculos tranſeundos ineptiſſimus, in vaſis ferretur, quid mirum ſi

 animæ

animæ ratiocinantis officinam, cerebrum, ubi ſunt omnium tenuiſſimi ductus, minus recte trajecit, adeoque perverſo & depravato organo actiones depravatæ fuerunt. Quantam autem ſanguinis qualitas, & ad motum vel aptitudo vel ineptitudo, poteſtatem in animæ actiones habeat, ſolide oſtendit Illuſtris noſter FRID. HOFFMANNUS, cum aliis multis locis, tum maxime nervoſe *Medic. Syſtemat. Tom. I. Sect. III. cap. VII. §. 6. & ſeqq.* Nihil itaque mirum ſi in hoc homine, antea vitæ ſedentariæ dedito, deinde tantopere corruptis viſceribus prædito, actiones animæ fuerunt perturbatæ, quæ non ſolum ratiocinationem, ſed motus ipſos animales per eminentiam dictos depravavit & ex magna parte, conſequuta hemiplegia, abſtulit.

§. IV.

Nec omittendus eſt lienis depravatus omnino ſtatus, ſive is ab eodem prius corruptæ ſanguificationis vitio enatus eſt, ſive antiquiora initia habuit. Qui hominum melancholia hypochondriaca affl ctorum corpora ſecuerunt, ſæpiſſime notaverunt magnos, craſſos, induratos lienes. Enimvero nexus inter hujus viſceris vitia & animi perturbationes tanto abſtruſioris cognitionis eſt, quanto major eſt de lienis uſu & officio in œconomia corporis noſtri diſceptatio; quam hic vel repetere vel dijudicare ab inſtituto meo alienum videtur. Conſulatur BONETUS *in ſepulchret. lib. I. ſect. IX.*

§. V.

Utrum vero in cauſa perverſarum mentis actionum ſolis fluidorum depravatorum vitiis inhærendum ſit, an ſuas etiam partes ſolida ſuſtinuerint, & forte non poſtremas, cogitandum nunc fuerit. Age igitur conſideremus, quantum nexus ille præternaturalis tot partium, quæ ab inſtituto naturæ debebant liberæ eſſe, nocere poſſit. Omentum peritonæo erat adnatum ſuperiori latere, inferiori cum inteſtinis, ipſis inter ſe coalitis concreverat. Jam ea eſt natura omenti, ut ventriculo expanſo ab aſſumtis ſurſum trahatur, eodem vacuo deſcendat & libere longiusque dependeat. Ita autem eſt comparatum cum partibus omnibus, ut tenſio diuturnior in eodem ſtatu manens, nobis moleſtiam afferat, quamvis talis ſit, ut ſine dolore & incommodo eandem facile per breve tempus feras. Quis eſt, qui non id ſentiat quando e. g. brachium diutius extendendum eſt? quin commodo ſedili impoſitus, ſi eodem ſitu per complures horas permanere debeas, id tibi moleſtum ſane experieris, mutandique poſitum illum deſiderio afficieris, cujus

rationes

rationes ipſe vix alias, quam ſenſum quendam innominatum, quem intra te ipſum percipis, allegare poteris.

§. VI.

Memorabilis eſt obſervatio ex WARTHONO apud BONETUM allata *c. l. obſ. XX.* de viro melancholico, in quo diſſecto omentum nigricans, fere putridum, & pluribus locis infra umbilicum peritonæo adhærens, inventum fuit. Ceterum tenſionis etiam tranſitoriæ effectum ſubinde videmus in quibusdam hypochondriaco-melancholicis, qui ſemper gravius degunt quoties alvus pertinaciter clauſa eſt, aut flatus inteſtina & ventriculum valde tendunt; unde his ſubmotis cauſis manifeſtum fit, quantum levati fuerint.

§. VII.

Rara eſt apud obſervationum auctores mentio puſtularum viſcera abdominis obſidentium: quare non poſſum quin hoc loco commemorem, fuiſſe non ita pridem quoque ſimile quid viſum in theatro hujus academiæ anatomico, quod diſſecaretur femina, quæ a multis annis ſæpius delira, ſed aliquando ab errore mentis ſatis viſa fuit libera.

CASUS II.

Femina XXX. annos egreſſa, in matrimonio vivens, rebus pro ſua conditione ſatis lautis, nihil, de quo conquereretur aut angi poſſet, experta, aliquot liberorum mater, ab omnibus, qui eam noverant, moderationis & prudentiæ laude ornata, cum puerperio ſatis bene defuncta eſſet, jamque in publicum prodire cœpiſſet, in miram aliquam mentis aberrationem, finiente hieme, incidebat. Nam quum de aliis omnibus rebus ſatis recte judicaret & ſermocinaretur, in hoc uno, ſed graviſſimo ſane, pertinaciſſime delirabat, quod verum Deum apertiſſimo odio ſe proſequi, dictis horrendum in modum blaſphemis, miſera teſtabatur: de diabolo vero jucundiſſime cogitabat & loquebatur, eum deperire ſe & unice deſiderare præſe ferebat, neque ſe ab illo deteſtabili errore liberari aut dimoveri cupiebat. Quum intra hæc aliquanto tempore deſipuiſſet, magis jam taciturna fiebat, alienatum a marito & liberis animum prodebat: ut jam non ſine ratione graviora metuerentur, & cuſtodes adhiberi deberent. Truces erant oculi, & quod in illis album eſſe debet, plane fuſcum videbatur. Edebat inter

hæc & dormiebat, etiam laboribus utcunque obeundis occupata erat, & de rebus familiaribus ſatis commode diſſerebat: etiam de rebus ſacris, uſque ad oſtentationem: ſed ut omnia de Deo & Chriſto dicta applicaret maledicto genio. Febrilis nullus calor notari poterat; pulſus nihil abludebat a ſano, iraſcebaturque omnino de valetudine percunctantibus. Menſtrua jam ſe juſto tempore expertam dicebat, & nihil habere de quo poſſet conqueri. Unicum, quod ipſam permovebat ad medicinam admittendam, erat oculi depravatus color: qui niſi fuiſſet, nullam facile admiſiſſet. Medicus conſultus curationem adgrediebatur paucis diebus ante illud tempus, quo menſtrua purgatio erat exſpectanda. Jubebat regione hypochondriacæ imponere emplaſtrum ſaponatum, cum illo de cicuta & de ammoniaco mixtum: unde alvus ſatis lubrica conſequebatur. Interius ſumendum jubebat ſuccum ex floribus cheii expreſſum, vino dilutum, & ſyrupo capillorum veneris, quo gratior redderetur potio, permixtum. Hunc bis aſſumpſerat, quum fuſcus color jam mutaretur in flave virideſcentem. Altero die ſurgebat diluculo, deoque proſtrata ardentiſſimis precibus, & inter largiſſimas lacrymas, veniam blaſpheme dictorum exorabat, planeque illo die tota mutata erat. Sed cum adveſperaſceret mentis illa ſerenitas minuebatur, & parum aberat a priſtino ſtatu. Repetebatur uſus remedii, cui jungebatur modicum alicujus medicinæ ſedativæ. Medico enim toto illo die diſplicuerat nimia mentis agitatio, quam aſtantes perpetuis colloquiis continuaverant. Quum blando ſomno illam noctem tranſegiſſet, & interea menſtruorum fluxus erupiſſet, ſatisque libere procederet, ſatis alacris, & ſereno ac compoſito animo, priſtinamque inſaniam conſtanter abhorrente, per complures dies degebat; oculi ad priſtinum nitorem redierant. Nunc ſponte ſuorum, tam mariti, quam liberorum, a quibus ob juſtum metum diſtracta fuerat, deſiderio tenebatur: quare illis reddenda videbatur. Sed aliquanto tempore interjecto aliquæ prioris aberrationis reliquiæ obſervabantur: quæ tamen, Deo adjuvante & medicinis ſucceſſum tribuente, evaneſcebant, ut nunc per complures jam annos prorſus immunis a priſtina labe vivat.

EPICRISIS MEDICA.

§. I.

Medicus ex priori caſu cognoverat, quantum ſtricturæ & tenſiones ſtabiles partium abdominis ad caput & cogitationes turbandas faciant. Hoc, tanquam communi multis hujus generis morbis, ductus, ad ſpecialiorem & propriam partis magis ſtrictæ ſedem conjectura inveniendam ducebatur iſta tunicæ albugineæ offuſcatione. Scilicet nihil dubitabat

dubitabat hepar cum ſyſtemate cholopœo male conſtitutum, atque huic ſuccurrendum eſſe.

§. II.

Incepit igitur a remedio externo, quod non ſolum ſpaſmos ſeu ſtricturas fibrarum omnis generis reſolvit, verum etiam in humoribus fluiditati ſuæ reſtituendis utile ſæpius invenerat.

§. III.

Subjunxit tandem floſculi, non ſuo pretio habiti & plane polychreſti, uſum; qui ſpem de bile emendanda & menſibus promovendis minime deſtituit. Plura addere non opus puto.

CASUS III.

Feminæ ruſticæ ſexagenariæ vetulus maritus requirebat opem medicam pro ſua matre familias, quæ non ſolum toto corpore emarcuerat intra breve tempus, ut vix pedibus incedere poſſet: ſed prorſus fatua & mente deſtituta, aliquibus certe horis, videbatur. Nuper, cum cœnam apparatura butyrum in ſartagine liquaret, conciderat ad focum, effluenteque & flammis incenſa materia incendium grave conſequutum eſſet, niſi bona totius pagi fortuna illo momento rediiſſet ex agro familia & opem tuliſſet. Hæc audiens medicus de prægreſſa valetudine percunctabatur. Audiebat ſemper robuſtam & ſanam fuiſſe, uſque ad ver prægreſſum, quo, febre intermittente correpta, remediis domeſticis mox convaluerat a febre quidem, ſed alacritatem non recuperaverat. Ignorare ſe profitebatur, quo remedio uſa ſit, ſed hoc ſe ſcire putabat, quod ſit ruſticæ plebi admodum familiare. Medicus non dubitabat febrem quidem ſuppreſſam, ſed cauſam ejus ſupereſſe; dabat igitur aliqua, quæ ſæpius bona fuerat expertus. Ruſticus poſt aliquot dies interjectos referebat, nihil eſſe iſtis medicinis effectum; rogabat opem ſibi ferri. Proxime ab urbe diſtabat pagus & amœna tempeſtas ad illuc deambulandum invitabat. Exquirebat accuratius quid factum eſſet ad febrem illam abigendam: ſimulque conſiderabat ægrotam, quæ omnino marcida, inſtar vivi ſceleti cute corrugata inducti, nec pedibus conſiſtere, nec audire bene, nec videre, nec verba proferre valebat. Conſcia remedii filia, quid factum eſſet prodebat. Scilicet urinam febricitantis farina ſubegerant, hancque paſtam veſicæ ſuillæ inditam in camino ſuſpenderant. Jubebat medicus afferri veſicam, eamque in profluentem proxime rivum illico evacuare & eluere, præcipiebat: ægrotam autem bal-

neo

neo aquæ dulcis tepido, cui furfures & obviæ quædam plantæ incoctæ eſſent, aliquoties foveri juſſit. Uno vel altero menſe tranſacto tantum confirmata erat, ut cum vetulo marito ad medicum, ſatis pro illa ætate alacris, veniret, gratumque animum profiteretur.

EPICRISIS MEDICA.

§. I.

Siſtit hic caſus imminutionem & paulatinam ablationem facultatis tam ratiocinantis cum ſenſitiva, quam ſimul actionum naturalium & vitalium. Id vero quam manifeſtum eſt, omnique dubio carere videtur, tam abſtruſa eſt connexio inter effectum & cauſam, quæ deprehenſa fuit.

§. II.

Scio quam controverſa ſit doctrina de ſympatheticis illis; quæ etiam maleficia audiunt, ubi ad lædendam hominis valetudinem fuerunt adhibita. Alexandri noſtri, quoniam nodum hunc Gordium non facile ſolvunt, ne imperio Aſiæ excidant, malunt eum ſecare, & omnia fabulis adſcribere. Mihi illud quidem non placet; ſed cautius videtur profiteri quod neſciamus id, quod & doctiſſimi expedire deſperant.

§. III.

Homines fame diuturna vexatos animi & corporis vigorem amittere res eſt notiſſima: conſignaveruntque itinerum ac hiſtoriarum ſcriptores multa exempla miſerorum, qui ad delirium, quin rabiem ac furorem, tandem, ubi ad extrema prope pervenerant, ad omnimodum mentis ſtuporem adacti & adducti fuerunt, quoniam alimento caruerunt. Non autem mirandum ſi id accidat hominibus vigentibus & appetitu bono præditis vehementius: in noſtra vero, utpote ſene & febre exhauſta, magis paulatino incremento invaluit & progreſſum fuit.

§. IV.

Scio multis ita videri poſſe hoc negotium, quod remedium ſympatheticum nullam culpam ſuſtinuerit, cum id non fuiſſet inter ruricolas illius tractus tam familiare, ſi tales noxas afferre antea obſervatum eſſet. His autem repono prudens CORNELII CELSI effatum: *non ſequitur, ut quod alium non afficit, aut eundem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio, noceat. Poſſunt enim quædam ſubeſſe corpori, vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo affectu, quæ vel in alio non ſunt,*

vel

vel in hoc alias non fuerunt. Succurrit caſus, qui multos honeſtos viros, quos ſuperſtites ſpero, teſtes habet, quemque referam ut moneat eos, qui vel omnino elevant ſympatheticas curationes, vel nimium iis fidunt. Juvenis XXX. annorum, artifex & artificis præclari filius, hernia laborabat, pudoreque detinebatur, ne opem quæreret. Legerat is in chirurgorum ſcriptis omnium tumorum incrementa ſiſti, quin eos ſenſim evaneſcere, poſt contactum manus mortuæ, præcipue ſi ſit hominis phthiſico morbo exſtincti. Quumque pater ejus hoc morbo decederet, manum mortui admovet ſuo ſcroto & inguini. Poſt aliquot dies partes illæ cœperunt abſque dolore aut inflammatione emori, prorſusque in putrilaginem, nulla arte compeſcibilem, abire, quæ ad inteſtinum ſimul prolapſum, indeque ad reliqua eundo moriendi neceſſitatem attulit. Certo ſcio mille homines ſcrophulas, aliaſque excreſcentias, tali manu attigiſſe, ſi non cum optato fructu, tamen ſine tam funeſto eventu.

CASUS IV.

Femina plebeia XXV. annorum, robuſta, iracunda, & nulla diſciplina ad manſuetudinem deducta, quum nuper puerperio ſatis bene eſſet defuncta, audiebat quædam accidiſſe, quæ fortunas ejus everſura videbantur. Tantopere indulgebat iracundiæ, ut par erat ab hujus generis femina exſpectare. Ita autem exagitata, totaque in fermento exiſtens, mammas exſugendas tenero fœtui porrigebat, qui inde epilepſia correptus moriebatur. Neſcio quantus hic mœror poſt iram fuerit conſequutus: ſed illud ſcio mox fuiſſe febrem ſubſequutam, & mammas ab affluxu lactis valde tumefactas. Adhibebatur in conſilium barbitonſor: ſed mox emicabat plena mania. Quum aliquo tempore non adeſſent qui eam cuſtodirent, frigidiſſima hyeme lecto exſiliebat, & ad fluvium, non procul a ſuis ædibus decurrentem, tunc glacie penitus conſtratum, properabat, ſeſeque multitudini juvenum ibi ſe exercentium tota nuda ingerebat. Non poterat ipſi perſuaderi, ut quicquam medicinæ aſſumeret, vel exterius imponi pateretur. Fallenda igitur erat. Nam quum non abhorrere illam ſpirituoſa intellexiſſet medicus, concinnabat ſatis efficax vomitorium antimoniale, quod gratiſſimæ aquæ, ut vocant, vitæ comparari poſſet. Succedebat fraus licita, ut omnem avide exhauriret potionem. Mediocriter vomebat, ſed cum euphoria optatiſſima: ad mentem enim bonam hactenus redibat, ut ſe uſui medicinarum, quibus percurata eſt, deinceps idoneam & obſequentem præberet.

EPICRISIS MEDICA.

§. I.

HIPPOCRATES *Sect. V. aph.* 40. ſcribit: *mulieribus, quibus ad mammas ſanguis in tumorem colligitur, furor ſignificatur.* GALENUS ad *h. t.* notat rarius hoc contingere, nec ſibi obveniſſe caſum. Medicus non incelebris HIEREM. THRIVERIUS BRACHELIUS in *comment. ad h. l.* ita, haud ſcio an ſatis ad rem, ſcribit: *Id contigit nobis videre, quod mulier quædam, quotieſcunque aliquo tempore puerum lactaſſet, propemodum deſiperet.* Sed *propemodum deſipere* multum diſtat a *furore*, μανίη. FRANC. VALLESIUS *Comment. ad hunc locum*, reſtringit ſenſum eo, ut furor extimeſci debeat, ſi pro lacte ſanguis mulgeatur; neque tamen ſignificat quibus id rationibus motus aſſerat. Propius ad rem facit hiſtoria, quam recenſet HENRIC. ad HEER *Obſervat. cap. XIV.* quam apud ipſum commendo legendam. Noſter hic caſus quantum illuſtret Hippocrateum aphoriſmum, ſpero abunde patere. Forte in Heeriano caſu, & illo, qui Hippocrati contigit, præceſſerunt ſimiles cauſæ procatarcticæ, ad animum vehementer commovendum efficaces. Sed quum illi de his ſileant, in noſtro ſane merentur in primis attendi. Nam quum re vera multæ quotannis occurrant feminæ, quibus mammæ in magnum tumorem attolluntur; utique ab affluente & detento ſanguine, quod eventus ſuppuratorius luce meridiana clarius comprobat; haud tamen adeo frequenter notatur concurrens aut ſuccedens mania. Evolvi ſtudioſe magnam gynæciorum commentatiorum collectionem Baſileæ quatuor voluminibus editam, ſed nihil, quod me doceret, invenire potui.

§. II.

Ut huic miſeræ daretur vomitorium antimoniale, potiſſimum efficiebat tunc recens lecta obſervatio D. D. ALBRECHTI in *ephemer. N. C. dec. II. ann. VI. pag.* 46. cui candidus calculus adjicitur ab auctore penultimæ editionis *Diſpenſatorii Brandenburgici ad tit. ſapæ vomitoriæ D. Sylvii.*

§. III.

Nec erat pœnitendus effectus. Quamquam enim viri, quibus multum, ut debent omnes recta monentibus, attendo, vitare jubent vomitorias medicinas poſt excandeſcentiam; hic tamen caſus non videbatur illo præcepto comprehenſus, quum vomitorii irriti conatus, qui merito ſuſpecti ſunt, non adeſſent, jamque plures dies ab excandeſcentia

illa

illa effluxiſſent, abſque eo ut ſe proderet ſignum inflammati ſtomachi

§. IV.

Veroſimile eſt profectum, qui a medicina conſequebatur, tribuendum eſſe effectui univerſaliter reſolventi & diapnoico, quem antimonialia emetica blandius operata poſt ſe relinquunt: quem ſi anodinum dicere velis & antiſpaſmodicum, facies, credo equidem, eodem jure, quo incredibili conſenſu cinnabaris hodie inter talia principem fere locum conſequuta eſt. Et nec alia erant, quæ poſt vomitorium dabantur, medicamenta, præter antimonialia fixa cum cinnabari, & ſacculum diſcutientem mammis exterius imponendum.

CASUS V.

Vir honeſtus, doctus & magnis dignitatibus ornatus, temperamenti ſanguineo-melancholici, quinquageſimum annum jam ſupergreſſus, quum maximi momenti negotiis coram principum legatis occupatus eſſet diſceptandis, hicque labor in multos dies protraheretur; quo toto tempore occupatiſſimus erat, ſuæque cauſæ tuendæ intentiſſimus: parum interea poterat corpori & animo per juſta quietis & recreationis intervalla ſuſtentandis & refocillandis indulgere. Quum negotium ex voto plane confectum eſſet, omnes, qui ipſum antea noverant, mirabantur animi inſolitam ſubmiſſionem & proſtrationem. Ceſſerat priſtina alacritas, vultus triſtitiam præ ſe ferebat, lacrymabatur ſubinde, metus ſibi fingebat, aut a longiſſimo accerſebat. Mox augebatur malum, ut male cohærentia loqueretur, & quæ nunquam facta erant, tanquam facta referret. Parum inter hæc appetebat, & alvo reddebat dura, griſea, fere canum ſcybalis ſimilia. Quum is eſſet valetudinis ſtatus, neſcio cujus conſilio, & ſanguis ſemel ac iterum detrahebatur, & vomitorium offerebatur. In deterius hinc omnia vergebant, & cachexia icterica emicabat, animo etiam magis, quam antea, irrequieto & vagis imaginibus turbato. Toto hoc tempore parum fuerat ſomno recreatus, multasque noctes prorſus inſomnes tranſegerat: noctu ſemper magis, quam per diem, afflictus. Hoc rerum ſtatu ad conſilium vocabatur medicus, qui, quum calorem aliquem ſiccum depaſcentem animadverteret, ante omnia huic ſtatuebat obviam ire, & ſimul ſomni beneficium reducere. Rem gerebat, quum junius menſis eſſet, & ſitis affligeret ægrotantem, emulſione ex ſeminibus frigidis & papaveris, cum aqua ceraſorum nigrorum & florum nymphææ. Hanc ipſi verſus veſperam copioſe indulgebat, fructu optato, ut illa nocte per

aliquot horas blando ſomno reficeretur. Quum die inſequnta multo melius ſe habentem ægrotum deprehenderet medicus, hypochondriacæ regioni imponebat emplaſtrum reſolvens & anodinum, ex ſaponato, ſplenetico, & de ammoniaco: in prandii cœnæque fine ovum molliſſime coctum, cum pauxillo pulveris florum cheiri, jubebat ſumere, verſus noctem vero emulſionem prædictam repetere. Reddebatur hæc inter alvus magis magisque liquida & exturbabat tandem copioſe flavas bilioſas fæces; quo facto ad naturalem ſtatum redibat, ut ab omni priſtina labe nunc immunis jam per decem annos degat, ſuoque principi, & amicorum ac clientum negotiis, abſque impedimento poſſit ſatisfacere.

EPICRISIS MEDICA.

§. I.

In hoc viro manifeſtum eſt, quod labes valetudini illata a nimia virium animi agitatione, & continuata ſollicitudine cum vigiliis, orta fuerit. Irrequieta enim cogitatio nocturnæque vigiliæ, præſertim per multos dies protractæ, corporum robora valde minuunt & per hoc ipſas animi vires atterunt.

§. II.

Quo pacto id fiat, quibuſque gradibus invaleſcat, egregie, & ad practicum uſum commodiſſime, docuit illuſtris quondam archiater Palatinus JOAN. CONR. a BRUNN in aureo libello *de glandulis duodeni*; cujus ductum in percurando hoc ægroto ſequutus poſterior medicus, nihil hic evacuantibus, ſed plurimum ſedantibus atque chylificationis negotium emendantibus, tribuit. Haud enim poterat ipſum fallere origo morbi, intuentem quæ prægreſſa fuerant, & ad defectum bilis, de quo fæces teſtabantur, animum rite advertentem.

§. III.

De fructu emulſionum ex refrigerantibus & papaveraceis, qui adeo quoque in acutis deliriis manifeſtus eſt, nihil hic attinet dicere, quum ab omni ævo commendatius nihil apud practicos occurrat. Quod vero etiam in chronicis melancholicorum affectibus apprime conducat, ſi quis ſomnum omni ſecura ratione, per externa & interna præſidia, adducere & in juſtum ordinem redigere allaborat, plurimis exemplis poſſet doceri. Non heic ſuadeo ad opium illico recurrere; quod

quod minime damno, ſed ſuo loco honorifice poſitum relinquo: ſed ſcio haud ſæpe hoc indigere medicum, qui praxin antiquam ſuo pretio habere & tempeſtive imitari didicit.

§. IV.

Quibus indicationibus cetera, quæ in hoc viro ſalutariter adhibita ſunt, directa & ſuperſtructa fuerint, jam ſatis puto ex ſuperioribus clarum eſſe poſſe. Et hæc nunc ſufficiant.

CCXLIX.

JOH. BOHN,

ET

DAVID VIPACHER

CASUS

ÆGRI NOCTAMBULATIONIS MORBO. LABORANTIS RESOLUTUS.

Lipſ. 1717.

PRÆFAMEN.

Quicquid immotum diu manet, id extra controverſiam vel teredinibus exedi, vel tineis corrodi, vel ærugine affici, vel alio quocunque modo tempus invidum corrumpere, præter Ovid. Metamorphos. L. XV. *ipſa quotidiana teſtatur experientia. Hinc etiam eſt, quod in præſenti vires ingenii mei periclitor, ne forſitan (veluti ſæpius evenire ſolet) eodem fere modo torpore tandem conſumantur, vel, ad minimum, odorem tantum ignaviæ redoleant, ac inficiantur. Non autem hic de ſingulari venenum inter atque cornu monocerotis antipathia: non, de cantilenæ cygni ſuavitate: nec etiam de lapidis ita dicti Philoſophorum exiſtentia; multo minus de partu, fruſta dudum adeo deſiderati, perpetui mobilis, aliiſque hujuſcemodi, ſolicitos eſſe lubet, quippe, cum uno intuitu plures conſiderare velle res, ineptum videatur admodum. Sed potius* Ægrum, Somnambulationis Malo *(cujus exiſtentiam permulti hodienum acriter in dubium vocant, ne dicam penitus negant)* Laborantem, *utpote quod, noſtri præcipue rationem habentes fori, paulo plus, niſi fallor, in receſſu fovere videtur, quam quidem in limine promittit, ſub incudem revocare, mihi nunc eſt animus. Revera ſtupendum eſſe hunc affectum, dignumque, circa quem ſolicitius aliquanto medici occupentur, vel me tacente, quilibet*

quilibet levi perſpicit negotio. Quod ego animo volvens, nuper cum, ex autoritate atque decreto gratioſiſſimi, Inclutæ hujus academiæ, collegii medici, SPECIMEN INAUGURALE ACADEMICUM *meditarer, non dubitavi, licet impar tanti operis, ad amuſſim delineandi, argumentum illius conſtituere* caſum, *non ita pridem in juvene ſingulari cura notatum. Quem, cum reſolutum paucis hiſce pagellis luci publicæ jam exhibeo, non blandiri quidem mihi, perſuaſione materiæ rarioris tractandæ (ſuperbiæ quodam incitatus ſtimulo, ſuſtineo: ſuſtineor autem ſpe bona apud bonos benevoloſque Lectores, facile me tam negligenter omiſſorum, quam improviſe commiſſorum, impetraturum veniam, æqua cumprimis ſi lance perpenderint, me, in re adeo ardua, omibus quidem ſatisfacere voluiſſe, & quod in magnis, juxta vulgatum illud, etiam voluiſſe tantum, ſatis ſit. Quod ſupereſt, faveat, oro, adſpiretque diſceptationi huic meæ ſupremum numen, atque impoſterum non hujuſmodi ſolum in caſibus recte mederi, ſed & aliis pernicioſiſſimis morborum generibus felicem ac fructuoſam admovere liceat manum. Benedicat ex alto benigniſſimus archiatrorum archiater conatibus meis, eoſque in ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, & noſtri plurimorumque languentium ſalutem cedere feliciſſime faciat. Hoc itaque duce, hoc auſpice, jam fiat initium ab*

HISTORIA CASUS.

Novi hic Lipſiæ juvenem perhoneſtum extorrem, vigeſimum quartum jam, niſi fallor, ætatis agentem annum, gracilem corpore, facie pallidum, ventre ſubtumido ac duro, potu fere nullo, ciboque ſicciore uti adſuetum: appetitu ſolito vehementiore, dolore circa præcordia tenſivo, artuum immodica laſſitudine, nec non obſtructionibus alvi pertinacioribus, accedente frequentiore phlogoſi, continua cum diſpnœa, laborantem; ad hæc vitam ſedentariam, quam res anguſta domi tum temporis ita dictitabat, ob lucri deſiderium, acriter proſequentem, curis ac mœrore non leviter agitatum, inde, ſomno pauco, eoque turbulento, fruentem, & valde ſemper meditabundum. Hic, ad ſtudia non minus quam alios labores pronus, ne horas perderet ſucceſſivas, collegia medica celeberrimorum in arte virorum, aliis cum cura deſcribenda ſuſcipit. Cum cura, inquam, ſiquidem pro more ſuo ne verbulum difficilius (quibus tamen integrum medicinæ ſcatet forum) niſi prius abunde conſideratum, quæſitum, intellectumque, prætermiſit. Unde factum etiam eſt, ut ſpatio bimeſtri ſic tranſacto, & quidem circa medium anni MDCCXII. præter omnem ſpem atque opinionem in ſomnum adeo depravatum incideret, ut, per integrum fere Junii menſem, ſive noctu, ſive interdiu etiam ſomno correptus, clauſis vereque dormientibus oculis e lecto vel ſedili ſurgeret, collegia ſcripta pervolveret, vocabula difficiliora terminoſque medicos, alto ſilentio, lexico caſtelli, quod ad repoſitorium accedens

cedens, ex eo tam provide petiit, ut vigilem eſſe juraveris, arrepto, ſingulari cum attentione quæreret, non inventa verbis exciperet durioribus, reperta vero hilari vultu, calamo, (ridiculum eſt, ſed mirum admodum dictu) rudi licet charactere, diſtincte tamen, ſuper chartam notaret, donec his ita peractis denuo lectum intraret, nihil ante geſtorum futuro mane ſibi conſcius. Vidit autem, narravitque mihi hæc omnia candide conterraneus ejus, idem hypocauſtum idemque lectum ad tempus una cum eodem capiens, qui etiam, antequam reſtitueretur, (reſtitutus vero eſt feliciſſime, adhucque, quamdiu Deo ita viſum fuerit, inter vivos hoſpitatur) cum aliquando per jocum, poſtquam noctu, brevi poſt obdormitionem, hora videlicet inter primam ac duodecimam media, ſic dormiens, lectum egreſſus, ad menſulam ſtraret, ſcriptaque more ſolito volveret, plaga, in fidem rei, (negabat enim omnia neque ultro paſſus erat, ſibi hac de re illudi) ut ſentiret, excepit, qua accepta, in terram concidit, ſicque narratam hactenus fabulam revera confirmatam eſſe; ambabus concedit atque fatetur. Petit itaque conſilium.

Reſolutionis.

§. I.

QUis, qualis & quantus ſit affectus, quem profligare hic eſt animus? quis item & qualis, quantusve homo, cui medicinam parare, jam allaboro? percontari ſollicite prius, quam vel determinare velle agendum quid, vel tentare quicquam, jubent ſaluberrimæ artis medendi magiſtri. Quorum dicto audiens & ego, diſquirere cumprimis, de eo; quid mali ſit, quod hiſtoria præſens innuit? totus occupatus ero. Et eſſe quidem ſomnambulationem, partim ex deſcriptione hujus ipſius morbi, partim etiam ex hiſtoriis eorum, quos vel unquam ejuſmodi affectu laboraſſe conſtat, paulo infra recenſendis, patefiet. Oportet autem, ſi juſto ſingula tractare velimus ordine modoque, ante omnia vocis ipſius uſum (*teſte ſubtiliſſimo Philoſophorum arbitro, J. C. Scaligero, L. de ſubtil. ad Hieron. Cardan. Exerc. I. Sect. I.*) cognoſcere, partim quod ab eo ſæpenumero ad rei perceptionem ultro provehamur; partim etiam, quod ad τὸ διότι progreſſus haud pateat niſi prius τὸ ὅτι ſit conſpicuum: partim denique, quod ſurdo narraremus fabulam, quamdiu rudiores quoſdam nomen ac res omnis adhuc lateat, cujus in rationes inquiratur anxie. Nam & ipſe *Galenus*, de quo infra paulo dicetur, antea id credere nolens, tandem experientia rem ipſam edoctus, coactus eſt credere. Et *Horſtius* ipſiſſimis hiſce verbis librum ſuum *de natura differentiis & cauſis eorum qui dormientes ambulant*, ſequentem in modum orditur.

orditur : *Multi ſunt, qui cum vel cauſas, cur dormientes in ſomno ambulent, omniaque opera peragant, ignorent, vel ipſi tales nunquam viderint, nihil eorum quæ dormientes perficiunt, utut a fide dignis vel doctioribus referri audiunt, credant.*

§. II.

Vocabulum ſomnambulationis, ὑπνοβατεία Græcis, ἀπὸ τῦ ὕπνυ, a ſomno, καὶ τὸ βατεῖν, & ambulare vadere vel incedere, natales ſuos ducit, Germ. *das Umgehen im Schlaffe* : *improprie* vero, *die Mondſucht*, atque hoc malo detentos, *die Mondſüchtigen* appellare communiter ſolent. Aliis, uti v. g. *Jacobo Horſtio*, *Tract. modo laudato paſſim integro*: *Sennerto*, *Medic. Pract. L. I. P. II. c.* 19. *p. m.* 484 & *Libavio*, *ſingular. P. II. Diſſertat* 8. dicitur νυκτοβατεία ſ. noctambulatio, itemque noctiſurgium: *Bonetus vero in Sepulchret. anatom. L. I. S.* 5. *p.* 152. noctivagationem nominat, ſed minus accurate cum & ſanos noctu ſurgere (præcipue ſi neceſſitas excretionis alicujus, urinæ puta vel fæcum alvinarum &c. urgeat.) quotidiana, in ſubjectis bibulis utplurimum, doceat experientia : præterea noctambulones rectius dici quoſvis, qui vigiles ſeu ex officio ſeu etiam intentione peſſima, furum, raptorumque imitari indolem, noctu iter faciunt, quo fallere ſecurius, & ſub umbone tenebrarum, opera ſua tenebrarum, fidentius tegere queant, quos *Horatius L. I. Epiſt.* 2. *v.* 32. *ita*, *diſtinguit* :

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Vel ex alia quacunque tandem conſuetudine prava noctu diſcurrunt, quive Germanis comm. *Nacht-Raben*, *Nacht- oder Daſſen-Schwärmer*, *&*. *&c.* audiunt, nemo facile in dubium vocabit. Ejusmodi noctambulis accenſeri quoque merito poſſunt ſtudioſi illi Lovanienſes (ut vicinos atque proximos ſilentii peplo hic involvamus) quorum proterviam Jeſuita *Bellarminus Tom. VI. oper. Conc.* 6. perſtringit ſeqq. „ *Quis*, inquit, *ignorat*, *multos eſſe*, *qui Lovanium veniunt*, *ut doctores* „ *fiant in jure*, *&* *fiunt doctores in choreis & in gladio? Quorum multi* „ *ſunt*, *qui*, *cum ad parentes ſuos redeunt*, *ſi quæratur ab eis* : *quid* „ *Lovanii didiciſtis? reſponſuri ſunt*, *ſi verum dicere velint*; *didicimus* „ *vagari totas noctes per plateas : didicimus diſtricto gladio bellum gerere* „ *cum lapidibus* : *didicimus multa novaque genera chorearum* : *didicimus uno* „ *hauſtu bibere medium poculum* : *didicimus denique pecunias noſtras*, *quæ* „ *unum menſem duraturæ erant*, *una hora conſumere.* Quadrat huc appoſite, quæ B. *Franzius* movet *Part. I. Hiſtor. animal. c.* 25. *Quæri ſolet ab eruditis joci gratia*, *utrum in una urbe poſſint eſſe Antipodes*;

 (mallem

(mallem ego dicere noctambulones) *& reſpondetur*, *affirmando. Nimirum Antipodes noſtri, ſunt noſtri Helluones, qui habent diem ſeu lucem*, (i. e. laborioſi atque occupati ſunt, ſed NB. circa pocula &c. acriter cum iis dimicando) *quando nos dormimus*, *& viciſſim ipſi dormiunt*, *cum nos in die ſeu luce operamur.* De quibus tamen agere, cum nec operarum nunc, neque partium noſtrarum ſit, merito hic nobis conſcientiæ ducimus, Ciceronis illud in Lælio cogitantes: ſatis ſuperque eſſe ſibi ſuarumque cuique rerum curam, alienis nimis implicari, moleſtum. Porro *Foreſto* L. X. *Obſerv.* 50. p. 377. & *Schenk. obſerv. Medic.* L. I. p. 142. Nocturna nominatur inſania: *Etmullero*, *op. Theor. Pract.* P. II. c. 6. p. 252. (Edit. Lugd.) Somnus vigilans & vigilia ſomnians; *Paracelſo*, L. *de inſomn.* & *eunt. in ſomno* p. 494. Mania ſomnii, aliis denique aliter. Et utut nonnulli vocabulis hiſce promiſcue utantur, putantes, nominum poſſeſſionem neminem, adeoque nec ipſos facere divites, nihilominus tamen accuratiſſimum atque convenientiſſimum illud eſſe, quod Tituli loco poſuimus; utpote, ad naturam morbi, ſub prælo jam ſudantis, quam proxime accedens præter *Sennertum Medic. Pract.* L. I. P. II. c. 19. p. m. 454. *Caſtellus* in ſuo *Lexico Med. Græc. Lat.* ſub voce noctambulo, *Martini Centur. VI. quæſt. illuſtr. Diſp.* 3. *Qu.* 4. & *Sperlingius Tract. de anima ſenſitiva* cap. 15. qu. 5. ſatis ſuperque comprobare videntur. Quamvis neque denominationem illam doctiſſimi *Ettmulleri*, niſi forſitan ob pronunciationem paulo prolixiorem, hic plane rejiciendam putemus.

§. III.

An vero ſomnambulatio termino *Helmontiano Tract. demens idea* §. 37. p. m. 269. Lunaticiſmus a nobis hic dici commode queat, ideo, quod eo tempore, quo Luna, ad ἀκμὴν perventa, ſplendere amat, oberrare ſodalem ſuum *Helmontius* forte deprehenderit, vid. *Tract. Form. ort.* §. 54. p. m. 136. vel etiam ex eo, quod Somnambuli a *Galeno Comment.* I. ad L. III. *Epidem Hippocr.* p. 252. σεληνιακοὶ, & a *Jacobo Horſtio. Libr. præmemor.* c. 3. p. 189. Lunatici vocentur, maxime, cum ex clariſſimi *Sennerti* ſententia conſtet, ſub incrementum Lunæ hunc affectum eſſe valde familiarem, qua de re videri poterit loco ſuperius allegato p. 457. valde, non ſine ratione, dubito, & primo quidem, quoniam *Lunaticiſmi* nomen proprie competat *Maniæ* vel etiam *Epilepſiæ* certis Lunæ intervallis repetenti ac redeunti, prout ex ſacris literis, vides. Matth. cap. 4. v. 24. & cap. 17. v. 15. videre eſt: Secundo, quod decreſcente etiam Luna, & abſente, h. e. interdiu, nihilominus obſervari ſine ullo diſcrimine ſomnambulatio ſoleat; cujus rei teſtimonium præter ipſam a nobis prolatam hiſtoriam præbet *Caſtellus*

tellus in alleg. Lexico Gr. Lat. p. 674. ſub voce ſomnambulo. *Propria inquit, experientia ſumus edocti, theologum quendam celebrem olim, ſomno meridiano indulgentem, inter dormiendum ſurrexiſſe, prodeambulaſſe, cum coniuge locutum eſſe, a qua etiam rurſus ad ſellam in qua dormiverat, reductus, paululum adhuc dormivit, evigilans deinde, omnium plane fuit ignarus.*

§. IV.

Præterea nomen ſomnambulorum *late* nonnunquam ſumitur, diciturque de illis, qui per plana iter facientes, eundum inter, vel etiam domi hærentes, quieſcendi gratia, parerga tractantes, ſomno capti, paulatim obdormiſcunt domientesque vel loquendo vel ambulando, vel aliud denique agendo aliquouſque progrediuntur, donec, ad minimum quoddam obſtaculum allidentes, iterum expergiſcantur, id quod *Galenus* de ſe ipſo ſcribit L. I. *de motu muſculorum* c. 4. *Sedentes ſæpe quidam dormierunt, & nonnulli deambulantes: & hoc equidem audiens, antea non credebam. Cum autem fuit opus, aliquando per totam noctem iter facere, experientia rem ipſam edoctus, coactus ſum credere. Ferme namque ſtadium integrum dormiendo peregi & ſomnia videns nec prius excitatus ſum, quam in lapidem impegerim, & id eſt profecto quod non permittit dormienti iter facere longum, quia non poteſt exacte levem viam nanciſci.* &c. Simile quid Joanni Oporino præſtantiſſimo quondam Typographo, & ſibi aliquoties contigiſſe, narrat *felix Platerus* L. I. *obſerv.* p. 11. hiſce verbis: *Johannes Oporinus, inſignis Typographus, nocte ingruente, urbe incluſus, cum parente meo, Thoma Platero, tunc temporis Typographo, ut in hoſpitio minus commodo noctem fallerent, græcum exemplar corrigentes cum textum legeret Oporinus, obdormiens, a lectione tamen minime ceſſavit, poſtmodum excitatus, nihil eorum, quæ legerat, penitus meminerat, cum tamen integram legiſſet paginam. Sic & mihi idem ſæpe contigit,* &c. *Deinde* (pergit p. 12.) *aliquoties mihi etiam accidit, teſtudinem a cæna pulſanti, ut obdormiſcens, in luſu nihilominus aliquantulum pergerem, quod & adſtantes fieri aſſeverabant, egoque obſervare potui, præſertim cum mihi aliquando, ſomno correpto, teſtudo e manibus elaberetur.* Hæc ille. De me ipſo vero certiſſime fateri cogor, nonnunquam in deſcriptione, poſt cœnam, collegiorum, ſomno præter voluntatem correptum ulterius perveniſſe; quam quidem cuſtos, evigilanti poſtea, dictitaverat; immemor interea omnium ſui: hinc factum etiam eſt, ut eandem rem ſæpe bis deſcriberem, vel aliunde petita, animoque tum obverſantia, immiſcerem. Sed neque tales proprie ad noſtram ſpectant andromachem; non enim e lecto ſurgunt, (quippe jam ante ad quietem conſulto compoſiti) uti noſtrates: nec a phantaſia ad ambulandum, aut movendum ſe, impelluntur, ſed jam ante ambulabant,

labant, jam ante movebantur & nunc ſemiſopiti ac levi-ſomni, quam vigilantes orſi fuerant telam, dormientes aliquamdiu pertexunt.

§. V.

Nobis autem *ſtricto* hic *ſenſu* accipitur pro illis hominibus, qui ſomno ſepulti, e lecto inſcii ſurgunt, dormientes ambulant, vigilantium (imo quæ vigilantes abſque periculi metu nedum tentare ſemper audent, v. g. muros tectaque conſcendere, puteos intrare, &c.) opera ſæpe ſat mira, quandoque apertis plus minus, aliquando etiam clauſis exequuntur oculis, ad lectum iterum ſe conferentes, dum evigilant, vel prorſus, quid egerint, ignorant, vel paululum ſaltem recordantur. Qua occaſione, ſi animus ſimul eſſet, in abſtracto definire ſomnambulationem, ad quamnam morborum claſſem potius referri debeat, non immerito quis in limine ſtatim objicere poſſet? *Sennertus* equidem, *Inſtit. Medic.* L. II. P. 3. Sect. 1. c. 7. it. *Medic. Pract.* L. I. P. II. c. 19. & cum eo *Blancardus Inſtitt.* c. 21. p. 434. conatur eam ad coma vigil referre; verum minus mihi videtur vero ſimile cum ſomnambuli revera ſint expediti ad munia vigilantium obeunda, comatoſi vero non æque. Præterea, neque melancholiæ ſpecies appellari commode poteſt; quamvis negari nequeat, melancholicam quandam diſpoſitionem, ſi non ſemper, ſæpius certe (veluti noſtra oſtendit Hiſtoria) concurrere, ac plerumque eos hoc mali genere laborare, qui ad eandem ſunt proclives: quia tamen melancholici, etſi pertinaciter ideas ſemel impreſſas conſervant, atque circa eas fortiter occupantur, plerique nihilominus, ne dicam omnes, ad res exequendas tardiores, meticuloſi & cunctatores ſunt, contrarium vero in ſomnambulis accidat, utpote, qui expediti & audaciores exiſtunt, igitur peculiarem plane *ſomni p. n.* ſpeciem videlicet ſomnum depravatum, conſtituere, vel ex eo liquet, quod tales dormiant omnino, ſecus namque reminiſcerentur omnium eorum, quæ dormientes peregere. At vero non recordantur, niſi forſitan per modum inſomnii, quod tamen itidem raro accidit; E.

§. VI.

Deterius adhuc omni etiam Somnambulone mihi errare videntur; qui affectum, de quo jam loquimur *mere naturalem* eſſe dicunt, ceu clariſſimorum quondam medicorum ſententiam fuiſſe teſtis eſt doctiſſ. *Ettmull.* T. I. op. p. 425. Cum revera ſit *ſtatus præter naturam* contingens, phantaſia vel maxime tum vitio laborante, quippe a cujus imperio motus partium voluntarios, alioqui ſoli animæ arbitrio ſubjectos, hic confici, clarum ſit atque perſpectum. Dicendum potius eſſe *inſomnium*

nium quaſi *vigilans*, probatur partim ex rationibus ipſius inſomnii, quod fit, quando ligata per ſomnum facultate diſcernendi, conſopito ſenſorio communi, ob ſpirituum in ſenſoria externa influxum interceptum, ſola fictrix libera exiſtit facultas, nullisque veluti vinculis irretita, (ſunt verba Joh. Langii Epiſt. Medic. L. II. p. 770. niſi fallor ex Marcelli L. 4. de anima c. 11. deſumta) ex rebus, quas vel vigilans geſſerit, vel cogitatione diurna tractaverit, varias demum ideas & phantaſmata confuſe agitat, quæ tanquam res veras dormiens intuetur ac cernit: partim etiam ex eo quod affectu ejuſmodi detenti, in ſtatu quaſi ſomni atque vigiliarum intermedio hæreant, dum ſcilicet evigilati, vel plane ignari eorum ſunt, quæ fecerunt, vel vero per ſomnium apparuiſſe ſibi talia firmiter perſuadent. Quinimo dari talem ſtatum, præter exemplum Petri, e carcere liberati, Act. c. 12. v. 7. ſeqq. ipſa quoque teſtatur experientia. Quem enim latet, quoſpiam, in ſpecie aniculas, medias inter confabulationes cum aliis in levem delabi ſomnum h. e. in ſtatum pauliſper a vigilia recedentem, poris videl. cerebri a que nervorum non arcte riteque ſatis ſubſidentibus, veluti perfecto & naturali fit in ſomno, ſed conniventibus ita quidem ut ſpiritus ex parte illos ingredi queant, hinc etiam eſt, quod aliis citius evigilent, ſæpeque & audiant & intelligant, quæ ab adſtantibus prolata fuere: ſomnum autem adeſſe vel hinc apparet, quod ſcilicet oculi concidant, ipſis etiam invitis, caput nutet atque antrorſum prolabatur, ob defectum ſpirituum, muſculos capitis inhabitantium. Simile quid in ſomnambulis adeſſe, ob inæqualem ſpirituum in cerebro conſtitutionem & motum, quis non videt, dum in partibus & nervis, ad motus corporis voluntarios peragendos a natura benigniſſima matre deſtinatis, abundantes, vigentes, atque in motu conſtituti: in aliis vero cerebri locis, ubi ſenſuum externorum miniſterio operantur, & ubi idearum a mente fit diſcretio, languidi, quieſcentes, ac non influentes, deprehenduntur, quid quæſo inde aliud, quam ſtatus quidam vigiliarum ſomnique intermedius, oriri poterit.

§. VII.

Rem uno vel altero, ex autoribus fide dignis depromto, illuſtrare liceat exemplo, quo ſcil. melius affectus hujus ingenium eniteat, atque judicium poſt modum quoque medicum eo felicius interponere queamus. *Henricus ab Heers in obſerv. ſuis medic. oppido raris fonti ſpadano* annexis *obſerv.* 2. p. 32. *ſe noviſſe*, refert, *ſenem quendam ſomnambulonem, ſibi a primis cunis ſocienuum fidum. Hic* (inquit) *mira in ſomno & fecit obſervatione digna, & paſſus eſt. Cum admodum juvenis in celebri academia poëſin profiteretur, atque interdiu mentem in omnia verſaſſet, ut verſus ad incudem ſæpius revocatus, melius tornaret, quod vigil nequive-*

 rat

crat , noctu ſurgens pluteum aperuit, ſcripſit, ſævius alta voce, quod ſcripſerit , relegit; demum cum riſu & cachino ſibi ipſi adplauſit, atque contubernalem, ut ſecum plauderet, hortatus eſt, poſitisque ſandaliis, & veſte, clauſo pluteo chartisque , ut veſperi fecerat , repoſitis , lectum repetiit , ſomnumque dum excitaretur , protraxit. Omnium, quæ noctu geſta eſſent, ignariſſimus. Mane pridiana ſolicitudine adhuc laborans , quomodo hiatus verſuum repleret. Cum vero chartas ad libitum ſuum impletas , idque ſua manu , videret , attonitus quaſi ſolicitusque denuo fuit, bonine an mali genii opus eſſet. &c. Idem (pergit) *cum multo poſt relictis ſcholis uxorem duxiſſet , eam tamen , ut fert conjugii conditio , quædam celaret , quoties noctu , infantem cunis ereptum geſtans, domum perambulabat, cogitanti per omnia uxori, quæcunque rogatus patefaciebat , & ad ſingula ejus quæſita veriſſime reſpondebat, ita ut ab ambulante & quaſi dormiente, quæ a vigili mulier nullis unquam extorſiſſet illecebris & actibus, quæque rogare erubuiſſet , ſimplici nunc interrogatiuncula , quicquid vellet , ſincere ac ſine fuco intelligeret, mirante poſtea ſæpius ſomnambulo , quomodo quæ ſecretiſſima habebat , in uxoris cor linguamque veniſſent.*

§. VIII.

Clariſſimus *Jacobus Ho[illegible]ſius Cap. I. p.* 173. memorat: *tres nobiles in arce Bernſtein, juvenes , & ſat bellicoſi fratres in eodem cubiculo dormiunt , quorum unus , nudus e ſomno ſurgens , induſium manibus ſecum aufert, e lecto ſeſe ſubducit, ſilens pergit ad feneſtram, corripit funem e trochlea pendentem , & in domus faſtigium prorepens , incidit in nidum picarum , quem diripit atque diſſipat , pulloſque induſio involvens iterum deſcendit, ambulat, & ad lectum ſe confert , pullos cum induſio ibidem abſcondit , & bene dormit. Mane expergefactus cum fratribus loquitur , nihil ſcit, niſi quod quaſi per ſomnium recordatur , fratribus ſuis hac verba refert : narrabo vobis mirabile ſomnium, viſus ſum mihi e lecto ſurgere, ambulare, penetrare ad domus uſque faſtigium, nidum picarum diſturbare, pullos auferre mecum : alii ipſum rident. Nihilominus poſt hæc & alia colloquia ſurrecturus , quærit in lecto induſium , ſed illud pullis circumdatum , pulloſque vivos invenit, omnes ad turrim accedunt , & nidum fractum expugnatumque deprehendunt.* ſic etiam, ut par pari addam : in recenti adhuc memoria hæret exemplum. *Filii civis cujuſdam Noviſolienſis, annorum circiter 16. qui, [illegible] per horreum aliquando, prope domum paternam ſitum, animi gratia ſpeciaretur , aſtutiamque paſſerum, copioſe intra tectum ſ. ſtramineum ſ. arundinaceum nidulantium forte fortuna conſpiceret valdeque miraretur , extemplo eorundem locula proxima data [illegible]ſione ſe debellaturum , ſecum ſerio conſtituit , quod ipſum non verbis tantum , ſed facto poſtmodum [illegible] - dum ſcil. tertia vel quarta*

abhinc nocte dormiens lectum egreditur, per inferioris hypocauſti feneſtram, a baſi ad diametrum uſque cancellis munitam, in tectum horrei ſe confert, ibique rem antea firmiter ſibi propoſitam, nunc non ſolum feliciter exequitur, ſed præterea etiam ſpoliatis nidis pullorum prædam, quam mitra continebat, ſecum in lectum remeando, deportat, omnium a ſe ſuſceptorum & patratorum non niſi per ſomnium quadantenus adhuc memor. Mane ſiquidem expergefactus, antequam ſurgeret, de mitra ſollicitus, eam quaſi perditam, ubivis anxie quærit, ſed fruſtra, imo quærendum inter in hæc verba erumpit: Der Geyer wird doch nicht ſein Spiel mit meiner Nacht-Mütze haben, es träumete mir, ich hätte junge Sperlinge ausgenommen, die ſteckete ich alle in die Mütze, und ſiehe, es iſt keines von beyden da: Unde riſu etiam nimio exceptus, donec tandem ſtragulis exemtis, in conſpectum ipſa una cum pullis, prodiret.

Idem *Horſtius*, l. c. pag. 176. aliud notabile profert exemplum his verbis: *Noſtis, in hac vicinia quendam, cujus pro concione mentio facta eſt, d. 24. Martii ſomnambulonem fuiſſe qui cum e lecto ſurrexiſſet, de ſcala deſcendiſſet, iter magnum per aream ædium feciſſet, in culinam venit palpitando, puteum ingreſſus eſt, & parieti digitis manuum pedumque firmiter adhæſit nudus, induſio tantum indutus, nec aquam in puteo, niſi fimbria induſii palmæ quantitate tetigit, ſponte demum expergefactus, forte gelidæ ▽æ contactu, clamat: o mein Bein, heiſſt mir! Domeſtici audita & agnita voce, illum quærunt, putei parieti affixum manibus pedibusque inveniunt, ſcalam cum lucerna illi porrigunt, ſed cum hac ratione redire non poſſet, urnam illi demittunt, monentes, ut illam dextro pede ingrediatur, dextra vero manu catenam apprehendat, ſeſe extractum iri, quod etiam feliciter factum eſt, ſed valde refrigeratus in puteo, & in lectulum deportatus, obmuteſcit, & vix palpebras, easque rarius, nec niſi valde excitatus, aperit.*

§. IX.

Petrus Salius Diverſus, medicus quondam ac philoſophus Faventinus libro de affectibus particularibus, cap. 18. ita ſcribit: *Juvenem novi, qui ſomnians ſe propter negotia ſua equitaturum eſſe, e lecto ſurgens, indutus veſtimentis propriis, cothurnisque & calcaribus appoſitis, ſuper feneſtram (nam in tabulato degebat) conſcendit, & hinc indeque divaricatis cruribus parietem, perinde, ac ſi equus eſſet, & voce & calcaribus ad curſum incitabat: hic ex ſomno expergefactus, tanto horrore correptus eſt, cogitans ſe per ſomnium mortem fere ſibi ex præcipitio conſciviſſe, ut me die ſequenti conſuluerit ad prohibenda hæc inſomnia, quæ ipſum ad obeunda vigilantium munia deducebant. Alterum* (pergit) *curavi, qui cum natura*

tura jurgioſus & contentioſus cum aliis foret, utplurimum ſomniabat, ſe cum aliquo manum conſerere, indeque ſurgens e lecto arma capiebat, gladiumque evaginatum furioſe vibrabat, perinde ac cum inimico pugnans, undique parietes & circumſtantia loca percutiebat, &c. Præter hos *artificem etiam ſe cognoviſſe aſſerit, qui dormiens e lecto ſurgebat, e thalamoque exiens, domum fere totam peragrabat, ſcalasque nullo diſcrimine adſcendebat ac deſcendebat. Hic aliquando nullis indumentis amictus exiens apothecam propriam adivit, eamque clavibus aperuit, poſtmodum vero expergefactus ab amicis, qui ei forte obviam facti fuerunt, maxima cum verecundia & timore, dubitans, ne inde ſtultus exiſtimaretur, non amplius dormiens, ſed vigilans redivit. Denique ab Andr. Libavio ſingular.* P. II. p. 266. ſequens narratur hiſtoria: *novi ſartorem*, ait, *qui ebrius de nocte ſurgebat ad naturæ poſtulatis ſatisfaciendum, neque tamen id ſatis vigilanter. Cum ergo redire ad thalamum vellet, præteriens feneſtram in cavædium ſpectantem, nec clauſam, manuque quaſi ſpondæ latus adeſſe ſentiens, errore deceptus, cum ſe injicere lecto vellet, in vacuum decidit & tunc demum a lithoſtrato arcæ inferioris ſublatus, vix longo tempore a conquaſſatione membrorum convaluit.* Huic non abſimile, ſed ſtupendius paulo, ſuperioribus annis obſervare licuit ſomnambulationis exemplum; ubi *vir quidam honeſtus ac eruditus, conſiſtentis ætatis, noctu e ſomno ſurgens, in reditu vero ejus infelici feneſtram pro lecto petens, in plateam ſe præcipitavit, ſicque cruribus cranioque fractis, mane ſummo a vigilibus mortuus repertus eſt.*

§. X.

Verum ad bonam cauſam cum vel tria verba ſufficiant, adhæc brevitatis lex, quam ſedulo in materiæ hujus tractatione obſervare animus eſt, jubeat, ut a fuſiori hiſtoriarum compilatione abſtineam, ſatis ſuperque, niſi fallor, e tot tantiſque teſtibus, utpote omni exceptione majoribus, veritas jam eluceſcet. Interea, quem plura legere atque evolvere hac de re non piget, adeat quæſo *Andr. Libavium, Singular.* P. II p. 250. ſeqq. *Schenkium obſerv.* L. I. p. 71. *Hildanum*, C. 2. *Oper. Medico-Chirurg. Obſerv.* 84. & 85. *Jonſton. Taumatorg. natural. Claſſ.* 10. c. 6. art. 6. p. 482. *Jac. & Gregor. Horſtios*, illum, *loco ſupra dato*; hunc, *Tom. I. oper. Med. concluſ.* 1. *Diſp.* 3. p. 144. *Marcell. Donat. Hiſtor. Med. mirabil.* L. II c. 1. p. 93. Alioſque, quorum numerus videri poterit præter alleg. **Libav.** in *Waltheri Sylva Medica* ſub voce ſomnambuli.

§. XI.

§. XI.

Ordine autem ut progrediamur, ſine quo natura conſtare non poteſt, quoque nihil vel in animo vel in opere ſapientis admirabilius eſt, *Scaligeri præconio Exerc. II. de differentia* quoque ſomnambulationis, priusquam ad reliqua deſcendamus, pauca quædam proferre licebit. Ubi ſi clariſſimi hic *Jac. Horſtii* c. 5. p. 198. Tract. alleg. veſtigiis inhærere velimus, ſomnambulones in genere alii erunt mere naturales, alii naturales & ὑπερφυσικοὶ ſimul. Naturales a variis eorum operationibus, quas edunt, varias quoque ſortiuntur denominationes, ita ut alii dicantur *ſilentes*, alii *tumultuantes*; alii *facile*, alii vero *difficile evigilantes*: alii *clauſis oculis ambulantes*, alii *plus minus apertis*, *&c.* Somnambulos partim naturales, partim hyperphyſicos eſſe dicit, qui alias actiones plane naturales, & ſecundum ordinem naturæ gerunt, alias miraculoſas, quæ plane præter ordinem naturæ fiunt. Dari tales, ipſe ſacer codex teſtatur, dum nimirum hujus rei habetur teſtimonium in *Actis Apoſt.* c. 12. v. 7. ſeqq. ubi *Angelus Petrum incarceratum excitavit, ipſe vero Petrus, jubente ſic Angelo, ſubligavit ſoleas, & circumdedit ſe veſtimentis, & ambulavit, quod ille non prius agnoſcebat, quam proceſſiſſet per ſat longum vicum, & Angelus diſceſſiſſet. Tum enim ad ſe reverſus, dixit: nunc ſcio, quod verum ſit &c.* Divinum eſſe, quod illæſi conſerventur ambulones iſti, & præter ordinem naturæ divinitus in iis aliquid nonnunquam contingere, tradit allegatus laudatiſſimus *Autor* Cap. 2. p. 183. Anima hominis tum multo præſtantiorem mentem aſſumente, multaque majora ſuis potentiis vel viribus, ac fere divina agente, quod enim expergefacti ſtantes adhærenteſque periculoſiſſimis locis non cadant, ſed ſalvi multoties firmique ſerventur, id ſane omnem humanæ rationis non minus, quam etiam phyſicæ doctrinæ captum excedit. Adhæc in apprehenſione adeo vehementi tamdiu vires naturales perdurare, neque defatigatione remittere, revera aliquid divini miraculoſique eſſe, vel Ethnicus conceſſerit. Vere namque (juxta locum S. S. Actor. XVII. v. 28. in Omnipotententiſſimo Creatore noſtro vivimus, movemur, & ſumus; Eum nos in omnibus actionibus & cogitationibus, in ſingulis nutibus ac motibus noſtris extra controverſiam præſupponimus, quid igitur temere ſublimius hic adſcendere velis, niſi forſitan hoc fine, ut lapſu graviore ruas. Sed de his ſatis. Hic enim naturales tantummodo moramur. Quos, pace præmemorati doctiſſimi auctoris, aliorumque, mihi rectius forſitan ſequentem in modum diſtinguere licebit.

§. XII.

Scilicet *primo* ſomnambulationem *aliam* ego dico veram, *aliam*

ſimulatam. De vera, non eſt, cur vel aliquid hic dicamus, utpote tot exemplis jam ante ad nauſeam fere comprobata: de ſimulata vero memorabile ſequens exhibere poſſum exemplum: nimirum, *videre mihi* (& quidem, quantum ſcio, hactenus ſoli) *quondam Praga Lipſiam repetenti, contigit, in oppido quodam Bohemiæ ſi recte jam memini, Auſzig dicto, juvenem ruſticum aſtutum non minus quam libidinoſum*, ſomnambulationis morbum *brevi adhuc ante adventum meum mentientem, ita, ut quilibet ſancte juraverit, nebulonem hunc revera ex eo laborare malo. Surgebat enim e lecto, oberrabat, ſcalas ſurſum deorſumque abſolvendo, poſtmodum in lectum vel ſponte regreſſus, vel a domeſticis ſuis, quibus in aditu clauſis & quaſi dormientibus oculis ſeſe conſpiciendum offert, aliquoties, non ſine admiratione ſumma expergefactus, ad cubiculum reducebatur. Aſt hoc ſub prætextu ſedulo ſemper ancillam viſitavit, donec tandem partu ab eadem in lucem edito, propria oris confeſſione ambo de morbo affectato domeſticis, & mihi quoque teſtarentur fidem.* Et ne forſitan, quod hic recenſui, fabulam alicui magis quam verum ſapere videatur, attendat, quæſo, eos tantum, qui epilepticos, phtiſicos, vel alio etiam morbo affectos, tam egregie imitari audent, ut pro vere talibus a quolibet etiam eruditiſſimo maxima cum commiſeratione habeantur. Ejuſmodi epilepticum ſe vidiſſe, aliquoties ex ore prænobiliſſimi excellentiſſimique domini A. Q. Rivini, patroni, præceptoris & procancellarii mei cum cura colendi, relatum accepi: imo ipſe ante biennium, & quod excurrit, excurſionem aliqualem cum commilitone amico inſtituens botanicam, a nebulone quodam claudicationem cœcitatemque ad amuſſim mentiente, me decipere paſſus ſum, quod tamen non reſciviſſem, niſi furcifer ille, accepto paulo poſt groſſo, de fuga ſibi conſuluiſſet. Sed neque de hac nobis hic ſermo eſt.

§. XIII.

Vera ſomnambulatio, (de qua hoc loco ſoliciti ſumus) eſſe poterit vel vulgaris ſ. ſimplex, alias *ordinaria l. conſueta* dicta; vel rara ſ. conjuncta aliis *inconſueta l. extraordinaria. Illam* (quam *Horſtius* etiam *frequentiorem* dicit) voco, quando taliter affecti munia omnis admirationis expertia ſubeunt, h. e. (ut clarius me expediam) tacite in cubiculis l. hypocauſto deambulant, iterumque poſt moram ad lectum redeunt &c. *Hanc*, ſi talia ab ægris ſuſcipiuntur, qualia *vel* demirari ſatis a nobis nequeunt, v. g. libros evolvere, ſcripta ſupplere; *vel* etiam quæ vigilantes abſque periculi metu nedum tentare audent, uti: tecta conſcendere, puteos aliaque loca periculoſa adire, ſicque porro. Talis quoque fuit illa ſomnambulatio, quam Tyrnaviæ annotaſſe vir omni alias fide dignus mihi domi quondam narraverat; *Fuit ibi ſtudioſus quidam*

dam artis balneatoriæ. Hic ſolenni aliquando die balneatorio circa horam noctis undecimam, ſtrepitu laboribusque paulatim ceſſantibus, in præſentia reliquorum ſodalium pone fores locum occupans, placide quidem obdormit, ſed ecce, brevi poſt, ſedem antea occupatam ſegniter deſerit, ad feneſtram clauſis oculis & manibus, cruciatim complicatis, tacite ſe confert: adſtantes, deſiderio pleni, quid ſibi hic velit actus, exſpectant, vixque a riſu ſibi temperare poſſunt; ibi ſomnambulo manus explicat, cuneos parieti infixos leniter prehendit, provideque per eoſdem ad repoſitorum uſque inſtrumentorum pertingit, quocum, dum ei inſidere conatur, repente, aſt ſine noxa, delabitur. Interrogantibus poſtea, ſibi ſomniaſſe de componendis atque in ordinem redigendis utenſilibus, reſpondet. Huc etiam facit obſervatio doctiſſimi *Clauderi* in *Miſcell. N. C. Decur.* II. *Ann.* V. *Ordine* 189. deſcripta, itemque illa, quam ex Henr. ab Heers ſupra §. 6. recenſuimus. Utramque præterea, & raram & frequentiorem, ad eundem fere modum quo febres communiter in continentes, continuas ac intermittentes diſtingui ſolent, eſſe etiam dicique commode poſſe aliam *continentem*: quæ unico abſolvitur curſu, nec amplius, niſi finito forſitan bene longo temporis intervallo, redit, v. g. ſi aliquem certo quodam die ſolicitudo gravis premat, vel laborum lex acriter urgeat, vel etiam ſi quis forte inebrietur, ſic enim fieri poteſt, ut eadem nocte ſurgat & ambulet. Aliam *continuam*, quæ poſt quamlibet obdormitionem, & talis fuit noſtro; aliam *intermittentem* ſeu *periodicam*, quæ certo tantum ſeptimanæ vel etiam menſis cujuslibet tempore, hominem invadit, qualemque *Joſephus Lanzonius* in *Miſcell. N. C. Dec.* III. *Ann.* V. & VI. *obſerv.* 119. exhibet, nullus dubito; ita quidem, ut hæc ipſa *intermittens*, vel ſit ſtata, h. e. certum in plurimum ſervans ordinem, vel erratica, i. e. talis, quæ non horis tantum incertis, ſed & diebus dubiis, ægrum prehendat. Tandem vera quoque ſomnambulatio alia erit connata ſeu hæreditaria, & alia acquiſita: illius, egregium doctiſſimus nobis teſtimonium reliquit *Williſius* L. *de anima brutor.* c. 16. ſ. ult. p. 538 in quadam familia, ubi & pater & nati ſinguli huic affectui fuere obnoxii; ad hanc, omnes reliquæ referri merentur.

§. XIV.

Antequam vero hancce *ſomnambulationis differentiam* penitus deſeramus, non immerito quæſtio ſuboritur, quanam ejus *ſpecie* laboraverit noſter? Forſitan connata; cum certo mihi conſtet eum, antequam dulciſſimo valediceret patriæ ſolo, ſubinde jam hypochondriacum perpetiſſe malum? Non ſane. Poſito enim atque conceſſo, quod fuerit hypochondriacus, tamen non ſtatim ſequitur, propterea fuiſſe quoque ſomnambulonem. Præterea vero nodum hujus dubii ſolvit conſtitutio parentum

ejuſdem fortis & ſana, vivida, neque ad malum ejuſmodi, quantum quidem hactenus ſcio, vel unquam inclinans, animadverſa. Ergo acquiſita. Non intermittente, alias namque unius vel alterius noctis percepiſſet intervallum: neque continente ſic enim unico abſoluta curſu & poſt primam ſtatim invaſionem finita penitus ceſſare inpoſterum debuiſſet: Imo nedum erratica, ſtatum ſiquidem ut plurimum ſervabat tempus, ſtatam etiam præter propter horam. Anne igitur continua? quidni! & quidem vera; poſt quamlibet enim obdormitionem, adhæc, ſpatio ſeſqui horulæ circiter ſoluto, vere dormiens, e lecto ſe ſubtrahi & ad propoſitos labores humeros accingere, videbatur.

§. XV.

Tempus eſt, ut ſedem morbi, ea, qua fieri poterit diligentia, jam etiam ſcrutemur. *Hæc* primario quidem quærenda erit in cerebro, ſpeciatim vero in illa parte ubi commune idearum receptaculum atque perceptionum centrum, nec non eminens in reliquum corpus imperium degit, quamvis neque is a vero forſitan penitus aberraverit, qui centrum ſic dictum ovale, ut-pote quod abs nonnullis recentiorum anatomicorum pro diſpenſatorio ſpirituum ſic dictorum animalium, mediantibus nervis ad partes, pro voluntario motu perficiendo ferendorum habetur, quodque fundum ventriculorum conſtituit, ac ubi medullares fibrillæ deſinunt, & nervorum principium exiſtere videtur, ſitum eſt, partem pariter affectam dixerit. *Subjectum* autem, *ut quo*, ipſi, extra controverſiam ſunt ſpiritus, h. e. particulæ ſanguinis ſubtiliſſimæ, ſ. æthereæ, vivida & elaſtica virtute pollentes, ſenſus omnis ac motus parentes & præſides. Hi ſunt, qui ab objectis de die cerebro fortiter impreſſis vellicati atque ad contrarium motum intra nervos concitati, totam corporis compagem per quam ſemel expanſi ſunt, ſive propria ſua mobili indole, ſive ſtimulatitia phantaſia, commovent, ita, ut actiones ſuas alioqui naturales & cæteræ poſtmodum ſubire cogantur partes. Nullum hic vitium erit in anima rationali, quia in ſe nonniſi mere intellectus ſ. lumen ſubſtantiale ac intellectuale eſt; ſed omnes id ſuſtinent partes corporis impetum, ſtylo Hippocratico, facientes, utpote quæ verus animæ vicarius, neceſſariumque motus inſtrumentum ſunt. Dantur tamen plures adhuc loci affecti, reſpectu ſcil. cauſarum, in §§. ſubſequentibus commemorandarum e. gr. diaphragma, ventriculus, una cum eorum, aliiſque hypochondriacis nervis, qui cerebrum, & per conſequens ſpiritus etiam adeo nonnunquam inquietos reddere poſſunt, ut dulci atque compoſito frui nequeat ſomno.

§. XVI.

§. XVI.

Sed ad cauſas properemus, utpote e quibus unis vera hauritur ſcientia. Hæc ut eo felicius erui poſſit, in genere conſiderandum in ſomnambulis ante omnia venit ſomnium ipſum. Dormire tales, licet in ſomno ſurgant, oberrent, vigilantium opera expediant &c. vel ex eo patet, quod ante actorum vel plane ſint inſcii, vel eorum per ſomnium quaſi tantum recordentur. *vid. hiſtoriæ* §. 8. *adductæ.* Deinde a contrario, i. e. vigilis, hoc ipſum probari etiam poteſt. Sicuti enim vigiliæ ſunt actio facultatis animalis i. e. ſpirituum a primo ſenſorio ad ſenſus externos; ita ſomnus eſt vinculum ſ. copula eorundem in ſenſorio primo, unde olim jam ab Ariſtotele vigilias in τὸ ſentire, ſeu (quod idem eſt) operari, conſiſtere, credebatur. Verum hoc non ita ſimpliciter eſt accipiendum, ſed ſecundum quid: ſiquidem per experientiam certo conſtat potentiam animalium motivam non omnino ſopiri in ſomno, quia dormientes perſæpe agitant brachia ſeque verſant, imo ſunt, qui (*ſunt verba Joh. Conrad. Wechtleri L. I. de hom. orient. difficult.* 16.) domorum faſtigia conſcendunt, ratio eſt, quoniam etiam inter dormiendum ſpiritibus animalibus libera divagatio per nervos ac influxio virtutis motivæ, quæ tamen non aliter, niſi accedente phantaſia fortique imaginativa ſtimulante operatur, denegata non eſt. Tale quid forſitan etiam intelligit *Ovidius*, *L.* II. *Metamorph.* dum ita canit:

Ingemit Alcyone, lacrymas movet atque lacertos
Per ſomnum, corpusque petens, amplectitur auras,
Exclamatque, mane, quo te rapis? ibimus una.
Voce ſua, ſpecieque viri turbata, ſoporem
Excutit.

Qua ratione hinc *Gunther*, *Andernacus*, *Hieron. Dandinus*, *Æmil. Pariſianus*, *Franc. Hildesheim*, *aliique complures*, ſuam hic defendere valeant ſententiam, ſomno ſenſus omnes feriari aſſerentes, ipſi viderint. Præterea vero quoniam operatio talis, quæ fit in vera & legitima vigilia, non conſiſtit in ſola ſpirituum expanſione ad peripheriam a centro, quin potius in receptione ſpecierum ſenſibilium, quæ ad cerebrum a ſenſibus externis deferuntur, atque in recta earum dijudicatione, hæc autem omnia in ſomnambulis fruſtra quis quærat, idcirco non vigilare, ſed dormire hos ipſos, nemo eſt, qui inficias ire velit. Præterea eos eodem tempore quoque ſomniare, partim actiones, quas veluti cum intentione quadam ſuſcipiunt, partim vero recordationes eorum leves, confirmare videntur. Somniant autem & ea fingunt & imaginantur ſibi, quorum antea notitiam habuere, utut confuſe. Sicuti ergo ſomnia quæ-

 vis

vis principaliter efficit phantaſia, ut pro ratione objectorum, quæ ſibi ipſi proponit, delira ſæpius & inconcinna, homo dormiens loquatur, rideat, ploret, clamitet, terreatur, aliaque ſimilia præſtet; ita, cum hæc majori ſolummodo gradu differant, cauſa itidem quærenda erit in phantaſia. Hæc, (ut clariſſ. Wedelii verba mea faciam) ſuavibus exhalationibus, quæ ſomnum inducunt, demulcetur equidem etiam ſub primum, id eſt, altiorem ſomnum, omnium tamen prima ſe expedit, & perpetui vigilis ad inſtar ſe gerit, qui ſub primum ſomnum vigilat quidem, aſt in ſtatione ſua quietus perſeverat, & ut ita loquar, patitur magis, tamdiu, donec ſeſe hinc extricet, ac ſimul agat, ſeu meditetur, ſpecies olim prius ad ſe allatas recolat, examinet, novasque inde fabricet.

§. XVII.

Si itaque fortior ſit phantaſia, ſi fortius ſibi hoc vel illud imprimat objectum, rectore anima vel ratione quaſi quieſcente, fit, ut ob ferias organis conceſſas, ipſa demum ſibi in Coelo microcoſmico citra mentis voluntatem ſumat imperium, duobus ſtipata ſatellitibus, quorum miniſterio ad actiones ejuſmodi expediendas, conſtanter utitur, nimirum uno, *facultate appetente, ſeu appetitu tum ſenſitivo, tum voluntario, quo & affectus ſpectant*: requiritur ſcil. in hoc affectu impulſus ad agendum quoque, ſub ſpecie boni, & quidem in ſomno; altero, *Locomotiva*, ita quidem ut appetitus, antea tantum ad ea latus, quæ ratio æſtimaverat, fortiori jam agatur impetu, adeoque locomotiva citetur, & ad munia ſæpe ſat mira exequenda incitetur. Ubi tamen probe tenendum eſt, appetitum voluntarium non ſecundum rationis arbitrium, ſed potius ſecundum ipſius phantaſiæ impetum hic perfici, alias namque loca ejuſmodi periculoſa non adirent. Deinde vero & hoc notari meretur, facultatem ſpirituum animalium motricem non ſimpliciter & abſolute dependere a mente, ſic enim vel pure dormirent, vel vigilarent, ſed ſaltem hanc illorum determinare vim, quod vel exinde conſtat, quando paralyſis artus occupat, nulla etiam efficaciſſima voluntas motum efficere poteſt, ratio, quia tum temporis nervi ſpiritu, & conſequenter etiam vi motrice deſtituti ſunt. Hinc mirum non eſt, ſi, (ut Poëtarum fabulam huc applicemus) ſolis equis & curru alteri concreditis, hi, inſueti habenarum & imperii, extra orbem ferantur, atque ſe præcipites in mare dent. Siquidem judicio plane ſuſpenſo, neque timidi ſunt, neque conſcii eorum quæ perficiunt: & ab infantibus non differunt, qui igni & aquæ illudunt, quoniam eorum mens nec dum judicat, quid malum ſit aut bonum. Non male itaque *Sylvius Prax. Med.* c. 33. p. 474 *ſcribit: ſomnambulationem fieri per phantaſiam, circa unum objectum attentius & cum grandi affectu animi occupatam, ac proinde* *ab*

ab aliorum objectorum conſideratione abſtractam. Cui aſſentitur *Blancardus*, *Inſtit. Med.* cap. 21. p. 434. *dum putat*, *cauſam eſſe fortem atque continuam impreſſionem rerum*, *quæ quotidie peraguntur*, & *ſimul illos curam eorum habere*, *quæ ſequenti adhuc die erant peragenda.* Certo enim ex rerum præcedentibus diebus attentius paulo agitatarum, vel cum diligentia geſtarum, firmiter impreſſis ac aſſervatis ideis, phantaſiæ per ſomnium oblatis, hæc vivaciſſimam utplurimum vim nanciſcitur operatricem, tales poſtmodum actionum ideas inter dormiendum in actum deducendi. De viribus autem phantaſiæ in corpus noſtrum, cum hic plura diſſerere prolixum nimis, ne dicam, tædioſum foret, ideoque lectorem benevolum potius ad lectionem autorum ea de re ex profeſſo agentium, lubenter hac vice remittimus.

§. XVIII.

Cum autem præter fortem rerum imaginationem & ſpiritus & humores ad actiones quaſcunque animales obeundas, tanquam neceſſarium inſtrumentum concurrant, nihil obſtat, quo minus & horum, quacumque tandem ratione peccantium, labes eodem modo etiam redundet in phantaſiam. Et quidem quod 1) ſpiritus concernit, horum ſufficiens activitas & promptitudo ad tubulos partium conniventes, in ſomno reſerandas, omnino utrumque hic faciunt paginam. Notum enim eſt, diſſipatos laboribus, curis, aliiſque innumeris animi corporisque motibus ſpiritus, per ſomnum iterum e ſanguinis maſſa quotidie neceſſario reſtitui, niſi nobis metuendum ſit de imminente vitæ periculo: unde, ſi 2) ea tum ſit ſanguinis craſis, ut copioſiores, quam quidem ordinarie fieri ſolet, & partibus movendis ſufficientes, ſeparentur ſpiritus, clauſis licet adhuc certis quibusdam cerebri loculis, ad ſenſus externos ſpectantibus, actiones ejuſmodi ſomnambulatoriæ facili negotio emergere poſſunt. Ubi tamen probe notandum, pro ratione ſanguinis temperaturæ ſ. conſtitutionis, a vitiis primarum viarum dependentis majorem vel minorem elaborari atque ſeparari ſpirituum copiam. Sic v. g. *Hipochondriacis*, quibus acidum nimium dominatur, *teſte Sylio L. de affect. particul. c.* 18. familiare præ aliis eſt hocce mali genus, propterea quod ſanguis a vitio tali ad perpetuum quaſi orgaſmum ſtimulatus, copioſos ſeparet ſpiritus pertinaces, neque torpidos; hinc etiam eſt, quod adeo fortiſſima vi abundent imaginativa, ſic quidem, ut in nonnullis imaginationes tam vehementer imprimantur & hæreant, ut nullis argumentis, nullisque perſuaſionibus ab iis amoveri aut diſtrahi ſe patiantur. *vid. Keckerman. Syſt. Phyſ.* L. III. c. 24. *Cœl. Rhodigin. Lect. antiqu.* L. 16. c. 37. His itaque dormientibus ſomnia ita evidentia fortiterque imaginata repræſentantur, ut ea pro veris magis multo habeant, quam quæ ipſis vigilan-

vigilantibus offeruntur, unde in hiſce ſomniis tota mente ac totis viribus agentes, eas functiones, concurrente ſimul ſpirituum tenuitate, perinde ac ſi vigilarent, operantur, hincque dormientes corpus erigunt, e lecto ſurgunt, ambulant, digladiantur, & iisdem propriis operationibus, quæ ſomniantes imaginantur ſe addicunt atque operam navant, *ſunt verba Schenckii loco ſuperius dato* p. 116. qui hac de re legi meretur. Et utut non neſciam, hic mihi dicam ſcribi objicique a doctoribus *ex Jac. Horſtio.* l. c. c. 6. poſſe actiones ſomnambulatorias in ſubjectis hypochondriacis eſſe impoſſibiles, ideo, quod certum ſit, ejuſmodi complexionis homines paucos eosque ad motum tardos, per conſequens etiam ad munia, qualia nonnunquam a ſomnambulis ſuſcipi videmus, expedienda plane ineptos progenerari ſpiritus? quibus tamen breviter hic reſpondemus: extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſſe, talem, veluti eſt melancholicorum ſ. hypochondriacorum, ſanguinis diſpoſitionem ſ. temperamentum, ut vocant, ad cudendas ideas, pro phantaſiæ morbis producendis, aptiſſimam eſſe atque convenientiſſimam; ſi igitur in his forte concurrat vel acrimonia quædam notabilis; (quale ſubjectum demum rectiſſime dicitur hypochondriaco-ſcorbuticum) vel major bilis quantitas, (unde talis hypochondriaco-bilioſus optime appellabitur) verbo: diſpoſitio M. S. ſive nativa ſ. forinſecus introducta, talis, ut particulæ mobiles, ſubtiles, atque ſulphureæ ſimul abundent, facilis omnino ad hunc affectum diſpoſitio erit.

§. XIX.

Sed audiamus, quæſo, *Jacob. Horſtium*, *qui Tract. ſup.* alleg. c. 4. p. 195. & c. 7. p. 226. *dicit*: *Noctambulones inæqualis eſſe complexionis nimir. aut frigidioris aut humidioris aut utriuſque ſimul in cerebro, & calidioris ſicciorisque in corde atque hepate, ita, ut calore ſanguinis æſtuantis, & agilitate ſpirituum organa motus ad movendum ſeſe ſponte, nec non ad varia opera loco motiva peragenda, quam promptiſſima evadant.* Cui proxime aſſentitur *Tob. Tandlerus Diſſert. Phyſico-Medic.* V. p. 171. §. 30. ſeqq. ubi eodem tempore demonſtrare conatur tum caliditatem & ſiccitatem viſcerum præmemoratorum nimiam ex ſanguinis ſpirituumque effervefcentia, quæ corpus agile & ad motum proclive animum vero audacem & aliquando temerarium reddere potis eſt non ſecus ac pila ventoſa flatu turgida, quæ facile quoquoverſum inpellitur; tum etiam humiditatem cerebri, exinde quod ſomno tales, arctiore paulo detineantur, propter vaporis nimirum, qui tenacius cerebrum occupat, abundantiam atque diſſolutionem tardiorem. Verum, etſi negari non poſſit, eſſe inæqualem quandam in noſtro affectu cerebri diſpoſitionem, quæ tamen non ſtatim humida & frigida nuncupari poteſt aut debet;

debet; quid enim ſibi vult frigiditas cerebri? cum omnis, vel minima etiam, corporis noſtri pars, quanto magis illa, quæ mentis habitaculum eſt & primaria ſedes, calore ſit perfuſa: quid humiditas? niſi eam ab ipſius cerebri poris & fibrarum robore ac tono nimis languido laxoque derivare velimus. Potius itaque dicendum erit, motum adeſſe, ſpirituum inæqualem ſ. improportionatum, *uti vult clariſſ. Hoffmannus*, ita quidem, ut certa cerebri loca, ſpeciatim vero, quæ ad ſenſus externos & idearum a mente dijudicationem faciunt, humido clauſa & ſpirituum vigore deſtituta ſunt, unde ſomni ratio petenda eſt: partes autem cerebri magis interiores, ubi ſcil. phantaſia viget, & ſpiritus ad partes emittuntur, ſatis calidæ, adhæc ſpirituum tenuitate copiaque refertæ videantur, dum ipſi foras a ſuperficie cerebri introrſum ſubeant, & ubi ad centrum ejus pervenerint, ibidem unita vi facta fortiori operantur.

§. XX.

Neque tamen hic aliquam prærogativam habere dicimus *Bilioſos*, quaſi vero ab omni excepti eſſent ſomnambulatione. Non ſane: propterea namque, quod corpore ſint agiles, & ad obeundas actiones qualcunque promti, animo vero audaces atque temerarii, ſæpe ejuſmodi πάθημα facilius incurrere, conſentaneum eſſe, *præter alleg. Tandler. l. c.* p. 185. §. 17. experientia quoque pro me loquitur. Soli itaque jam reſtabunt ii, quorum *corpora pituitoſo nimioque humore* vel etiam *pinguedine repleta*, graviter afficiuntur, examinandi. Ubi, ſi eruditiſſimas hac de re ſcriptorum ſententias paulo penitius perpendamus atque ſequi velimus, quibus ad affectum ejuſmodi producendum, multum facere habitum corporis macilentum, nec pinguedine aut humorum copia gravem & recte quidem, docent, pene immunes ab hocce malo tales pronuntiandi eſſent; cum pituitoſi ſua natura ad motum ſint ſegnes, & ob gravitatem corporis juſto torpidiores: e contra qui rarioris ſunt texturæ, non ſolum humores habeant, ſed & ſolidas partes ad motum faciliores & accommodatiores. Verum & his non videmus omnibus numeris abſolutam datam eſſe teſſeram, qua liberi permanere poſſint ab invaſione ad minimum vulgaris ſeu (quod idem eſſe antea jam diximus) ὑπνοβάσεος, non obſtante corporis eorum pondere atque mole, qua vel, uti ad omnes alios labores, ſic quoque ad ambulationis &c. negotium ignavi atque inhabiles exiſtunt, hac tantum intercedente differentia, quod quæ illi, h. e. macilenti, tecta, parietesque conſcendentes, muros perreptantes, ſimiliaque exequuntur, hi, obeſi ſcil. aſſequi nonniſi difficulter & cum præſenti certiſſimoque vitæ periculo valeant. *Timidis nimirum* (*verba ſunt Libavii* p. 269.) *& pigritia corporis torpidis, & molliculos ungues cum nervis enervatis habentibus res ultra fidem humanam videtur:*

at non perinde agilibus & audacibus impoſſibilis eſt. Uno verbo: ratione cauſæ & effectuum non vero ratione morbi peculiare quid eos præ aliis habere, certum eſt.

§. XXI.

Porro ex R. N. multum hic quoque facit ætas: ſic namque videmus adoleſcentes, juvenes & viros crebrius affectu hocce corripi, quam quidem infantes, pueros, vel in ſenili jam ætate conſtitutos; ratio quoniam in junioribus habitus corporis eſt levior, agiliorque, ſpirituum atque caloris naturalis major apparet ubertas, conſequenter etiam humorum agitatio ſ. motus intenſior, quæ econtra in primis pueritiæ annis & ſenibus deficiunt. *vid. Levin. Lemn. de occult. naturæ mirac. L. 2. c. 5. p.* 154. *it. Sennert. Prax. Med. p.* 120. *add. Horſt. p.* 128. Quamvis neque viris ob vaſtitatem corporis ac inconſtantiam animi adeo familiarem eſſe ſomnambulationis morbum, experientia teſtetur. Præterea obſervamus quoque, viros eundem affectum facilius experiri ipſis fœminis. Cujus rei ratio partim videtur hæc, quod ſanguis earum propter humidi diſſipationem atque penuriam, materiam ſpiritibus pauciorem ſuppeditet: partim, quod fœminæ præ viris ſemper membra habeant ignaviora, nec non minori agilitate imbuta; partim etiam, quod officiis, ſi quæ habent, ſuis non ea, qua viri utplurimum ſolent, attentione ſatisfaciant, nec facile variis aut alienis, aut abſtruſioribus rebus cogitationes conſecrent. Tandem ex R. P. N. ad productionem affectus noſtri ſymbolum ſuum nonnunquam addunt diſpoſitiones quædam morboſæ, quales ſunt: febres, melancholia hypochondriaca, epilepſia, phreneſis & ſi quæ ſunt alia, de quibus latius videri poterit Sennert. loco præmemorato.

§. XXII.

Abſolutis ſic cauſis internis, jam externas pari aggrediamur ſedulitate. Mittimus autem ſtatim cauſas divinas & ſupernaturales ſive a bonis ſive malis etiam provenientes Angelis, utpote ad altiorem ſpectantes philoſophiam. Potius eas tantum conſideraturi, quas non-naturales ſtylo diætetico vocitare medici ſolent. Ex earum itaque numero primo loco ſe nobis offert *aër*, qui, ſi pluvioſus, uvidus, vel turbidus exiſtat, humiditate ſua præternaturali corpora inebriando, facilius *teſte doctiſſ. Sennerto Medic. Pract. L. I. P. II. cap.* 10. *p.* 457. ad hocce malum prædiſpoſitos (intelligit autem hypochondriacos) corripit, ac quidem ſerenus, præſertim cum ſomno ejuſmodi depravato vexati multum interdiu peregrinati fuerint, vel noctu aërem liberius majorique noxa ad

cubiculum

cubiculum & lectum uſque admiſerint. Cujus rei exemplum *Jac. Horſtii noctambulo circa plenilunium & valde intempeſta nocte*, *præbuit*, cap. 7. p. 228. A tali enim aëre, ob ætheris motum, ab humidi eo tempore prædominantis copia interceptum, minus tranſpirabile redditur corpus: unde humiditatibus in corpore plus juſto cumulatis, poſtea poris cerebri laxitatem induci, neceſſe eſt. Sed quid ſtatuendum hic ſit de luna, cum tantos in arte medica viros qui eam non ſolum humorum dominam atque directricem unicam colunt, verum etiam pro cauſa hujus morbi ſomnambulatorii (ut alios cerebri ac nervoſi generis affectus v. g. maniam, epilepſiam &c. ſilentii peplo involvam) efficiente habent, e regione ſtantes & contradicentes, videam, non immerito jam quæritur. Solum hic nobis allegaſſe ſufficiat *Sennertum*, cujus verba loco antea citato p. 457. hæc ſunt: *imprimis hoc* (i. e. Somnambulationem) *facit Luna*, *cujus motu uti epilepſia*, *ita etiam hoc malum commoveri experientia docet. Et præcipue radii lunares*, *ſi dormientium capiti incidant*, *hoc malum excitare ſolent.* Sicuti & *idem ipſe* in diæta poſtmodum p. 459. præcipit, ut *noctu radii lunares vitentur*, *& ne ii ad caput dormientis pertingant*, *caveatur.* Vid. præterea *Macrobius L. 7. Saturnal. c. 16. Horſtius c. 3. p. 23. Alii.*

§. XXIII.

Ubi, licet equidem extra omne dubium poſitum eſſe concedamus, Lunam, ſpeciatim vero plenam, ætherem non minus quam aërem noſtrum atmoſphæricum circumfuſum, particularum copioſa facta exhalatione, valde comprimere, unde atmoſphæra denſior, magisque concentrata quaſi emergit, ſicque fieri demum poteſt, ut humiditates ex corpore diſſlari ſolitæ, beneficio intrinſeci caloris retineantur, ob aëris videlicet externi reſiſtentiam: ex quo haud difficile jam patet, humidi intra corpus redundantia laxitatem fibrillis atque meatibus cerebri levi perquam negotio induci, & ſtagnationem ſeri circa corticem ejus cauſari, quæ poſtmodum humiditates circa regionem hanc collectæ, gravem ac profundum inferunt ſomnum. Aſt, quicquid hujus ſit, (dicam enim, quid mihi videatur) niſi *univerſales* illæ *cauſæ*, *ſpiritus* puta & *phantaſia* cum *appetitiva* & *locomotiva* juncta, ſimul adfuerint, fruſtra certe eſt eritque omnis Luna, cum omni ſua ope, ut poſſit membrum, multo minus totam corporis compagem, ſuo unquam movere loco. Vulgatum itaque illud:

Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus,

quoad poſterius, non vero quoad prius, verum eſſe, ultro fatemur.

§. XXIV.

Secundo, *alimenta* ordinis ratio jam conſiderare jubet. Ex quibus damno hic ſunt *cibi* omnis generis *potuſque* ſomnum profundiorem adjuvantes, vel calorem atque fervorem ſanguini ſolito majorem fœnerantes. *Prioris generis* erunt: *ſemen papaveris*, *piſa*, *fabæ*, *aliaque legumina*, *lac & lacticinia*, *fructus horræi*, *rapæ*, &c. *lactuca* (*teſtante id ipſum Horſtio*) *circa veſperam in cœna largius aſſumta* : *cereviſiæ item fortiores*, *craſſæ*, *lupulatæ*, *cunctaque anodynam vel narcoticam vim poſſidentia*; hæc enim & ſimilia mentem facile turbant, phantaſiam contra roborant, & fluidum nerveum fixius atque ſpiſſius, hinc ad ſomnum ineundum proclivius, reddunt. *Poſterioris generis*, nimirum quæ ſanguinis maſſam ad orgaſmum ſeu citatiorem motum diſponere valent, *dici poſſunt omnia ſpirituoſa*, *acida* & *aromatica v. g. vina recentia*, *dulcia vel alia generoſiora ad ebrietatem uſque aſſumta*, pronuntiantibus ita clariſſime verbis *Salomonis*, ebrios cum dormientibus componentis, *Proverb. XXIII. v.* 31. dum ſic paterne quemlibet monet: *Ne intuearis vinum*, *quando flaveſcit*; *dum ſplenduerit color ejus*; *ingreditur blande & in noviſſimo mordebit ut coluber*, *& ſicuti regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea*, *& cor tuum loquetur perverſa*, *& eris* ſicuti dormiens *in medio mari & quaſi* ſopitus gubernator amiſſo clavo &c. Itemque *ſublimata*, *vulgo aquæ vitæ dicta* &c. Porro *cibi* ſive *nimis aromatizati*, ſive *ſaliti*, quibus etiam *fumo indurata* quæcunque jure annumeramus, utpote magnam ad productionem mali hujus partem conferentia. Si enim aliquid eſt, quod mentem obfuſcat & ſpirituum ordinem turbat, erit certe immodicus ſpirituoſorum uſus; in his enim reconditæ ſunt quamplures particulæ igneæ, quæ tranſeuntes ad maſſam ſanguineam ſpiritus ubicunque tandem obvios turbant & circumagunt vehementer: imo ita inflammant, ut incaleſcere videantur plus ſatis: notatu dignum extat exemplum apud *Henr. ab Heers loco toties allegato de juvene illo Poëſeos Profeſſore*, *ſcil. poſtquam ſub annum ætatis* 45. *ſomnambulationi repulſam dediſſet*, *nunquam eum*, *niſi prius vino ſe nimium repleviſſet ſopitum lecto ſe noviſſe.* Simile quid annotaſſe *Libav. l. a. p.* 266. legimus, *Eſt*, (inquit) *oppidum non incelebre*, *in qua quidam bene potus demum periturus abſque lucerna & comite ad puteum acceſſit*, *atque in eum exutis veſtibus & calceis deſcendit*, *delapſusque ſuffocatus eſt. Nimirum* (pergit) *hic ſolus cum eſſet victus ebrietate*, *ſemiſopitus ambulavit*, *atque errante phantaſia*, *deceptoque judicio*, *illud vitæ periculum incurrit.* Plura adhuc ibi habentur teſtimonia, quæ tamen h. l. brevitatis gratia lubenter omittimus.

§. XXV.

§. XXV.

Tertio ad abſolvendam ὑπνοβατισιν ſuum quoque calculum addunt, *vigiliarum* exceſſus, *ſomnus* ſtatim a cibo invadens: *motus* corporis juſto intenſior, juſtoque parcior, qualis eſt v. g. Tabellariis itemque ſcriptoribus, netricibus, aliiſque vitam ſedentariam ſancte colentibus: unde *alvi* atque *viſcerum obſtructio*, quæ, qualium quantorumque ſit malorum fons & origo, res ipſa loquatur. Quid itaque mirum, ſi ſomnambuloni noſtro malum hoc tam pertinaciter adhæſerit, cum alvum (ut impetrata prius venia id proferam) ultimis diebus intra menſem bis depoſuerit, cujus rei vivus ego adhuc ſum teſtis. Imo ad perficiendum, & perfectum jam, exacerbandum affectum, præterea vehementia etiam neceſſe eſt concurrant *animi pathemata*, qualia ſunt, *curæ*, *mœror*, *ira*, *libido* &c. uno verbo, *cogitationes & actiones diurnæ continuæ*, quarum ideæ ſpiritibus firmiter impreſſæ, tempore ſomni ex facili renovantur, phantaſiæ operatione vivida: qua de re potiſſimum eorum de nocte recordamur, quorum de die mentio fuit vel actio, confirmante hoc ipſum *piſcatore* illo apud *Theocritum*:

Somnia ſunt canibus panes, mihi ſomnia piſces;

Et *Claudiano*, *in Præfat. L. III. de raptu Proſerpinæ*, perelegantibus hiſce verſiculis:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa tono cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit:
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus.
Vanaque nocturnis meta cavetur equis;

Nec tamem etiam nobis exempla deſunt eorum, qui ea, quæ vigilantes egerunt, vel ſeria & continua cogitatione verſarunt, inter ſomnambulandum reddiderint. *Levin*, *Lemnius de occult. natur. miraculis L. II. c.* 5. *dicit*, *ardeliones illos*, *h. e. homines inquietos & jactabundos*, *qui omnibus ſe negotiis ingerunt*, *atque ultro citroque diſcurſant*, *miriſque utuntur geſtibus*, *in ſomno exſilire*, *ac plauſum ſtrepitumque excitare*, *ob ſimulacra quæ ſenſui occurrunt*, *quæque voluntati atque actionibus diurnis correſpondent.* Similis quoque apud *Libav. l. c. p.* 259. *legitur hiſtoria famulæ*, *quæ cum ſomno occupata in balneo totam peregiſſet noctem*, *ſubiretque phantaſia*, *bubulcum cantu expoſcere pecora*, *repente ex labro pedibus jam tumefactis & vix officium facientibus*, *nuda proſiliret*, *caputque*

per feneſtram obviam, effractis impetuoſe vitris, exerens, tunc primum penitus evigilaret. vid. præterea p. 267. *add. Schenck l. c. obſerv.* 127. *ex Adr. Alemanno. Sal. Diverſ. de Affect. part. cap.* 18. & unam alteramque hiſtoriarum, quas ſupra exhibuimus.

§. XXVI.

Reſtat, antequam curam ipſam aggrediamur, ne illotis, uti ajunt, manibus id fiat, in *SIGNA*, tum diagnoſtica, tum anamniſtica, tum etiam prognoſtica tribus tantum modo verbis, adhuc inquiramus. *Illorum* ſeriem pro more ſuo doctiſſimo exhibet *Jac. Horſtius l. c. cap.* 7. *pag* 230 dicitque deſumenda ea eſſe *PARTIM ab actionibus læſis*, quando ſcil. hominem talem non rite ambulantem, nec prout debeat, agentem varia notamus: *PARTIM ab effectibus ſenſui perceptibilibus*, ut, ſi vel vocem alicujus in tenebris audiamus, hujus memores ſimus, vel in lecto ſolitum non videamus, adeo: ſi clauſis vereque dormientibus oculis trabes & lacunaria perrepent, ædium faſtigia ſuperent, in puteos deſcendant aliaque opera, tempori, officio, &c. minus reſpondentia, ſuſcipiant & exequantur, *vid. Tandlerus l. c. p.* 194. *PARTIM* denique *ab excrementis*, ſi faciem magis bilem petere deprehendamus, circa caput omnia tumida & rubicunda aut flava, uno verbo, cachectico perfuſa colore, exiſtant. Plura ex hiſtoriis recenſitis erui poſſunt. Ex *ſignis Anamniſticis* unicum apud *Levin. Lemnium reperitur*, ſequens: *homines ultro citroque diſcurſantes miriſque uti geſtibus ſolitos, quos ex oculis, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoque corporis habitu, conjicere licet, quarum ſingula variis modis componunt, atque immutant, aliamque perſonam ſubinde adſciſcunt, & ad hoſce affectus magis diſpoſitos eſſe, atque hujusmodi fore.*

§. XXVII.

Liceat hic pedem parumper figere, ſiquidem phenomena quædam & accidentia concurrentia ſuperſunt, quæ aurem continuo vellicant, quorumque rationem reddere, neque fruſtraneum erit neque inutile. Ante omnia *quæſtio* moveri ſolet: *quæ ſit cauſa, ut dormientes & ambulantes, nonnunquam adeo periculoſa & ſtupenda, imo talia intrepide ſuſcipiant & exequantur, qualia vigilantibus alias impoſſibilia fore reputantur, v. g. in locorum editiorum præruptorum ac præcipitium conſcenſione, nec tamen decidant?* Mihi videtur hæc: quod ſcilicet dormientes rectæ rationis uſu, adeoque collatione atque comparatione rerum deſtituti, ſola regantur phantaſia, a qua omne, quicquid occurrit in ſomno tanquam verum & poſſibile exiſtimatur, quare cum metus abſit, (ſentiente

tiente ſic *Langio Epiſtol. Medicinal. L. 2. Epiſt.* 45. *p.* 771.) qui vigilantium corporis animique robur maximopere proſternit, ſpiritus unice vacantes eidem rei ſuſceptæ, neque diſtracti, robuſtius ſic agere poſſunt. Huic ſententiæ quoque adſtipulatur *Levin. Lemnius*, cum ita dicit: *quod vero inoffenſe multoque corporis incommodo iſta peragant nec labi contingat aut in præceps agi, eo fit, quod ſenſim ac nullo metu nullaque trepidatione aut diſcriminis reſpecta iſta aggrediantur, quæ plerumque vigiles a rebus arduis & periculoſis vel avocare ſolent vel deterrere, quid quod ipſimet vigilantes in eadem etiam declivitate ambulare optime poſſimus, v. g. in parietibus foſſarum &c. &c. modo nobis non adfuerit periculum vitæ præſens, ſi delabimur.* Ut multa paucis eloquar, rationis & metus ceſſatio, punctum hic omne fert, phantaſia interim & appetitu fortioribus, quemadmodum videre eſt in ebriis ac delirantibus (ut funambulones, petauriſtas, aliosque taceamus) inconſulte temerarioque auſu pericula quæque aggredientibus. Ex dictis vel ſponte jam apparet, (ut doctiſſimi *Hæferi Hercul. Medic. l.* 1. *c.* 4. *de affect. capit. p.* 50. *verbis utar*) *in nulla re alia diſtingui ſomnambulonum & ſanorum vigilantium opera & motiones, niſi quod illis fiant in ſomno, his autem citra ſomnum, adeoque cum adjuncta ratione, quæ illos vel omnino deficit, vel certe obſcuriſſime comitatur, alias namque loca tam periculoſa non adirent.*

§. XXVIII.

Deinde quæritur etiam, *qui fiat, quod ſomnambulantes* (*teſtantibus id hiſtoriis, a Lemnio, Salio, Horſtio &c. annotatis*) *ad vocationem nominis proprii excitentur, evigilent atque concidant, concidentes tamen minus lædantur?* Sic enim ſcribit *Lemnius l. c. Cum iſta obeunt, ſi illos nota agnitaque voce, aut eo nomine, quo chriſtianiſmo ſunt inſigniti, ac Baptiſmo initiati, compellare pergas* (rationem addit) *ex conſternatione incuſſoque terrore ac perturbatione decidunt, diſſipatis videlicet ſpiritibus, diſcuſſaque vi ac facultate naturali, qua illa perfecerunt.* Ubi tamen velim notetur, perpetuæ non eſſe veritatis, eos per acclamationem nominis quidem proprii, ſed potius ad illud nomen nominatum, quo communiter appellari conſueverunt, evigilare, propterea, quod nomine tali proprio compellari ad vocationes audiendas ſoleant, quas alias neutiquam attenderent; addo & alia adhuc dari vocabula ſpecifica, ut ita dicam, quorum ope profundius etiam dormientes excitare poſſumus, v. g. *Es iſt Feuer*! ad hunc modum milites in caſtris, recubantes ac ſtertentes aliquando ſub tegmine fagi nihil citius nihilque facilius evigilare facit, quam ſi dicatur: *Der Feind iſt da*! Quadrat huc appoſite hiſtoria de *Samſone Judic. cap. XVI. toto.* Terror enim tunc incutitur, unde ſpiritus illi, qui antea copioſi collectique hærebant in exterioribus membris,

bris, manuum cumprimis ac pedum, ad cerebrum & cor, tanquam officinam ſuam & aſylum ultimum, retrogrediuntur, ac partes ante obſeſſas deſtituunt. Admittimus quidem acclamationem fortem in cauſa eſſe poſſe, non autem, quod nonnulli exiſtimant, ſi proprio nomine ſomnambulo inclametur, in præſens diſcrimen incidere, propter eam ipſam nominis proprii appellationem, *uti vult inter alios allegatus Lemnius*; id namque ſuperſtitionem aliquam ſapere videtur, & ratione caret. Neque enim ſyllabarum iſta eſt efficacia, ſed ſoni & clamoris, quo clamore excitantur ſpiritus, ut a membris exterioribus, veluti jam diximus, refugiant interiora verſus, atque ita nervi, muſculi & lacerti ſuo, quod ante habebant, robore priventur. Et licet ab alto cadant, ſicuti & ebrii, de quibus Germani proverbium habent: *die Trunckenen fallen nur auf dein Wen*; plerumque tamen minus offenduntur, quam vigiles & ſobrii. Cujus rei rationem affert *Guil. Fabr. Hildanus oper. Med. Chir. Centur. II. obſerw.* 84. *p.* 161. *& ex eo Horſtius oper. Tom. III. p.* 112. 114. *Nimirum tales recta ratione deſtituti, non prævident pericu i tela, neque timore conſternuntur noxio, hinc neque articulos tendunt, ut caſui reſiſtant, ſic enim certo certius violentius impingerent. Nam ubi major eſt reſiſtentia, ibi etiam fortior actio.*

§. XXIX.

Porro quæritur: *An ſomnambuli clauſis ſemper oculis incedant, resque ſuas peragant?* Affirmativam tenent, *Bodinus* atque *Lemnius*, negat contra *Salius* & alii, *Ariſtotelem* ſecuti, qui *VIDERE* illos aſſerit, his verbis: *Accidit*, (inquit) *dormientibus nonnunquam ut reſurgant & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant.* Aſt medium hic tenere, cum Doctiſſ. *Sennerto Inſtit. Medic. p.* 410. conſultiſſimum eſſe, omnino arbitramur; nimirum eos, qui per loca præſertim cognita, nec adeo remota vel periculoſa ſpatiantur, poſſe id facere ſemi apertis vel plane compreſſis non ſecus ac cœci, quibus omnes anguli domus noti ſunt, alios, v. g. ſublimia petentes, ſcalas graduſque ſcandentes, fores aperientes, ſeras recludentes, &c. oculis vel apertis, hocque rarius, vel brevibus admodum intervallis modo clauſis, modo apertis. Si vero tum ambulent, cum Luna apud nos ſplendere amat, utpote quo tempore noctes illuminatæ ſunt, quid obſtat, quominus poſtmodum objecta viſu felicius deprehendere queant.

§. XXX.

Ultimo tandem quæritur: *cur ſomnambulatores tam varias & a ſe invicem differentes edant operationes?* Videtur id dependere *partim* a diverſa

diverſa ſanguinis atque ſpirituum conſtitutione; nec non a cerebri ideis ipſis propriis & familiaribus. Perpetua namque phyſicorum ac medicorum regula eſt: *Qualis temperies motusque ſanguinis & humorum*, talis etiam erit temperies & motus ſpirituum: qualis hic tales quoque ſunt ideæ, cogitationes, actiones, & inclinationes. Unicum hic allegaſſe ſufficiat exemplum hypochondriacorum, qui propter ſpiſſitudinem ſanguinis ſpirituum languidiorem motum timidi ſunt, meticuloſi & cunctatores, quare hi in actu ſomnambulationis non tam periculoſas & furioſas ſuſcipiunt actiones, quam quidem bilioſi vel etiam ſcorbutici. *PARTIM* ab operarum diurnorum diverſa ſtrenuaque functione. Exemplo hic eſſe poterit, præter noſtram hiſtoriam, *juvencula illa caſtitatis ſtudioſa, quæ, cum marito prima fortaſſis vice dormiens, circa noctis gallicinium ſubito e lecto exiliit, & ad januam cubiculi properavit; verum ab eodem evigilante, atque ſtentorea voce eam inclamante excitata, flens ac tremens ad lectum rediit, narrans poſtmodum, ſe e lecto fugere voluiſſe, ad evitandam vim, quam virum quendam ſibi inferre velle ſomniabat*, *vid. Petrus Salius diverſus l. a. c.* 18. & *poſt eum Theod. Craanen in obſerv. ſuper. Henr. Regii Prax. Med. L.* I. *medicat.* 10. *p.* 95.

§. XXXI.

Prognoſin hujus affectus quod concernit, videmus eam ab autoribus pro diverſo objectorum reſpectu tradi variam. *Si neque crebrior, nec adeo periculoſa fuerit* ὑπνοβατεία, *decurſu ætatis eam ordinarie mutari, ſeneſque ſponte deſerere, aſſerunt Tob. Tandlerus, Jac. Horſtius, Sennertus & alii*, quos vid. *ll. cc. Deinde malum iſtud facilioris perhibetur eſſe curationis in ſexu ſequiori, quam quidem potiori*: *Connatæ* vero ſeu *hæreditariæ ſomnambulationi, vel plane non; vel certe difficillime medetur.* Alias *morbus hic periculo caret, neque lethalis eſt, niſi forte per accidens*, quatenus ii ſaltim de vita periclitantur, qui (*teſte Zacut. Luſitan. de Medicor. Princip. Hiſt. L. I. p.* 106. *hiſtor.* 15.) in loco declivi & alto, item aquam, ignem &c. verſus ambulationes ejuſmodi nocturnas ſuſcipiunt. Eos tamen, *qui diutius hoc ipſo divexantur, in coma, apoplexiam, epilepſiam, vel etiam melancholiam hypochondriacam incidere, Sennertus l. c. R. J. Fortis conſult. & Reſp. Medic. Tom. II. Cent. I.* conſ. II. p. 30. item *Horſtius* p. 250. & *Sylv. in Prax.* p. 477. teſtantur.

§. XXXII.

Probe ſic ac ſatis, niſi fallor, perſpicue conſideratis omnibus & ſingulis, quæ ad partem ſpectare videbantur theoreticam, jam ad *curationem* ipſam tum *generalem* tum *ſpecialem* progredi me poſſe ſine

 ulteriori

ulteriori ambage, arbitror. Hanc autem aliter paulo inſtituendam eſſe *in paroxiſmo*, & aliter *extra eum*, nemo erit, qui negare audeat. Durante ſcilicet paroxiſmo in genere ſuadent autores v. c. *Jac. Horſtius* p. 251. *Blancardus in Prax. cap.* 12. *p.* 213. *Craanen l. c. Tandlerus p.* 200. & alii excitandi potiſſimum ſenſus gratia, omnis generis acclamationes, objurgationes & verbera, utpote, quæ curam non ſecus ac in pueris, ſingulis noctibus lectum commingentibus, planiſſime abſolvere, *idem Blancardus ſcribit.* Ratio eſt, ut notis iſtis objurgationis atque caſtigationis cerebro profundius impreſſis, a ſomnambulatione tales poſtmodum deterreantur. Quodſi tamen natura ſubjecti peculiariter ad epilepſiam, ob debilem fortaſſis cerebri conſtitutionem, eſt diſpoſita, cautio adhibenda eſt, *monente J. Horſtio l. c. cap.* 9. Præter vero minas & caſtigationes optimum etiam erit, ſi medium corpus, crus, vel brachium &c. faſcia lecto leniter alligetur, vel tænia ita vinciatur, ut iterum cubili firmiter ſit connexa. Hinc enim ſurgentes, ſe ligatos eſſe animadvertentes, evigilabunt, atque hoc modo fieri tandem poterit, formata nova idea ut prior ſupprimatur, ſicque nocturnas in ſomno deambulationes deſueſcant. Accedit conſilium illud medicorum phyſico-politicum, quo vas, aqua frigida repletum, ante lectum ponendum eſſe communiter jubetur, vel ideo, ut nimirum exeuntes pedibus immerſis erroris admoneantur, & exſuſcitati poſtmodum lectum repetant. Nec plane hic rejiciendos atque contemnendos eſſe puto pulveres ſternutatorios, ex foliis Nicotianæ, Majoranæ, Flor. Ptarmicæ, Lil. convallium, helleboro albo, euphorbio & ſimilibus paratos, & ope tubuli naribus inflatos. Quali modo filium, ex nobili ſtirpe natum aliquando curatum fuiſſe memini, abſque ullo alio remedio. Aſt, hoc ſolum ſuccedit, ubi æger ambulaverit in tuto: ſi enim in periculoſo conſtitutus ſit loco, cavendum omnino ſerio, ne excitetur, ſiquidem talis excitatio facile mortem inferre poſſet. Extra paroxiſmum ad duo reſpiciendum erit, 1.) ut orgaſmus ſanguinis compeſcatur, 2.) cerebrum cum reliquo genere nervoſo, roboretur.

§. XXXIII.

Prius obtineri poteſt, *partim* per vitiorum primarum viarum corrigentia. Supponamus ambulatorem ejusmodi forti abundare acido, conveniet illi exhibere medicamenta præcipitantia & abſorbentia, v. g. corallia, matrem perlarum, Lap. 69. fabas ſeu umbilicos marin. Oleum tartari p. d. &c. in ſpecie vero martialia. Copioſæ bili collectæ proderunt ſalia ſic dicta eſſentialia & ſalſa v. g. Abſinthii, centaurii (vulgo dicti) minor. Cardui bened. arcanum dupl. cremor tartari, & ſi quæ ſunt alia. Acrimoniam corrigent omnis generis temperantia, talia ſunt

e.

ex R. M. terræ pingues; ex R. V. præcipue radices, herbæ, cortices & ligna, pro infuſis atque decoctis parandis uſitata, e. g. rad. chinæ, ſarſeparill polypod. bardan. ſcorzoner. herb. matriſylv. piloſell. cortex lign. guajac. tiliæ, lign. guajacum ſ. ſanctum &c. Ex R. A. dentes apri, unic. marin. dent. hypopot. ebur, ungul. alcis, gelatina C. C. &c. Sicque porro: *partim* per materiæ peccantis evacuantia, α) *per ſuperiora*, tartaro videl. emet. ☿ vitæ, ſyrup. emet. A. S. &c. β) *per inferiora*, rad. jalapp. rhabarb. fol. ſen. aliisque innumeris. *Partim* denique per V. S. quam laudat *Regius in Prax. Caſ. X. p.* 97. *præcipue ſi corpus ſit plethoricum.* Poſteriori ſcopo inſerviunt remedia ſpecifica, analepticorum ſ. nervinorum titulo venientia, ex quorum claſſe emineat ſequentia, nimirum ex *ſimplicibus*: roſmarinus, mentha, lavendula, marum, majorana, ſerpillum, ſatureja, fl. lilior. convall. cardamomum. cubebæ, cinamomum, ambra, moſchus, caſtoreum; ex *compoſitis* ſpiritus lilior. convall. per ferment. ſalis ammoniac. C. C. ſuccinat. Eſſentia ambræ, ligni aloes, caſtorei volatilis, △æ item communiter ſic dictæ antapoplecticæ, balſama, & ſexcenta alia, quibus ſi malum non cedat, ad opiatorum uſum confugere, autor eſt *Fortis l. c. p.* 30. item, ad veſicatoria, quibus curatos ipſe ſcio. Hac tamen cum admonitione, ut æger ſimul diætam obſervet accuratam, h. e. Aëre utatur temperato modice ad frigidum vergente, vitet nebuloſum & pluvioſum: cibi ſint εὔχυμοι, flatulenti proſcribantur, potus ſit tenuis ac defecatus: ſomnum non ſtatim a cœna, eumque parciorem, capiat; motus corporis & animi ſit moderatus, mens tranquilla &c.

§. XXXIV.

Ne autem quid prætermiſiſſe videamur, illum cujus gratia hæc quantacunque adornata eſt diſputatio, qua ratione quibusve remediis reſtitutus fuerit, jam dicendum. Scilicet extra paroxiſmum poſt repetitam aliquoties de oleo tartari, p. d. parati, præſcriptionem, ad deſtruendum acidum acre, laxans accepit ſequens:

Rec. Rad. Altheæ Drachm. *ß.*
Polypod. Scrup. j.
Sem. Aniſ. vel Fœnicul. Scrup. ji.
Inciſ. Contuſ. coqv. in ▽æ font. lb. j.
Adde.
Fl. Papav. errat. Mp. *ß.*
Fol. Sennæ Unc. *ß.*
Fac ebulliant; tunc ab △ remotum atque refrigeratum cole-

 tur,

tur, Colaturæ altera pars dimidia ſub ingreſſum lecti, altera vero mane ſumenda.

Reſeratis ita obſtructionibus, atque ſubductis bonam partem humoribus pravis, ſequenti præſcripto continuabat pulvere:

Rec. Limat. ♂tis puriſſ. Unc. ß.
Corall. rubr.
Oſſ. Sepiæ.
Lap. cancror.
Manat.
♁tii diaphor.
Rad. Galapp. aa Drachm. ji.
Fl. Sulph. Drachm. j.
33. ♁ii. Scrup. j.
Subtiliſſ. pulveriſat M. S.

Reſolvirl. Pulver, Meſſerſpitzen Weiſe des Tages 3mal zu nehmen.

Reiteratis tam decocto laxante, quam pulvere abſorbente atque aperiente, ad confortandum cerebrum externe naribus admovendum erat iſtud:

Rec. Spirit. vini camphor. Drachm. ji.
Sal. Ammon. c. Calc. viv. Drachm. ß.
Ol. Lavendul. gtt. VI.
M. S. *Stärckender* Spiritus *zum riechen.*

Interim a ſtudiis toto curationis tempore animum abſtrahere cogebatur: acidis, aromaticis acrioribus, atque fumo induratis penitus hic exulantibus, potu præter decoctum lignorum, nullo alio per menſem utente: pro vita ſedentaria motum blandum, & quidem bihorio poſt aſſumtum cibum, ſeligente, feliciter divino adſtante convaluit auxilio.

Sed ceſſandum mihi jam eſt. Quodſi quædam minus accurate poſuerim, aut acu, juxta vulgarem loquendi formulam, omnia non tetigerim, benevolam a lectoribus eruditiſſimis caſtigationem, ea, qua par eſt, humanitate peto; cum perquam familiare mentibus humanis ſit errare.

S. D. G.

C C L.

THOMÆ SCHWENKE,

RARI CASUS

EXPLICATIO ANATOMICO-MEDICA.

Hag. Comit. 1733.

ILluſtriſſimus militum dux de Keppel, annor: 61. vir fortis animo & corpore, cui eximia ſanitatis dona dedit ſupremus conditor, namque illi corpus firmum, mediocris longitudinis & ſtaturæ, valens, membra athletice muſculoſa, neutiquam gracilia, nec tamen pondere moleſta, a juventute in bello exercitata, venaticis exercitiis firmata, denique perfecta (ſi ullibi inveniatur) valetudine fruebatur Heros.

Animo tranquillus, hilaris, ſumme in omnes officioſus, nec ulli nobilitate, aut generis ſplendore, aut honorum (quibus fungebatur) multitudine moleſtus aut imperans, non minus tamen gravis, in ætate virili maſcule ſe geſſit, vixit, & viri fortis partes explevit omnes, neque ullis morbis (exceptis in bello vulneribus) quod ſciam correptus, uſque ad annum 1725., incidit tum in peripneumoniam ſatis fortem, per plures dies acriter decurrentem & corpus divexantem.

Anno 1726., prope Mechliniam in venatu, diſtantia a Trajecto ad moſam duorum milliarium, occiput repercuſſione equi alliſit arbori tam fortiter, ut humi projectum per horam fere expiraturum eum crederent amici atque adſtantes, refocillatus ſatis bene ſe habuit; poſt aliquod tempus ſæpius humi proſternatus, a leviſſima cauſa externa ut credebant amici familiares, ſeu fortaſſe ex vertigine, ſubinde enim & ſpaſmo aut cujuſdam membri convulſione vexatus, contrario motu & contorſione malum id profligare & vincere conabatur, ſed ne quidem id multum curavit.

Interim vitæ ſedentariæ ſeſe totum dederat, nam aut librorum lectione continuata, au alio animi exercitio cum familiaribus falleba

ſuaviter tempus amicis, hinc factum, ut fere nullis corporis exercitiis refectus vitam ageret corporis conſtructioni plane adverſam, eamque debilitantem.

His ſi addas, quod laute comederet, & alimenta ſucci-plena ingereret, cœnamque in ſeram noctem (ut apud magnates obtinet) protraheret, poſtea noctem degens placidam in longam diem protrahens ſomnum, anno 1728. graviſſimo morbo præſertim cerebrum affligente correptus, ubi unum latus ſemi paralyticum ſcilicet dextrum, febris acuta continua, & alia ſymptomata, &c. a quibus morbis doctiſſimi De By ope, qui curam illuſtriſſimi viri habuit, reſtitutus per V. S. evacuationes, & ut morbi genius ferebat medicamina, ſolita valetudine frui videbatur.

Aliquamdiu poſt, lenis vertigo ſubinde aut gravitas cerebrum occupavit, jam membri alicujus, ut brachii, manus, aut pedis torpor, quem frictione profligabat, jam viſus imbecillitas, aut linguæ impedita volubilitas, accidit quoque, quod pronus in faciem deciderit, (credebant familiares nimia animi intenſione occupatum de ſubito ſpirituum influxu debito deſtitutum ſic procidiſſe) atqui cum de eo facto ne quidem medicum conſuluerit, anno 1732. paulatim corporis vigorem receſſiſſe credebat chariſſima & nobiliſſima uxor, noctesque ſæpe inquietos degiſſe maritum.

In caſtro menſe octobri ejuſdem anni quod reſpublica prope Bredam juſſerat haberi, animo commotus atque incitatus in paralyſin linguæ ſpuriam incidit, V. Sectione quidem liberatus, graviorem tamen linguam loquela difficilis denotabat, oris aut faciei ſpaſmodicus motus ſæpe vexabat.

Redux Hagam comitis in peripneumoniam illam notham epidemicam (qua tertia hominum pars conflictata fuit) circa finem Decembris incidebat, acute laborabat, tuſſis, dolor pectoris & capitis, febris, cæteraque ſymptomata vehementer commovebant corpus, venæ ſectionibus, pectoralibus, antiphlogiſticis, emollientibus, alvum laxantibus in integrum reſtituitur; ex venæ ſectione in pede facta, cum calceamentum vulnuſculum conſtringeret fortius, abſceſſus ortus, qui ſatis diu illuſtriſſimum virum ab omni corporis exercitio lecto affixum detinuit, liberatus, & ſanus videbatur, ſed brevi alia rerum viciſſitudo.

Menſe Aprili 1733. conquerebatur de vertigine & capitis gravitate, ilico metuebam vel hemiplegiam, vel apoplexiam, vel partis cujuſdam paralyſin, a collectione ſeroſa, timorem incutiebant præcedentia, igitur ut a cerebro ſerum averterem, purgans ſequens præſcriptum fuit decimo quinto die Aprilis.

℞

℞ Fol: Senn: Mundat:
rhei Elect: ãã ʒij
tamarindor: ʒvj
digerantur, dein
Ebulliant in aq: ſ: q:
in colat: ℥iij diſſolve
mann: calabr: ʒiv.

Purgatus largiter, deſiit vertigo & gravitas usque ad 27. Aprilis diem, tum denuo de capitis gravitate & ſtomachi inflatione conqueſto neuroticum & flatus diſcutiens medicamentum proſore credidi.

℞ Spir: matric; ℥ß
Tinct: ſuccin: ʒij
Aq: Salviæ
— Cort: Citrei:
— Roriſmar:
— Majoran: ãã ℥ij ß
Syr: Stæchados ʒvij
m

Omni quadrihorio ſumeret unciam juſſi, ſed neque id ſumpſit accurate juſto tempore, neque idcirco etiam præſtitit quod debebat; interim appetitus proſtratus, circa veſperam levis febricula, ſubinde corporis torpor & gravitas, ad motum difficilis, oculorum languor, vires proſtratæ, in ſomnum proclivis, cum tamen totam noctem degiſſet placidam vix de lectulo in die continere ſe potuit, urina pauca, rubra, febrilis, vel turbida cum ſedimento lateritio, alvi dejectio naturalis, pulſus debilis, æqualis tamen.

Præſcripſi medicamentum malo conveniens, ſed cum id non aſſumpſerit, non opus ut hic inſeratur, nam altero inſequenti die celeberrimum noſtrum Boerhaavium adiit, conſilium ejus experturus, redux uſus eſt vino medicato martiali cum pilulis balſamicis per aliquot dies, ſed ob increſcentem febrem & alia ſymptomata graviora deſiſtere coactus, ut v: gr: ſitim, dolores præſertim tibiarum pedumque inquietantes noctu, maculas rubras dolore digitos hinc & inde afficientes, a ſero ſanguinis acriori membranas vellicante, ut credidi.

Talia attento quantum potui animo penſitans præſcripſi mixturam antifebrilem cum ſpir: ſulphuris & ſyrupo violarum, non appetenti ventriculo applicatum emplaſtrum ſtomachicum Galeni, &c.

His uſum uſque ad 12. Maji febricula fere reliquit, & plurima ſymptomata mitiora, ſed dolor formicatioque pedum ſumme moleſta, cum maxima tamen in ſomnum propenſione, horis matutinis in lenem

incepit

incepit vergere ſudorem , inde æger ſolamen ſibi promiſit , non ſine vana ſpe , nam & ego credidi ſic poſſe expelli materiem vellicantem & febriculam hucuſque excitantem , præſertim ſi ſimul curetur , ne internæ in putredinem vergant partes, qnod conſilium & annuente celeberrimo Boerhaavio conducere exiſtimavi , itaque tempore matutino juſſi in lecto calidam aſſumere , ut & juſcula tenuia cum ſucco aurantiorum aut citri fervida fere , hinc promotus ſudor per totum corpus ægrum levavit, ut vero & interni humores magis præpararentur , & ad peripheriam expellerentur , hoc medicamen partitis vicibus aſſumpſit 48. horarum ſpatio.

℞ Rad : Contraj: ℥iij.
Infund: in
Aq: ſamb: ℔j phiala
Alta per aliquot horas
Calidiſſime, Colatur: adde
Rob: ſambuc: ℥ij.
Succi citri rec: ℥ß
Tart: vitr: gr. xx.
Sal: polychr: ℈ij.
m

In uſu hujus, adjecto pulvere zedoariæ radicis ad grana pauca continuavit uſque ad 24. iſtius menſis cum euphoria.

Sed querelæ de formicatione & tibiarum dolore eædem redibant, cum tamen reliqua omnia ſymptomata mitiora.

Ut corpus irrorarem, materiem acrem fluxilem redderem , & aut per renes aut ſudores expellerem , emollienti antiphlogiſtico & antiſeptico decocto ex radicibus graminis tarax: bardanæ recentis cum ♌ ſulphuris , ſyr : violar : aqua cinamoni opus aggreſſus ſum , ex hoc decocto de die bibebat largiter , & hinc æger reficiebatur , quippe febricula tota deſiit , vires meliores , calor bonus , pulſus fortior , lingua naturalis , urinæ copia major & ſanorum ſimilis , appetitus utcunque melior, in corporis motu magis ſufficiebat , nam & equitatio & deambulatio continuo commendata fuere.

Sed 27. urina turbida , fuſca fuit , ſine ſenſibili lumborum dolore , ſanguinis quidquam adeſſe conjiciebam , quem ſanguinem in urina recenter excreta clare videbam , erat enim tum ſubrubri coloris , poſtea magis turbida & fuſca , ut ſolet fieri a ſanguine cum urina mixto , & poſt aliquot horas ſubſidente ; color vero & odor recentis urinæ ſeroſus nullo modo fœtens probabant & confirmabant id , atque id per diapedeſin in renibus fieri prædixi conſanguineis , forte ex nimia concuſſione

ſione rhedæ, vel equi, huc uſque enim exercitiis continuatis his utebatur, nec aderat renum, aut illius partis internæ dolor ſenſibilis, inflatio, aut tenſio.

Ideoque id facile ceſſaturum me credere ſi decoctum ſuum ingurgitaret largiter, hucuſque initium morbi a cerebro preſſo ortum judicavi, & nihil vitii notabilis in abdominis viſceribus latere profeſſus ſum lethale, hypochondria enim non tenſa, neque elevata, abdomen tactu molle, nec tumens aut dolens, reſpiratio bona ſed tarda, utroque in latere decubitus eodem modo facilis, nec ullo pondere premens, uti ſtrictum earum partium examen docuit.

Adfuit hoc tempore ampliſſimus Conſul de By medicus in praxi feliciſſimus, qui mecum communem ægri curam ſuſcepit poſtea, ſic erat ægri ſtatus ut dixi præcedenti pagina uſque ad primum junii diem, cum denuo Boerhaavium adiret noſtrum medicinæ parentem, qui ut vires reſtaurarentur, appetitus redderetur, & ſimul putredini reſiſteretur, propoſuit per litteras, ut pilulas ex bulb: ari, gumm: opopan: maſtiche bals: peruv: devoraret aliquot cum vehiculo aromatico confortante, adjecto ſulphuris ſpiritu.

Dein ceratum Galeni cum maſtiche &c. ſtomacho applicandum cenſuit, quod & ante menſem, ut notavi, jam factum erat, vinum Rhenanum vetus cum pane toſto ſæpius de die aſſumendum & forma conditi ſtomacho fovendum eſſe: ſed primo adventante calore aquas ſpadanas exhibendas fore, non omiſſa deambulatione, dein equitatione, aut rhedæ motu a meridie, ſi forte vires priorem motum non permitterent.

His attento quantum potuimus animo perpenſis judicavimus quid hæc prædicta medicamina valerent, tentandum eſſe: mecum metuebat tamen prudentiſſimus De By ne corpus nimium ſiccarent jam ſatis ſiccum, ideoque decoctum ſuum ordinarius fuit potus, aſſumpſit itaque juſto ordine & tempore præſcripta, ſed in dies vires magis proſternebantur, appetitus nullus, pulſus parvus, ad motum difficillimus, facies pallida, oculi triſtes & ſiniſter leni inflammatione vexatus per aliquot dies totum defigurabat vultum, ob palpebræ prolapſum: crurum dolor, & formicatio cum expergiſceretur maxima, hinc inquietus & ſomnolentus noctu, in ſomnum maxima propenſio, ſed interrumpebatur quovis momento, matutino tempore extra lectum in lectica cum paulo plus frigeſcerent tibiæ pedesque, placide dormiebat, excitatus præbebat pulſum debilem.

In genu & tibia ſubinde macula rubra mox diſparens apparebat, a ſero ſanguinis acriori, ut etiam in oculo irritante muſculorum membranas, perioſteum & cutim.

Præſcripſimus ut dolores & vellicationes iſtas pacaremus, ſequen-

tem herbarum collectionem ex floribus chamæm: ſambuci: lavend: foliis meliſſ: menthæ, ſalviæ, roriſmar: ſemine aniſi, hæc infundebatur in aquæ fervidæ. ſ: q: pro balneo pedum & tibiarum, cogitabamus his partes ſub introitum lecti ad ſudorem diſponere emolliendo, & leniter ſtimulando materiem vellicantem excutere.

Per ſemihoram pedes fovebat, dein fricare pannis juſſimus, idque per aliquot dies continuos fecit, cum hinc ſolatium ſentiret, idem matutino tempore præparari juſſit ſuo proprio marte illuſtriſſimus patiens, & cum euphoria uſus eſt.

Sed tali rerum ſtatu manente, ulteriuſque nihil proficiente ægro, juſto nos metuebamus totalem virium proſtrationem, nam in dies magis adhuc langueſcebat appetitus, pulſus parvus, reſpiratio bona paulo tardior, actiones naturales tardius paulo, ſed bene procedebant, namque uti urinæ excretio naturalis, ſic & alvi.

Convenimus clariſſimus De By atque ego nervos corroborandos, vim vitæ paulo augendam, in genere, corroborans & cardiacum eſſe exhibendum, ut omni quadrihorio unciam mixturæ ſumeret hujus diximus.

℞ Aq: ſtillat: ſalviæ
——— Cort: Citrei:
——— Roriſmar:
——— Meliſſæ āā ℥ij.
Confect. alkermes ſine moſcho cum ambra ʒjß.
Spir: matricalis ʒiij.
Aq: cinamom: ʒvj.
Syrup: veron: ℥ß.
m

Pro potu ſuperbibebat decoctum ſæpius præſcriptum: ut verum fateamur, neque boni neque mali multum attulit, immobile ſtabat malum, neque proficiebamus quidquam, antequam vires prolaberentur omnes, 7mo junio adventante calore majori paulo, de aquis ſpadanis a celeberrimo Boerhaavio commendatis hoc in morbo facta mentio, ponderatis omnibus quæ ad rem, cum morbus nullis auſcultaret remediis, præſtabat experiri.

Ad ℥XX. partitis vicibus deglutiit cum deambulatione, quæ magnam ægro moleſtiam dedit, vix enim movere ſe poterat, aut humeris ſuſtentatus paſſus paucos ire, horis duabus elapſis poſt epotas aquas, panem toſtum cum nuce myriſtica, cinamomo, ac vino veteri rubro aſſumebat, ut forma conditi contineret, ſtomachumque roboraret, in prandio

prandio fere nihil, a meridie, vinum Rhenanum vetus, aliquando cum aqua, ſimili fere modo datum & in eundem finem.

Sic octavo, nono, & decimo junii egimus, ſed in dies increſcebant ſymptomata, ſola urina excepta, quæ melioris & tota naturalis fuit coloris, & conſiſtentiæ, ut & febre, quæ nulla: vix a meridie rhedæ motum ſuſtinere poterat, mecum eruditiſſimus De By judicavit pejori eſſe loco ægrum, igitur omni attentione adhibita, perpenſis omnibus ſymptomatibus, morbo, viribus, dubitavimus, an ulterius aquæ ſpadanæ quidquam poſſent.

Per epiſtolam conſilium denuo cum celeberr. Boheraavio habuimus. Qui nobiſcum periculum creſcere credidit, ſed quid aquæ ſpadanæ largiori doſi aſſumptæ per aliquot dies ſucceſſivos abſque intermiſſione (ad minimum per quinque dies) efficerent, periculum faciendum eſſe; fateor, metuebamus ne ſufficeret æger ob motus defectum, qui in aquarum uſu deſideratur, quo enim muſculi magis agunt, reſpiratio fortior, calor major (abſque ſudore tamen) eo facilius circumaguntur aquæ & per renes fluunt, & contra; reliqua medicamina cum nihil hucuſque effeciſſent & ſummo vitæ diſcrimine ſtaret æger, conceſſimus, hac cum prognoſi, vix boni quidquam nos ſperare, at in caſu hoc difficili præſtare anceps experiri remedium.

12. Junii pint. iß aſſumere incepit, cum ea & tam longa deambulatione quantam animalium motuum machinæ permiſere.

Fecit tamen vir animi cum conſtantia, & præſentia, ita quidem, ut 13. & 14to ad ℥ XL. potaret quovis die matutino tempore: interim a ſomno pomeridiano abſtinere ſe non potuit, &. veriſſimum fuit illud, ſomnum niſi requiem corporibus & medicinam quandam laboris afferret contra naturam putaremus datum, aufert enim ſenſus, actionemque tollit omnem, hic vero nulla medicina laborum, ſed circa noctem febricula invaſit, matutina hora nona recedens.

Aquarum per renes dejectio ſat copioſa fuit omni hoc triduo, & urinæ naturales inſtar ſanorum tam nocturnæ quam diurnæ, ut ſolet, alvum ad minimum ter viginti quatuor horarum ſpatio deponebat naturalis conſiſtentiæ & coloris.

His non obſtantibus appetitus nullus, nullus corporis vigor, hinc 15. non auſi fuimus quantitatem adeo largam exhibere, nam ſummo cum tædio, & difficili deglutitione vix aſſumebat uncias ſedecim, a meridie vomuit, & hora veſpertina ſeptima dejectiones fuere multæ, liquidæ, numero & copia auctæ, nam ſexta matutina 16. Junii ultra triginta fuere, materia inſtar lactis, fœtens, diceres fere materiem fuiſſe, lac cum farina mixtum, præſcriptum eſt decoctum album cum aqua cinamoni pro potu ordinario.

Epithema ex vino rubro in quo infundebantur cortices cinamomi, granatorum, aurantiorum, roſarum rubrarum, ſtomacho & ventri applicuimus, mixturam omni hora cochleatim aſſumendam ex corroborantibus, & abſorbentibus ſcilicet, confect. hiacint ℥j corall: rubr. ℥ß terr. Catech ℥j aq. ſtill. meliſſ. ℥v. aq. cinam. ℥j ſyr. cydoniorum ℥ß m

Eventum ſane morbi triſtem toti familiæ prædiximus, vixque quidquam ſpei ſupereſſe: & certe his licet juſto ordine aſſumptis, dejectiones ſine dolore fere frequentiores, ita ut decies horæ ſpatio dejiceret, hinc vires ſublatæ, ſitis, animi dejectio, facies triſtis & emaciata, oculi ſquallidi, pulverulenti, febricula, omnia ſumebat quæ offerebantur, ſed difficulter & cum ſingultu.

Gelatinam cornu cervi cum ſucco aurantiorum & vino Rhenano, aut ſimilia quæ vires corpuſque fractum refocillarent deglutiebat continuo, firmatus etiam, circa noctem 17mi clyſma injectum ex theriacæ ℥ij vitell. ov. lactis chalibeati ℥vij, de cætero medicamina interna eadem quæ præcedenti die.

Illico ſubſtitit alvus, ingraveſcenti febre, retinuit enema uſque ad ſextam veſpertinam 18. junii.

Febrem hanc auctam cum metueremus, nec minus putredinem a retenta tam ſubito materia ad inteſtina mota, credebamus melius fore, ſi & illam excerneret, ne hinc putreſcerent abdominis viſcera, ſed tamen ne nimis, ut ſufficeret, ob vires fractas debileſque omni trihorio pulviſculum devoravit ex his ſex.

℞ Rhei lectiſſ. pulveriſ. ℈ij
Lap. cancr. Corall. rubr. ppt.
āā ℥ß fiant pulv. vj.

Hinc ter 24. horarum ſpatio depoſuit excrementa naturalia magis & pultacea, nec adeo fœtentia, unde febris diminutio, atque melior videbatur ægri ſtatus.

19no roborantibus & antiſepticis continuatum.

At 20. denuo febricula ingraveſcens (quaſi alternis diebus ut in comate pervigili ab aliis obſervatum) ſine dejectionibus, coëgit nos ut claretum ex 4. ſic dictis conſervis cordialibus cum ſpiritu ſulphuris per campanam pro potu exhiberemus.

Avenaceum cum vino Rhenano & ſucco aurantiorum alimentum fuit, juſculis vitulinis interpolatis; ut alvus reſponderet, clyſma emolliens, & leniter abſtergens injectum non retinuit, hinc nihil excrevit.

Jam vero oculi ſplendor ablatus, lingua ſicca, ſed colore naturali prædita, urina optima, pulſus æqualis inſtar ſanorum ſed parvus, interim

interim motus animales fere ablati omnes, aſpiciens non videbat, in objectum figens oculos, imaginem objecti non percipiebat, niſi commotus & revocatus quaſi e ſomno, e longinquo quenquam loquentem audiebat, tarde reſpondens cum difficultate, bis terve rogabat, antequam quidquam proferebat, ad rem tamen, vox rauca & debilis, diceres coma vigil, ſæpius dormitabat, expergefactus pauca inordinate loquebatur, momento poſt, errore comperto, animo conſtabat, in genere id quod anima ope organorum intendebat, eorum debilitate impeditum; hinc conjeci amiciſque denunciavi, depoſitæ eſſe ſalutis, hærere etenim materiem prementem in capite, cerebrumque deſtruentem, ut initio hujus morbi credidi, hanc eſſe ſolam cauſam morbi, & fore ut videbatur, mortis cauſam per eandem rationem.

21. circa veſperam lapidis porcini infuſionem propoſitam bibebat, mane 22. eandem, repetitam doſin tertiam veſpertina hora octava, ſine ullo vel ſudoris expulſione notabili, aut alio quovis effectu.

Ingraveſcente morbo, vi vitæ fracta, 23^{tio} hora matutina nona cum frigore extremorum, motu membrorum omnium ſublato, Deum invocavit tanta animi cum conſtantia, ut ſpiritus animales quaſi a peripheria ad centrum revocati animæ ſatellites nullis machinis corporeis amplius inſervientes pro ſola anima ſtarent, quaſi ea pars animi quæ rationis atque intelligentiæ ſit particeps, tum maxime vigeret cum plurimum abeſſet a corpore, donec brevi poſt ſine ulla convulſione, aut corporis, aut membrorum motu, eam redderet.

Mirum eſt, virum illuſtriſſimum (exceptis ſub vitæ terminum paucis momentis a ſomno) ſemper animo præſentem per totum morbi decurſum fuiſſe.

En mi lector, hic verus ægri ſtatus, hæc vera morbi hiſtoria, judica jam quid cadaver luſtrandum exhibebit, vix omnia quæ inveni, ſuſpicaberis.

Longior ideo fui in morbi deſcriptione, non ut Apologiam pro medicina aut medicis facerem, hæc enim ars longa ſimilibus nititur fundamentis ac multæ aliæ nobiles artes, ſcientiæque, ſed ut hinc videatur, quo modo poſt inſpectum cadaver ex neceſſitate ea omnia ſequi debuere, turpius enim nihil eſt phyſico quam fieri quidquam ſine cauſa dicere.

Impetrata inſpiciendi corpus venia ab illuſtriſſima familia, 23. Junii ad aperturam circa nonam veſpertinam advenimus, cum eadem fere hora matutina expiraſſet.

Sectioni interfuere eruditiſſimus Jacobus de By medicinæ doctor. Wilhelmus Schwencke medicinæ doctor, frater meus, Rochet Principis Auriaci Chirurgus, Shoonderhage Chirurgus, pharmacopæus

Voege, Chirurgiæ & pharmaciæ ſtudioſi plures, aliique multi, quorum numerus & nomina non occurrunt.

Corpus fortiſſimi viri menſæ impoſitum luſtravimus exterius nihil mali repræſentans, quippe erat naturalis coloris, graciliora quidem membra, ut manus, brachia, & pedes, ſed ventrem tactu mollem, pinguem, e regione ſtomachi paulo inflatum habebat, hypochondria nec tenſa nec tumida

Thoracem amplum, prominentem & fortem illi natura dederat, facies emaciata, oculi concavi, exſucci, tempora collapſa, genæ prominentes apparuere, cum itaque exterius nihil aliud quod notatu dignum, ad corporis inſpectionem ivimus.

Facta cruciali abdominis inciſione per cuticulam, cutim, & panniculum adipoſum craſſiſſimum, multum adipem continentem, cum tamen reliqua membra ut & facies emaciata viderentur, uſque ad abdominis muſculos ne mali ulla indicies.

Apertis muſculis, reſecto peritonæo, omnia naturaliter ſeſe habebant, namque omentum primo ſanum, a ventriculo & colo ad inguina extenſum totum abdominis cavum ſupra inteſtina poſitum replens, ſatis craſſum, venis naturalis coloris ſed parvis interſperſum, uſque ad pelvis marginem nullibi accretum cernebatur, in ſuperiori abdomine ventriculum ſaniſſimum ſed flatibus tumentem (quod exterius jam conſpiciebatur) invenimus. Elevato omento viſui offerebantur inteſtina, duodenum, jejunum, ileum, cœcum, colon, & rectum, nihil præternaturalis foventia, excepto ileo quod paulo rubicundius naturali, meſenterium pingue & meſocolon ſaniſſimum, in iſtius centro macula pallide rubra nullius momenti videbatur, a dextris, & ſupra ſtomachum hærens hepar ſaniſſimum, paululum ſolidioris ſubſtantiæ diceres.

Veſicula fellis bile referta bona, cum ductibus hepaticis & ciſticis apertis.

Lien in hypochondrio ſiniſtro diaphragmatis parti poſteriori & laterali incumbens, naturalis & coloris & magnitudinis, non majoris, aperto liene, lymphæ ſanguine tinctæ uncia ſemis circiter prorupit, porro tenerrimæ texturæ erat, ut aſſolet.

Pancreas ſub ventriculo parvum, durioris exſuccæque ſubſtantiæ, cæteroquin color & ſitus debitus: glandulæ omnes in quinquageſimum ætatis annum tranſgreſſis exſiccantur, vel durioris aut granulatæ ſubſtantiæ inveniuntur, ut obſervata docent.

Amotis inteſtinis, præſertim colo, renem ſiniſtrum primo, dein dextrum luſtravimus, ubi quid culpares præter maculas duas rubellas in rene dextro, vividas, parvas, papillas occupantes, & ſanguine refertas, nihil habebatur, non vero tumore renem moleſtantes, erat enim naturalis magnitudinis.

Ureteres

Ureteres boni reperti, veſica nihil noxii continens cernebatur, in ea aperta circa orificium exigui puris quidquam hærere in duriuſculo magis corpore inveni.

Itaque cum nihil hic in toto peritonæi ſacco, neque in viſceribus contentis, renibus, ureteribus, veſica inveniretur, cui morbi, multo minus mortis cauſam tribuere poſſemus, pectus aperire decreveram: reſectis integumentis, ecce thoracem invenio oſſeum totum, nam cartilagines coſtis junctas oſſeas, imo oſſibus duriores & latiores vidimus, diceres totum ſcutum oſſeum, quod vi maxima frangere, nullis vero machinis diſcindere aut comprimere licuit.

Cum nec ſic reſerare neque oculis exponere poſſem, inferius diaphramate a coſtis & ſterno reſecto, utrinque in dextra & ſiniſtra parte pulmones vidimus conſiſtentia & colore valentes, inferior utriuſque lobi margo in utroque pectoris cavo diaphragmatis parti poſteriori juxta vertebras fortiſſimis fibris annexus.

In ſiniſtro latere inter annexam cum pulmone pleuram diaphragma inveſtientem ſeri ſanguinolenti inodori quantitatem invenimus unciarum quatuor, quaſi illic loci ſacco hærentem, ſed nec diaphragma diſſolutum, inflammatum, aut ullo modo puris ſpeciem præ ſe ferens: cor firmum ac forte, mediaſtinum recte valens, præter hæc in pectore nihil.

Nec hic mortis cauſa hærebat, econtra & circuli ſanguinis, & reſpirationis organa perfecte cæteroquin ſana demonſtrabant accurata inſpectio & examen.

Ad tertium ſic dictum corporis cavum tranſivimus caput.

Apertis integumentis, inciſo cranio, in parte poſteriori ſtatim ut cranium perforatum, ſeri magna quantitas ſanguinolenta erupit, quantum potui lente ac caute præcidi a parte anteriori duram matrem a cranio ſupra proceſſum falciformem, ſed hæc membrana tam firmiter ubique cranio nexa impedivit ſeparationem, igitur circum circa forcipe diviſa, erupit ſerum limpidum in quantitate.

Examinata dura matre in abſciſſo cranio, præternaturalis ne quidem quidquam aderat, ſed pia mater admodum tenſa ſupra cerebrum veſiculas multas limpidas hydatides fingentes continebat externe ubique clauſas, & nullum laticem in parte ſuperiori emittentes, parte poſteriori excepta, ex qua, aqua defluxerat, paucas ſed venas varicoſas conſpiciebas in pia matre: elevata pia matre & aperta cultelli acie, ſeri quantitas inſignis prorupit, quod cum in pluribus locis vel forfice vel unguibus vel cultro factum eſſet, patebat piam matrem non amplius tenſam ſed flaccidam eſſe, inde inter hanc membranam & cerebrum liquidum id contineri.

Tum pia mater non amplius tenſa, ſed flaccida, ubique fere in lobi utriuſque cerebri parte ſuperiori a cerebro ſubjecto ſeparata, præſertim

præſertim tamen ſiniſtra in parte, paucis ſolum modo in locis vaſculis inter cerebri gyros annexa, eſt alias innumeris canalibus affixa corticali ſubſtantiæ & continua plurimis in locis, ſed hic diſſoluta & inſtar cortinæ libere fluctuans inveniebatur: ſpatia & anfractus cavi omnes ſero repleti, ita quidem ut ſpatia invenirentur inter cerebri gyros ubique ſemipollicis latitudine, colore magis ad flavum vergente ipſo cerebro, vel potius corticali ſubſtantia.

Ipſum denique cerebrum duriſſimum inſtar tendinis, exſuccum, tractabile totum, compreſſum, parvum, calvariam neutiquam replens, licuit palam hic jucundo ſat ſpectaculo videre, quouſque anfractus cerebri, quouſque pia mater quæ hos inveſtit, ſubintrent, mirandum quod ubique fere ab his anfractibus & gyris ſoluta pauciſſimis in locis annexa, ſupra cerebrum fluctuaret hæc membrana, erat vero quoad videre potuimus, humoris effluxi quantitas unciarum decem, vel ad libram pharmaceuticam accedens.

Sublata falce, intra cerebri lobos vel hæmiſpheria nullus niſi naturalis partium ſtatus, in cerebri ventriculis nulla præternaturalis ſeri collectio, ſed pia mater & in ventriculis plexus Choroides juſto modo diſpoſitus.

Neque cerebellum ſupra tenſis proceſſibus duræ matris lateralibus tectum quidquam extraordinarii ferebat, econtra.

Sub cerebro vaſa & nervi adeo conſpicui, duriores paululum, ut ſeſe nunquam melius examinanda & videnda præbuerint, alias enim teneritas impedit ſæpe acuratum examen.

Cerebellum ipſum (duræ matris proceſſibus cultro ſolutis) ſanum, valens, nullo corpore nec humido nec ſolido compreſſum, neque infra proceſſus neque ſupra quidquam inveniebatur, quod cerebellum afficeret.

Hic eſt aperti cadaveris ſtatus præternaturalis, his ſi jungas diſſectionem totam fuiſſe ſiccam, habes omnia quæ notatu digna inventa fuere, neque ex vaſis abdominalibus neque aliis quæ in diſſolutione & apertura ſeparata guttula ſanguinis erupit, omnia vaſa flaccida, exſucca, collapſaque fuere, exceptis paucis guttulis ſanguinis, quæ cum ſero mixtæ ruborem dedere in abſciſſione cranii, hæ ex diploe deſtillatæ.

Benevole lector, quæſo, quamnam cauſam atrocis iſtius affectus deſignabis aliam, quam initio hujus tractatuli monſtravi, ſcilicet caſum iſtum, cerebrum concuſſum, hinc piam matrem paſſam fuiſſe, a cerebro quibuſdam in locis aut a coacervato humore poſtea avulſam, qui humor nec copia nimia premeret, effectumque ſubito notabilem produceret, nec mora ſua acredinem haberet, ſicque cerebrum membranaſque

naſque vellicaret, nam id in ſeri collectione vix fieri videmus, quamdiu enim aſcites, pectoris hydrops non geritur! laticem ſi guſtes, ſubſalſi, ſubdulciſque ſaporis eſt, ſi putreſcat, quæ non ſymptomata ſequuntur!

Vides igitur a preſſione paulatim aucta jam prolapſum, membri ſpaſmum, convulſionem productam membri alicujus, jam vertiginem ab impedito ſpirituum fluxu, aut inæquali liquidi nervoſi motu per canaliculos, unde tandem ſpecies apoplexiæ, paralyſeos, cur per evacuantia quæ locum dant, & faciunt ne partes cerebri adeo premantur, ſolamen, qua occaſione minima vaſa humores abſorbent circuloque ſanguinis reddunt, nam ſtrictis nimium cancellis ſi retinetur noſtri corporis liquidum, vix diſſipatur, laxa paululum ſolida continentia vel ambientia, majus ſpatium occupabit, reſorbetur.

Si autem hic notetur vitam ſedentariam cum mentis exercitio junctam quidquam poſſe tribuere, vel morbi cauſam augere, ut per experimenta innumera conſtat, capitis gravedines & ſeroſas collectiones a cerebri mentiſque indefeſſa operatione augeri, cerebrumque ut ita loquar exhauriri, palam eſt, quod manente eadem cauſa ſupra cerebrum, de novo ſæpius ſerum coagmentatum preſſerit jam hos jam alios canaliculos corticalis ſubſtantiæ, a qua medullaris producta varios nervos efficit, unde vel ſpirituum influxus pro tempore ceſſavit, vel inæqualiter motus per nervos inæqualem muſculorum actionem produxit, ut linguæ paralyſin, oculorum hebetudinem, affectum ſoporoſum ſi paululum preſſio augeatur, cujuſdam membri, aut oris ſpaſmodicum motúm, languorem, aut motum difficilem: & quod ſummum, ſi pia meninx a cerebro diſſoluta, non amplius proſpiciat corticali ſubſtantiæ, hæc collapſa, & exſiccata fere nihil reddat medullari ſubſtantiæ, unde nam ſufficiens nervoſi laticis copia?

Verum eſt ſi fricentur & moveantur partes affectæ, juvatur perfluxus, & allicitur quaſi influens liquidum nervoſum; ſicuti a compreſſione autem pedetentim hæc ſymptomata aucta tandem etiam diminuere aut abſtulere appetitum, motum, aut ſenſum; humani enim animi ea pars, quæ ſenſum, quæ motum, quæ appetitum habet, non eſt ab actione corporis ſejugata ut habet Cicero, id eſt hæc a cerebro per nervos fiunt, quorum functio ſi impediatur, diminuuntur aut ceſſant prædicta, hinc & ſomnolentia, idem tandem de deglutitione ſentiendum, quæ fit ope & actione nervorum muſculos perreptantium gulæ ſtomachi &c.

Species iſta ſingultus in morbi fine potius a deglutitione difficili, & reſiſtentia orificii ſiniſtri ventriculi, quam ab alia cauſa, poſtquam enim aſſumendum ſtomacho contineret, nullus ſingultus, Unde

potius denotabat vim vitæ fractam, actionem deprimentium muſculorum diminutam, aut pro tempore ablatam.

Febricula videtur dependere a duplici cauſa, primo quidem a collapſu muſculorum, qui ſemiparalitici flacceſcebant ubique, & tranſitum ſanguinis multis in locis, præſertim extremis impediebant (vix enim venæ conſpicuæ), ſanguis minus ampla circulans vaſa pulſum frequentiorem præſertim circa veſperam excitabat, dein præſertim a ſero acri ſtimulante cerebri meninges, aut & ſanguini mixto irritante perioſteum, membranas, nervos, venas, arteriaſque, hinc crurum dolor & maculæ rubræ, ut jam propoſui.

Hinc & excretio urinæ ſanguinolenta, ſanguis enim diſſolutus paululum tubulos renum intraverat, & cum urina excretus, in duabus papillis maculæ iſtæ rubræ inventæ patenter id demonſtrant, dein ex rhedæ ſuccuſſione.

Diarhæa ſub finem partim ex laxitate fibrarum, partim forte ex pondere ingeſtorum, partim etiam ex ſeri irritantis, & per glandulas inteſtinales ventriculi, pancreatis fluentis conditione, & inteſtina ipſa afficiente.

Liquet ſatis itaque unde totale virium diſpendium, ſi enim corporis infirmitas multos ſubeat caſus per ſe & denique ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſa conficiatur, quanto magis ſi cauſa magna vel multæ concurrere videantur.

Dextrum latus fuit ſemiparaliticum anno 1728, cum tamen plurimæ aquæ & maxima abruptio piæ meningis ſiniſtro in cerebri hæmiſpherio: probat id quod antea per experimenta alii jam demonſtravere, & memini me in corticali ſubſtantia cerebri ſiniſtri, tumorem ſatis magnum in nobili matrona latus paraliticum dextrum creaſſe, ſic & confirmant vulnera & compreſſiones.

Animales motus diminuti, tandem ſublati, quia ſolum cerebrum a quo nervi voluntariis vel animalibus motibus inſervientes preſſum, intacto cerebello, a quo vel ejus medulla elongata aut cruribus nervi cordi, pulmonibus, actionibus vitalibus proſpicientes, ut experimenta in vivis animalibus & morbi probant.

Sic & de actionibus naturalibus, quæ fiunt in abdomine, judicandum, hi enim non compreſſi nervi & aliunde orti fungebantur officio.

Animus præſens & conſtans denotavit internum cerebri integrum & valens, neque etiam illic quidquam præternaturalis inventum eſt.

Veroſimile eſt illic mille & ultra tubulos memoriæ aut potius animæ inſervientes nervoſos a ſummo numine creatos eſſe, cum milliones alii actionibus muſculorum præſint: medullarem quoque ſubſtantiam in medio liberam, corticalem comprimi, niſi liquidorum copia

&

& totali compreſſione interna cerebri ac ejus medulla oblongata comprimantur, tum eſt vera apoplexia, ſine motu & ſenſu, confirmant id observata, & experimenta.

Sic conſtitutum eſt, ut dum motu diminuto vel ſublato membrorum extenuantur extrema, impinguefcant fere ſemper abdominis membranæ adipoſæ & cellulares, (motus enim ſanguinis aut corporis tardior oleum & axungiam auget, nimius diſſolvit.

Cur tandem ſicca ſectio hujus corporis? id primo a collapſu & vaſorum tenuitate deducendum videtur, ſed quod mirum ipſa ſanguificatio fere ceſſat in morbis multis capitis a colluvie ſeroſa, probant id ſimiles obſervationes: Palam eſt igitur quid V. S. poſſit, quando & in quibus capitis morbis, adde, quod illa evacuatio per alvum brevi ante mortem ſic exoneraverit debile & exhauſtum corpus, ut nihil fere reſtaret.

Reliqua quæ in pectore & liene inventa fuere, parvi momenti, & quæ geſtantur diu abſque noxa aut mortis cauſa.

Vel fortaſſe hæ collectiones ultimis morbi diebus factæ ſunt, nunquam enim quidquam conqueſtum eſſe deſcriptio morbi & ſymptomatum demonſtrat, ex quo vel ſomniando divinari poſſit, aliquid mortiferi aut morboſi hic latuiſſe, evolve præcedentia, convictus ejuſdem eris ſententiæ.

Sic habes mi lector quæ diſputationis brevitas deſiderabat, deſcriptionem vitæ, morbi & mortis, quam dolent omnes boni.

CCLI.

CAROLI FRID. KALTSCHMIED,

DE

HYDROCEPHALO INTERNO RARÆ MAGNITUDINIS.

Jenæ 1752.

ANte aliquod tempus ex pago vicino ad me defertur infans demortuus hydrocephalo, quem eo lubentius cultello anatomico ſubjiciebam, quo majori mole capitis magnitudo rarum exhibebat caſum, & hinc operæ pretium eſſe duxi, ea, quæ diſſectio nobis exhibuit, in hoc programmate explicare. In vulgus notum eſt, quod in praxi obveniat vel hydrocephalus internus, vel externus, vel uterque in eodem ſubjecto ſimul. Externus aquas ſuper cranio ſub integumentis recondit. Internus eaſdem ſub cranio vel intra cranium & duram matrem, quod rarius occurrit, ſæpius vero ſub menyngibus & in ipſis quandoque ventriculis cerebri, continet. Cadaver noſtrum maxime emaciatum, longitudine vix ulnam ſuperabat, cum tamen annum unum cum dimidio ſuperaſſet. Cranii vero peripheria ulnam unam cum quadrante excedebat. Remotis integumentis capitis, nulla humorum extravaſatio obvenit. Apertura vero in cranium, cultello facta, per menynges ſimul novem librarum aquas eduximus ſatis fluidas. Remota ſuperiori cranii parte, ſinus ſagittalis ſanguine admodum turgidus, & vaſa ex dura matre in eum hiantia, ſanguine diſtenſa comparuere. Cæterum dura mater firmiſſime cranio adhæſit. Pia mater, ſub qua aquarum moles maxime latuit, ex omnibus corticalis ſubſtantiæ cerebri ſulcis elevata, in multis locis arachnoideæ ſeparationem admiſit, ita tamen ut hæc in dextro inprimis latere varie rupta, intra duram & piam matrem filamenta hinc inde hærentia, commonſtraret, Curioſiſſimo vero ſpectaculo cerebrum ipſum ſe expoſuit, ubi totum compreſſum atque compactum libræ vulgaris dimidiæ ponderi æquabat & ad tactum duriuſculum ſe exhibebat. Corticalis cerebri maior


quanti-




Disput. Medico-Pract. Tom. VII. Kaltschmied de Hydrocephalo interno



Fig. I.



Disput. Medico-Pract. Tom VII Hochstetter de spina bifida



Disput. Medico-Pract. Tom. VII. Hochstetter de Spina bifida

quantitas aderat, cum medullaris ſubſtantia vix tenuibus ſtriis diſtingui poſſet, & corpus calloſum membranam carthæ vulgaris craſſitie referret. Quod vero maxime memorabile & jucundum viſui ſe obtulit, in cerebri denudata figura externa, in eo fuit. Notum enim eſt, quod cerebrum per proceſſum duræ matris diviſum, duo exhibeat hæmiſphæria, quorum utrumque iterum ab anatomicis vulgo dividitur in tres lobos. Verum hi tres lobi, in cerebro, alias ſano, vix oculis ſeſe ſubjiciunt, & difficilius poſſunt demonſtrari. In noſtro vero ſubjecto, utrinque tres lobi, ita diſtincte ante oculos poſiti, ut exactiſſime diviſio eorum viſui ſe objiceret, rariſſimumque exhiberet ſpectaculum. Diſſecto utrinque corpore calloſo, admodum tenui, in utrôque ventriculo cerebri anteriori, aquæ latebat uncia fere dimidia, qualis portio etiam tertium replebat ventriculum. Fornix eiusque crura, tenuis inſtar membranæ fluctuabant, & corpora ſtriata vix piſi magnitudinem referebant. Plexus choroideus ſanguine admodum turgidus, & ſeptum pellucidum tenuiſſimum comparuere. Glandula pinealis veſiculæ aqua repletæ ſpeciem exhibuit, & lentis dimidiæ magnitudinem, non ſuperabat. Nates ad piſorum, teſticuli vero lentis, magnitudinem vix accedebant. Valvula magna cerebri, diffuſe in aquis fluctuabat, & pedunculi cerebelli, calami ſcriptorii craſſitiem non ſuperabant. Infundibulum duplo amplius dilatatum, aquarum ſub cerebro ad unciam unam deliteſcentium communicationem permittebat. Thalami nervorum opticorum fere diſparuerant, & ad nervos opticos tendentes, in eos fere tanquam filamenta, quæ nervos opticos exhibebant, terminabantur. Nec reliqua ex cerebro, ſeu medulla oblongata, derivata nervorum paria, in vulgus nota, majus commonſtrabant robur, cerebelli vero magnitudo vix avellanæ majori ſimilis. Et id vero notari meretur, quod cranii oſſa circumcirca fuerint clauſa, & firmiter cohæſerint, tota ſuperior pars vero, oſſibus frontis, bregmatis & occipitis per aquarum molem diſtentis, ſaltem membrana fuerit recluſa, prout alias in ſic dicto fonticulo videmus. Inde vero ſatis luculenter patere exiſtimo, quod ejusmodi hydrocephalus nullam admittere poſſit medelam. Quacunque enim ratione, ſive per interna ſive per externa remedia, aquarum molem vel reſorberi vel evacuari feceris, cum tamen oſſa cranii non poſſint ita coarctari, ut decentem & proportionatam cerebro naturalis magnitudinis reſumant cavitatem, & ſic cohærente arctius dura matre cum cranio, longiſſime a cerebro remota maneret, æque ac reliquæ menynges, hinc vel novæ inundationi ſpatium liberum concederetur, vel cerebro decens involucrum deeſſet, vel opus ſecretionis ſpirituum turbaretur, alia ut taceamus.

CC LII.

CCLVII.

CAROLI FRID. HOCHSTETTER,

DE

SPINA BIFIDA.

Altdorff 1703.

INter rariora forſan phænomena Medico-Chirurgiæ referendus videri poſſet tumor, quem dicimus, lumbaris cum ſpina bifida, eo quod de hoc affectu plurimi Scriptorum Medico-practicorum celeberrimorum & Chirurgorum alte ſiluerunt, & pauciſſimi ii, qui ſcripti quicquam nobis de eo communicarunt, eidem inter obſervationes rariores & curioſiores locum tantummodo conceſſerunt, prout eundem in Ephem. N. C. pauciſſimo numero inſertum reperies. Unde celeber. Frid. Ruyſchius obſervationibus ſuis Anatomico Chirurgicis rarioribus admiſcuit eundem, Excell. B. Nic. Tulpius obſervationibus ſuis curioſioribus pariter nonniſi duo inſeruit exempla. Doctisſimus vero Juſtus Schraderus una ſaltem obſervationum curioſiſſimarum Medico anatomicarum ejusd. mentionem fecit, & ſi qui forſan alii ſuperſunt, quamvis ego horum numerum ne uno quidem adaugere ſciam.

II. Penitius vero trutinando, Excell. D. D. Apinum hunc affectum æque in adultis ac in embryonibus jam aliquoties obſervaſſe, & Celeber. Frid. Ruyschium in obſerv. ſuperius allegatis obſerv. XXXIV. p. m. 45 decies, idem D. D Joh. Burgium in Ephem. N. C. Dec. II. A. VI. obſ. LVIII. p. 141 & ſeq. quater eund. vidiſſe, ut reliquos taceam, quibus rarius ſaltem affectum hunc intueri contigit haud difficulter conjecturare quis poſſet, ſæpius forte an ac frequentius, quam ſibi quis ſomniaſſet eund. ſpectari poſſe, dum modo frequentius etiam, ac accuratius tumores ejusmodi rimarentur Medici, & cauſas reſpiciendo, fortaſſis æque ni magis adhuc quam hydrocephalum familiarem fore, cum in utrisque morbis eadem pene militare cernatur cauſa, prout evidentiſſimo edocet exemplo obſervatio CLVIII. Ephem.

Ephem. N. C. Dec. II. A. II. ubi utrique affectus in uno ſubject ſimul occurrerunt. Quid? quod obſtetrices & balneatores, quibu plebs incondita plus ſæpe fidei in tumoribus curandis quam ipſis Medici eruditioribus habet, enuntient, ſibi haud infrequenter tumore iſtiusmodi obſervatum obtingere, de eventu vero interrogati, id reſponſi dant, infantes tales debilioris & macrioris ſemper eſſe naturæ, hinc plerumque mox in puerperio fata ſua obiiſſe.

III. Quamvis vero hic affectus quo rarior putatur, eo etiam intricatior exiſtat, non tamen deterruerunt me tricæ illæ, quin eundem thematis loco pro diſputatione inaugurali eligere ac pro viribus disquirere auderem, magis honorandi lectoris æquitati & benevolentiæ fidens, quam ſyrtes hujus affectus timens: Sis itaque talis B. L. prout fidem in te habeo, & judicando haſce pagellas id cogites, in re magis ardua & rara facilius aliquid condonare æquum eſſe: Deus. T. O. M. conatibus noſtris divina ſua clementia ac benedictione adſtet, eosque ita dirigat, quo cedant unice in ſui gloriam & proximi ſalutem.

IV. Res vero tota quo clarior ante oculos ponatur præmittamus obſervationem quandam, prout eandem ante annum circiter Vir prænobiliſſimus atque Experientiſſimus Dn. *Joh. Ludovic.* APINUS Med. Doct. ejusdemque Prof. publ. longe celeberrimus, ſereniſſimi Principis Salisbaco Palatini Archiater & Phyſicus Norimbergenſis feliciſſimus, naturæ curioſorum Collega Nonus dictus, gratioſæ facultatis Medicæ h. t. Decanus ſpectatiſſimus, Patronus atque promotor ſtudiorum meorum, quorum non minimam partem ejus fideliſſimæ pariter ac ſolertiſſimæ informationi debeo, per omnes vitæ meæ dies ſanctiſſime devenerandus, hic loci in puerulo quodam habuit, eamque mihi non tantum propriis oculis tum intueri, ſed & nunc ob ſummum in me favorem diſputationi huic æri inciſum profigere benigniſſime conceſſit; eſtque ſeq. ipſius Autoris verbis recenſita. Fœmina 36. annorum, aliquot jam liberorum mater, civis Altdorffina, poſtquam gravida, duobus menſibus ante partum alterutro pede in foveam incidiſſet, & ex illo tempore notabilem in fœtu alterationem percepiſſet, peperit anno abhinc filiolum tumore aquoſo in regione vertebrarum lumbarium inſtructum, magnitudine pomi curtipenduli, in medio ſui cute & cuticula privato, ac ſeroſa humiditate perpetuo ſcatente. Vocatus illico poſt partum, pronunciavi vitium hærere in ſpinali medulla, inque eo confirmabar, quod puſio artus inferiores nihil omnino agitaret, & elatis ab obſtetrice cruribus ejulatu ſuo abunde proderet, ſubeſſe læſam ſpinæ dorſi conformationem. Id vero ſingulare, nec alibi facile viſum, defuiſſe in ſummitate tumoris communia corporis integumenta. De cætero univerſus corporis habitus intemperie laboraverat ſeroſa, frequenti ſternutatione, tuſſi,

coryza

coryza & alvi fluxu, quibus a prima nativitate invadebatur, ſatis teſtantibus. Curationem vero, & ſi fruſtraneam prædixerim, incipiendam duxi a ſiccantibus, ut ſi poſſibile cicatrice ducta; reliquum deinde fotibus discuterem, juxta methodum alias in hydrocephali curatione proficuam deprehenſam, quem in finem varia præſcripta, ſed non licuit in cicatrice progredi ultra limites circelli fig. I. BB. media area C. propter exſudantem ichorem acrem omnem epuloticorum efficaciam eludente, tuſſi etiam, atrophia, & alvi fluxu ultra remedii ſpem invaleſcentibus, puerulus poſt octavam hebdomadam tabe periit, paucis ante obitum diebus tumore penitus ſubſidente. Illo autem poſt mortem aperto inſignis cavitas fig. II. bb. ſe oſtendit in regione vertebrarum lumbarium, apparuitque tres poſteriores proceſſus acutos, transverſos, oblique aſcendentes & deſcendentes omnino defuiſſe, ſola baſi illarum ſuperſtite. Integumenta medullæ ſpinalis inſigniter erant expanſa, cum vaſculis ſanguiferis in magnitudine ſua notabiliter auctis fig. III. BB. ipſa autem medulla ſpinalis ex cavitate ſecundæ adhuc integræ lumbaris prodiens inſerta conſpiciebatur mediæ tumoris ſupra dicti areæ prout videre eſt fig. II. c. fig. III. lit. A. & adhuc clarius fig. IV. A. ubi ſtylo inſerto magis in altum elevata conſpicitur medulla.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I.

AA. baſis totius tumoris.

BB. circulus exulceratus antea, nunc per adhibita medicamenta conſolidatus.

C. Area media, quæ nullam cicatriſationem admiſit.

Fig. II.

N. 1. 2. prima & ſecunda vertebra lumbares illæſæ.

aa. tumor in duas partes cultro diviſus.

bb. Cavitas tumoris.

c. Medulla ſpinalis medio tumori implantata.

Fig. III.

A. Medulla ſpinalis in ipſam ſuperficiem tumoris aquoſi implantata.

BB. vaſcula ſanguifera inſigniter aucta.

FIG. IV.

A. Medullam ſpinalem ſtylo inſerto elevatam repræſentat.

V. Affectum hunc quo denominemus; omiſſis etymologia, homonymia & ſynonymia, quippe cum ex præmiſſa obſervatione notum, quid vocabulo ſpinæ intellectum velimus; non ſcil. roſarum aut cynosbati ſpinas; ſed vel ipſam ſpinam dorſi, Græcis Acantha & Rachis dictam, ex triginta circiter oſſibus, quæ vertebræ dicuntur, compoſitam; vel vertebrarum corporis humani proceſſus acutos, ſpinarum nomine ab Anatomicis ſalutatos; retinuimus appellationes autorum, qui de eo ſcriptis nobis aliquid reliquerunt, tum quia non eſt animus, dicam alicui ſcribere, tum quia convenientiſſime etiam illi impoſitæ videantur; nominamus ergo eum vel ſpinam bifidam ſolitarie, eo quod revera ſpina dorſi ſemper maxime ſub eo pati atque divulſa eſſe debeat, imo quod quandoque relictis veſtigiis proceſſuum inter ſe invicem hiantium accuratiſſime bifida cernatur, prout eandem depinxit Nic. Tulpius obſerv. medic. lib. III. c. 30. p. 231. & D. D. Joh. Lechelius in Ephem. N. C. Dec. II. A. II. obſ. CLVIII. deſcripſit, ita ut digitis ſpina revera bipartita tangi potuerit; quamvis ſæpius etiam acciderit, ut proceſſus ſpinoſi penitus obliterati viſi fuerint, corpore vertebrarum ſolo atque illæſo ſuperſtite, prout in noſtra & aliorum obſervationibus videre eſt: vel conſideratis ſimul aliquibus circumſtantiis locoque affecto, eum plenius dicimus tumorem lumbarem cum ſpina bifida, & lumbarem quidem, non quod ſemper in vertebris lumbaribus accidat, ſed plerumque tantum, eum & in reliquo ſpinæ tractu obtingere queat, prout inferius videbimus, ſicque prior denominatio pro generaliori, hæc pro ſpecialiori aſſumi poſſit.

VI. Quoad definitionem realem ea ſit ſeq: ſpina bifida eſt morbus conformationis & unitatis læſæ, conſiſtens in hiatu vertebrarum ſpinæ dorſi alicujus, vel etiam plurium, ac exinde ſubſequente tumore aquoſo elatiori, modo cum modo ſine partium inferiorum atrophia & imbecillitate, obveniens vel ex prava prægnantis matris imaginatione fortiori, & inde dependente vertebratum fetus in utero prava conformatione, vel earundem ob fortuitum corporis lapſum, concuſſionem, incurvationem, niſum validiorem & tandem ipſam ſeri lymphatici ſpinalis medullæ copiam excedentem, tum in embryonibus, tum in adultis, licet hoc rarius, fiſſione, diffractione, diviſione &c. cum inſequente membranarum ſpinalem medullam inveſtientium intumefactione, diſtenſione atque ipſius medullæ ſpinalis diverſimoda affectione.

VII. Morbum diximus eſſe læſæ conformationis; eo quod certe

ſuperficies dorſi in magnitudine aucta peccet, cavitas quæ ſpinæ dorſi, pro ſecure deducenda medulla ſpinali non niſi digito mediocri continendo apta, hic multum ampliata conſpiciatur, ut non ex debito complecti medullam valeat, ſed hanc cum integumentis ſuis licentius evagari permittat. Quid? quod ſpinalis medulla naturalem ſuum mutet pariter ſitum, neque ad partes vel artus inferiores ex naturæ inſtituto diſſeminetur; ubicunque vero hæc talia in corpore ſeſe offerunt, ad claſſem morborum malæ conformationis referenda eſſe, eruditiſſime edocuit vir magnificus, prænob. ampliſſ. atque experientiſſ. *Jac. Pancrat.* BRUNO inclytæ univerſitatis hujus h. t. Rector graviſſimus, phil. & Med. Doctor ac ejuſd. prof. p. atque ſenior longe celeberrimus, Archiater Norimbergenſis meritiſſimus, patronus, atque præceptor meus alte ſuſpiciendus, in propyleo ſuo medico pag. 58. unitatem vero læſam maniſeſte arguunt termini hiatus fiſſionis, diffractionis &c. in definitione uſurpati.

VIII. Hæc intimius paulo conſiderando, adnexis ſimul reliquis, quæ ad eſſentiam hujus morbi retulimus, facili negotio ad ſigna diagnoſtica medico ſagaciori via pandetur, præcipue ſi cauſas procatarcticas magis ſolicite inveſtigaverit, tumorem enim circa ſpinam plane ſpecialem & aquoſum propriis tanget manibus & ipſo tactu inſimul facile vertebrarum ſpinas ſede ſua dimotas & diffractas eſſe, atque eaſdem hiare percipiet, imo defectum ſpinarum digitis numerabit, atrophiam ac imbecillitatem partium ægri inferiorum ſuis contemplabitur oculis, & ſi de cauſis callidius quærens audiverit lapſum præceſſiſſe, terrorem item, imaginationem fortiorem, & embryonem exinde inquietiorem factum, preſſionem molis alicujus in dorſo geſtatæ diffregiſſe aliquid, confirmatum ſe credat de præſentia hujus affectus.

IX. Sedem hujus morbi inquiſituri ſubjectum ejus nominamus & quidem primarium, quod nullum eſt aliud, quam una vel plures vertebræ quoad partem ſui exteriorem magis anguſtam, proceſſibus variis ornatam, ab invicem divulſa, cum vel ſine proceſſuum illorum obliteratione, una cum ſpinali medulla varie circa locum affectum intumefacta, diſtorta, expanſa & quandoque penitus in humoroſam quandam ſubſtantiam reſoluta, prout exemplo teſtatur obſerv. CLVII. Ephem. N. C. D. II. A. II. 363. & ipſa hæc noſtra, quoad partes inferiores, ſpina enim integra & medulla ejus illæſa manente, vix talis oborietur affectus. Nec tamen ulla univerſa ſpinæ dorſi excipienda hic venit vertebra, ſed qualibus pro ratione cauſarum affectus hujus capax eſſe poteſt. Sic obſervat eundem celeb. Ruyſchius in vertebrarum colli ſpinis obſerv. LII. obſervationum ſuarum anatomico chirurgicarum; excellentiſſimus

D. D.

D. D. Apinus eund. vidit in virgine quadam hectica 20 annorum medias infra ſcapulas enatum, pariter idem vir ut doctiſſimus ita curioſiſſimus quoque ſimilem pugni magnitudine in fine oſſis ſacri in fœmina 50 annorum ex conatu fortiori, cum levatura eſſet falcem graminis majorem *eine bürde Graß.* obortum notavit, cum doloribus ſæviſſimis ob lympham acrem ichoreſcentem effuſam: frequentius vero unam vel plures & plerumque quidem ex ultimis vertebrarum lumbarium affectus hic occupat, prout reliquæ hactenus allegatæ obſervationes teſtantur: ſecundario vero totum corpus compatitur, quatenus tota etiam ſpirituum animalium compages in circulo ſuo diſturbata exiſtit, ita ut corpus vivide ſatis haud invigorare ac reficere valeant; ſpecialius vero hoc modo compatiuntur quoque partes inferiores, quippe nervis plerumque cruralibus maximam partem deſtitutæ.

X. Differentias hujus affectus, quod concernit, præter eam, quæ a loco affecto deſumi poſſit, quamque in antecedenti theſi claram jam dedimus, ſuperſunt aliæ. Nimirum quoad originem, dum oboritur alius vel ſponte, ſine prægreſſa externa violentia corporali, vel a cauſa externa violenta, lapſu, jactu, ictu, conatu fortiore, tam in adultis quam præcipue in embryonibus, utero materno adhuc concluſis; quos ſæpe noxam pati illæſa matre conſtat: vel ſymptomatice plane ex humoribus copioſioribus; prout ſub erratione cauſarum proximarum videbimus: ſic quoad tumorem, quandoque eum exulceratum, prout talem in noſtra deſcripſimus obſervatione, quandoque vero non exulceratum, item alium latiori exurgere cernimus baſi, anguſtiori alium; eundem porro nunc rotundum, nunc oblongum, pro diverſa amplitudine hiatus, qui ratione cauſarum rurſus diverſiſſimus pariter exiſtit, nunc enim ubi ſpina violenter diffracta, diſtat eadem quouſque fracturæ impetus ſe extendit; ubi morbus ex prava conformatione enatus, hiat nunc amplius nunc anguſtius, prout nimirum plures vel pauciores vertebrarum ſpinæ deſunt, eæque nunc latius a ſe invicem dehiſcunt nunc ſpeciale ſolummodo foraminulum rotundum loco hiatus relinquunt, uti talem deſcripſit Ruyſchius in obſerv. XXXVI. ſuarum obſ. Anatomico-Churchurgicarum. Denique intimius ſpectando hunc affectum, alias rurſus inveniemus differentias ratione affectionis ipſius ſpinalis medullæ, prout iſta vel quoad duplicem ſuum caudicem, vel quoad alterutram ſaltem medietatem affecta eſt; modo adnata, modo non, modo ultra tumorem exporrecta, modo intra ipſum tumorem humoroſe reſoluta & quæ ſunt plures aliæ. Quæ vero a ſymptomatibus deſumi queant differentiæ, cum diverſitati ſubjectorum, temperamentorum, ætatis, ſexus, vitæ generis &c. ſeſe accommodent, & innumerabiles fere haberi queant, ideo brevitati ſtudentes recenſendis iis ſuperſedebimus.

XI. De cauſis ut ſolicitos nunc nos geramus ordo jubet, quarum campus quo plenior iis, eo etiam intricatior exiſtit & quidem eo magis ſpinis difficultatum horridus cernitur, quo certius vertebræ iis in hoc affectu deſtitutæ notantur, tentabimus vero hariolari aliquid, ſi dicere haud valemus: cauſa immediata atque formalis, ubi malum ex prava matris imaginatione, ipſum erit principium fetus vitale, ſeu anima prout enim tota corpuſculi embryonis formatio ab ejus directione dependet, ita vix deformatio ejuſdem ex alio capite deducenda erit, cum quævis corpora naturalia organice ſtructa ſive conformia ſive deformia exiſtant, principium aliquod ſtruens pro cauſa immediata atque ſui fabro agnoſcant. Ne vero obſcuritas hic ſubeat B. lectorem, circa vocabulum principium vitale, paucis explicamus, id nos per illud intellectum velle, quod alii per archeum, flammulam vel luculam vitalem, byolychnium, naturam, vel ipſam animam exprimere intendunt. Quid vero ſit hoc noſtrum principium vitale, & quomodo res ſuas peragat, vix nobis brevitati ſtudioſis hic inſerere licebit, hinc quibus durum eſt noſtras per illud diductas rationes intelligere, adeant rogo Excell. D. D. Apini eruditiſſimas de eo habitas diſputationes, ſeque in eo informatos videbunt. Ad noſtra redimus; & miramur quantum ſibi poteſtatis imaginatio matris prægnantis fortior informandis ac deformandis fetibus vindicet, quod enim ad nutum illius certi quid, inſoliti alias, corpori embryonis ſuper induci vel etiam naturaliter alias configurandæ partes abſumi ſoleant & annihilari, certe clarum eſt, dummodo nervorum ſpecies innumerabiles conſideremus. Ex mille aliis, quos ipſe vidi, aliquos dicam, ipſe ego in latere dextro maculam teneo, quæ in teneriori corpore ante annos aliquot araneam cum pedibus ſuis & oſculo exactiſſime referebat, robuſtior vero nunc factus, obſcuriorem quoque eam noto, ſigillabar autem hoc ſtigmate, quod B. mater utero incarceratum me tenens araneam in pectoralis ſui dextro latere prorepentem cerneret & dira inde ſibi imaginaretur; ſororem, nunc dudum quoque beatam habui quæ nævum humero ſiniſtro inſidentem alebat, fundulum tam exactiſſimæ repreſentantem ut demere ipſum voluiſſes, ſi vidiſſes, quo nævo notabatur puella, quod chariſſimæ B. matri fundulos decocturæ unus eorum ex cacabo in humerum proſiliret, eamque inſigni terrore percelleret: Vidi binos viros manibus ac pedibus penitus deſtitutos, niſi quod alter pedem habebat anſerino ſimilem, quo multa curioſa præſtabat, defectuoſi vero ſic nati fuerant miſeri illi, quod matribus eorum anſer denegabatur, quem in veru aſſatum ex pica appetebant; annumerari his convenientiſſima quoque poteſt obſervatio Tulpiana, de tumore rapi formi cum ſpina bifida obſ. Med. lib. III. cap. XXX. p. 230. & quæ ſunt ſexcenta alia ejuſmodi exempla. Num lapſum & caſus gravidarum, ob inde ſequentem terrorem fortiorem, an

an vero ob ipſam alliſionem, concuſſionem & ſpinarum ſub his motionibus diffractionem potius accuſandi in hoc noſtro affectu veniant, ſuo loco relinquemus. Certi itaque tantam intercedere matris cum embryone conſpirationem, ut & ſola imaginatio fortior iſtius hunc & formoſiorem & deformiorem reddere poſſit, de eo paucis circumſpiciamus, de quo & Plato quandoque ſilere cogitur, qui nimirum fiat, ut tale quid imaginatio præſtet? Effectus certe docet, conceptus ex imaginatione ortos plus eſſe quam entia rationis, prout vulgo creduntur, nempe entia quædam vera, realia, ſpiritualia tamen, prototypoſuo ſimilia, non ſolum ratione figuræ ſed & activitatis intrinſecæ, quo ipſo ſimul patet, vocabulum imaginatio ipſam ejus formalitatem inſigniter exhaurire, revera enim ſub ipſo imaginationis actu imagines quædam ponuntur, clarius ideæ formantur, quæ deinceps in fetum tranſeunt, ſuamque activitatem incerta corporis parte cum ſigilli veluti ſui impreſſione exerunt; qua ratione vero iſtæ fiant quid ſint ubi exiſtant & quomodo operentur humana mens huc uſque definire haud valuit, ideo & hic nos tacemus, maximum vero pondus collectioni ſpirituum animalium tribuere, forſan non eſt de nihilo. Relinquimus igitur ea, & ſolliciti potius ſumus explicare, qua ratione fiat, ut ob imaginationem in cerebro factam, principium vitale embryonis in utero incluſi in formationis opere præpediatur, aut irregularius agere cogatur. Hoc ut explicemus, præſuppoſuimus jam conſpirationem matris cum infante firmiſſimam, eamque conſenſionem in ſpiritibus magis quam humoribus conſiſtere probabile videri autumamus; ſuppoſuimus item imaginationem fortiorem terrores & animi affectus graviores perfici quaſi collectione quadam fortiori ac revocatione & recurſu ſpirituum animalium ad cerebrum phantaſiæ ſedem ac tribunal. Aſt cum ſpirituoſæ corporis partes potiſſimi exiſtant operarii, per quos principium vitale ſuum gubernat officium, ſic impediri in eo oportet, ubi contraria impreſſa idea avocatis & diſturbatis ipſis illis ſpiritibus, prioribusque connatis ideis, quarum ad normam partium elaboratio perfici debebat, miſere corruptis vel penitus deletis, aut omnino abrumpit formationis negotium, aut ſaltem hac illa parte negligentius tractat, ſique accuratius ſuo fungi officio haud potis eſt, quoquo modo interim ſe adjuvat, & ut alacrius rem agere valeat, ipſi ſpirituum motui impreſſo ſeſe accommodat, & ſimile quid efformat, ad quod ſpirituum motus inclinat, ponit rudimenta alia, alia ſeponit, quid dicam? ſi eſt aliquid dixiſſe, ideo aliter agit, & hæc curſim de nævis dixiſſe ſufficiat, quod licet argumenti gravitatem non exhauriat, non tamen penitus de nihilo futurum confidimus. Redimus hinc in viam, unde digreſſi fuimus, & de cauſa immediata anxii porro, rurſus adducimus aliam, ubi affectus ex lapſu, preſſione violenta, co-

natu quovis fortiori &c. quæ eſt ipſa dehiſcentia, poſitus inordinatus & omnimoda reſolutio ſpinarum cum intumeſcentia membranarum ſpinalis medullæ.

XII. Ad cauſas proximas mediatas ordine nunc delati, in affectu hoc varias eaſdem deprehendimus, prout nimirum ortum hicce morbus hauſit ſuum. Dicere vero eas ac definire, ubi ex imaginatione affectus, vix fuerit opus, cum fetus etiam ſaniſſimus & robuſtiſſimus imaginationis maternæ vim vix poſſit eludere. Credibile tamen interdum portiones illas naturales, ex quibus ſpina, vertebra, medulla ſpinalis & reliquæ partes adjacentes formandæ erant, culpandas eſſe, ſicubi fluxiliores magis & molliores exiſtant, quemadmodum & ipſum principium vitale fetus, debilius in uno quam altero, facilius ab imaginatione materna ſubigi hujuſque impetuoſo torrente abripi poſſe veriſimile videtur. Ubi affectus ex concuſſione, conquaſſatione, tenſione &c. ipſa corpora alliſa & ſub niſu fortiori, ipſi tendimus muſculorum ſpinis affixi & fortius attracti, eaſdem divellendo proxime malum hoc cauſabuntur, non inculpatis tamen ſimul manentibus ipſa lympha extravaſata cum ſpiritibus animalibus turbato ordine ſpinalem medullam percurrentibus & tunicas inflantibus atque intumefacientibus. Quæ etiam cauſa eſt, cur in theſi ſecunda huncce morbum hydrocephalo comparaverimus & æque ac illum frequenter ob cauſas fere communes obvenire poſſe affirmaverimus, atque in §. 10. eundem ſymptomatice magis quoque exoriri poſſe dixerimus, ut id quidem facile eſt conceptu, ſi dicamus, malum hocce ortum ſuum debere lymphæ ac humoribus circa locum affectum cumulatius collectis, fibras ſpinarum in embryonibus cartilagineas, imo membranaceas diſtendentibus & tandem perrumpentibus. Adeſſe vero talem lympham, quæ excedere propriiſque ſuis canalibus ἔξω inferre valeat, probamus, partim quia mediantibus digitis ex ipſa ſpinali medulla exprimi poteſt lympha pellucida, terebinthinam conſiſtentia æmulans, teſte experimento Malpighii in opere poſthumo Bibl. Anat. tom. I. præfixo p. 60. a. ipſaque interior ejuſdem ſubſtantia cineritia glanduloſa eandem neceſſario ſtillare debet, partim quia in membranis cerebrum & medullam ſpinalem involventibus, lymphæ ductus obſervati fuerunt, nec in membranis ſolum, ſed & per ipſam cerebri ſubſtantiam percurrentes, prout accuratiſſime & ſolidiſſime id evicit vir prænob. Ampliſſim, atque Excellent. Dn. *Joh. Mauric.* HOFFMANNUS Phil & Med. Doctor, ejuſdemque in hac alma univerſitate prof. p. famigeratiſſimus, ſereniſſ. Marchionis Onoldo Brandenburgici conſiliarius atque Archiater graviſſimus, phyſicus Norinbergenſis ac collegii naturæ curioſorum adjunctus Heliodorus dictus meritiſſimus patronus atque præceptor meus omni honoris cultu venerandus in diſp. publica aliqua de hydrocephalo cap. I. §. II. quod idem de medulla ſpinali affirmari

firmari poſſe nullum eſt dubium, cum ejuſd. membranæ ac tota quoque ſubſtantia nihil ſint niſi continuationes tum membranarum cerebrum inveſtientium, tum ipſius cerebri. Nec obſtat, quominus evincere quis conetur, humiditates in cerebro contentas per ipſam quoque ſpinalem medullam depluere poſſe. Quoad cætera vaſa humorifera ſpinalem medullam circumvallantia, arterias puta & venas, numeroſa eadem deſcripſit idem vir excellentiſſimus in Diſp. XIV. ideæ machinæ humanæ §. II. iſta pariter tum per διαπήδησιν tum glandulis ſpinalis medullæ ſubminiſtrando materiam pro ſecernenda lympha laticem hunc humoroſum adaugere valent.

XIII. Cauſæ antecedentes, ſi malum ob prægreſſam imaginationem ex prava conformatione obortum fuerit, eædem ſunt, quæ jam recenſitæ in principio theſeos proxime præcedentis, a proxima non diverſæ niſi loco & tempore, mollities nempe & teneritas ſtaminum ſpinarum & vertebrarum primordialium, cum certum ſit naturam partes ſolidiores & minus tractabiles minus quoque aggredi ac deformare, ſed tales ſolum, quos nexu ſuo diſſolvere facile poſſit, hinc ſi ſpinas deformaverit, eas fuiſſe oportet molliſſimas & minus reſiſtentiæ habuiſſe quam ſpiritus impetus. Eadem vero mollities & fracturæ facilitas accuſanda hic etiam venit, ſi morbus ex alia cauſa ortus fuerit. Notamus enim in adultorum vertebris ſpinas laxiori & minus veræ apophyſi vertebrarum corpori adnexas eſſe, ut facile a ſe invicem divelli queant, quid ergo fiet quæſo in embryonibus? Ubi in tertio ætatis menſe vix veſtigium proceſſus alicujus ſpinoſi animadvertas, & ubi ſeptimum jam menſem trangreſſus fuerit, vix præter cartilagines molliſſimas punctula oſſea in iis cernes, prout Bibliotheca Anatomica part. IV. cap. XII. p. 411. nos informat. Quævis certe molliſſima alliſio ſpinas diffringere & e loco ſuo dimovere potis eſt, & maximopere demiror, embryonem ſub illa corpuſculi ſui curvatura & duriore ad corpora vertebrarum matris accubitu, in hujus præcipue motu paulo vehementiori, non frequentius affectum talem incurrere. Ubi affectus ex prægreſſa aliqua violentia, cauſæ προηγουμένης ſive antecedentis rationem habebunt hæc ipſa modo memorata. Si collectioni copioſioris ſeri lymphatici & inde ſubſequenti ſpinarum emotioni ſui originem debet, pro cauſa antecedente alleganda erit obſtructio cujuſcunque generis vaſorum quæ ſubſecuturis humoribus tranſitum præpediendo eoſdem ſtagnare faciet, & hoc modo διαπήδησιν auctiorem una cum copioſiore ſeri lymphatici in glandulis ad medullam ſpinalem pertinentibus ſecretione, & vaſorum lymphyducorum crepatura inducet, & ita tumori dicto anſam dabit. Non plane inſons quandoque etiam habenda ipſa lympha, mucilaginoſior in ſpinali medulla alias contenta, nunc vero reſoluta magis & aquoſior reddita humiditates præternaturales adaugens. Etſi ſerum

ratione

ratione qualitatis peccaverit, acrimoniam ejus ſub hanc claſſem referre oportet, quippe ea vaſa lymphatica eroduntur, quæ deinde cauſam proximam materialem lympham ſc. copioſiorem fundunt.

XIV. Excipiunt cauſas antecedentes remotæ ac procatarcticæ & quidem ubi imaginatio in hoc affectu tragædiam excitaverit, accuſandæ ipſæ illæ ideæ extrinſecus ab objectis his illis appellentes, per violentiam ubi malum obortum, cauſas remote conſtituent quævis corpora dura cum impetu adacta, item onerum ſublationes, lapſus, conatus fortiores, vehementiores dorſi incurvationes, & quæcunque rupturam in vertebrarum una vel pluribus inferre valent. Communiſſima vero quæ hic militare queat, cauſa remota eſt temperatura infantum ſeroſior, excedentem alens humiditatem, qua oſſa non tantum tenuiora ſervantur, ſed & ab oſſificationis conſueto termino magis elongantur, vel quod idem, tardius ſibi competentem ſoliditatem adipiſcuntur. Inſuper vero ubi copioſius illud ſerum ſegnius movetur, facillime parit ſtagnationes, ſtagnando rupturas vaſculorum teneriorum & effuſiones lymphæ, perque effuſiones tumores aquoſas. Et eatenus quoque male audiet ipſius matris temperamentum phlegmaticum magis & humidius, prout in embryonem per maternam enutritionem in utero transfunditur.

XV. Commune eſt proverbium: nulla calamitas ſola idque veriſſimum cernimus quotidie in corpore noſtro, cujus partes tam amicabili nexu ac delicatiſſima conſpiratione inter ſe invicem cohærent, ut nulla fibra ſola affici queat, quin centum aliæ compatiantur, & vel ratione functionis ſuæ deſiſtant vel aliarum partium officia naturalia impediant & quovis modo ubique condoleant, & quæ ſexcentæ aliæ ejuſmodi ſunt compaſſiones. Nil mirum igitur, ſi affectus hic ſpinalis medullæ plura poſt ſe trahat ſymptomata, nos potiſſima ſaltem rimabimur, ne limites brevitatis præfixæ tranſgrediamur. Notamus vero, forinſecus affectum hunc contemplando, illico tumorem ſpinis vertebrarum inſidentem utplurimum figuræ hemisphæricæ. Eum ſi oculis intuearis, quandoque exulceratum cernes quandoque vero integra cute tectum, ſi digitis eum palpabis, molliorem iſtum deprehendes, & magis aquoſum. Prout item nullam inflammationem notabis, ita pus ſubeſſe haud æque concludes, niſi forſan excipere arrideat, ubi malum in ſubjecto magis adulto ex cauſa quadam violenta obortum. Tumoris vero hujus natales ſub enarratione cauſarum explicavimus, dicendo illam non aliam eſſe niſi lympham extra circulum & ſphæram ſuam dilapſam ſtagnantem & integumenta medullæ ſpinalis diſtendendo tumorem parientem: ipſius autem illius lymphæ ſcaturigines patefacimus in §. 12. ſed prout humores contenti corrumpuntur ac nunc acriores & corroſivi redduntur, nunc vero mites & inſipidi permanent, eatenus etiam tumorem erodunt

&.

& exulcerant vel intactum relinquunt. In noſtra obſervatione area C. fig. I. exulcerata notabatur, quod eo in loco ſpinalis medulla adnata fuerat humidam quandam ſubſtantiam ichoreſcentem continuo extillans. Adnata autem fuit in caſu præſenti medulla ſpinalis medio tumoris vertici, quod ſolidior jam exiſtens penitus annihilari non potuerit. Accidit enim lapſus matris gravidæ ſeptimo geſtationis menſe, partibus fetus notabiliter jam confirmatis. Viſo vero ita tumore in ſuo ambitu, totum etiam corporis habitum exteriorem accuratius examinabimus, quem diverſum deprehendimus, modo languidum, imbecillem, atrophia conſumtum, pedibus quaſi paralyticis, & quæ ſunt alia; modo validiorem, agiliorem & pleniorem, prout tale ſiſtit exemplum celeb. Ruyſchius in obſerv. ſuperius ſæpius allegatis obſ. XXXVI. totius vero hujus differentiæ cauſa erit in ipſa ſpinali medulla prout hæc ſcil. affecta. Ubi rariora quædam prænotanda veniunt, nimirum, quod quandoque non ultra locum affectum exporrigatur, ſed mox in humoroſam quandam ſubſtantiam penitus reſoluta diſpareat; nunc illico in loco affecto ſicuti nos in obſervatione notavimus; adnaſcatur, quæ ubi obveniunt, non poſſunt non partes inferiores contabefieri & motu ſuo privatæ jacere, quippe nervis cruralibus penitus deſtitutæ, per quos tamen nectar ſuum vitale, ſpirituum nempe influxum, recipere deberent. Accidit etiam quandoque ulterius exporrigi medullam ſpinalem, & circa locum affectum, vel aliquas tantum fibras medullares, vel alterutrum ſaltem ejus caudicem affici altero illæſo adhuc, utcunque partibus inferioribus proſpiciente, hoc ſi contigerit, adeſſe quidem ad tempus poteſt & nutritio & motus partium aliqualis, non vero conſtans: cum ſenſim ſpinalis medulla magis magiſque deperdi ſoleat idem dicendum quoque erit, ubi affectus in decliviori fuerit loco, ita ut ſupra eundem plerique nervi illæſi jam excurrerint v. g. in oſſis ſacri fine. Quoad reliqua ſymptomata in noſtro ægro pueruło obſervata temperamento ſeroſiori ſpeciatim illa attribuenda erunt, cum enim ſerum illud acrius extitiſſet, fibrillas nerveas varie lancinando nunc tuſſire eum fecit, nunc ſternutare frequentius, ipſaque quantitate ſua excedente coryzam & alvi fluxum continuum producebat.

XVI. Conſideratis nunc quid ſit ſpina bifida, quomodo oboriatur, & quæ ſymptomata eam comitentur, prognoſin, ut adjiciamus ordine jubemur. Spectando vero cauſas, æque adultis atque embryonibus affectum huncce familiarem eſſe poſſe facile affirmamus, æque vero facile inſimul indicamus, eundem niſi ex fractura hiatus ſit minimus & in fine oſſis ſacri obveniat, ſtatimque a principio remediis tractetur convenientibus, undis ſpinalis medulla mox obruatur, vitium capiat & ſpirituum animalium motus circularis inde diſturbetur ac ſufflaminetur,

 ut

ut avolantes ii & inordinatius pervolantes corpus demortuum jacere ſinant.

XVII. Ultimum nunc eſt, ut de curatione pauca adjiciamus, ſed quid dicam de ea? Optarim certe veram certamque eam promitti poſſe, aſt veſtigia me terrent, cum celeb. Ruyſchius obſ. XXXIV. hæc circa curationem adjiciat: vix ac ne vix quidem affectus hic profligari poteſt, nemo enim inter eos, quos tractavi hactenus, infantes, evaſit, nec unquam ab aliis curatum percepi. Turpe vero eſſet medico in deſperatiſſimis etiam morbis ægrum derelinquere, tentet hinc quævis, quæ prodeſſe ſibi videri queant, curet palliative, & naturæ operationem expectet, ni methodice atque certe curare liceat, caveat ſaltem, ne noceat. Hinc & nos moniti loco hoc tenentes, quid de ejus curatione ſentiamus, aperiemus. Duplicem autem eam merito conſtituimus; aliam quippe, ubi exulceratus cernitur tumor, & ubi non exulceratus aliam, ſic in exulcerato tumore exulceratum reſiccetur & cicatriſetur pulveribus ſiccantibus inſperſis v. g. mag. ſacch. Saturni, ceruſſa, creta, talia præparata &c. ſic folia ſemper vivi maj. in pollinem tenuiſſimum redacta pro eodem ſcopo valde proficua cenſeo; ſuper imponatur porro empl. diapomphol. vel ſaturnium Mynſvel album coctum, vel aliud ſimile, id tantum præcaveatur, ne talia emplaſtra nimis glutinent, fortiusque adhæreant, & ita ſub difficiliore remotione ſui aperturæ anſam præbeant. Conſolidato vero ulcere cuteque nunc integra conſpecta, quovis modo præcaveatur, ne rurſus exulceretur locus: Tumorem interim disjicere annitaris cutemque leviter adſtringentibus ad naturalem firmitatem reducas. Hoc ſi præſtabis, curationem præſtabis, ſed hic opus hic laborem invenies. Non abs re autem fore arbitror, ſi in hunc finem ad præceptum excellentiſſimi D. D. Apini, patroni mei æſtumatiſſimi, in collegio publico ſuper Ruyſchianas obſervationes datum, fotibus tractaretur diſcutientibus locus affectus, & in huncce ſcopum ſacculi conficerentur ex H. fragar. burſ. paſtor. mille fol. origan. plantag. ſalv. betonic. ſem. carvi &c. vino incoquendi & calide atque diligenter imponendi, cujusmodi quippe ſacculos in puero hydrocephalico profuiſſe, communicavit in colleg. chirurgico privato ſect. I. obſ. 26. vel adhibeatur linimentum in hydrocephali curatione alias laudatiſſimum, quod paratur ex herb. fragar. burſ. paſtor pulveriſatis & cum ſ. q. axungiæ porci junioris, piciſque abietis puriſſimæ, in linimenti formam redactis: Tumorem ſi hoc modo diſſipaveris, de bono eventu lætari poteris, tum enim natura ipſa foramen cartilagine aut membranis occludere, ac intra ſphæram ſuam munire ſciet. Dum vero hæc aguntur, proſpiciat medicus inſuper circa ſymptomata. Hinc ægros languentes ſemper reficiat, v. gr. potionibus cordialibus, confortantibus, pulveribus antepilepticis, & quicquid ſubjecto commodum viderit, ſuadeat; ſi

inſuper

inſuper obſervaverit, ſeroſitates acrimonia ſua in corpore peccare variaque inde ſcaturire mala, corrigat eandem abſorbentibus, dulcificantibus &c. prout natura morbi & ſubjecti poſtulaverit. Hæc ſi voto non reſpondeant, naturæ rem relinquas, cave ſis vero ne ab indicationibus ſuperioribus recedas & apertionem ſuſcipere intendas, trucidabis enim hoc modo ægrum, & cum aquis ipſam quoque emittes vitam, per experientiam enim probata hæc eſt cautela, nec ulli eam tentanti unquam feliciter ceſſit; per rationes medicas inſuper ſtabilita medullam enim, ſi denudabis, & aërem incautius admittes, ſubſtantiam eorum deperdes; convulſiones excitabis, & infeliciter totum ægrum jugulabis, cautius ergo aliorum exemplo mercari diſcas. Quæ circa diætam admonenda veniunt, ſunt seqq. diæta ſit qualis hecticorum, & omne vitetur, quod acrimoniam in corpore producere valeat; corpus faſciis bene fulciatur & portando tales infantes, nolito eos vehementius concutere. Alvus ſemper apertior ſervetur, quo ſeroſitates ſuperfluæ commodius evacuari queant, caveas tamen, ne limites etiam tranſgrediatur, quo in caſu, ubi durior ſcilicet clyſteres & ſuppoſitoria proficua erunt. Et hæc de hoc affectu dixiſſe ſufficiat, DEO ſit laus honor & gloria in æternum.

CCLIII.

J. IGNATII GILD,

DE

SPINA BIFIDA.


Vienn. 1754.

PRÆFATIO.

EX *immenſo morborum, corpus humanum infeſtantium acervo ſpinam bifidam pro ſpecimine comparatæ in medicina doctrinæ exhibere, ſive utilitatem, ſive dignitatem materiæ ſpectes, operæ pretium cenſui. Ad eam autem conſcribendam non novus morbus, quaſi a nullo foret notatus, non repetita occaſio eum videndi, neque curatio, cujus hic vana ſpes atque deſiderium: ſed fiſſuræ apophyſium vix hactenus notatæ magnitudo me impulit, ut languido ac imbecilli animo in notandis rarioribus medico digniſſimis laborare viderer, ſi tacendo illam palam proponere neglexiſſem; quæ, ut nullus dubito doctioribus non minus admirationi quam erudiendis cautelæ ac normæ inſerviet. Nam quotquot ejuſmodi caſus ſpectare mihi licuit, fere ſemper inciſionem a Chirurgo factam cum ſubitaneo corporis interitu obſervavi.*

Ne vero effigies ejus ornatu careret, conſcripſi generaliter quæ in tribus tumoribus lumbaribus cum diviſione ſpinæ dorſi notare potui; his cauſas adjeci, meamque in illis opinionem expreſſi, atque ut evidentia a probabilibus diſtinguerem, in duo capita totam morbi hiſtoriam partitus ſum. Quorum 1*mum* *conſtitutionem morbi,* 2*dum* *cauſas & reliquas morbi diviſiones continet.*

Cuncta hæc voto meo reſpondebunt, ſi tibi L. B. ſatisfeciſſe viſus fuero; ſi vero in quibuſdam a recto tramite declinavero, veniam dabis; dantur enim hæc in diſceptationem publicam, ut confirmer, ſi bene ſenſi; ſi minus, bene devius redeam. Ea igitur benevole legenda accipe, fave, & vale.



Disput. Medico-Pract. Tom. VII. Gilg de Spina bifida

CAPUT I.

DE

SPINA BIFIDA.

§. I.

NOmen ipſum, ſignificans ſpinæ unionem ſeparatam, morbi definitionem fere abſolvit; ut controverſias de illo hic adducere minime animus ſit, ſed in recte deſcribenda morbi hiſtoria procedere eo ordine, quo ablatis exterioribus, ſpinæ dorſi videlicet incumbentibus partibus affectis læſæ vertebræ, tanquam primarium morbi ſubjectum examini ſubjicientur. Quarum præmiſſa contemplatione tanto leviori opera effectuum, ac morbi cauſæ, atque curæ ratio eruetur. Quod facturus ſapientiſſimum monitum Illuſtriſſimi L. B. van Swieten ſequor in Commentar. in Herman. Boerhaave aphor. de cogn. & curand. morbis Tom. I. §. 3. pag. 6. expoſitum: *Medico morbum curaturo neceſſe eſt morbum noſſe -- qui ergo ignorat requiſita ad functionem; quomodo cognoſcet quid deficiat.* Quam veritatem jam ipſe obſervaverat Celſus in præfat. lib. I. pag. 7. *neque curari id, quod ægrum eſt, poſſe ab eo, qui, quid ſit, ignoret.*

2. Priuſquam ad ſpecialia deſcendam, quæpiam generatim præmittenda occurrunt, & quidem primario determinanda morbi ſedes; hæc ſemper eſt ſpina dorſi, ejus vero partes variæ, locaque diverſa teſtante Frederico Ruyſchio in operibus ſuis anatom. med. Chirurgicis obſervat. 34. de ſpina bifida: *ſæpe in dorſo aut lumbis, rarius in nucha, rariſſime in inferiore & exteriore parte oſſis ſacri, ſimile quid occurrit.* Poſſunt itaque, ut clare ex celeberrimo iſthoc authore patet, vertebræ omnes findi; quod autem illæ lumborum præ aliis frequentius ſeparentur, in capite de cauſis ſpinæ bifidæ dicetur. Talis vero fiſſura in poſtica parte ſeu facie ſpinæ dorſi cum diviſione apophyſium ſpinoſarum, & ad extus prominente tumore oedematoſo, ac renitente contingit, non tamen ut quidam voluere una cum corporis vertebræ longitudinali ſeparatione, ſed nonnunquam cum oſſeæ ſubſtantiæ corruptione, nonnunquam ſine ullo partium vertebras conſtituentium defectu obſervatur. Magna hinc morbi diverſitas in variis ſubjectis deprehenditur, ut in quibuſdam non tantum vertebrarum & vicinarum partium deformatio, ſed & diſtantium ut capitis longe alia, quam par eſt conſtitutio ſpectanda obveniat. Quæ cuncta quantum ex eruditiſſimorum in arte viro-

rum, mea vero qualicunque experientia colligere quivi, ſingillatim recenſebo.

3 Vertebram ergo fiſſam intuenti primum ſe offerunt apophyſes ſpinoſæ, quæ per medium longitudinali ſectione diviſæ, & a ſe invicem remotæ ſunt, ut ſua diſtantia latitudinem ut plurimum corporis vertebrarum ſuperent.

Singulæ apophyſes ita ſeparatæ videntur particulares apophyſes formare in ſemi circulum reflexas, ad notaſque apophyſibus tranſverſis. Illæ porro apophyſes ſpinoſæ ſolutæ facieculis cartilagineis ut naturaliter veſtitæ ſunt, obductæ plerumque deprehenduntur.

Epiphyſes vero, per quas apophyſes terminantur, vel nullas, vel ad modum exiguas notare potui.

Circa apophyſes laterales id ſolum animadverti, quod figura & magnitudine conſervata una cum ſpinoſis, quibus affixæ ſunt, ad latus remotæ ſint.

4. Apophyſes obliquæ ſeu articulares nec numero, nec magnitudine deficiunt, articulatio vero earum ſeu conjunctio, quousque morbus durat, multum a cohæſione naturali recedit. Fit quidem per arthrodiam, mediante nempe applicatione, ſeu cohæſione harum parvarum apophyſium cujuslibet vertebræ, cum apophyſibus vicinæ vertebræ, quarum facies cartilagine incruſtatæ ſunt, albeſcente, polita, illisque perfecte proportionata. Verum cum apophyſis ſpinoſæ medietas ab alia avulſa, cum toto latere vertebræ retroflexa ſit ſine ulteriori diviſione, non potuit fieri, quin ipſe motus extiterit in hac articulatione, ſolutione ergo apophyſium articularium, & earum dislocatione. Exinde autem nullatenus concludere licet, vertebras in corpore ſpina bifida occupato in tria fruſta, ex quibus conſtant, corpore videlicet & duobus lateribus, abſolute diviſas reperiri. Dum enim apophyſes ſpinoſæ jam ſemel ad latera divulſæ ſunt etiam cum turbata ſerie apophyſium articularium, ceſſat motus undique in ſolidis, & diviſa a ſolo attactu mediante ſupradicta cartilagine denuo uniuntur.

5. Inciſuræ ſeu foramina lateralia vertebrarum fiſſarum pro tranſitu nervorum conſtructa vix mutata in ſceleto inveniuntur, niſi quod una cum apophyſibus elevata de loco ſolito & naturali mota ſint, atque nervos una ſecum trahant, iisque æqualem tranſitum denegent.

Corpus vero cujuslibet vertebræ fiſſæ prorſus convenit cum incolumis vertebræ corpore; non enim in ſua figura, aut magnitudine, aut ſubſtantia, a morbi cauſa injuriam pati videtur.

6. Verum cartilagines ſymphyſis inter corpora vertebrarum locatæ multum a ſtatu naturali recedunt. Hæ enim ſana indole præditæ ad nectendum vertebras neceſſariæ, & aptiſſimæ ſunt, dum ſtructura ſua ab omnibus reliquis corporis humani cartilaginibus diſtinctiſſima vertebrarum

tebrarum corpora uniunt, ſe annectendo uno margine faciei unius vertebræ, & altero margine faciei vicinæ vertebræ, atque altitudine, & latitudine diſtantiam vertebrarum, quibus annectuntur adæquando. Aſt in hoc morbo contraria patent, quouſque enim apophyſes ſpinoſæ vertebrarum ſeparatæ ſunt, non tantum hi circuli cartilaginoſi aliam adipiſcuntur ſtructuram, ſed etiam omnis inter nonnullas vertebras cartilago abeſt, ut ſolæ tantum membranæ externe corpus vertebrarum cingentes appareant, cum horum corporum imminuta diſtantia, adeoque fere nuda applicatione, & facile ſeparabili cohæſione.

Cum jam in quibusdam locis hæc cartilago totaliter in ſua generatione impediatur, non abs re præſens, quouſque plaga durat, pervenire poterit ad rectam ſui conſtitutionem. Hinc eandem examinando reperi non ex circulis ut refert Winslow expoſit. anatom. tom. 1. pag. 335. conſtructam, ſed compreſſam valde, ac vix diſtinctam ab alia cartilagine. Quod autem corpora vertebrarum nunc denominata cartilagine orba a ſe invicem non declinent, ac dehiſcant, impedimentum ponit copia parvorum ligamentorum robuſtiſſimorum, ſe invicem oblique decuſſantium, quæ uno extremo circa unius vertebræ marginem, & altero extremo circa vicinæ vertebræ marginem annectuntur, atque ſibi invicem intricata tanta quantitate decurrunt, ut totam cartilaginum intervertebralium circumferentiam tegant

Quæ cuncta ligamenta, quanquam in infante recens nato exigua, præſente etiam vertebrarum fiſſura illæſa, & eo, quo ſolent fungi officio animadvertuntur.

7. Hactenus dicta de vertebris, contra earundem integritatem ad vitam neceſſariam inventa, morbum unice conſtituunt, ſpinam bifidam merito dicendum. Quibus jam, quantum attento animo luſtrando ſolidas partes vertebrarum læſas colligere quivi, expoſitis; progrediendum erit ad molliora ſive enim a morbi cauſa, ſive a morboſa dictarum vertebrarum conſtitutione, læſa, enumerando, tam contentarum a ſpecu vertebrarum, quam vertebris fiſſis annexarum, aut proxime adjacentium partium præternaturalem conſtitutionem, & quarundam ſubſtantialem corruptionem.

8. Ut vero cœptum ordinem retineam, recenſenda ſunt proxima vertebris: præ omnibus itaque congruum erit meminiſſe ſemivaginæ ligamentoſæ, quæ corporum vertebrarum convexitatem tegit, atque ibidem juxta longitudinem totius columnæ vertebralis annectitur. Hæc quidem per totum tractum vertebrarum fiſſarum in loco ſuo hærens primo intuitu integra conſpicitur, penitius tamen conſideranti tota exſucca, & cohæſionis fibrarum fere expers, facile ergo ſeparabilis, & vix robore reſpectu fibrarum prædita apparet, ut inquirens in morbi indolem manifeſto ſtructuram ejus diſtinguere valeat, compoſitam ut

probat

probat Winslow expoſit. anat. tom. I. pag. 338. ex pluribus filamentis, atque faſciculis ligamentoſis ex parte oblique, maxima vero ex parte longitudinaliter varie invicem intricatis.

9. Quid de tubo ligamentoſo ſentiendum ſit præſente fiſſura vertebrarum, incertum eſt. Hic, ut ex anatomicis conſtat, totam ſuperficiem internam canalis oſſei ſpinæ dorſi a magno foramine occipitali uſque ad os ſacrum inveſtit, & infundibuli ſpeciem longi & flexilis repræſentat. Eundem jam dupliciter lædi poſſe exiſtimo, vel enim per depreſſionem verſus ſpinalem medullam, vel per dilatationem. Dubiæ hujus morboſæ conſtitutionis cauſam ponit ipſa elaſticitas cuique tendinoſo corpori propria ut dicit celeber. Boerhaave in aphoris. de cogn. & curand. morbis de vulnere in genere §. 162. *nervi toti diſſecti retroſiliunt, ſe recondunt*, & idem §. 164. & §. 165. de tendinibus & membranis affirmat. Secto namque tumore lumbari undatim effluit contentum liquidum cum tubi hujus contractione, adeoque imminuta amplitudine, ut quærens affectarum partium conſtitutionem vix affirmare queat, utrum materia morbi extra hunc tubum hæſerit, vel ab illo recluſa fuerit. Cum quoque rerum curioſarum indagatoribus, authoribuſque hujus affectus placuerit ſilentio, vel oblivione exactam ſingularum partium læſarum conſtitutionem exponendam præterire, neque mihi ſemper occaſio fuerit tumorem, qui non prius expertus fuiſſet manum Chirurgi, luſtrandi; nequeo tam authoritate Authorum, quam raro uſu præditus concludere: tubum ligamentoſum eodem ſemper modo deprehenſum fuiſſe, ſed potius rationi conſonum videtur affirmare, utrumque poſſe fieri, tubi nempe dilatationem a ſero ſubtus remorante, & ejuſdem a vertebris ſoluti ſpinalem medullam verſus deprehenſionem ex cauſa contraria modo poſita Poſterius ſpectandum mihi nunquam occurrit, priori tamen modo ſummopere tenſum tubum per magnam vertebrarum fiſſuram protuberantem obſervabam in infante paucis diebus poſt nativitatem mortalitatem implente.

10. Ablato hoc tubo ligamentoſo in conſpectum prodit dura mater, quæ cum eodem modo, poſtquam totam ſuperficiem internam cranii veſtivit, ceu tubus ille, in ſpecu vertebrarum deſcendendo, atque infundibuli ſpeciem formando, decurrat, illique ad marginem magni foraminis occipitalis agglutinata ſit, ſimilia pati videtur. Id præterea notare mihi licuit: duram matrem diſtentam quidem prominuiſſe per fiſſuram vertebrarum, non tamen ipſi tubo immediate applicatam fuiſſe, ſed interceſſiſſe liquidum tenue ſeroſum.

11. Nec aliud quid conjiciendum eſt de laminis piæ matris, ſeu membrana arachnoidea, & pia matre. Pari enim modo, quouſque ſpina bifurcata, protenduntur, medullam ſpinalem deferunt, nec illi ex ulla parte adhærent, ſed circacircum, præprimis ubi fiſſura, in tumorem

tumorem attolluntur comparandum facile cum amplitudine prominentis duræ matris. Taliter conſtituta pia mater, & in alienam indolem ratione ſubſtantiæ degenerata commode perſpici poteſt : dum illa duabus conſtat laminis diſtinctiſſimis , vix viſibilibus fibris ſibi invicem hinc inde unitis.

Harum manifeſta ſeparatio a cauſa diſtendente abſque dubio producta eſt; cum in aliis locis piæ matris id minime deprehendatur, ſemper enim hæ membranæ teſte Winslow Expoſit. anat. tom. 4. pag. 19. *mediante texto celluloſo ſibi invicem adhærent*, ut exiguæ ſaltem portiones per tubulum adacto ſtatu ſecedant, quod nitide exprimit Ruyſch. Tab. 10. in reſponſione vero ad epiſtolam 9. Ait. Subtiliorem ipſa arachnoidea non reperiri in toto corpore. Unde eruitur membranas has tenerrimas a violentia cauſæ morbi frequenter lacerandas eſſe, hinc minus formare ſaccum ſuperius expoſitum. Hoc patet in magnis vertebrarum fiſſuris, ubi communiter, aliis prius ſeparatis, exiguæ portiones piæ matris ſuperſtites apparent, leviter fruſtillatim medullæ ſpinali incumbentes, meraque, ſed tenerrima filamenta repræſentantes.

12. Poſtquam ordine expoſita ſunt involucra medullæ ſpinalis, ſequitur ut de ipſa medulla nobiliſſima partium læſarum agatur. Variam hujus corruptionem intelligendam volo, cum diverſis in locis fiſſuræ ſpinæ dorſi contingant, corpusque medullæ ſpinalis in ſuo proceſſu ratione ſtructuræ variet. Hæc enim uſque ad ultimas thoracis vertebras fere conveniens cum medullæ oblongatæ ſubſtantia multo citius, periculoſiusque læditur, quam ubi caudam equinam format, & robuſtioribus fibris prædita violentiæ cauſæ firmius reſiſtit. Utrumque luce clarius apparuit in infante num. 9. adducto, cujus ſceleton ad finem theſium proſtat, ex ſola enim longitudine ſpinæ bifidæ conſideranti patebit facile, quanta diverſitas læſæ ſubſtantiæ medullæ ſpinalis deprehenſa fuerit. Et revera illa ſub vertebris dorſi adhuc hærens in liquamen ex toto diſſoluta cernebatur, ut tenuiſſimæ admodum ac paucæ ſolummodo fibrillæ ſuperfuerint. Quo profundius verſus os ſacrum inquirebatur, eo tenaciores fibræ, abſente tamen parte medullari ac corticali, exiſtebant, atque ob earum copiam major portio medullæ ſpinalis ſuperſtes repræſentabatur.

13. Nervi autem egredientes ex medulla ſpinali oſſeo tegmine privata in origine ſua degenerant a naturali conſtitutione, dum ipſa filamenta, quæ naturaliter conglobata faſciculum, conſequenter nervum componunt, ſoluta penitus exiſtunt, & corrupta. In progreſſu vero non tam depravati quo ad ſubſtantiam quam inæquali exitu per inciſuras vertebrarum laterales aliter, quam par eſt, diſpoſitas vid. num. 5. tortuoſe procedentes, ſuis tamen involucris cincti, inveniuntur.

14. In ſpecu porro vertebrarum remote a fiſſis vertebris animadvertuntur ſimilia, quæ tam ex hiſtoria morbi a ſeroſa colluvie orti, probari, quam ex ſupradictis intelligi poſſunt.

Totus namque medullæ ſpinalis proceſſus, cuncta ejus involucra humore ſcatent aquoſo, & inter cellulas effuſo, & a vaſculis lymphaticis contento, ut eorum plenitudo ad crepaturam uſque, aliarum vero partium nimia flacciditas reperiatur.

15. Pertractatis demum partibus internis morbum conſtituentibus, ordo jubet progredi ad extus apparentia tanquam morbi producta. Externe ergo longitudinem fiſſarum vertebrarum emetitur, ſi non excedat, tumor perſæpe pallidus, mollis, cum proportionata latitudine, exiſtens ſine ſignis inflammationis, digito preſſus cedit quidem, at prementis veſtigia non retinet; quo excepto totus convenit cum oedemate. Amplitudine differt pro ratione morbi vel durationis, ut nonnunquam nucem juglandem æquet, nonnunquam magnitudinem duorum pugnorum ſuperet. Tumoris effigiem proponit Ruyſchius in operibus ſuis fig. 36. qui pariter cujuſdam in gangrænam verſi meminit ibidem obſervat. 37. dicens. *vidi in filiola cujuſdam procuratoris amſteledamenſis* (ſpinam nempe bifidam) *in qua tumor lumbaris pugni magnitudinem æquans, rugiſque refertus brevi gangrænam conceperat.* Hoc mihi videndum nunquam occurrit, ſemper enim tales prius expiraſſe novi, quam humores acriores redditi gangræna partes tumidas conſumpſiſſent.

16. Quanquam mei inſtituti non ſit diſſerere de partibus remotioribus non immediate vertebris dorſi adhærentibus, nihilominus tamen cum crebro hic morbus caput affectum ſequatur, vel illo præſente caput vim patiatur, minime perfectam ſpinæ bifidæ deſcriptionem exiſtimarem, ſi negligerem illa, quæ in capite digna notatu ſe exhibuerunt.

Idcirco breviter recenſendo ejus morboſam conſtitutionem, devenio primario ad auctam illius magnitudinem, quam aliquando naturalem excedentem, cum tumore integumentorum capitis externorum, oſſium cranii vero majori quam par eſt mollitie, ſpectabam. In eodem cadavere cerebri ſubſtantia videbatur nullatenus, ut num. 12. de medulla ſpinali dictum eſt, diſſoluta. Verum gyri, alias in ſano cerebro apparentes, hic diſparuerunt. Ventriculi cerebri ſero limpido pleni conſpiciebantur una cum eorum cavitate aucta. In plexu tandem choroideo vaſa tumebant admodum ac ſi is undiquaque hydatidibus refertus fuiſſet. Cuncta denique phœnomena hydrocephali præſentiam ſignificarunt.

CAPUT II.

De cauſis ſpinæ bifidæ & reliquis morbi diviſionibus.

§. XVII.

Quam evidentia ſunt illa in præcedenti capite expoſita, quæ a natura morbi in corpore expreſſa, oculis ſubjecta, diligenti animo conſcribi poterant; tam arduum eſt de morbi cauſa hærente in abdito loco, & in ipſo fœtu jam originem ducente, agere. Non enim copiam habui ſpinam bifidam videndi in adultis, nec eandem ortam fuiſſe in jam natis mihi conſtat. Quapropter, ut hæc Theſis veritati conſona videatur, oportebit primo probare: quanta fœtus proclivitas ſit ad hunc morbum, & quam e contra difficulter is poſſit produci in jam natis.

18. Morbos ſecundum ætatem nobis Hippocrates ſect. 3. aphor. 24. &c. indicat, non alia vero ratione illos partitus eſt in morbos ætatis, præterquam ut exhiberet ſimul variam corporis conſtitutionem, adeoque reſpectu ætatis certam diſpoſitionem ad certum morbum, neminem igitur latebit, qui perſcrutatus fuerit fœtus corpuſculum tenerrimum, ejuſque conſtitutionem, quare illius fluida tam facile a ſana indole degenerare, ſolidæ partes vero ab exigua fere cauſa ſolvi, flecti, aut penitus deſtrui poſſint. In embryone enim nihil, niſi quod vaſcula refert, ſpectandum reſtat, de quo dubitare non ſinunt accuratiſſimæ Malpighii, quas incubato in ovo ſagax inſtituit, obſervationes; imo vero totam embryonis maſſam in primo ortu eſſe tenerrimam, flexilem valde. Solida ejus a liquidis, unde originem ſumpſerunt, ſola quiete, cohæſione, & figura tantum differre, nihil proin eſſe, quod reſiſteret fortiter, nihil quod flecti non poſſet, accurato evicit Leeuwenhoekius experimento. Quod pariter magnus Boerhaave agens de nutritione §. 441. confirmat ubi dicit: *& profecto omnis illa maſſa*, ſolida nempe corporis, *concrevit ex iis, quæ antea erant ſubtiliſſimum liquidum.*

19. Hinc eruitur embrionis deformationem, deſtructionemque a leviſſima quapiam cauſa poſſe fieri, ſui vero interitum effugere eo ſecurius, quo magis increvit, & corpus robuſtius evaſit. Id patet ex Hippocrat. lib. de natura pueri ubi ait: *poſteaquam in membra diſtinctus puer fuerit, tum eorum forma increſcit, tum etiam oſſa duriora evadunt.* Dum enim fœtus incipit ſanguine materno per funem umbilicalem nutriri, jam habetur notabilis ſolidarum partium durities, ſic: ut

quæ paulo ante continebantur ſub forma gelatinæ nunc jam oſſeam indolem recipiant. Quæ cuncta ſemper duriora evadunt, quo fœtus proximior fit partui.

Verum enim vero quouſque infans in utero hæret, nunquam ejus oſſa tam ſolida ac rigida fiunt, ut facile flecti non poſſent; imo adhuc recens nati oſſa non tantum flexibilia, ſed etiam oſſium articulatorum extremitates cartilagineæ, & eorum quædam, uti oſſa carpi molliſſima deprehenduntur. De quibus vid. Clopton Havers in ſua Oſteologia pag. 185.

20. Omnia iſta ſpinæ dorſi attribuuntur, cujus vertebræ æque ceu omnia oſſa in primordio tenerrimæ ſubſtantiæ ſunt, ut ſua mollitie nervis, atque vaſis tranſitum denegare non poſſint; verum potius undequaque medullæ ſpinali ſe accommodant, parantque illi aptum domicilium; cedunt ergo cuicunque corpori prementi conſequenter materiæ morbi tanquam cauſæ ſeparando agenti reſiſtere nequeunt.

21. Ex his jam omnimoda fœtus diſpoſitio ad ſpinam noſtram bifidam liquet, magis tamen adhuc ea detegitur ex contemplatione ſingularis ſeparationis quorundam oſſium in fœtu, ut oſſis frontis, ſic maxillæ inferioris, quæ ſucceſſu temporis in unum os coalent, ita quoque vertebrarum; ſingulas enim tribus ex partibus conſtructas eſſe, corpore nempe, & duobus lateribus, docet oſteologia. Separationem interim nolo intelligendam eſſe abſolutam, ſed quæ intercedente cartilagine vel membrana quapiam fit; Quæ vero quam levi opera in fœtu ſolvi poſſint, non latet anatomiæ gnarum.

22. Nihil proin obſtat, quin quis dubius hæreat ex intuitu antedictorum, quare morbi ſolidorum, ut plurimum vero ſpina bifida crebrius non producatur in infantibus utero adhuc quieſcentibus? Aſt rem in conjectura poſitam ſolvit, qui naturam ſapientiſſimam geometram omnia numero, pondere, mole, figura diſponentem, unice intentam operibus machinæ humanæ apte conſtruendæ, penitius perpendit; atque omnia pervenire, ſepoſitis injuriis, ad illum ſtatum, quo humana natura indiget ad functiones qualcunque reſpectu corporis peragendas, jure merito conſentit. Licet hinc in fœtu ſumma omnium partium laxitas adſit, nullatenus tamen, impediente ſola natura, is morbum contrahit, niſi accedat cauſa materialis potens agere in fœtum primario naturam impediendo in opere ſuo, ſolvendo dein jamjam unita.

23. Cauſa igitur in fœtu ſpinam dorſi findens, non valeret eundem effectum producere in jam natis, quibus majus robur adeſt corporis ad reſiſtendum cunctis noxis, quorum inquam conſtructio, atque ſolidarum partium firmior cohæſio, non, ut in fœtu, tam facile cedit. Quod patet ex celeberr. Boerhaave inſtitut. med. §. 465.

clarum

clarum eſt, vaſa illa quo teneriora, recentiora, propiora cauſæ moventi, eo facilius elongari, diſtendi, deſtrui, refici poſſe. Adeoque corpora quo remotiora ab origine ſua, eo magis repugnant cauſæ deſtruenti.

24. Quapropter illorum ſententiæ favere non valeo, qui ſpinam bifidam in ætate conſiſtente poſitis ortam fuiſſe perhibent. Oſſa enim tunc jam pervenere ad illum perfectionis gradum, quo cunctis aliis in corpore exiſtentibus reſiſtunt, contentis aſylum, externe applicatis punctum fixum præbent, totumque corpus firmum ſervant, ſolida ſunt, & dicente Clopton Havers oſteolog. nov. pag. 36. *Partes, ex quibus conſtant, unitæ exiſtentes in eo conſpirant, ut omni preſſioni, & omni conatui eas turbare, & unionem ſolvere conanti reſiſtant.* Soliditatem porro exprimit dicendo ibidem: *adeo, ut nec ab intra a particulis ſubtilibus, & volatilibus poſſint agitari, nec etiam ab extra, niſi ab inſigni cauſa, & extraordinaria plane violentia dimoveri & confundi.* Quanta jam ſoliditas adulti hominis vertebris tribuenda ſit, patet ex pondere illis incumbente, dum unitæ plus quam medium vaſti corporis ad omnem partem moti ſuſtinent. Hinc Winslow expoſit. anat. tom. I. §. 518. dicit: *Spina dorſi eſt fulcimentum generale omnium reliquorum oſſium, & gubernaculum univerſale ſituum, ad eorum motus differentes neceſſariorum.*

Præter ſolidam earum ſubſtantiam firmiſſima ſimul partium vertebram conſtituentium cohæſio hic conſideranda venit, quæ laxa & ſolubilis in fœtu, in adultis commiſſuræ obliteratæ, & in unum os abeuntes, ſpectantur. Quæ dictant in adultis nullam diſpoſitionem eſſe ad ſpinam bifidam, & ſolam oſſium ſoliditatem cauſæ illius morbi qualicumque ſat repugnare.

25. Præmiſſis jam illis, quæ ſpinæ bifidæ corpus obnoxium determinant, ſequitur: ut de ipſa cauſa morbum hunc immediate producente agatur; Hæc eſt: ſeroſa colluvies in ſpecu vertebrarum exorta, ſeu ſerum extra vaſa fuſum, & cavitatibus receptum; quo fit: ut cavitas, quam occupat, diſtentis fibris circumpoſitis, vel ex toto ruptis, dilatetur cum apophyſium ſpinoſarum ſolutione.

26. Cum jam hanc cauſam proximam morbi aliæ præcedant, atque iſtam componant, ut pulchre notavit Celſus in præfat. lib. I. pag. 16. *nihil omnino fit ob unam cauſam, ſed id pro cauſa apprehenditur, quod contuliſſe plurimum videtur*, oportebit ulteriora proſequi expendendo rationes ſeri, aliorumque corporum reſpective ad vaſa continentia, quorum neceſſariæ proportiones deſtructæ varios proferunt morbos, ſive enim ex vitio ſeri, ſive inepta vaſorum ſtructura id fiat, hinc dicit Plato in timæo: *quod autem oberrat ſive accedendo, ſive decedendo mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit.* Quæ vero ſpeciatim huc referuntur, eſt imprimis ſanguis ob ſeri copiam

 dilutus,

dilutus, ad circulandum iners, in vaſis torpet, eadem diſtendit, frangit, liquidum inde manans cavitatem ſua vi producit ſolida laxando, atque extendendo.

Huc dein pertinet ſerum tenue undique tranſudans, oſcula vaſorum pertranſiens, collectum in cavitate vertebrarum.

Similia licet diverſo modo efficiunt humores ſpiſſi, tenaces, quorum meminit Illuſtriſſ. L. B. van Swieten in Comment. tom. 1. §. 115. *ubi ergo a quacunque cauſa molecularum fluida noſtra conſtituentium figura ſphærica mutatur, tunc poſſibilitas æquabilis tranſmiſſionis per vaſa tollitur,* non obſtat, quin inde naſcatur obſtructio vaſorum a motu reliqui humoris moti in locum obſtructum, ſolutio atque liquidi in cavo immoti congeſtio.

27. Sicut jam ſanitas conſiſtit in partium ſolidarum debita configuratione & appoſitione, fluidorum vero juſta temperie quoad molecularum numerum, figuram, ſitum atque motum; ita morbus non ſolum ex depravata indole fluidorum, ſed etiam vitio ſolidorum componitur. Non enim, vix quidem exceptis externe corpori illatis, unum horum læditur altero manente ſano: Quare ſolidorum ratio hic quoque habenda eſt, quorum a naturali ſtatu receſſus illa, quæ de fluidis dicta, efficit. Vitia autem vaſorum quatenus concurrunt ad proximam cauſam noſtri morbi reducta ad quaſpiam claſſes, exiſtunt 1mo. in eorum laxitate nimia, 2do in obſtructione vaſorum reſorbentium, reducentiumque, 3^tio^. in nimia oſculorum exhalantium vaſorum dilatatione.

28. Horum præſentia docet liquidum vaſis improportionatum poſſe in iiſdem hærere, accumulari, vaſa tandem diſtendere, atque tumorem efficere; idem liquidum poſſe congregari extra vaſa poſitum, iners reddi ad circulandum, oſcula vaſorum ſua tenacitate obſtruere, vel ſaltem eorundem vim elaſticam deſtruere. Liquidum vero debere mutari a morboſa vaſorum conſtitutione quocumque modo deſtructa patet ex Comment. Illuſtriſſ. L. B. van Swieten tom. 1. §. 116. *Si cauſæ illæ, quæ æquabili preſſione figuram illam ſphæricam fluidorum fecerant, & factam conſervant, ceſſant agere, elaſticæ moleculæ reſilient, & ab hac figura recedent.* Adeoque imminuta vaſorum elaſticitate ſanguis a debita ſoliditate recedens, aquoſus, tenuis fit, vel & iners, lentusque, glutinoſa tenacitate immeabilis. Quæ ſi corpus univerſum fœtus occupant, univerſales producunt morbos, quorum meminiſſe videtur Hippocrates in libro de octimeſtri partu, ubi hæc habet: *quare multi jam, pueri morbi initium intus, in utero nempe, obtinentes, in lucem prodiere ex quo alii quidem perierunt, alii vero morbum trahentes ſuperfuerunt. Et paulo poſt: quod cum iis non ex incremento, ſed ex corporis laxo tumore contingat, ex his ſane multi perierunt.* Si vero cauſæ illæ in

ſpecu

ſpecu vertebrarum concurrant, non licet dubitare morbum particularem, ſic ſpinam bifidam cum tumore lumbari, debere fieri.

Quod ſi vero dictæ cauſæ conveniant in capite ſub cranio, hydrocephalus oritur frequenter cum ſpina bifida, hic tanquam cauſa morbi conſiderandus. Si namque ventriculi cerebri latice abundante, vel morboſo ſcatent, via huic liquido patet in ſpecum vertebrarum, quod deſcendendo inter vertebrarum proceſſus in fœtu facile dehiſcentes, accedente obſtaculo colligitur, ut conſtat ex comment. Illuſtriſſ. L. B. van. Swieten tom. 1. §. 273. pag. 447. *dum effuſi in ventriculis cerebri humores ad quartum ventriculum perveniunt, qui initium eſt rimæ decurrentis per totam longitudinem ſpinalis medullæ, poterunt hac via delabi, & varias paralyſes &c. producere*: idque ex compreſſione nervorum. Quanquam vero naturaliter omne commercium liquidi exiſtentis in anterioribus ventriculis cerebri cum eo quod remoratur in quarto ventriculo inhibeatur, poteſt tamen illud abundans in ſtatu præternaturali ex ventriculis anterioribus in cavum vertebrarum pervenire; inde enim fertur per aquæ ductum Silvii in tertium ventriculum, & inde impedito exitu per infundibulum pertranſeundo valvulam majorem cerebri, occupat ventriculum quartum, ex quo deſcendens in ſpecum vertebrarum cauſam noſtri morbi unice ſuſtinet. Neque in talibus viam quærere neceſſe eſt, cum operante vel natura ad excernendum id quod corpori nocivum eſt, vel urgente cauſa morbi, ſæpe varie partes ſolidæ mutentur; id diverſæ probant obſervationes, quarum unam adducit peritiſſimus Chirurgus Belloſte in ſuo tractatu chirurgico cap. 15. pag. 367. ubi dicit ſe noviſſe ægrum cum abſceſſu inſigni cubitum occupante, cujus faciendam a Chirurgis aperturam repentina præceſſit diarrhoea purulenta, ad quam penitus evanuit tumor cum ſubſequo ſymptomatum levamine; paucis diebus tumor denuo increvit, atque nova tali evacuatione puris per alvum abſque ulla inciſione cubitus ſanitati reſtitutus fuit. Quanta jam vaſorum reſorbentium dilatatione hic opus fuerit, quantaque naturæ conamina hic requirebantur, patet ex qualitate puris denſa atque ejus motu ſcientiam anatomicam, phyſiologicamque circulationis humorum explicationem vix non ſuperante. Hinc celeberrimus Sydenhamus pag. 39. dicit, *morbum quantumlibet ejus cauſæ humano corpori adverſentur, nihil eſſe aliud quam naturæ conamen materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis.* Solo itaque naturæ conamine fieri poteſt, ut materia morbi ex capite in thecam vertebrarum ſaltem ideo deferatur, ut relicta nobiliori parte corporis vita diutius protrahatur.

30. Cum autem fœtus ex natura ſua omne quod in interitum ſui

ſui corporis tendit, tentet avertere, ut Hippoc. 6. epidemic. dicit. *Natura omnia omnibus ſufficit*; probabile videtur, cauſas morbi hactenus dictas non generari in fœtu immediate ex nativa corpuſculi conſtructione, ſed potius morboſam tam fluidorum quam ſolidorum indolem in corpore tenero exiſtentem, cum ab externe applicatis, tum a matre receptis, primordia ducere, de quibus pauca diſſerere ordo rei jubet.

31. Fœtum conſtare ex iis, quæ antea extiterant in matre, docet illius incrementum, atque circulus humorum ex matre in fœtum per vaſa umbilicalia; id confirmat Fredericus Hofman. med. rat. ſyſtemat. Tom. 1. pag. 248. dicens: *ſuccus nutritius matris fœtum in utero nutrit, qualis itaque indolis is eſt, talis quoque eſt nutritio fœtus in utero.* Vir celeberrimus hoc textu ſignificat: matrem ſanam ex aſſumptis elaborare humorem aptum pro nutriendo fœtu, non excludens illum humorem adhuc indigere vi & efficacia viſcerum ac vaſorum propriorum fœtus, cujus veritatem exprimit Boerhaave inſtitut. med. de nutrit. & increment. §. 442. *ſed & tum adhuc datus embryoni ille liquor craſſiſſimus eſt, & in longe ſubtiliores transmutandus, in ejus vaſis, viſceribusque.* Laudabilis tamen, puriſſimus & uberrime ſubactus eſt ſanguis a matre fœtui datus, quia adhuc efficaciſſimo ad chylum ſubigendum adminiculo deſtituitur, non tamen ſufficiens ex integro ad abſolvendum nutritionis negotium, niſi viſceribus propriis adaptetur adeo efficaciter, ut ſpirituum ſubtilitatem fere imitetur. Hinc licet natura in fœtus nutritione augmentativa tota occupata eſſe videatur, nihilominus tamen mater graviditatis tempore morbo affecta minus præſtare valet, ut fœtus omnibus requiſitis gaudeat, nihilque mutaretur a ſanitatis maternæ declinatione. Pro exemplo ſit Hippocrat. aph. 60. ſect. 5. *ſi mulieri utero gerenti purgationes eant, fœtus ut bene valeat, fieri non poteſt.* Si itaque ſanguis in matre morbo oppreſſa a ſana indole degeneret, fieri non poteſt, quin ipſe fœtus exinde vim patiatur, in actionibus propriorum viſcerum deficiat, tenerrimi corporis tam ſolida, quam fluida mutentur, atque diſponantur ad multos morbos graviori fœtus detrimento.

32. Matris jam morbos loco cauſarum procatarcticarum fœtui infeſtos hic adducere exigua folia non ſuſtinerent; unicum in ſpecie adnotare ſufficiet: quid matris imaginatio ad noſtrum affectum, ſpinam nempe bifidam, contribuat, num id efficere valeat, quod Tulpius in ſuis obſervat. med. lib. 3. cap. 30. profert, dicens: *ob rapam prægnanti matri improvide denegatam fœtus lumbis rapiformem tumorem enatum fuiſſe.* Aut ut Bonetus in ſepulchret. anat. pract. pag. 390. adducit infantem cum tumore lumbari & fiſſura ſpinæ dorſi natum fuiſſe ex matre, cui prægnanti maritus joci cauſa ex improviſo ſacculum herbarum

plenum

plenum in occiput jecit, inde perterrita mox fricuit locum a ſacculo affectum, putans murem ex alto in occiput ejus delapſum fuiſſe, hinc tumoris muriformis origo. Spinæ dorſi vero fiſſura cenſebatur proveniſſe ex intuitu vertebrarum cervi in longum fiſſarum.

33. Mirabilis quidem inter matrem & fœtum intercedere videtur conſpiratio minus perfecte ſecundum machinæ leges declaranda, qua fieri dicitur: quod mater ſubitanea idea terroris perculſa fœturam mox mirabili ſigno offendat, maculam illi imprimat, quam nævum appellant, mox omnium artuum figuram immutet, eoſque corrumpat, atque longe alia ſtupenda producat, ut talium fœtuum animæ ſi viverent, ab humanitate abludentium, propter organorum ad animalium actionum exercitia deſtinatorum ineptitudinem, erudiri, & conceptus homine dignos de ſenſibilibus ſibi fingere non poſſent, quales collegit Joan. Georg. Schenkius in hiſtoria Monſtrorum. Et ſane accurate attendenti adparebit ſpiſſas hic dari tenebras nec facile intricatum hoc negotium experiri poſſe. Suo interim quemvis ſino abundare genio; ſtatuo tamen hæc & ſimilia minime fieri in imaginatione, impreſſione, vel phantaſia.

34. Sunt matres non paucæ, quæ ob viſam miſeri hominis deformem faciem ſe parituras eſſe monſtrum toto graviditatis tempore verentur, ex qua tamen concepta idea & firmiſſima impreſſione fœtus nullatenus movetur, neque mater aliquid eorum experitur, quæ profunda meditatione timuerat. Porro dum ob peſſimos ſuccos a matre fœtui traditos ſuperioris maxillæ compages ſolvitur, nec tandem unitur, naſcitur labium leporinum, oporteтne tunc leporem a matre viſum fuiſſe? Non alia ratione ſpinam bifidam ex phantaſia matris productam fuiſſe ſuperſtitioſe concluderem, ratio eſt: quia morbi hujus cauſas detegere occaſio ſupereſt, ut ex ſuperius dictis abunde conſtat.

35. Licet autem nonnullorum morborum in fœtu exiſtentium, & ſic dictorum monſtrorum rationem exactam quandoque reddere non valeamus; non tamen expedit deſcendere ad ea, quæ ſepoſita ſtructuræ corporis humani cognitione phyſiologica, neglecta a pari argumentatione ad ſolam credulitatem ducunt. Neque hæc ignorantia locum haberet, ſi poſſibile foret inquirere in morbi originem, & progreſſum; quod vetat morbi raritas, corporis exilitas, atque clauſus aditus.

36. Quanta vero ſanguinis mutatio affectum animi ſequatur, non me latet; ſic namque mœſtitia preſſus præter alia ſymptomata notante Galeno de pulſibus ad Tyrones cap. 12. pulſum habet parvum, languidum, tardum, & rarum. Quid hypocchondriacis ſola mentis turbatio contribuat, exponit Boerhaave in aph. de cogn. & curand. morbis §. 1090. ubi atram bilem a ſola mente fieri probat; ita gravida terrore perculſa, languet, cuncta ejus membra tremunt cum inſolita

ac moleſta corporis laſſitudine; humores ejus turbantur, a ſana indole degenerant, non cedentes in commodum tenerrimi fœtus, minime tamen exprimendo ſpeciem objecti in mente concepti. Id enim ſi foret poſſibile, fieri deberet per ſpiritus, quia ſola mens matris in cogitatione tunc mutatur; cum autem nervi matris nullo hactenus detecto modo ad fœtum perveniant, multo minus efficacia ſpirituum in fœtu aliquid immediate pervertere poterit. Hac opinione ductus cenſeo ſpinam noſtram bifidam fieri a cauſis ſupra expoſitis, imaginationem vero matris ad eam producendam nihil conferre, niſi quatenus ſuo ſanguine a ſana indole recedente afficit fœtum vid. num. 30. deſtruat ergo illius fluida & ſolida, ut illa, quæ num. 28. dicta ſunt, ſequi poſſint.

37. Quæ præterea fœtui occaſionaliter accidunt ad apophyſes ſpinoſas ſolvendas, continentur primo ſub inæquali fœtus diſpoſitione, vel nimia ab utero compreſſione. Dicit enim Hippocrat. in lib. de genitura: *quin & alio modo mutilantur pueri, ubi uteri locus, in quo mutilati fuerint, anguſtus fuerit.* Nam duo membra molliſſima fœtus premuntur, hæc nunquam poſſunt pervenire ad debitam ſoliditatem; ſic dum puerorum corpora præmature loricis conſtringuntur, accedit inæqualis partium ſolidarum nutritio, ut quædam earum exhauſtæ contabeſcant, quædam in gibbum attollantur; quod pariter fieri videtur: ſi uterus inæqualiter vel ob ſitum fœtus ineptum, vel ob proprium vitium fortiter ſpinæ dorſi incumbat; tunc enim in loco nimium preſſo prohibetur æqualis circulus humorum per vaſa, venæ, præprimis vaſa lymphatica cauſæ prementi ſicut arteriæ reſiſtere, & in contenta agere nequeunt, ſed liquidum per arterias allatum urget in vaſa compreſſa atque obſtructa, eadem rumpit cum effectu num. 25. & 26. dicto.

38. Huc dein refertur corpus durum, quodcunque violenter abdomini matris verſus ſpinam dorſi fœtus adactum, ſive dum matris abdomen percutitur duro obtuſoque inſtrumento, ſive dum impingit in corpus ſolidum, vel eundo, vel per lapſum. Laxa enim compages oſſium his cito ſolvitur, aut ex ſolo impetu violento vaſa franguntur.

39. Quid ſpina bifida ſit, quæ ejus cauſæ, quiſque effectus, expoſui. Ac proinde ſupervacaneum fore exiſtimo ulteriores morbi diviſiones longis deducere, cum plurima huc pertinentia ex antedictis commode deſumi poſſint. Varietas enim hujus morbi intelligitur ex vario loco ſpinæ dorſi, quem occupat, ut dictum eſt num. 2. ex varietate dein materiæ morbi. Poteſt namque liquidum acrimoniæ expers longo tempore extra vaſa poſitum tenerrimis partibus corporis incumbere abſque earum corruptione, quod ex illis morbo Chronico defunctis patet, quorum cerebri cavitates omnino liquidi aquoſi plenæ reperiuntur ſine ulla tamen ſubſtantiæ cerebri corruptione, aut inde enato morbo mortem

mortem inferente. A tali itaque materia tumor in lumbis erit oedemati ſimilis, ſi vero in hoc morbo effuſum, & in vaſis ſtagnans liquidum acre evadat, cuncta in tabum putridum convertit, & apparet tumor flaccidus, rugoſus cum gangræna brevi ſecutura vid. num. 15.

40. Spinam bifidam præterea differre ab omni alio morbo, eruitur ex cognita conſtitutione morbi, dum videlicet tumor adeſt mollis, profundus ſine ſignis ſubjacentium ſpinoſarum apophyſium cum paralyſi crurum, aut aliarum partium, quarum nervi a materia morbi deſtructi ſunt; eam vero debere adeſſe patet ex Comment. Illuſtriſſ. L. B. van Swieten. tom. 3. §. 1063. *Idem contingit*, motus nempe muſcularis deletus, *ſi nervis ex medulla oblongata, vel ſpinali egreſſis quoddam impedimentum naſcatur in toto decurſu ad muſculos uſque, quibus hi nervi proſpiciunt.* Nervos autem, quouſque apophyſes ſpinoſæ diviſæ ſunt, non tantum obſtructos, ſed corruptos in origine ſua eſſe, probatum fuit num. 13. Ex his quoque deſumitur diagnoſis.

41. In prognoſi præter exitialem, & brevi funeſtum morbi eventum, aliud nihil ſtatui poteſt. Quemadmodum enim medullæ oblongatæ læſio lethalis habetur, quia tollitur mutuum commercium inter mentem & corpus, ita interitus corporis ſequitur ex ſimili cauſa medullam ſpinalem læſam. Hippocrat. dicit lib. 1. de morbis: *moritur etiam ſi quis vulneratum habet cerebrum aut ſpinalem medullam.* In hoc autem textu vulnera cerebri intelligenda ſunt prout Boerhaave in aph. de cogn. & curand. morbis §. 170. exponit: *profunda adeo, ut medullam oblongatam lædant multum.* Simplex enim læſio cerebri frequenter curatur, immo ægros evaſiſſe, quibus notabilis pars de ſubſtantia cerebri ablata fuit quocunque inſtrumento, docent copioſæ obſervationes. Idem intelligendum eſſe de medulla ſpinali probat Illuſtriſſ. L. B van Swieten in Comment. tom. 1. §. 1061. *Si vertebra lumborum parum tantum ex ſitu mota fuerit, ſpes curæ ſupereſt, verum ſi multum receſſerit ex loco ſuo verſus interiora corporis, medulla ſpinalis ſæpe integre deſtructa eſt, & nullum habetur remedium.*

42. Cum itaque in ſpina bifurcata integre deſtruatur medulla ſpinalis ſolis fibris nervoſis manentibus, conſtat vitam totius corporis debere perire: ratio eſt: quia nervi ex medulla ſpinali egreſſi officio ſuo deſtituuntur, ut perinde cerebri, cerebellique actio in ſubjectas capiti partes evaneſcat, iſtarum vero functiones pereant. Hinc recte ſenſit Ruyſchius in ſuis operibus anatom. med. chirurg. obſervat. 34. pag. 34. *nemo enim inter eos, quos hactenus tractavi infantes, cum ſpina bifida evaſit, nec unquam ab aliis percepi curatum.* Licet autem læſio medullæ ſpinalis cum læſa medulla oblongata conveniat quoad inevitabilem corporis interitum, differunt tamen quoad tempus durationis. Corpus enim diutius ferre poteſt læſionem medullæ ſpinalis, quia partes,

quibus nervi ſpinales proſpiciunt, ſuſtinentur aliquandiu a nervis paris octavi vagi dicti, quam læſa medulla oblongata, unde omnium nervorum actio ſubito ceſſat.

43. Ex his ſequitur ſanitatem in hoc caſu non poſſe promitti a medico, quare illi ſufficiet vera prædicere. Quod pulchre exprimit Hippocrat. in lib. prænotion. *Neque enim fieri poteſt, ut omnes ægroti ſanitatem aſſequantur; hoc nempe longe præſtantius foret, quam futurorum conſecutionem prænoſcere.* Expedit igitur ex diverſitate morbi diverſas formare prognoſes ſaltem quoad durationem morbi. Hæ habentur ex diverſa conſtitutione medullæ ſpinalis, quam mutat decurrendo in theca vertebrarum, atque ex variis ſignis tumoris num. 39. expoſiti. Si namque medullæ ſpinalis cum vertebrarum colli, vel dorſi fiſſura lædatur, longe deteriora ſymptomata metuenda ſunt, multoque citius vitæ terminus finietur, quam ſi morbus in ultimis lumborum vertebris contingat, ratio hujus habetur ex Comment. Illuſtriſſ. L. B. van Swietem tom. 3. §. 1062. *Quo paralyſis altiori in loco corporis hæret, eo periculoſior eſt, quoniam cauſa mali encephalo tunc propinquior eſt.* Et ex ſola hac ratione infans cum fiſſa infima parte oſſis ſacri videtur aliis diutius vitam traxiſſe deſcriptus in operibus Ruyſchii obſervat. 35. pag. 35. ubi celeberrimus ille Author dicit: *Inter omnes dicto affectu correptos nullum vidi infantem tam diu ſuperſtitem, quam hunc, vivit enim in hunc uſque diem, annum jam fere agens.*

44. In curatione hujus morbi breviſſimis me expedire cogor, cum nihil aſſequi poſſim, quod indicationi reſponderet. Non enim diſcutientibus, non exſiccantibus, non aliis quibuscunque remediis reſolves tumorem lumbarem, non conjugabis amplius apophyſes diductas cum reſtitutione ſubſtantiæ medullæ ſpinalis per materiam morbi perditæ, neque ſcindendo, aut cauſticis urendo derivabis liquidum ex theca vertebrarum remanente ægri vita. Dicit quidem Celſus lib. 2. cap. 10. pag. 79. *ſatius eſt anceps remedium experiri quam nullum.* Verum licet dexteritas Chirurgi bona quæque etiam in hoc caſu promittat, hæc tamen illico a contra indicante ſupprimuntur, ut ſolummodo reſtet ea concludere de ſpina bifida, quæ aſſeruit Boerhaave vir immortalis memoriæ in aphoris. de cogn & curand. morbis de Hydrocephalo a ſero cavitates cerebri internas occupante exorto. ubi dicit §. 1218. *facile cognoſcitur hæc ſpecies incurabilis.*

Unicum hic adhuc notare fas eſto, ne, ſi quis ægro prodeſſe non poſſit, noceat, & mortem ex hoc morbo certo venturam acceleret; Unum ex utriſque faciendi Hippocrat. determinat præmium in lib. 2. prædiction: *Qui prædictionis ſucceſſum conſecutus fuerit, apud prudentem ægrum admirationi erit; qui vero deerraverit, præterquam quod odio gravabitur, is ne inſaniæ quidem ſuſpicionem effugere poterit.*

TA-

TABULÆ EXPLICATIO.

AA. Longitudinem apophyſium ſpinoſarum a ſexta vertebra dorſi uſque ad os Coccygis indigitat.

BB. Apophyſes ſpinoſas reflexas.

Notatur præterea in hoc ſceleto ſolida concretio ſeptimæ coſtæ veræ cum quatuor ſpuriis, ut patet ſub CC.

CCLIV.

CCLIV.

WILH. HULD. WALDSCHMIED,

E T

CHRIST. STEPH. SCHEFFEL,

De morbo epidemico convulſivo per Holſatiam graſſante oppido raro.

KILIÆ 1717.

Q. B. V.

MAximam eſſe inter Theologiam & Medicinam convenientiam, non uſque adeo mirandum eſſe arbitror, præſertim cum homines ſive animam, ſive corpora eorum ſpectes, præſtantiſſimos ex utraque percipiant fructus. Theologus enim ſaluti animarum invigilat, & viam ad vitam æternam præmonſtrat; Medicus ſanando corpori curam impendit, unde *Owenus*, Poeta venuſtiſſimus:

Theologis animam ſubjecit lapſus Adami,
Et corpus Medicis, & bona juridicis.

Nemo igitur vitio nobis vertere poterit, ſi in publica & ſæculari ſolemnitate, celebrandaque B. LUTHERI, factæque ab eo reformationis memoria, thema medicum ventilandum proponamus, atque de morbo populariter in hiſce regionibus graſſante, & rariſſime obvio, agamus, cujus latiſſime nunc divagantis veſtigia in obſervationibus medicorum, circa initia ſeculi ſuperioris viventium nobis relicta eſſe, ex ſequentibus patebit. Ea quippe morborum epidemiorum eſt indoles, ut, vel ex temporum tempeſtatumque mutationibus, & communi cibi potusve vitio ſuborti latius ſerpant, & quaſi contagio plures, uno eodemque tempore invadant, diverſiſſimiſque ſtipati ſymptomatibus primum emergant, aut oblivione jam jam deleti, nepotibus denuo ſub priſtino

priſtino ſchemate moleſti, & ſæpe fatales exiſtant. Quod ipſum de morbo præſente etiam poſſumus dicere, cujus prima ſigna circa finem menſis Auguſti, currentis anni, & ſi calculum accurate pono, diem ejus viceſimum ſextum, apud incolas pagi Weſter-Ronnfeld, haud procul Rendsburgo apparuerunt, latius deinde per vicina prædia, & ſylvam Danicam, in ipſum Ducatum Sleſvicenſem divagante malo.

Morbus ex inopinato oritur, & maxime ſanos, robuſtos, vegetos, citra ulla ſigna antecedentia, inter ipſos labores, domi, ruri, jejunos, paſtos, quacunque hora, utplurimum vigilantes, cujuſcunque ætatis & ſexus adoritur: ita tamen, ut pueri & puellæ paucæ, pauciſſimi ſenes, & vix una ex matribus familias hactenus quidem eo laborarint. Ægrotantes ſtatim ſub morbi initia ſentiunt nauſeam, cum capitis quadam gravitate, & moleſta tractione, aut formicationis ſenſu per totum corpus, præcipue autem in artubus, quorum extrema modo citius, modo tardius ſpaſmo ſumme dolorifero contrahuntur: convelluntur aliquibus digiti, & non, niſi magno conatu, & cum dolore ab adſtantibus extendi, & e manibus dimoveri poſſunt. Aliis ſimul contrahuntur manus ad cubitum, hicque ad ipſum humerum; alii ſimiles convulſiones ſimul patiuntur in pedibus, cum artuum contractorum dolore & tumore plus minus conſtante. Malum enim per vices ſua ludit dramata, ut diſpari gravitate, ita incertis ac irregularibus intervallis; nonnunquam bis, ter, imo ſæpius dietim redit, atque unam, duas, tresve horas durat, donec ceſſantibus cum ſpaſmo doloribus, ægri paulatim ad ſe redeunt, cibum petant, & avidius ſolito ingerant, maximaque eorum pars obambulare & negotia domeſtica ſatis promte expedire poſſit, quamvis interea dolores tenſivos, per artus divagantes, ſed tolerabiles ſentiant, donec, revertente paroxyſmo vehementiore, ſpaſmos & dolores ſummos iterum patiantur.

In ipſo hoc paroxyſmo & mente conſtant, & appoſite ad interrogata reſpondent; plurimi extra lectum degunt, obambulant, magnitudine dolorum ejulantes, propter contractionem artuum dolorificam: alii ad focum ſedent, aut humi jacent, prono capite, genibus & cubitis innixi, contractis cum cubito manibus ad uſque humerum; plorant, vociferantur, auxilium implorant: lecto incumbentes alii, ſimilia patiuntur, & ut membra ſpaſmodice contracta extendantur, enixe petunt; inde enim dolorum levamen, quamvis ad extenſionem talem viri robuſti unus vel alter vix ſæpe ſufficiant. Sub hac extenſione dolores primum augentur, poſtmodum remittunt, & artus facile ſervantur extenſi, remota vero manu extendentis, ſucceſſive iterum convelluntur.

Symptomata & numero & gravitate variant, pro diverſitate ſubjectorum; plerique ægrotantium conqueruntur de ſtupore artuum, *als ob die Glieder ſchliefen*; omnibus membra convulſa leviter tument, aliqui-

aliquibus autem tumor eſt in manibus pedibusque magnus, & ad tactum renitens. Plerique extra paroxyſmum, aut dum convaleſcunt, conqueruntur de ſenſu frigoris in artubus, quamvis foris calor naturalis obſervetur. Alvi fluxus aliquibus moleſtus eſt; aliis, ſed paucioribus, mentis quædam alienatio aut leve delirium accidit. Omnibus communis eſt ſpaſmus extremorum, in manibus ſemper, rarius in pedibus, cubitis & cruribus, cum præcedentibus tenſionibus circa præcordia, & anguſtiis, *Hertzens-Angſt*, *Bangigkeit*, ceſſantibus demum quando membra externe convelluntur. Dolores autem comitantur membrorum contractiones, cum rubore faciei, & ſudoribus, quibus vix non diffluunt. Pulſus magnus utplurimum eſt & tardus, qualis plerumque eſt ruſticorum, & qui victu utuntur craſſo, & melancholicorum: in pauciſſimis debilis, ita ut in ipſis moribunbis ſatis magnus, ſed cum celeritate & inæqualitate mihi fuerit obſervatus.

Notatu maxime dignus eſt ſenſus iſte formicationis, cujus antea facta eſt mentio; hunc omnes per totum corpus ſentiunt, moleſtiſſimum, *es laufft ihnen in den Gliedern und über den gantzen Leib, als obs lebete, oder Ameiſſen da lieffen*; & quod maxime ſingulare eſt, motus iſte in facie, artubus, & præſertim manuum dorſo, etiam extra paroxyſmi vehementiam oculis cerni poteſt, nihilque eſt aliud, quam motus fibrarum carnearum & tendinum reciprocus, velociſſimus, tremulus, ſub cute conſpicuus. Conqueruntur ſimul de ſiti, quamvis nullus adſit calor p. n. nulla febris: adſunt vigiliæ fere perpetuæ, & nonnunquam, licet rariſſime, inſultus epileptici, facile remedio cedentes, niſi in his qui moriuntur, quorum vix quinque aut ſex fuerunt, quique aut epilepſia, aut apoplexia, intereunt.

Illi, qui convaleſcunt, lento gradu, & poſt aliquot demum ſeptimanas cum ſanitate in gratiam redeunt, & dum labores conſuetos manibus exercent, aut corpus movent validius, bene ſeſe habent, nihilque amplius incommodi ſentiunt; quieſcentes vero a laboribus & corporis exercitio, tenſiones quaſdam in artubus, cum ſtupore, etiam diu a ſuperato morbo percipiunt: quin & ſi ſubito nimis frigori ſeſe exponant facile recidivas patiuntur; id quod bis aut ter aliquibus accidiſſe memini.

Morbi hujus hæc eſt indoles, hæc comitantia ſymptomata, quæ ſedula & accurata obſervatione, & frequentiore viſitatione ægrotantium aliquot centenorum, in diverſis prædiis decumbentium mihi innotuerunt. Videndum igitur nunc eſt, quis aut qualis ſit affectus iſte, apud nos hactenus plane ignotus? Cum autem a ſymptomate præcipuo, uno aut altero, quodque inviduus morbi eſt comes, & quo poſito, morbus ponitur, quo ſublato idem tollitur, denominatio ejus deſumi debeat, ni tot nobis fingere velimus morbos, quot adſunt ſymptomata;

ſpaſ-

ſpaſmum, vel morbum convulſivum epidemium & populariter inter ruſticos graſſantem, eundem vocandum eſſe arbitror, hactenus enim ne unicus quidem in urbe, aut lautioris conditionis homo eodem malo quantum quidem mihi innotuit, laboravit.

Novum plane eſſe morbum, cujusque nulla apud authores proſtent veſtigia, multis primum perſuaſum erat; ſiquidem omnes affectus epidemii, & febrium diverſa genera, variis & inſolitis ſtipata ſymptomatibus, novi morbi noſtratibus audiunt. Ita febris illa erratica, parti Ducatus Sleſvicenſis occidentali, ab Eidera fluvio *Giderſtät* dictæ, circa meſſem, vel autumni principium familiaris, *das Stoppel-Fieber*, per ipſam hiemem quandoque ſe extendens, variisque ſtipata ſymptomatibus, typum ſervans nunc intermittentis, nunc continuæ periodicæ, cum, vel ſine malignitate, ſi latius divagetur, & ad orientalem Cherſoneſi hujus Cimbricæ partem & Balthici maris oras ſerpat, ut fieri nonnunquam aſſolet, novus noſtratibus dicitur morbus, quamvis vicinis noſtris ſingulis fere annis familiaris exiſtat. Idem de morbis aliis, regiones epidemice pervagantibus eſto judicium, quorum pauciſſimi inter novos referri poterunt, modo obſervationes medicorum, ante noſtra tempora conſcriptæ, diligentius evolvantur. Certe, cum anno hujus ſeculi duodecimo, circa æſtatis medium febris quædam catarrhalis non ſolum apud nos, ſed per totam forte Europam graſſaretur, & a principio Julii ad medium Auguſti vix non omnes adoriretur, ſimul vero Gluckſtadii & Rendesburgi lues contagioſa plurimos interficeret, haud levem ſane metum cunctis incutiebat morbus iſte, totam hanc regionem breviſſimo tempore populariter infeſtans, ita ut pauciſſimi ab eo evaſerint immunes. Inſultus morbi fiebat cum dolore capitis & dorſi, ſuccedebant horripilationes frequentes, calor levis, cum faucium & colli dolore, proſtratione virium ſumma, ſudore continuo, quibus demum tuſſis graviſſima ſuccedebat, & quandoque coryza. Morbus non niſi ad triduum vel quatriduum vigebat, quo tempore pauci decumbere opus habebant, & remanente demum tuſſi, facile ad ſe redibant, nullis etiam adhibitis remediis, quamvis hanc una cum virium imbecillitate, etiam robuſtiores poſt quatuordecim dies vix ſuperare poterant. Venæ ſectio in principio adminiſtrata, egregie profuit; iis vero qui longiores inducias morbo dederant, ut plerumque fieri ſolet, dabantur bezoardica, abſorbentia, nitroſa. Illuſtris Vir, Dn. *Krugius* de *Nidda*, Conſiliarius intimus & Archiater primarius Boruſſicus in litteris illo tempore ad me datis, laudat ſpiritum bezoardicum in morbi principio datum, & pulverem pectoralem Ludovici, denique eſſentiam aſthmaticam ſine opio. Cæterum vitæ periculum omnes evadebant, niſi malum in principio neglectum habitum, degeneraret in febrem quotidianam vel tertianam continuas, ubi accedebant lipothymiæ, & haud

obſcura malignitatis ſigna alia, quali tamen neminem præter ſtudioſum quendam, poſt graviſſimam narium hæmorrhagiam, demortuum fuiſſe memini. Licuit autem mihi evidentiſſima hujus morbi veſtigia reperire in dialogis menſtruis, idiomate Germanico anno 1693. ſub titulo Novellen *aus der Gelehrten aud curiöſen Welt*, editis, ubi author p. 1559. inquit; *es ſolte wohl dieſe eine* national-*Kranckheit Teutſchlandes genennet werden können, da im vorigen* ſeculo 1580. *eine Seuche, der Bemer Pipp, in Teutſchland regierte, welche auch gantz Europam durch gelauffen, und allen zu* Rom 40000. *damahls daran nieder gelegen ſind: und iſt eben die Kranckheit geweſen, die* Joh. Bange *in ſeiner Thuringiſchen Chronicke beſchrieben, daß ſie* 1579. *ſich in Teutſchland hervor gethan, da er ſie eine ſeltzame, geſchwinde, und unerhörte Kranckheit nennet, die erſtlich den Leuten mit Froſt, und etliche mit Hitze angekommen, davon wäre der Huſten und Heiſerkeit entſtanden, und wären ſie in denen Hälſen wund worden, hätte aber nur etwan drey oder vier Tage mit einem gewähret.*

Sed redeo iterum ad primarium diſſertationis hujus argumentum, morbum ſcilicet couvulſivum, & quemadmodum oſtendi epidemios ſæpiſſime citra omnem rationem novos appellari, ita præſens morbus idem etiam ſatis demonſtrat. Dum enim de natura ejus ſollicitus, authores evolvo, commode incido in *Williſii de morbis convulſivis* tractatum, hujusque c. 8. p. m. 45. ubi graphicam ejus deſcriptionem reperio. *Apud Gregorium Horſtium*, inquit, *mentio fit morbi convulſivi, & maligni, qui olim Haſſiæ, Weſtphaliæ, & in locis vicinis epidemius fuerat: illo correpti ſine febrili æſtu, aut immodica ſanguinis efferveſcentia, dum circa negotia familiaria verſarentur, ſeſe vix modo ægrotare percipientes, circa manus aut pedes, & interdum in utriſque formicationis ſenſum, cum ſtupore, huc illuc tranſcurrentem, habere ſolebant: dein mox digiti, ſimulque brachia & crura modo arcte contrahebantur, modo validiſſime, ac ſi obriguiſſent, extendebantur.* Et paucis interjectis: *ſin morbus*, pergit, *uti non raro contingit, cerebrum una totum invaderet, convulſiones univerſales & ſæpe inſultus epileptici ægrotos infeſtabant.* Adii igitur ipſum *Horſtium*, & operum Tom. 2. l. 8. obſ. 22. morbi hujus convulſivi maligni, epidemii, quem miſerabilem & omnino terribilem, imo peſtilentialem vocat, ampliorem reperio deſcriptionem, fuiſſe ſcilicet eum anno 1617. Haſſiæ, Weſtphaliæ, Epiſcopatui Colonienſi epidemium, vernacula *die kriebel Kranckheit, Krampfſucht oder ziehende Seuche* appellatum, ejusdemque recidivas aliquot ſubſequentibus luſtris idem obſervavit Horſtius & in gratiam proximi, tractatum de eodem malo, per profeſſores Medicinæ Facultatis in Illuſtri Marpurgenſium Academia editum, latinitati donatum, appendicis inſtar operibus ſuis addidit

addidit. Symptomata, morbo iſti propria, quamvis apud omnes quidem eadem & ſimilia non ſint, utplurimum tamen ſequenti modo ſeſe habere legimus c. 2. *Primo omnium ægrotantes, modo in manibus ſaltem, modo in pedibus duntaxat, interdum in manibus & pedibus ſimul, aliquando in uno tantum latere, nonnunquam in utroque, ſenſum quendam formicantem, ac ſi pars plena formicarum transcurrentium, aut alias conſopita eſſet, percipiunt. Hinc digiti manuum ac pedum ex improviſo arcte contrahuntur, aut validiſſime, ac ſi obriguiſſent, extenduntur, tenſioque hæc, a manibus ac pedibus usque ad cubitum, humerum, crura, coxasque progreditur, ac ſimili ratione horum unumquodlibet membrum uſque ad corpus contrahit: &c. Frequenter etiam hæc convulſio in manibus aut brachiis, aut in utroque (ut in noſtris ægris) crebro quoque in ore, labiis, oculis & toto corpore perſeverat.* Problematum deinde decade decima, quæſt. 7. p. 109. de eodem morbo agens, *familiarem eum fuiſſe anno 1596. & 97. Weſtphaliamque, Coloniam Agrippinenſem, Witgenſteinenſem & Waldeccenſem Ducatum, (comitatum), & Haſſiam populariter invaſiſſe ſcribit.* Quin & evidentiſſima hujus affectus veſtigia reperiuntur apud *Schenkium*, l. 6. obſ. 2. qui tamen author dubius hæret, num inter peſtilentialium epidemiorum, num vero endemiorum cenſum referendus ſit? Unde factum eſſe exiſtimo quod *Clariſſimus Reuſnerus*, Eph. Germ. cent. 5. & 6. p. 21. morbum huncce convulſivum Weſtphalorum quondam endemium aut vernaculum appellarit, quamvis non ſemper, ſed potius rariſſime Weſtphaliam afflixerit, quare huic quoque epidemium eundem eſſe cenſemus, quod certo ſaltem tempore has aut alias regiones infeſtare ſoleat. Vid. *Gal.* c. I. in I. epid. in proemi. & in defin.

Præterquam vero quod mali hujus ante noſtra tempora hinc inde graſſantis mentionem faciat Horſtius & alii, inter recentiſſimos nominare liceat *D. Buddæum*, Luſatiæ ſuperioris Phyſicum celeberrimum, cujus conſilium medicum *von der Krampf-Such oder Kriebel-Kranckheit*, hoc ipſo anno publicæ luci datum, mihi dum hæc ſcribo, ab Amico communicatur: meminit hic ejuſdem morbi, annis ſuperioris ſeculi 48. 49. prima vice in Vogtlandia, 1675. in urbe Plauen & locis vicinis; & præſentis ſeculi anno ſecundo circa Freibergam Miſniæ, & anno proxime præcedente decimo ſexto, menſibus Auguſto, ſeptembri & ſequentibus in diverſis Saxoniæ & Luſatiæ ſuperioris locis, graviſſime ſævientis.

Si cauſam proximam mali hujus inveſtigare velimus, eadem hæc erit, quæ cæterarum convulſionum omnium, cui tamen ſpirituum exploſio, aut rarefactio, quando pulveris pyrii ritu, veluti igniti ex-

ploduntur, ut placuit *Williſio* de morb. convulſ. c. I. p. 2. non ſufficere videtur, utpote quæ nec naturæ ſpirituum convenit, nec explicandis membrorum contractionibus convulſivis ullo modo inſervire poteſt. Neque etiam repletio aut inanitio, ab *Hippocrate* 6. aph. 39. adductæ, in cenſu cauſarum locum habere poterunt, ut ut corium madidum, aut fidium nervi, madido aere repleti, aut nimis ſicco inaniti, laxari aut contracti in exemplum afferantur: texturæ enim nervorum non convenit utraque, nec ipſis etiam partibus ſolidis quæ convelli ſolent, ut *Williſius* l. c. c. 3. exemplo anaſarcæ & tabis eleganter oſtendit: Quamvis ſi ſano ſenſu hæc explicentur, non prorſus rejicienda eſſe, in ſequentibus patebit. Intricatiſſima enim eſt res iſta, unde diverſiſſimas apud authores de cauſſa convulſionum proxima reperire licet opiniones: ut enim in rebus a ſenſibus remotis, & tantum intelligibilibus facile decipimur, niſi omnes earundem circumſtantias exactiſſimi judicii lance ponderemus; ita & hic fieri facile poſſe, videbit quivis, cui cauſas ab effectibus & a poſteriori ut loquuntur deducere libuerit. Vir Clariſſimus *Bartholomæus de Moor* pathologiam cerebri peculiari tractatu elegantiſſime tradidit, & convulſionum ſpaſmorumque ætiologia p. 342. 537. ab eo allata, lucem quandam affundit, & cum rei veritate conciliari facile poteſt: quæ vero ab aliis de timoris & pathematum animi, imprimis ſumme anxii, indeque ortis mortuum vitalium perturbationibus, in hoc negotio afferri ſolent, illa non tam cauſam proximam, quam remotas & procatarcticas tangunt, de quibus nobis nondum ſermo eſt. Quin obſcura quoque illa eſſe, quæ de naturæ, in conſervando ſuo corpore energia, & paratiſſimis eum in finem ſubſidiis, augmento motus ſanguinis progreſſivi, ut in febribus; coarctatione fibrarum muſcularium, auctoque motu tonico, ut in convulſionibus, afferri ſolent, quam incertiſſima, vixque probabilia eſſe, ſatis oſtendit nondum demonſtratum animæ rationalis, in actiones iſtas mere vitales imperium; ut cætera omnia ſilentio prætermittam; tantum abeſt ut adminiculis ejuſmodi, a naturæ ordine prorſus alienis, ad illud quod œconomiæ animali noxium eſt, aut periculum quodvis imminens, ſive evitandum, ſive arcendum aut expellendum, deſtinato conſilio uti poſſit.

Ante vero quam in re adeo obſcura certi quid determinare poſſimus, videndum prius eſt, quomodo motus tum voluntarii, tum illi, qui mere ſunt automatici, ſecundum naturam in corpore noſtro contingant & per quæ inſtrumenta fiant? Ita enim depravationis eorundem cauſa facilius nobis innoteſcet. Motus animalis organum immediatum eſt fibra motrix, quarum plurium in certos faſciculos collectio muſculum conſtituit: fibra hæc eſt cylindracea, poroſa, in medio carnea,

carnea, in extremis ſui partibus tendinoſa, quibus ab una extremitate parti quieſcenti, ab altera mobili ſeu movendæ inſeritur, atque dum fibra carnea contrahitur corrugatur & conſtringitur, hæc verſus illam trahitur, finis ad ſuum principium, vel ut loquuntur cauda muſculi verſus ejus caput, & ita membrum movetur. Tendinea quippe fibræ pars inepta eſt contractioni, & baſis aut fulcimenti vices gerit, vimque motricis fibræ tantum ſequitur; hæc autem vis motrix, qua membra moventur, eſt contractio, orta, non tam a ſuccorum contentorum turgeſcentia & rarefactione, aut ab illarum repletione ſola, & inde orta diſtenſione & abbreviatione; ſed a tenſione potiſſimum fibrillarum membranaceo-nervearum transverſalium, prædictas fibras carneas decuſſatim, angulis obliquis interſecantibus, ſtringentibus & criſpantibus.

Fibra quippe carnea tubulata eſt, ſeu vaſculoſa, ſiquidem *Cowperi* experimento mercurium injectum admittit, teſtante hoc *Mangeto* theatri Anat. p. 16. Et muſculi contractio contingit, quando fibrillæ nerveæ transverſales a ſpirituum animalium, ſeu liquoris nervei, totum nervi tractum replentis, influxu & undulatione turgent, & fibras carneas, quæ iis convolutæ ſunt, conſtringendo, motum ſanguinis per haſce fluentis ſiſtunt, unde fieri aliter nequit, quam ut muſculus infletur, durior fiat, & brevior, & finis tendinis ad ſuum principium accedat, & os vel membrum cui inſeritur, ſecum attrahat, & adeo membrum moveatur. Concurrunt igitur ad motum actio fibræ nerveæ, ſcilicet contractio ejus, & inde orta criſpatura fibræ carnoſæ, contentique in ea liquoris ſtagnatio, a quibus cauſis omnibus ſimul concurrentibus muſculus abbreviatur: nec obſtat fibrillarum nervearum teneritudo, propter quam robur earundem ad criſpationem fibræ carneæ minus ſufficere nonnulli exiſtimant: requiruntur enim ad hanc actionem fibrillæ plurimæ, quarum una alterius vim adjuvat, & cuicunque machinarum, per trochleas corpora moventium robur perſpectum eſt, quibus rite & ex mechanices regulis diſpoſitis trochleis, mediante filo tenuiſſimo ingens pondus elevari poteſt, huic inquam actio fibrillarum iſtarum maxime tenuium non videbitur impoſſibilis.

Videmus ex his, quæ modo dicta ſunt, membra moveri contractione fibrarum in ſtatu naturali, idemque in ſtatu p. n. etiam contingere ſtatuimus, ſed ab alia cauſa, eademque præternaturali, ſeu morboſa: adeoque cauſa proxima & formalis ut convulſionum omnium, ita etiam ſpaſmi hujus epidemii eſſe impetuoſum, violentum & inordinatum liquoris nervei in partes fibroſas, motui inſervientes influxum, eundemque interruptum & alternativum in motibus convulſivis, continuum

 vero

vero & magis ordinatum in convulſionibus & ſpaſmis, aut ut vocantur, conductionibus. Uti enim ſpiritus, per nervos brachii influus, movet in ſtatu naturali digitos & brachium ex meo arbitrio; ita, ſi fiat punctura nervi, & inde convulſio brachii, motusque ejus præternaturalis, ſequitur neceſſario, eundem ſpiritum, qui ex arbitrio brachium movet in ſtatu naturali, etiam in convulſo brachio, ex motu ejus vitiato, propter irritationem, & inde dependentem continuum motum tremulum, convulſionis iſtius & motus p. n. eſſe autorem. Ex quibus omnibus evidentiſſimum eſſe arbitror, quid demum inanitionis & repletionis nomine in hoc negotio intelligi debeat, præſertim ſi ſimul conſideremus, quod fibrillarum contractionibus iſtis ſanguini arterioſo, per fibras carneas tranſeunti obex ponatur, ejuſdemque ingreſſus in venas impediatur.

Inter cauſas remotiores primum locum obtinet omne illud, quicquid criſpationes tales fibrillarum producere valet: & quemadmodum a cauſa externa ſæpe id contingere videmus, punctura ſcilicet aut læſione nervi; ita, ſi a cauſa interna, humore acri, aut ſpirituum impetu nimio, irritetur nervorum principium aut nervus, ex celerrima hac in parte admodum ſenſili fibrillarum agitatione & vellicatione, ſpiritus per nervum antea blande fluentes, ſimul impetuoſe commoventur, & ab his tota liquoris nervei maſſa, adeo, ut iidem ſpiritus per nervum iſtum violenter & cum impetu ferantur, iſtiusque membri, ad quod nervus fertur, convulſio exoriatur. Vix enim induci poſſum, ut credam, cauſam materialem ipſis ſpiritibus hærere implicitam, ſive hanc in acido volatili cum *Sylvio*, ſive in nitro-ſulphureo cum *Williſio*, quærere placeat: ſiquidem ſpiritus animalis, liquidum hoc ſubtiliſſimum, moleculas tales plane heterogeneas, propter ſui ſubtilitatem, & tubulorum cerebri, per quos ſeparatur, viarumque, per quas it & redit, exilitatem, non admittit, adeo ut non tam qualitate, quam quantitate & motu illud peccare videatur.

Cauſæ antecedentes præſentis mali, quærendæ ſunt in ipſa humorum conſtitutione acido-viſcida, & temperamento, ut vocant, melancholico, cui producendo vitæ genus maxime favet: unde non uſque adeo eſt mirandum, ſi, accedente levi aliqua cauſa externa internave, humorum acrimonia augeatur, & irritationes ejuſmodi producant; aut propter lentorem hinc inde ſtagnantes partium diſtenſiones augeant, fibras irritent, temporiſque ſucceſſu acorem contrahant, præſertim, ſi hæc omnia a cauſis procatarcticis in actum introducantur aut foveantur. Quanta enim ſit vis harum cauſarum in producendis morbis, quotidie experimur, quando ex perverſa ſex rerum nonnaturalium, ut medicis audiunt,

audiunt, adminiſtratione, corpus noſtrum variis modis læditur. Aer noſter atmoſphæricus, commune vitæ pabulum, corpora vario modo alterat, & teſte *Hippocrate*, aut cuicunque demum adſcribere placeat, *l. de flatibus*, *mortalibus vitæ*, *& morborum ægrotis ſolus is eſt auctor*: Epidemiorum ſane malorum cauſa generalis utplurimum eſt aer, *tempeſtatumque anni mutationes potiſſimum tales morbos pariunt*, *& in his ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes frigoris & caloris*, ut loquitur *Hippocrates* ſ. 3. aph. 1. Et huic quidem partes præcipuas in producendo hoc morbo tribuendas eſſe puto, ſiquidem *aer vitioſus cibo tali longe nocentior eſt*, *utpote qui ſtatim intimos corporis receſſus occupat*, *ſpiritusque ipſos inficit ac continuo afficit*, teſte *Bohiens* in ſelect. diætet. p. 1. Quod ſi igitur aeris noſtri & tempeſtatum hujus anni conſtitutiones accuratius paulo examinemus, videbimus poſt hiemem utcunque frigidam & diuturnam, veris initia fuiſſe temperata, & pro temporis ratione calidiora atque ſerena, ſuccedente demum frigore inſolito, & pluviis perpetuis, ad æſtatis medium durantibus, quas tandem excepit tempeſtas calidiſſima, ſerena, per plures ſeptimanas conſtans, & non niſi unius forte hebdomadis ſpatio pluviis interrupta: cæterum ut interdiu ſummum æſtum, ita noctu fere ſemper, pauciſſimis ſolummodo exceptis, frigus ſingulare experiebamur. Sub hiſce inæqualibus ſæpiusque mutatis tempeſtatibus, corpora vario modo alterabantur, eorum præſertim, qui propter vitam & labores ruſticanos ſub dio ſemper aut ut plurimum commorari neceſſum habebant; unde facile patet ratio, cur patres familias, ſervi & ancillæ potiſſimum, pueri iidem & puellæ, quæ ruri quoque operas pro ætate præſtare poterant, morbo hoc obnoxii potius fuerint, quam uxores & matres familias, ipſique infantes, quorum vix unum vel alterum ægrotantem, aut morbo hoc correptum vidi, ſicut nec ullum hominem in civitatibus viventem, aut qui aeri ruſticano ſeſe continuo exponere, ex vitæ ratione non habebat opus, eodem morbo correptum fuiſſe memini. In his vero qui in aere aprico continuo vivebant, ruſticis, meſſoribus & ſimilibus poſtquam a præcedente aeris conſtitutione frigida & humida tranſpiratio fuerat impeditior, humoresque movebantur lentius ac hinc inde facile ſtagnarent, acoremque contraherent ſummum, fieri facillime poterat, ut ſuccedente æſtu magno, & laboribus gravioribus meſſis tempore propter conſtantem ſerenitatem vix interruptis & continuis, moverentur humores iſti viſcidi, acriores, atque fluidior fieri portio ſudore expelleretur, illudque quod reliquum erat, majorem contraheret viſciditatem & acrimoniam: unde tam in cerebro, quam circa viſcera alia, ipſumque nervorum principium facile fiebant ſtagnationes, & ſuccedentia cum ſpaſmis ſymptomata alia plurima. Fovebantur cauſæ modo recenſitæ a nocturno frigore, æſtus diurnos excipiente, quodque poros interdiu apertos ſubito claudebat,

bat, & humores æſtu agitatos & attenuatos in motu ſiſtebat, & quaſi coagulabat, non ſine ſuccedentibus hinc inde ſtagnationibus & obſtructionibus. Quantum autem ſe excipientes invicem caloris & frigoris viciſſitudines ſubitaneæ ſanitati noceant, teſtatur experientia, quando ex ſubitanea refrigeratione poſt æſtum varia mala & interea haud raro convulſiones produci videmus; ipſaque etiam ratio ſatis evincit, non poſſe non ex cohibita tranſpiratione, & a frigore poſt æſtum ſuſcepto varia mala oriri.

At facile objicere aliquis poſſet, ruſticam gentem ſingulis annis, & potiſſimum circa meſſis tempora, eadem pati, eoſdem ſubire labores, nec tamen ſemper, imo rariſſime morbo tali convulſivo affici, atque adeo aliam plane hic ſubeſſe cauſam, & quidem huic conſtitutioni epidemicæ ſingularem. Verum quamvis agricolæ ad labores nati videantur, anniſque ſingulis, præſertim circa meſſis tempora, in his præſertim terris, tanta ſegetum & pratorum copia abundantibus, graviſſimos labores ſubeant, extraordinarios tamen hoſce hac ipſa æſtate fuiſſe ſtatim apparebit, ſi conſiderare velimus ſerenitatem, tempore meſſis continuam, poſt pluvias frequentiores circa initium ejus decidentes, unde labore partim cito nimis ſe invicem exceperunt, partim vero metus mutationis tempeſtatum, feſtinationem ſummam imperavit, factumque eſt, ut hoc autumno meſſis, per tres minimum ſeptimanas citius apud nos abſoluta fuerit, quam alias fieri conſuevit. Accedit nocturnum frigus ſatis inſolitum, quo corporum pori æſtu diurno aperti, non citra ſummam alterationem clauſi iterum ſunt: Nec prætermittendæ ſunt e cauſarum claſſe frequentes nebulæ, & rubigines, quibus craſis corporum non parum læditur: recte enim *Ovidius*.

Cum modo frigoribus, calido modo ſtringimur æſtu,

Tempore non certo, corpora languor habet.

Et ex longa mora aut decubitu ſub dio convulſiones oriri, ex *Jacchin.* comm. ad c. 13. l. 9. Rhaſis, obſervat *Schenckius*, l. 1. obſ. 4. q. 125. Verbo: frigus, præſertim poſt æſtum ſuſceptum, convulſiones producit, teſte *Sennerto*, & *de Moor* l. c. p. 535. ipſeque *Com. morbus*, inquit, *qui ſacer appellatur, ex iisdem cauſis, ex quibus etiam reliqui, originem trahit, ex his nempe quæ accedunt & decedunt, velut frigore, ſole, ventis, & mutationibus nunquam conquieſcentibus.* Lib. de morbo ſacro; Sect. operum 3. p. 94. edit. Foeſ. Num vero inter cauſarum remotarum cenſum vocare etiam debeam, quod ruſticorum plurimi gramen deſecatum ex pratis, aquis inundatis ad altiora loca

deportare

deportare opus habuerint, ubi quotidie ad coxas uſque aquis ſeſe immergere neceſſe habuerunt; incertus hæreo, præſertim cum multos eodem morbo laborantes viderim, qui loca editiora inhabitantes, prata aquis inundata non poſſideant. Illud tamen negari non poſſe arbitror, refrigerationem iſtam in aquis factam, haud leve in iis, quibus hæc contigit, momentum & promovendo & augendo morbo contuliſſe.

Neque tamen e claſſe cauſarum procatarcticarum cibum potumve, uno verbo, alimenta prorſus excludi velim; quamvis enim quæ in aere exiſtit morborum cauſa, ſit maxime univerſalis; non omnes tamen eadem affici, aut dominante conſtitutione aliqua epidemica, cunctos ægrotare videmus, ut etiam in præſenti lue convulſiva obſervavimus: illa enim inter ruſticos tantum, eoſdemque potiſſimum, qui & laboribus gravioribus exerciti, & diutius & in aprico eos continuare neceſſe habuerunt. Sin vero in aere vitium, ſi in corporis exercitatione nimia quærendum, cur non omnes promiſcue, aut cur non plures eodem morbo correpti fuere? Certum enim eſt partem ruſticorum maximam immunem fuiſſe ab hoc contagio, unde neceſſario ſequitur, requiri in corporibus certam diſpoſitionem, certam humorum craſin, quæ a cauſis ejuſmodi univerſalibus alterari poſſit, quaque abſente nihil a conſtitutione epidemica individuo huic eſt metuendum. Cum autem multi ruſticorum, nulli vero alii homines hoc morbo affecti fuerint, cauſa hujus diverſitatis quærenda eſt, meo quidem judicio, in ipſo temperamento, & naturali diſpoſitione iſtorum hominum, ab ipſa victus, quo utuntur, ratione derivanda. Viliori alimento veſcuntur omnes, pane ſecalino confuſaneo, furfuraceo, atro, acidiori, ſæpius non bene cocto, unde chylus admodum craſſus, viſcidus, lentus, acidus, ſanguini ejuſdem qualitatis generando, producendæque cachexiæ & ſcorbuto peropportunus. Vid. Ephem. Germ. Dec. 2. ann. 6. obſ. 87. Et Dec. ejuſdem ann. 10. obſ. 171. Pulte quoque e frumento Saracenico decorticato, & mola craſſe comminuto (*Buchwentzen Grütze*) in aqua aut lacte ad craſſiorem conſiſtentiam cocto, quotidie fere & ad ſatietatem uſque replentur, quod difficulter digeritur, flatulentum eſt, & craſſum atque viſcoſum nutrimentum præbet, teſte *Sennerto* Inſtit. l. 4. part. I. c. 3. Quin & ex hordeo decorticato pulticulas ſibi parant, alimenti ſiccioris, craſſi, pauci. Nec ſilentio prætereundæ ſunt lautitiæ eorum, quas ex farina ſecalina, aut quacunque alia ſibi parant, aqua aut lacte in maſſam coacta, ex qua globulos efformant, quibus ad duritiem fere coctis, ventriculum gravant, & ad crepaturam uſque replent. Carnibus veſcuntur rarius, & non niſi in nuptiis, aut meſſis tempore, ubi lardo potiſſimum de-

 lectantur.

lectantur. Potus ipſorum eſt aqua, vel lac, dulce, frequentius acidum, ebutyratum, aut ejus ſerum, rarius cereviſia, & ex frumento per fermentationem deſtilians ſpiritus. Diæta talis, & alimenta craſſiora viſcidiora, chylum craſſum, viſcidum, acrem, aut acidum ſuppeditant, ſimilemque ſanguinem; qualis enim chylus, talis ſanguis; qualis ſanguis, tales cæteri humores a ſanguine dependentes: adeo ut mirum plane ſit, quod commoda fruantur valetudine, niſi diætæ hujus vitia laborum duritie & frequentia corrigerent. Cum igitur ſanguis eorum craſſus, lentus, ad motum minus aptus exiſtat, a quacunque cauſa facile magis coagulatur, ſtaſes ejus promoventur, & fomes morbi aeri inhærens eundem facillime alterare poteſt.

In ſpecie vero morbo huic anſam præbuiſſe credebatur panis, ex ſecali recenti, & qualitate viroſa infecto paratus: cui quidem ſententiæ favere videbantur aliorum obſervationes, & frequens experientia. Nec ipſi *Marpurgenſes* ab hac opinione alieni videntur, quando apud *Horſtium* l. c. ſcribunt: *ex ægrotantium relatione ſcire licet, quod externa cauſa communiter in alimento, ad nutriendum minus idoneo & improportionato conſiſtat, dum pauperes, rebus ad vitam neceſſariis deſtituti, panem inpurum & male coctum, longo tempore in ſumma famis urgentia devorant. &c.* Multo vero evidentius id ipſum probare videtur elegans Illuſtris *Brunneri* L. B. in *Brunn*, Fautoris mei honoratiſſimi, de granis ſecalis degeneribus venenatis obſervatio, Ephemeridibus Nat. Curioſorum Dec. 3, ann. 2. p. 348. inſerta. *Degeneravit* ſcilicet, *ſecale, & loco granorum alimentariorum protruſit cornicula nigra, grana ſecalis degenerantia: quæ experti in ſylva Hercynia Martins Korn vocarunt, & noxam, quam alias intulit, generi humano præſagierunt.* Pergit deinde & dicit: *degener illud frumenti genus eſſe cauſam, quod incolæ ſylvæ non tantum convulſionibus tententur miris, ſed & extrema ſphacelo emoriantur.* Et quem ſupra citavi *Buddæus*, in conſilio medico p. 9. ita inquit: *es wird nach gnugſamer Unterſuchung und gemachten* experiment*en, wie auch deßwegen erlangten Nacrichten, von denen meiſten dafür gehalten, daß unter andern Urſachen, als der lang anhaltenden Kälte, und Nätze, denen offt gefallenen Meelthauen und gifftigen Nebeln die Schuld hauptſächlich beyzumeſſen ſey dem in dieſem Jahr gewachſenen Korn, als in welchem an vielen Orten, vornehmlich wo der gifftige Melthau und Schloſſen gefallen, wegen der anhaltenden groſſen Näſſe vieles Unkraut, Tobkraut, Treſpe, inſonderheit die langen ſchwartzen Körner an denen meiſten Korn-Aehren, nebſt denen anderen guten Körner gewachſen, welche Körner bey trocknen Jahren ein gutes und fruchtbares Zeichen, bey naßen Jahren aber vor ein Mißgewachſe gehalten werden.* Addit porro quatuor aut quinque obſervationes, de virulentia

granorum

granorum iſtorum teſtantes. Confirmare autem videtur hanc de vitio ſecalis ſententiam, quod in prædio S. menſe Septembri hujus anni, ruſticus quidam, cum uxore, fratre, ancilla, puella annorum 13. & puero annorum 8. graviter hoc malo decubuerit, ex quibus primo puella, poſtea ruſticus ipſe morti in prædam ceſſerunt, & molitor iſtius loci Domino fundi faſſus eſt, ruſticum hunc antequam ægrotaret, frumentum novum, ſumme impurum, & corniculis nigris refertiſſimum, nec ſatis exſiccatum molendino intuliſſe, quod terna vice molæ injici oportuit, quare ruſticum monuit, ne panem ex iſta farina comederet.

Nec nova eſt hæc de noxa granorum ſecalis degenerum, aut corniculorum nigrorum, noſtrates *Brand-Körn* vocant, qualitate venenata, quibus miras convulſiones, quin imo ſphacelum extremorum producta fuiſſe referunt Ephemerides Nat. Curioſ. cent. 5. & 6. obſ. 82. & malum hoc pauperum, temporibus caræ annonæ imputatur nutrimento vitioſo. & præcipue certo frumento nigro, ſecali, & quidem ſoli: degeneranti in clavos, *bled cornu*, ergo Gallis dicto; additur, eaſdem cauſas, quæ producunt ſterilitatem annorum, produxiſſe quoque copiam clavorum, quos non ſecernentes pauperes, ſoli ægrotarunt.

Neque etiam de vitio hocce ſegetum, & inde productis malis deſunt plures aliorum obſervationes: ita varios morbos epidemios a ſecali vitioſo, & uredine corrupto, in Thuringiæ tractu circa Erfordiam ortos fuiſſe anno 1700, recenſet celeberr. *Hoyërus*, medicus Molhuſinus, Eph. nat. Cur. Dec. 3. ann. 9. & 10. p. 173. Imo ſtupenda plane ſunt, quæ de gangrænæ quadam ſpecie, in Aurelianenſi Galliæ Ducatu epidemia leguntur dans *l' hiſtoire de l' Academie Royale des ſciences*, anno 1710. p. 80. de gangræna ſicca, nigra, livida, plures affligente: & in ſpecie de ruſtico quodam, cui deciderunt ſubito pedum digiti omnes, una deinde cum pedum reſiduo, & carne binorum crurum, & natium, relictis tantum oſſibus nudis. Adſcribitur malum hocce nutrimento vitioſo, pauperibus ſub annonæ caritate uſitato, & præſertim corniculis iſtis nigris in ſecali reperiundis, mereturque res ipſa intimiorem conſiderationem, cum ipſa quoque animalia bruta, grana iſta recuſent, ut de gallinis affirmatur l. c. p. 83. quamvis dum incautiores illa aſſumpſerint, nullam inde noxam patiantur. Sic canes quoque panem ex ſecali recente hujus anni factum, in quibuſdam locis noluerunt comedere, unde argumentum qualitatis vitioſæ utcunque deſumere poſſumus. Quin & mihimet ipſi, talem panem in prædio W. deguſtanti, ſapor quidam crudus, gra-

minis inſtar in eo deprehenſus eſt, qualem tamen ſemper in pane, ex ſecali novo facto reperiri affirmabant plurimi, dicentes: *das Brod von neuen Rocken ſchmecke anfangs allezeit ſo grün*, evaneſcente poſtmodum, quando ſecalis grana, diuturnitate temporis aridiora fiunt.

Oriuntur autem cornicula iſta nigra ab uredine ſeu rore melleo, *van Honig oder Meelthau*, de cujus qualitatibus vitioſis videri poteſt *Theophraſt. Ereſius*, Hiſt. plant. c. notis *Bodæi a Stapel.* p. 498. & *Plin.* Hiſt. natur. l. 18. p. m. 462. Glutinoſa enim roris iſtius ſubſtantia, adhæreſcendo ſecalis ſpicis, quarum pleræque barbulis ſuis ſe defendunt, niſi pluvia ſuccedente abluatur, aut ventis protinus diſſipetur, exſiccetur ve, exteriorem granorum pelliculam putrefacit, ita ut nutritius iſtorum ſuccus, luxurians, intra terminos ſuos contineri neſcius, ordine a naturali plane alieno accumuletur, limitesque ſuos excedens, in granorum iſta monſtra abeat, noxiis qualitatibus propter mixturam ſucci alibilis ſuperflui, cum unctuoſitate roris vitioſi infecta. Vid. *Hiſt. de l'Acad. Royale des ſciences*, l. c. p. 82. Rationem hujus rei paulo aliter reddit *Helwichius*, *in derer auffgefangenen Briefen fünfftem* pacquet. 73. correſpondenz, p. 581. ſq. ubi negat materiam eſſe a rore melleo, quoniam guttulæ iſtæ dulces, e granis mollioribus immaturis proveniunt, & ab aere vel rore coagulantur, quale quid in aliis frugibus non obſervatur, neque in ſpicis graniſve omnibus; & cum odorem exhibeant mucidum, inſtar granorum putredine incipiente corruptorum, nullum plane dubium relinqui ſcribit, cornicula iſta nigra ex ariſtis excreſcentia, pro re corrupta, inſalubri nutritioni præſtandæ minus apta, habenda eſſe. Cunctarum deinde rerum originem & finem eſſe mucilaginem dulcem, plus minus craſſam, ex mercurio & vitriolo conſtantem, quarum illa virtute diſſipante & attenuante, hæc vero adſtringente polleat, ita ut ex juſta earundem proportione & harmonia omnia conſtent; quod ſi hæc proportio caſu deſtruatur aut immutetur, alterari rei eſſentiam, atque ex nimia mercurii copia oriri turgeſcentiam, ſolutionem, fermentationem, imo putredinem & corruptionem; ſin vero abundet vitriolum, coacervari tenuem, fluidam, raram materiam, & craſſiorem, denſiorem, imo duriorem fieri. A præcedente igitur humiditate, quam terra cum multo mercurio abſorpſit, plantisque communicavit, orta eſt primo turgeſcentia, & ſuccedente calore fermentatio unde, lactea & nutritia granuli materia, pelliculam perrumpendo exſtillavit, atque ab aere, roreve frigidiuſculo coagulata & putreſcens, monſtrum iſtud ſecalis produxit. Plura videri poſſunt l. c. non prorſus a ſcopo noſtro aliena; ſcilicet cur ſecale vitio huic tantum ſubjectum ſit, rariuſque in hordeo aut frugibus aliis reperiatur; & cur non ſingulis annis tale quid accidat?

dat? Prius fieri dicit, quoniam ſecale per totam hiemem tempeſtatum injuriis expoſitum, plus humiditatis unâ cum mercurio aereo haurit, quam fruges æſtivæ, atque granum ejus pellicula tenuiore, ſuccoque alibi magis abundante conſtat. Poſterius adſcribit calori exceſſivo, tum demum ſuperveniente, quando natura in coagulanda materia viſcoſa lactea erat occupata, atque ſuborta fermentatione forti, & turgeſcentia præternaturali, perrupta pellicula ſuccus iſte exſtillarit.

Satis hactenus de vitio panis, cui morbus noſter convulſivus a multis adſcribitur, actum eſt, diffiteor mala plurima, & in ſpecie affectus convulſivos, aliosve capitis tam a pane vitioſo, quam ab aliis alimentis produci poſſe: ita frumentum malum morbos chronicos, & imprimis ſcorbutum producit Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 10. Obſ. 171. Eſus coturnicum ſpaſmum pedum produxit, notatumque eſt quendam, quoties coturnicibus veſcebatur, ſemper altero die ſpaſmo pedum, haud parum moleſto correptum, cui alias nunquam obnoxius exſtiterat: *Riedlin.* lin. ann. I. p. 30. & alaudæ manus contractas induxerunt, teſte eodem Itiner. p. 17. lin. ann. 4. p. 913. Anguillæ nervis imprimis adverſantur & convulſionum cauſa fiunt, quales aliquando virgines duæ ab eſu earundem adeo horrendas patiebantur, ut rigidæ ſtarent, corporibus nonnihil in anteriora incurvatis, ut in emproſthotono fieri ſolet; teſtante *Bierlingio* theſ. pract. p. 738. Quin & lac ipſum, primum iſtud omnium animantium pabulum, oris torturam aliquando induxit graviſſimam, cum tenſione dolorifica totius colli, & pene corporis, teſte Baglivo prax. l. 2. p. 243. Et ex leguminum eſu crurum impotentiam obſervavit *Hippocrates* de morb. vulgar. 2. edit. Foeſ. Sect. 7. p. 119.

Quicquid autem horum eſt, & quamvis ab alimentis tum ſpaſmi & convulſiones, tum morbi alii produci queant, ſæpiusque a ſolo pane ortos fuiſſe non diffiteamur; neque ignoremus, quid lolium aut triticum temulentum malignitate ſua efficiat; quamvis etiam negare non poſſimus, conſtitutionem frigidam pluvioſam, productioni ſecalis vitioſi admodum faviſſe, utrique enim, & corniculis nigris & lolio producendo, favet, teſte *Ramazzino* de morbis artificum c. 27. atque lychnidis ſegetum ſemina, noſtratibus *redde* vocata, ſecali permixta, farinam hoc anno ſuppeditarint rubram, quæ alba ordinario eſſe ſolet, indeque malum hoc ortum fuiſſe nonnulli exiſtimaverint: his tamen omnibus nihil obſtantibus, vix induci poſſum, ut credam, mali hujus cauſam apud nos extitiſſe panem ex vitioſi ſecalis farina excoctum, ſequentibus potiſſimum rationibus inductus. Quod ſcilicet plures ſpaſmo epidemio laborantes

viderim, antequam panem recentem comederint; multos autem qui talem in magna copia aſſumpſerunt, non ægrotaſſe: quemadmodum hodie adhuc talis panis, ſine omni noxa a ruſticorum pleriſque uſurpatur: præſertim cum certa mihi conſtet experientia, collecta ante plures annos in annonæ charitate a pauperibus ſecalis recrementa, multis granis degeneribus referta, in panes coacta & comeſta, nihil plane mali poſt eſum reliquiſſe. Ex quibus omnibus concludo, morbum hunc apud nos non tam a ſecalis & panis vitio quam ex peculiari aeris conſtitutione epidemia, ut & nebulis & vaporibus ortum ſuum habuiſſe, a quibus ſcilicet morbi epidemii utplurimum oriuntur, ut de aere & tempeſtatibus p. 18. dictum eſt; de nebulis vero, febrem malignam producentibus, hiſtoriam notatu dignam refert Celeb. *Hoyerus* Eph. Nat. Cur. Dec. 3. ann 9. & 10. p. 174. ſimulque ſubjungit, haud facile eſſe naturam & cauſas nebularum rimari, utpote quæ pro mineralium & aquarum, in terræ cryptis & antris contentarum diverſitate maxime variant: Placet *Hippocratis* effatum ſect. 3. edit. Foeſ. p. 7. de natura hominis, *ubi complures*, inquit, *uno morbo eadem tempeſtate vexantur, in id quod maxime commune eſt, quoque omnes utimur potiſſimum rejicienda cauſa eſt: id autem eſt, quod inſpirando trahimus.*

Cæterum, unde aeris iſta corruptio & vitium oriatur, res eſt altioris indaginis. Præterquam enim quod ab exhalationibus & vaporibus corrumpi & infici poſſit, non penitus e cauſarum numero proſcribendum eſſe aſtrorum influxum, exiſtimo. De ſole & luna res extra controverſiam poſita eſt; de planetis reliquis & ſuperioribus dubia forte nonnullis videri poteſt, propter nimiam eorum a nobis diſtantiam, & corporum iſtorum opacitatem. Verum enim vero, alius eſt influxus ſolis & ſtellarum fixarum, alius planetarum: illa agunt luminis emiſſione, & vario modo tam aerem, quam corpora noſtra alterant: hi non immediate, ſed mediantibus exhalationibus primo atmoſphæram ſibi propriam, deinde ætherem & aerem contiguum & vicinum, denique longius diſtantem diverſimode alterant, ita ut mutationes inde provenientes, ad aerem noſtrum atmoſphæricum uſque ſe extendant, & mutationes tempeſtatum in eo producant. Certum enim eſt, quod pro ratione ſitus planetarum tum inter ſe, tum imprimis ratione ſolis alia effluvia ex iis emittantur, quibus alteratio iſta merito tribuenda eſt, præſertim, cum recentiorum induſtria certas regulas meteorologicas detexerit, quibus obſervatis, ex poſitu ſtellarum, conſtellationes vocant, certiſſimum de futuris tempeſtatibus judicium, formari poteſt, id quod poſt *Wilhelmum Coccium*, Anglum, ſedula plurium annorum obſervatione oſtendit *Sluterus*, Hamburgenſium ſenator ſpectatiſſimus, & ex utroque *Stahlius* introductione ad meteoroſcopiam novam. Noſtrum non eſt,

eſt, in ſpeciales ſyderum poſitus, & ordines, quæque eorundem ad producendum hunc morbum vis ſit & efficacia ſigillatim inquirere, habebunt igitur hic, in quo ſe exerceant, aſtrologi.

Quicquid autem horum eſt, & ſive ab aſtrorum influxu, ſive ab exhalationibus aut vaporibus aer vitietur, res eodem recidit, illeque ſemper pro primaria morborum epidemicorum cauſa habendus eſt, quorum certe originem aliunde derivare vix licet. Quis enim febrem catarrhalem ſeu catarrhum epidemium, cujus mentio facta eſt p. 8. toti fere Europæ communem, aliunde, quam ex aeris vitio, derivabit? Et cum *Reuſnerus*, Nordlingenſium poliater, tractatu de ſcorbuto p. 72. ejuſdem morbi meminerit, anno 1580. ab auſtro principium ſumentis, ſub Sirii ortum, tempeſtate aquilonia, maxime autem circa interlunium æquinoctii autumnalis, municipatim pervagantis Europam, & in omnes fere mundi regiones debacchantis, commode hic de eodem adhuc monendum eſſe cenſui, quod *Fernelio* l. 1. de abdit. rerum cauſſ. c. 12. gravedo anheloſa, Gallis *la coqueluche*, Germanis *der Bremer, oder Böhmer Pipp*, *das Hünerweh*, quoniam laborantes inſtar gallinarum coryza vexabantur, dictus, atque *Hippocrati* l. 3. epid. ſect. 3. cognitus, aeriſque conſtitutioni auſtrinæ tum aquilonari adſcriptus fuerit. Et quis dubitabit unquam, affectus epidemios alios, aeri potiſſimum & frequentius, rarius cibo aut potui adſcribendos eſſe? Id quod in abortu epidemio, anno ſeculi ſuperioris 96. paſſim obſervato, docet *Hippocrates* ſect. 3. aph. 12. & l. de aere: aquis & locis c. 6. Idem docet Ariſtot. ſect. 1. probl. 9. Et mihimet ipſi anno 1697. die 29. Martii partus difficilis in tribus puerperis hic obſervatus eſt, quo tempore ipſi ſyderum poſitus idem innuere videbantur; & Vates iſte Anglicus, ut ſe ipſum vocat, in ſuis prognoſticis ad diem 28. Martii notanter ait: *das zarte ſchwache Frauen-Zimmer hat ſchwehrgefähr, auch mißliche Gebuhrten zubefahren.*

Sed his miſſis, nos potius ad alia pergimus, & conſiderabimus, quomodo cauſæ iſtæ generales, de quibus in præcedentibus actum eſt, & morbum ipſum, & potiſſimum, ſymptomata eum concomitantia producere poſſint? Cunctaque ad malum præſens applicando, ætiologiam ejus, quantum quidem in re adeo obſcura licebit, tradituri ſumus.

Ut ordine hic procedamus, ſymptomata dividere placet in antecedentia, concomitantia, & conſequentia. Inter antecedentia plerumque obſervantur nulla, niſi *capitis* quandam *gravitatem, nauſeam, & moleſtam* quam nonnulli *in artubus* ſentiunt, *tractionem* huc referre lubeat. Oriuntur illa a miaſmate morboſo, ipſum caput, & ventriculum infeſtante, leviterque vellicante, uſque adeo, ut

ut contractis meningibus aut fibris quibuſdam cerebri medullaribus, levique earum compreſſione capitis gravitas, in ventriculo vero, ex roſione tunicæ nerveæ nauſea oriatur, quæ in ſubjectis iſtis robuſtioribus ſua ſponte nunquam in vomitum terminatur. *Tractio* iſta *moleſta*, cum aliquali dolore, quem in principio paroxyſmi plerique ſentiunt, ſpaſmodicæ muſculorum & tendinum contractionis principium eſſe ſolet, quam demum ipſe morbus, ſeu ſpaſmus ſequitur: & obſervatione maxime dignum eſſe arbitror, quod ejuſmodi *tenſiones circa reſpirationis organa*, *& diaphragma*, *una cum anguſtiis circa præcordia* in quamplurimis obſervari ſoleant, antequam membrorum contractiones ſubſequantur, quibus tamen ſuccedentibus, ceſſant moleſtiæ iſtæ circa pectus: evidenti teſtimonio, malum per reſpirationem cum aere hauſtum, aut ex ſuppreſſa tranſpiratione ad viſcera propulſum, afficere organa & viſcera thoracis, & convulſivas contractiones iiſdem inferre, donec malo ad artuum nervos, ipſius naturæ, & circulationis humorum ope delato, extrema convellantur.

Spaſmus ille extremorum, cujus ampliorem deſcriptionem p. 6. tradidi, individuus eſt morbi comes, imo morbus ipſe, oriturque ab humore aut miaſmate acido acri, plus minus activo, nervos irritante, rodente, vellicante, & organorum motus contractiones involuntarias, morboſas & præternaturales cauſante: quo tandem diſcuſſo, morbus dat inducias, donec, collecto denuo circa nervorum principium, aut in ipſis motus inſtrumentis novo fomite, priſtina ludatur fabula, & ſpaſmus revertatur. Concomitantur convulſiones iſtas *dolor*, a violenta membrorum contractione ortus; *tumor* a ſanguinis, cæterorumque humorum ſtagnatione, & *rubor* tam faciei, quam membrorum convulſorum, ab eadem cauſa producti: quin ipſe quoque, qui in paroxyſmo obſervatur, *ſudor copioſus*, ab eadem humorum ſtagnatione oritur. Dum enim ſanguis intra ſua vaſa in muſculis cogitur, & premitur, ſerum ejus facile exprimitur, & per poros ſub udoris forma dilabitur, ut in moribundis obſervamus. Interea, & dum iſta fiunt, *mente conſtant* ægri, quoniam cauſa mali non tam rationis officinam, ipſum cerebrum & cerebellum, quam potius medullam ejus oblongatam & ſpinalem, principiumque nervorum artus moventium invadit & aggreditur. Quod ſi contingat ut ſimul ad caput intimius feratur, oritur *delirium*, *epilepſia*, aut *apoplexia*, rariſſima in noſtris ægris ſymptomata, quorum ultima etiam ſæpe funeſta ſunt. Cauſam *formicationis* iſtius *motusque tremuli*, quem tam in, quam extra paroxyſmum ſub cute ſentiunt, & qui oculis cerni poteſt, a motu tremulo & reciproco fibrarum carnearum & tendinum, ſupra p. 6. deduxi. *Alvi fluxus*, non tam in principio morbi, quam ejus progreſſu, quamvis rarius ſuccedens,

ſymp-

ſymptomaticus erat, non carens periculo, & collectione materiæ morboſæ acris, inteſtinis & viſceribus abdominis moleſtæ oriundus. *Sitis* non tam a defectu humidi in ſanguine, aut obſtructione vaſorum ſalivalium, vel calore p. n. qui nullus aderat, originem habebat, ſed doloribus potius, & triſti ſpiritui exſiccanti, aut ſpirituum ataxiæ tribuenda erat: hæc enim vel materialiter ſalivam alterant, vel ſecretionem ejus impediunt, id quod in magnis doloribus, aut animi pathematibus vehementioribus quotidie obſervamus. Nec poſſum ſilentio præterire obſervationem, quam proprio meo damno expertus ſum: cum enim circa initia veris anni proxime elapſi, Schleſviga domum reverſurus, curru proſtrato, os humeri dextrum in ſui medio mihi diffringeretur, eo ipſo momento, & dum humi adhuc jacerem, ſitim ineffabilem, qualemque nunquam in vita mea habui, experiebar, non aliter ac ſi per plures dies nihil liquidi aſſumpſiſſem, cum tamen vix ante horam hauſtus theè potus, nullam plane ſitim reliquerat, & ante lapſum os ſaliva maderet. Quin & celeberrimus noſter *Pechlinus* profligatiſſimam ſitim, in iis qui crurifragium propter delicta paſſi ſunt, ipſe annotavit, & pro ſuo more verbis elegantiſſimis deſcribit, obſerv. med. l. 3. obſ. 39. p. 518. *Pulſus* magnus & tardus non tam a morbo, cujus cauſa proxima non in ſanguine, ſed in nervis, horumque principio hæret, originem ducit, ſed temperamento ruſticorum melancholico, aut melancholico-ſanguineo naturalis eſſe videtur; celeritas vero & inæqualitas ejus, qualem in moribundis obſervavi, ab inæquali & tumultuario ſpirituum motu originem traxit. Nec *urina* multum a ſtatu naturali mutata erat, niſi quod in aliquibus juſto pallidior ex vitio digeſtionis, & a ſeri in renibus copioſiore ſecretione, apparuerit.

Poſt paroxyſmum conſequebatur *frigoris ſenſus* in artubus, ſpecies quædam horripilationis, a fibrillarum motu tremulo, ſanguiniſve circulatione tardiore per vaſorum capillarium extrema. *Fames*, in aliquibus *canina* ab acido exceſſivo, ſtomachum vellicante ortum ducit, & dum vellicatio hæc in ipſo paroxyſmo propter dolores & ſpirituum diſtractiones ſentiri nequit, his demum ſedatis animadvertitur & ægri fiunt famelici. Denique *tenſione artuum cum ſtupore* quodam membrorum diu remanent, partim propter relictam materiæ morbificæ, nondum penitus diſcuſſæ aut correctæ aliquam portionem, partim propter debilitata motus arbitrarii inſtrumenta: & dum antecedens mali cauſa, & humorum conſtitutio acido viſcida, propter diætam hominum noſtrorum, & deficientem remediorum continuationem diuturnam, a qua natura eorum plane abhorret, non facile penitus tollitur, quid inquam, mirum eſt, ſi ex levi cauſa procatarctica, & acceſſu aeris frigidiori *recidivam* patiantur? Quamvis hoc ipſo, dum hæc ſcribo tempore,

omnes, qui curæ meæ ſubjecti erant, per Dei gratiam plenarie ſanitati reſtitutos eſſe, affirmare poſſim. Nec reticenda, aut ſilentio prætereunda, ſed publice potius laudanda eſt Illuſtrium & Generoſiſſimorum Toparcharum plurium generoſa in ſubditos miſericordia, qua de medela pauperrimis iſtis hominibus gratioſe proſpexerunt, cui ex alto benedixit Iehovah, ut exceptis pauciſſimis, mortuorum catalogo adſcriptis, reliqui optima nunc fruantur valetudine.

Talia erant ſymptomata, in noſtris ægrotantibus obvia, quorum tamen plura in aliis, eodem morbo laborantibus alibi obſervavit medicorum, qui de eodem antea ſcripſerunt triga *Reuſnerus*, *Drawiſius* & *Buddæus*: horum primus diexodicarum exercitationum libro de ſcorbuto, anno ſuperioris ſeculi 1600. Francofurti impreſſo, de ſpaſmo hocce, plures provincias populariter & digladiatorie invadente p. 72. dicit: eum agitationem eſſe convellentem, atque deſinere in morbum Herculeum, reſolutionem nervorum, veternum, maniam, lumbaginem, paralyſin, quorum tamen omnium, præter morbum Herculeum, & apoplexiam, nullum plane aliud accidens notavimus. *Drawiſius*, *im Bericht und Unterricht vom ſchmertzmachenden Scharbock*, tit. 2. de affectu ſcorbutico-ſpaſmodico p. 88. inter ſigna morbi, præter illa quæ a nobis obſervata ſunt, recenſet tetanum, opiſthotonum & emproſthotonum, convulſionis diverſas ſpecies, vomitus, manuum & pedum veſiculas ichore plenas, aut alibi in artubus erumpentes; iis autem recentior *Buddæus*, l. c. p. 4. & ſq. maniæ, caloris p. n. & exurentis, affectus comatoſi, melancholiæ, vertiginis, tinnitus aurium, veſicularum tam artus quam ipſa viſcera occupantium, eroſionum & extravaſationum ſanguinis meminit, de quibus tamen omnibus nihil prorſus a nobis obſervatum eſt. De internis vero morbi hujus productis legi poteſt relatio factæ inſpectionis cadaveris, adoleſcentis annorum 19. eodem morbo demortui, l. c. p. 8.

Morbi diagnoſis ex iis quæ in antecedentibus ſunt allata facilis eſt, & ex ſymptomatibus petenda, quorum præcipuum & pathognomonicum, præter ipſum ſpaſmum & contractiones membrorum, meo quidem judicio eſt ſenſus ille formicationis in artubus totoque corpore ſenſibilis & conſpicuus, a quo morbus nomen ſuum germanicum obtinuit. Simul vero malum hocce quamvis alibi periculoſum, funeſtum, & quaſi peſtilens & malignum fuiſſe perhibeatur, apud nos tamen nec cum pari malignitate, nec tanto cum periculo conjunctum fuiſſe, docet *prognoſis*. In ſpecie quantum ad hanc attinet, *Drawizius* obſervavit, malum non nimis radicatum, & ubi peccans materia diſcuti poteſt & evacuari, ſimulque nova hujus præcaveri, & curabile eſſe, & licet per

per annos aliquot duraverit, mitigari poſſe: ſin vero delirium aut mentis alienatio continua adſit, viſceraque a tono naturali, dejecta, nervique debilitati penitus fuerint, nec mitigari nec curari poſſe affectum, & quamvis inducias concedat, redire tamen illum quotannis, ut plurimum hiberno & frigidiſſimo tempore. Ex quibus videmus, non extremo gradu in noſtris ægris ſæviiſſe morbi violentiam, id quod eventus docuit, quando pauciſſimis demortuis, reliqui omnes priſtinæ ſanitati ſunt reſtituti, idque intra paucarum ſeptimanarum ſpatium, quamvis *Hippocrates*, l. de locis in homine, de nervorum morbis ſequens prognoſticum ferat: *Quicunque autem morbus*, inquit, *ad nervos acceſſerit, eo lem loco firmatur & conſiſtit, nec niſi ægre expellitur.* ſect. 4. p. 80. edit. Foeſ.

Quibus ita ſeſe habentibus, certa ſpes quoque eſt, morbum, qui in ægris noſtris longe mitior quam olim & alibi locorum obſervatus eſt, tantamque in iis virulentiam non oſtendit, poſtquam convenientibus remediis plene devictus eſt, manus penitus daturum, nec novas reſtitutis moleſtias paraturum eſſe, quale quid alias obſervarunt *Marpurgenſes* l. c. p. 424. *Omnes* [illegible]quiunt, *ii, quibus morbus comitialis ſupervenit, recidivantes epilepſiæ inſultus per reliquos vitæ dies experti ſunt. Pari modo & illi, qui mente exiverunt, aut in furorem, rabiemque converſi fuerunt, plerumque ad ultimum vitæ terminum, non redintegrata priſtina diſcretione & judicio, ſtupidi permanſerunt. Exemplis enim notis conſtare dicunt, quod aliqui poſt invaſionem hujus mali quindecim annis ſupervixerint, qui aſpera & prægelida hyeme, circa menſem Decembris & Januarii, annuatim in eandem cladem reciderint, & peractis quindecim annis, ex improviſo recidiva quadam correpti, in campos excurrentes, & in flumina proſilientes aquis ſubmerſi fuerint.*

Unicum hic dicendum reſtat, ſcilicet an morbus contagioſus ſit, nec ne? Quod quidem primo intuitu abſolute affirmandum eſſe videtur: invadit enim plures, uno eodemque tempore, & omnes fere, in una domo degentes, ita ut temporis progreſſu pauciſſimi immunes evadant. Quin & illi, qui licet in eadem domo cum ægris non verſentur, iis tamen frequentius adſtant, aut opem ferunt, haud ſemper ab eo immunes ſunt. Verum iſtud contagium non eſt abſolutum: neque enim pleraſque domos unius pagi ingreditur, ſed pauciſſimas, unam, binas, tres, quatuor, in quibus omnes fere adoritur, reliquis domibus intactis relictis: ſed reſtrictum potius ad certa individua, acſi complexionum, ſanguinis, vitæque ſimilitudo, eadem omnes calamitate involveret, dum cæteri, aut aliter temperati, aut alia diæta vitæque genere fruentes immunes

 agunt.

agunt. Idem in aliis quoque morbis epidemiis, inter vilioris conditionis homines graſſantibus ſæpius mihi obſervare licuit, & imprimis ante annos 20. cum in prædio K. in tribus caſis pluſquam viginti homines febre quadam epidemia mali moris, graviter decumberent, & ne unicus quidem inhabitantium immunis maneret; reliqui in pago proximo habitantes, & ægrotos frequentius viſitantes, nullam labem contrahebant. Simile contigiſſe memini in prædiis P. F. & M. Et cum ante quinquennium in pago B. prædii S. ſubditi magno numero dyſenteria maligna graviſſime decumberent, contagium tantum certis quaſi ædibus alligatum eſſe videbatur, easdemque non facile egrediebatur, aut hoſpites accedentes inficiebat.

Præmiſſis igitur iis quæ ad naturam morbi pernoſcendam, cauſaſque ejus detegendas inſerviebant, ad curationem progrediendum eſt: ubi ſtatim in limine monendum eſſe cenſeo, me non tam aliorum, qui ante nos de ſimili malo ſcripſerunt, curandi methodum, ſed eam potiſſimum, qua ipſemet cum fructu uſus ſum, ſincere & ſine fuco traditurum eſſe. Cum autem indicationes ad tres potiſſimum claſſes commode referantur, præſervatoriam, curatoriam & ſymptomaticam, lubet nunc totam rem iiſdem includere. Et quantum ad præſervationem attinet, optime quidem hæc fieri poſſet convenienti diæta, abſtinendo ſcilicet ab omnibus tam alimentis quam potulentis, quibus chylus craſſus, viſcidus, acidus generari poteſt, & vitando aerem nebuloſum, frigidum, aut alia qualitate vitioſa contaminatum: cum autem id ipſum a ruſticis impetrari non poſſit, nec vitæ eorundem conditio id patiatur, ſanis proſpexi venæ ſectione, cujus in præſervando morbo inſignem efficaciam, multiplici experientia edoctus ſum, ita ut pauciſſimi quibus illa tempeſtive, & antequam quicquam mali ſentirent, adminiſtrata eſt, aliquid mali paſſi ſint, atque *ex* 120. quibus in prædio B. vena eſt ſecta, vix quatuor ſpaſmo correpti, cæteri omnes ab eo immunes exſtiterint: idem in aliis locis a me obſervatum eſt. Vomitoria quoque ad præſervationem uſus ſunt non contemnendi, ut & leniora purgantia, quibus cauſa antecedens tollitur aut imminuitur, maximo cum ægri levamine. Nec negligendæ prorſus ſunt aeris correctiones per ſuffimigia, ex baccis & ligno juniperi, radice enulæ, abſynthii herba: & res aromaticas, angelicæ radicem, aut acori veri, maſticando; aut odoratas, rutam, mentham, meliſſam, naribus admovendo. Ruſticis noſtris optimum præſervativum eſt tabaci fumus, quem ſumma cum delectatione per fiſtulam attrahunt.

Ubi vero morbus aliquem invaſit, tunc conſiderare oportet, quid in principio, quid in progreſſu, quid denique circa finem ejus faciendum

dum ſit? Siquidem in his circumſtantiis magnum curationis momentum ſitum eſſe, mecum omnes medici dogmatici affirmant. Neque enim illud quod in principio juvat, in progreſſu ullius eſt momenti & vice verſa: in principio igitur & ſi materia turget, danda ſunt evacuantia; primus, enim curandi ſcopus in hoc ſtadio eſt evacuatio materiæ peccantis, partim primis viis, partim ipſi ſanguini inhærentis. Si nauſeæ, cordis anxietates & præcordiorum anguſtiæ urgeant, dari poteſt vomitorium, quod egregie profuiſſe certa mihi conſtat experientia. Communiſſimum mihi eſſe ſolet tartarus emeticus, ſecundum *Ludovicum* paratus; hunc enim Mynſichtiano præferre placet, cum certioris longe ſit operationis: præſcribitur pro ætatis ratione a gr. ſ. ad gr. iij. nihilque aliud addere ſoleo, præter ſacchari aut lapidum cancrorum exiguam portionem, ad molem potius pulviſculi augendam, quam ad alios uſus: obſervavi enim ſtomachica vim ejus infringere aut retardare. Quod ſi humores viſcidi ſimul incidendi ſunt, addi poteſt arcanum duplicatum, aut tartari cremor, & ſimilia. Nec laude ſua deſtituitur Americana Ipecacuanhæ radix, cui ſane, præcipuus inter tutiora emetica locus debetur; blande enim operationes edit, & cum euphoria, roborando poſtea ventriculum: pulvis ejus datur a ℈j ad ʒß. Et ſane præter propriam experientiam, laudatus ſupra *Buddæus* l. c. p. 45. effectus ejus laudat, ſimulque vim bezoardicam eidem tribuit. Sin vero ægri conditio, aut aliæ circumſtantiæ uſum vomitorii diſſuaderint, ſimulque tormina, alvi adſtrictio, flatus, abdominis inflatio, de præſentia humorum crudorum, viſcidiorum in inteſtinis & meſenterio teſtentur, purgantia potius danda eſſe exiſtimo: quem in finem Marpurgenſes laudant electuarium quoddam laxativum, quod ſecundum genium Seculi iſtius ſatis concinne præſcriptum eſt, vid. *Horſtii* operum part. 2. p. 429. Mihi inter purgantia pauciſſima, tutiora & magis ſelecta ſemper placuerunt, quare ægrotis meæ curæ commiſſis dedi radicis Ialappæ pulverem ad ℈j. aut ʒß. vel ſolum, vel cum ſalibus digeſtivis aut mercurio dulci mixtum, quo modo dimidia jalapii doſis ſufficit. Notandum autem eſt circa uſum purgantium, ea non niſi in principio, ubi nullus adhuc obſervatur ſpaſmus, adhibenda eſſe; hoc enim præſente, minus tuta illa eſſe arbitror, niſi laxantium uſum ſuaſerint morbi circumſtantiæ.

Nec ipſa quoque venæ ſectio præſente jam morbo tuta eſt, multiplicique experientia edoctus, ſæpiſſime vidi, poſt adminiſtratam venæſectionem, horrendas convulſiones immediate ſubſecutas fuiſſe; quare poſtmodum, etiam in plethoricis, ab ejus adminiſtratione abhorrui. Adoleſcens annorum 18. habitus plethorici, conqueritur de membrorum laſſitudine, & dolore artuum quaſi rheumatico, ego ſuadeo venæſectionem, ſecurus de malo epidemio, cum nulla ejus veſtigia in præ-

dio, ubi vivebat, hactenus apparuerint; ſimul ac vero ſanguis non ultra, quam vires ægri ferre poterant detractus erat, graviſſimo manuum & pedum ſpaſmo corripitur, una cum vehementiſſimis doloribus, quibus per remedia infra dicenda poſtmodum liberatus eſt.

Cum vero morbus nullis præviis ſignis aliis, utplurimum cum ipſo ſpaſmo incipiat, huic equidem convenientibus remediis ſtatim obviam eundem eſſe exiſtimavi: quem in finem, cum malum per paroxyſmos agat, duplex curandi tempus, unum in paroxyſmo, alterum extra eum, obſervandum eſt. Et quantum quidem ad prius attinet, dum morbus primum mihi ignotus videbatur, maxime conſultum eſſe duxi, ſequi *Hippocratis* conſilium, quando de locis in homine dicit: *morbis quos quis minime cognoſcit, medicamentum minime vehemens potui exhibendum. Quod ſi inde levior æger evadat, & extenuando curatio inſtituenda eſt. Sin vero minime levius, ſed ægrius habeat, contraria facienda.* Sequentes igitur mihi propoſui ſcopos: omnibus viribus eo annitendum eſſe, ut I. irritatio in nervis facta tollatur, 2. materia peccans diſſipetur aut corrigatur. Utrumque fit remediis nervinis & vulgo dictis antiſpaſmodicis, & quæ virtute anodyna blanda præpollent: Eum in finem in ipſo paroxyſmo dedi liquorem cornu cervi ſuccinatum, ſpiritum fuliginis, & ſpiritum cephalicum cum caſtoreo, meæ compoſitionis, in capitis & nervorum vitiis egregiæ operationis, ſimul vero doſin ſingulorum pro ætatis ratione determinando, a gt. X. ad gt. XL. cum vehiculo domeſtico, cereviſia aut vini ſpiritu; quibus tamen ſubſtitui poteſt aqua quædam cephalica fl. tiliæ, liliorum convallium. Quin etiam pulveres antiſpaſmodicos ex ſuccino albo, cinnabari ♁nii, nitro, caſtoreo, ſale ſuccini volatili, theriaca cœleſti, opio depurato uſus fuerunt non contemnendi; ſicut anodyna in forma liquida volatilibus mixta, præſentiſſimæ operationis a me deprehenſa ſunt; ut fuliginis ſpiritus cum eſſentia anodyna Zwelfferi, aut liquor C. C. ſuccinatus, cum laudano liquido. Una enim fidelia, ut dicunt, duos dealbamus parietes, tollendo ſcilicet irritationem in nervis factam, & diſſipando corrigendove materiam peccantem. Simul vero externa in auxilium vocari debent, membrorum extenſiones, quibus ſolis paroxyſmi curationem peragi ſcribit doctiſſimus *de Moor* patholog; cerebri p. 538. ſi enim muſculorum fraternorum (uti ex *Hippocrate* loquitur *Fallopius* p. m. 586.) alter contrahatur, utriuſque æqualis extenſio, contractionem violentam alterius corrigit. Imo nullum ægris noſtris levamen præſentius fieri poterat, quam convulſi membri extenſio, ut ſupra p. 5. monui. Deinde ligaturæ, membrorum, ut & frictiones cum linteis aſperis calidis haud parum juvant, præſertim ſi accedant inunctiones cum nervinis, calidis, ſpiritu articulari externo, aut matricali camphorato, addito tantillo

tillo olei philoſophorum aut petræ albo: nec inutiliter adhibebantur ſuffimigia ex abſynthio, ruſticorum remedio univerſali, ſabina, ſuccino.

Deinde cum obſervarem, ſuſpendi quidem a remediis modo dictis paroxyſmum, atque inducias dare, conſultum duxi iis, quibus breviora intervalla, ab inſultu morbi vacua erant, remedia *Marpurgenſium* antiſpaſtica. apud *Horſtium* l. c toties laudata exhibere, antidotum ſcilicet convulſivum & pulverem convulſivum, quorum deſcriptiones videri poſſunt operum T. 2. p. 429. de quibus authores ipſi teſtantur, ſibi *quotidiana experientia compertum eſſe, remedia hæc uſurpata, naturæ tam luculentum auxilium præſtitiſſe, ut morbo devicto, ſymptomata omnia quoque mitigata & evanida fuerint.* Et fateor equidem me non ſine fructu, ſed ſæpe cum præſenti effectu ea in plurimis adhibuiſſe; conſtant enim ex nervinis antiſpaſmodicis, anodynis & theriacalibus, quorum vis maxima eſſe ſolet in ejuſmodi morbis; quamvis cæterum formulæ iſtæ, & præſertim pulveris, artis regulis non omni ex parte reſpondeant, propter inſufficientem ingredientium, reſpectu & intuitu ſingularum doſium proportionem: quando enim doſis hujus pulveris eſt ℈j. totaque compſitio eſt ℥ix quantum quæſo ſpecierum iſtarum officinalium diamoſchi dulc. &c. quarum ʒj, totam compoſitionem ingreditur, & vix ſexageſimam ejus partem conſtituit, quantum, inquam, a grano uno, quod ſingulas ingreditur doſes ſperandum ſit efficaciæ, ego certe non video. Mutavi igitur pulverem ratione ſequente: Rep. Rad. Vincetoxic.

Valerian.
poeoniæ maris:
Cariophillat: ãã. ʒj.
Calam. aromat:
baccar: lauri.
fl. ſulphuris. ãã ℈ij
Cinnab. ♁nii. ʒiſ.
Caſtorei ʒſ.

Mſc. f. pulv: divid. in octo part. æq. pro tot doſibus pro ætatis diverſitate minuendis. De hoc pulvere ſancte poſſum affirmare, quod ab ejus uſu, ſi ſcilicet poſt ſingulos paroxyſmos, aut in horum declinatione, juſta ejus doſis exhibita fuerit, ſpaſmodicæ artuum contractiones aut emanſerint penitus, aut longiores inducias dederint, aut vis earundem ſenſibiliter imminuta fuerit.

Porro extra paroxyſmum eo potiſſimum dirigenda eſt cura, ut cauſa

cauſa antecedens interna, prava humorum diſpoſitio corrigatur; ſcorbuticam illam vocant authorum plerique, nos cacochymiam acido-viſcido-acrem. Non enim placet eorum ſententia, qui cum *Bonteceö* ejuſdemque ſequacibus, omnes morbos ſcorbutum eſſe volunt, quamvis concedamus hujus cauſam in diatheſi humorum plus minus acida, viſcida aut acri conſiſtere. Quippe ſcorbutus, quamvis communem cauſam cum multis morbis aliis habeat, affectus tamen eſt particularis, peculiaria & propria ſibi habens ſymptomata, & propterea cum aliis non confundendus. Interim, utut in verbis faciles ſumus, modo conveniamus in re, cacochymia iſta ſanguinis peculiarem ſui poſtulat medelam, (ut *Horſtius* problem. Dec. 10. p. 109. eleganter oſtendit) quam per ſequentes ſcopos obtinemus: 1. Viſciditas ſanguinis & humorum eſt corrigenda 2. aciditas aut acrimonia temperanda 3. ſerum acre evacuandum 4. Digeſtio ventriculi promovenda 5. Cum genus nervoſum multum in hoc morbo patiatur, roborandum id eſt, remediis convenientibus. His enim ſcopis omne illud continetur, quicquid indicatio curatoria hoc loco expoſtulat.

Primus ſcopus obtinetur incidentibus, attenuantibus, diluentibus; id quod inſigniter præſtant amara, & ſale incidente attenuante prædita, antiſcorbutica vulgo dicta, ut & alexipharmaca: nec non ſalia fixa & volatilia, quæ tamen refracta doſi & aliis temperata exhibeantur. Eum in finem dedi ter in die eſſentiam trifolii aquatici, cochleariæ, fumariæ, fuliginis cum vel ſine ſpiritu cornu cervi; ſal volatile oleoſum Sylvii, cum eſſentia alexipharmaca aut theriacali & tinctura tartari: lumbricorum ſpiritum & eſſentiam, liquorem cornu cervi ſuccinatum; quibus ſingulis rite & conveniente doſi uſurpatis, multum præſtiti. Nec decocta etiam ex antiſcorbuticis non nimis calidis fruſtra fuere adhibita, largiore doſi ab iis, quibus ventriculi digeſtio læſa non erat, hauſta; ſcilicet ex radice enulæ, & in cauſa magis acri acetoſæ, bardanæ, raſura guajaci, foliis trifolii aquatici, herba fumariæ aliiſque parata, ſaporis quidem ingrati, ſed effectus non contemnendi. Alterum ſcopum, temperandi ſcilicet aut corrigendi humorum aciditatem aut acrimoniam, quarum utraque cauſæ antecedentis vices gerit, obtinui abſorbentibus, diluentibus, quin & volatilibus, ratione aciditatis, eumque in finem ordinavi pulveres, ex pannonico rubro, lapillis 69. Cornu cervi ſine igne calcinato, ſuccino, quibus nunc ſalia volatilia ſuccini, cornu cervi, nunc cinnabarim & caſtoreum pro ſymptomatum diverſitate addidi. Ubi vero ſal acre potiſſimum peccare videbatur, dedi præter pulveres abſorbentes cum nitro aut arcano duplicato, acida blandiora, tincturam bezoardicam, ſed ſine camphora, elixir proprietatis Paracelſi, eſſentiam celeberrimi Wedelii carminativam. Tertiæ intentioni ſatisfeci evacuantibus,

tibus, rarius purgantibus, ſæpius ſudoriferis, quorum virtutem in progreſſu morbi non ſolum, ſed in ipſa quoque declinatione ſæpius expertus fui ſalutarem. Præſcripſi plerumque potiunculam ex ſpiritu ſcordii, eſſentia fuliginis, lignorum, & ſpiritu cornu cervi, una vice hauriendam; aut tincturam bezoardicam largiore doſi, atque in lecto ſudorem exſpectare juſſi, vitata ſubitanea refrigeratione. Et dicere nequeo, quantum inde levaminis ſenſerint ægrotantes, certusque ſum, plus opis a ſudoriferis in hoc malo curando exſpectandum eſſe, ſi graviſſimi, quos patiuntur dolores concederent, ut in lecto quieti manerent ægrotantes, quibus ſævientibus id ipſum fruſtra ab illis exſpectatur; quare ſudorifera non, niſi ubi dolorum atrocitas remiſit, uſurpari queunt. Pro quarto ſcopo, & promovenda ventriculi digeſtione, exſpectationi reſponderunt ſtomachica, aromatica potius & calidiora, quam acida: fermentum enim ventriculi plus aciditatis quam par erat obtinere, oſtendebat fames, in pleriſque, aucta, quare præſcribebam eſſentias ſtomachales, ex abſynthii eſſentia compoſita, Elixirio vitæ *Overcampii*; Elixirio proprietatis tartariſato vel volatili. Quod ſi lentore potius aut inertia peccare idem fermentum obſervabam, dedi etiam elixirium proprietatis *Paracelſi*. Omnibus autem remediis, cuicunque intentioni deſtinatis, miſcebam nervina, antiſpaſmodica, & ſæpius anodyna, ut quinto ſimul ſcopo ſatisfacerem, eſſentiam puta caſtorei, tum ſimplicem tum volatilem, ſpiritum meum cephalicum, cum vel ſine caſtoreo, liquorem cornu cervi ſuccinatum & hujusmodi alia. Nec omittebantur externa, inunctiones ſcilicet nuchæ, & dorſi ſpinæ cum nervinis ſpirituoſis, aqua Reginæ Hungariæ, ſpiritu lavendulæ, vini camphorato acuatis; aut ſpirituoſa balſamica miſcebam pinguibus oleoſis: unguento nervino ſpiritum matricalem camphoratum, aut articularem externum. Ex oleo ſequenti partibus modo dictis calide ſæpius inuncto, levamen ſentiebant plerique:

℞: Olei vulpin. ℥ij
ſt. chamom. Rom.
Carvi, aa. ʒß.
Succini. ℥ß.
Rutæ. ʒj.

Mſc. S. *Oehl zum Nacken und Rückgrad.*

Demum quando methodo præſcripta malum penitus remittebat, & in declinatione erat, ad diſcutiendam plane & evacuandam materiam peccantem, & morbo fomitem ſubtrahendum, ſuaſi continuationem remediorum præcedentium, & ſelectum ex iisdem pro circumſtantiarum diverſitate feci, & dedi vel Elixirium proprietatis ſ. a. cum eſſentia an-

 thos,

thos, ſuccini, caſtorei; vel antiſcorbuticum remedium, ex trifolii aquatici, cochleariæ, corticis Winterani eſſentia, cum ſpiritu cornu cervi volatili. Aliis ſuaſi ſudores, bis in ſeptimana in lecto provocandos, ſumta vel tinctura bezoardi a, aut eſſentia lignorum ad gr L. vel LX. in vehiculo convenienti. Egregios quoque effectus in hoc ſtadio ab uſu balſami ſulphuris terebinthinato, cum Elixirio proprietatis ſ. a. & oleo ſt juniperi aut ſuccini deprehendi, quo nempe remedii genere morbi reliquiæ per urinas feliciſſime evacuatæ fuerunt. Nec in ipſo quoque morbi progreſſu, & ubi ſudorifera propter ſummas inquietudines, & anxietates, quibus commoratio in lecto impediebatur, ſimile remedium, vel alia quoque diuretica fruſtra a me data ſunt, ita ut loco diaphoreticorum adhiberi, iisdemque in hoc morbo commode ſubſtitui poſſint. *Villiſio* quoque laudatur millepedum pulvis, ad ℈j datus, propter eandem, quam poſſidet vim diureticam, videatur *de Moor* l. c. p. 593. Notari tamen velim de uſu diureticorum tam in morbo præſenti, quam aliis ſpaſmi ſpeciebus, minus tutum eum eſſe, ubi jam adeſt urinæ profluvium ſatis copioſum, quale in hoc morbo a me quandoque obſervatum fuit, ut & in affectibus ſpaſmodicis aliis a *Williſio* de morbis convulſivis, obſervatum eſt cap. 8. p. m. 53.

De diæta, cujus maximum in præſervandis non ſolum, ſed curandis quoque morbis eſt momentum notandum eſt, exactiſſimam quidem requiri in omni morbi ſtadio, quamvis ægrotantibus meis talem obſervare, propter vitæ conditionem non ſemper licuerit. Vitentur tamen quantum poſſibile eſt, omnia quæ concoctu ſunt difficilia, ſalita, fumo indurata, acida, nimis acria, & quæ facile putreſcunt. Aer frigidus, etiam diu ſuperato morbo, nocentiſſimus eſt, & ſæpe recidivas cauſatur. Corporis exercitatio in ultimo hoc morbi ſtadio, remedii loco eſt, ut ſupra annotavi; & ſæpius laudatus *de Moor*. p. 540. obſervat, ſcorbuticos non raro circa veſperam, ubi diu ſederunt, infeſtari formicationis ſenſu, qui inter deambulandum non ſentitur, vel etiam evaneſcit: unde colligimus, exercitium ad progreſſivum ſanguinis motum adjuvandum non parum facere.

Reſtat ut de cura ſpeciali ſymptomatum etiam quædam hic ſubjungamus: quamvis enim horum pleraque ab eadem cum morbo cauſa dependeant, & præciſa adeo hac radice, cuncta ſimul concidant aut tollantur, fit tamen ſæpiſſime ut eorum quoque ratio quandoque ſit habenda, quando ſcilicet vehementia ſua nullas concedunt inducias, aut tanquam morbi effectus, etiam illo curato remanent. Dicam autem brevibus, qualia ipſis oppoſuerim remedia, propria experientia probata.

Ang..e

Anguſtiæ circa præcordia, & *cordis* quædam *oppreſſio* multum negotii quibusdam faceſſebant, quibus ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato, vel ſuccinato, ſpiritu gummi ammoniaci, eſſentia aſæ foetidæ commode medebar. *Fami caninæ* opponebam abſorbentia, quibus addidi nonnunquam martis crocum, non ſine emolumento, & præſertim abſorbens *Wedelii* pulvis laudem hic merebatur. *Nauſeæ* conveniebant ſtomachica, imprimis eſſentia abſinthii comp. eſſentia Zedoariæ, cum elixirio proprietatis. *Vigiliæ* perpetuæ, plerisque moleſtæ, tollebantur uſu nitroſorum, cinnabarinorum, ut & externe applicatis temporibus balſamis, & oleis hypnoticis, ex ungt. popul. alabaſtrino, oleo nuc. moſchatæ expreſſo, oleo ſuccini, hyoſciami, rutæ, ſuccini, addito opio, aceto ſoluto. Quibusdam ſuaſi applicationem & inunctionem ad tempora, factam medulla rancida, in capitis porcini fumo indurati, maxillarum diffractarum cavitatibus reperiundam, a qua ſæpius in aliis morbis, & præſertim febribus ardentibus cum vigiliis, egregios effectus obſervavi: ſicut etiam hæc eadem præſentibus ægrotantibus nonnunquam optime profuit, ſomnum blandum iis conciliando: neſcio an hic ſympathiæ aliquid ſubinde tribuendum ſit, nec ne?

Diarrhœam, quamvis in quibusdam vehemens ſatis fuerit, nolui adſtringentibus compeſcere, quibus humores acres, inteſtinis impacti, aut natura eo vergentes, maximo cum ægri damno retinentur, & temporis ſucceſſu, erodendo inteſtina dyſenteriam & alia mala graviora producere valent, id quod in aliis ægris obſervatum eſt. Potius acrimoniam iſtorum humorum corrigendam, & ſpaſmum inteſtinorum, ſi forte aliquis adſit, tollendum, ſimul vero humores peccantes eluendos eſſe cenſui. Prius abſorbentibus, alterum theriacalibus modeſte datis, tertium potu largiore, lactis calidi, aut ſi haberi poterat, juſculi vervecini non pinguis, ad mentem *Sydenhamii* oper. p. 154. facile compeſcui.

Epilepſia, quatenus materia morbifica ad cerebri intimiora per metaſtaſin quaſi translata eſſe videtur in qua nervorum omnium, motui non ſolum, ſed ſenſibus quoque inſervientium principium afficitur, & ubi nervi totius corporis omnes, totumque adeo nervorum ſyſtema partis affectæ nomine habendum eſt, tanto periculoſius eſt ſymptoma, quanto pars nobilior ab eo afficitur, quare hanc moribundis familiarem fuiſſe tum nobis tum aliis obſervatum fuit. Ad terribile hoc accidens domandum, non Herculis quadam clava, ſed ſolis antiſpaſmodicis, præſertim pulveribus cinnabaribus & caſtoreatis opus habui, doſibus frequentius repetitis, a quibus plerique, exceptis tribus aut quatuor, mali violentia enectis, ſeſe habuerunt. Certe puer octennis in prædio

S. graviſſimis convulſionibus epilepticis vix non enecatus, unico remedio, quatuor vicibus exhibito ſtatim convaluit, quod tale erat:

℞: Lap. 69. ppt.
C. C. ſ. △ne.
ſuccin. alb. ppt.
Cinnab. nativ. āā. gr. XV.
Caſtoreis gr. Viij. Mſc. f. pulv. in 4. doſes dividendus.

Unius hic recordor, ſervi ſcilicet in prædio W. epilepſia demortui, cujus parens prohibuit, ne quis in paroxyſmo accederet, aut membra convulſa extenderet, qualia tamen aliis, ſimili affectu laborantibus auxilio eſſe ſolent; ſatius ratus, ut dixit, filium abſque auxilio relinquere, quam ejuſmodi violentiis denuo eundem affligere.

Apoplexia mortis prodromus, qua pauciſſimos ante obitum correptos fuiſſe mihi relatum eſt, quamvis dubitem, num vera fuerit apoplexia, num ſtupor ſaltem, moribundis familiaris? Si a ſpirituum defectu oriatur, qualem privativam apoplexiam non inepte vocat per ignem Philoſophus *Helmontius*, tunc conveniunt confortantia analeptica, ſpirituoſa, volatilia, ſpiritus bezoardicus *Buſſii*, liquor cornu cervi, balſamus vitæ *Schroederi*, aut *Hoffmanni*, aquæ apoplecticæ, cum & ſine caſtoreo, & hujus eſſentia volatilis. Sin a colluvie ſeroſa in ventriculis aut tubulis cerebri collecta, ortum duxerit malum, conveniunt illa, quæ in apoplexia pituitoſa paſſim laudantur ab authoribus, & ſi malum hoc acutum inducias conceſſerit, commendarem purgantia ad ſerum ſtagnans incidendum & evacuandum, clyſteres acres, veſicatoria; non omiſſis graveolentibus, naribus applicandis, ſpiritu ſcilicet ſalis ammoniaci cum calce viva parato, & ſimilibus. His vero omnibus incaſſum uſurpatis, ultimum remedium ad excitandos ægros ſupereſt, cauterium actuale magnum, vertici capitis, deraſis prius capillis applicandum, per quod nonnullos ex veterno excitatos fuiſſe memini. Hac occaſione non poſſum, quin mentionem faciam medici cujuſdam, diffuſiſſima praxi quondam celeberrimi, cui, apoplexia prehenſo applicabatur cauterium, eo capitis loco, quo ſutura lambdoidea cum coronali jungitur, tali cum effectu, ut excitatus ad ſe redierit, atque recitata peccatorum confeſſione coram miniſtro verbi Divini, S. Cœna reficeretur, & demum ſanitati priſtinæ in totum reſtitueretur. Faſſus tamen mihi deinde eſt, ſe omnium, quæ poſtquam ad ſe rediit, acta fuerunt, ignarum, nunquam illorum, etiamſi a ſuis narrarentur, recordari potuiſſe, quamvis ſenſuum omnium quam

quam expeditum & liberrimum uſum eum tunc habuiſſe, exactionibus apparuerit.

Mentis alienatio, delirium, ut in ipſius morbi decurſu aliquoties a me obſervatum eſt, ita ſemper fere curato malo primario ſimul ceſſavit; niſi quod in puella annorum 19. remanſerit ſtupor quidam mentis, aut leve delirium, ita ut ad quæſita vel plane non, vel appoſite minus ſubinde reſponderet, aut ſine cauſa ſubrideret, & vigente interim appetitu, oblata quævis devoraret. Cauſſam hujus mali a pituita lenta, aut ſeroſitate nimia, caput aggravante, & aliquali tubulorum cerebri medullarium obſtructione derivavi, & præmiſſo purgante, ex pilulis de galbano *Sylvii*, dedi ejuſdem authoris ſal volatile oleoſum, ter quotidie ad guttulas 30. cum cereviſia ſumendum, quorum uſu intra dies quatuordecim plenarie ſanitati & rationi eſt reſtituta.

Tumores denique artuum, imprimis extremitatum eorundem, manuum ſcilicet & pedum, in quibuſdam a morbo relicti, oriuntur a ſeri ſtagnatione, & coagulatione, & interne per reſolventia, incidentia, attenuantia, & diaphoretica ſanantur. Externe vero applicanda ſunt diſcutientes ſacculi ex herbis aromaticis, penetrantibus, ſpirituoſis, ſalvia, lavendula, mentha, floribus chamomillæ, ſambuci, & camphora, calide applicandi: ego magnam ad tumores tales reſolvendos efficaciam obſervavi a ſpirituoſis, præſertim ſequentibus.

℞: Sp. Vin, camphorat: ℥ij
olei Lumbricorum ʒj
⊖ .✱ci. c. ♃a parat. ʒß. Mſc.

Quin & maximo cum emolumento ancillæ cuidam ruſticæ commendavi linimentum.

℞. Ungti. nervini ℥j
Sp. Vin camphorat. ʒtiß
Olei philoſoph. ʒiß. Mſc.

Hæc ipſa ancilla ſuaſu mulierum ruſticarum, applicuerat antea extremis tumefactis & dolentibus axungiam, qua curruum rotas inungere ſolent ruſtici, maximo cum dolorum & tumoris incremento: obſtructis enim magis magiſque poris cutis a materia craſſa, lenta, tranſpiratio partium iſtarum magis impedita, majorque humorum collectio in iiſdem facta fuit, unde aucto tumore & partium diſtenſione, dolorum incrementum ſequi oportuit: poſtquam vero unguentum iſtud ruſticum removit, & abſterſis probe membris laudatum modo linimentum calide ſæpius affricuit, dolorum remiſſionem & tumorum diſcuſſionem brevi experta eſt.

 Atque

Atque hæc ſunt ea . quæ de morbo convulſivo epidemio, in his terris hominum ſaltem memoria nondum viſo, ejuſdemque curatione, luci dare publicæ animus erat, partim ut Seculari ſolemnitati ſatisfaciam, partim ut proximo qualicunque hac opella inſerviam: quamvis enim apud nos malum nunc plane ſileat. fieri tamen facile poteſt, ut ſuperveniente hiemali frigore iterum recrudeſcat, latiuſque ſeſe expandat; aut ulterius progrediatur, & vicinias noſtras infeſtet, præſertim cum anno ſuperiori terris Megapolitanis idem hoc malum moleſtum fuiſſe, mihi affirmarint teſtes fide digniſſimi. Fata autem noſtrum omnium committimus Deo T. O. M. Cui pro cœleſti benedictione, qua conatus noſtros clementiſſime hactenus beavit, ſit laus, honor, & gloria, in Secula!

CCLV.

G. WOLFG WEDEL

ET AUCTORIS.

J. CHRISTIANI WOLF

DISPUTATIO.

De morbo ſpaſmodico maligno in Saxonia, Luſatia, viciniſque locis graſſato, & adhuc graſſante.

Jenæ 1717.

MORBI HISTORIA.

PRæterito anno poſt hyemem frigidam inſecuta æſtate & autumno frigido humido morbus epidemius multos homines miris modis, variiſque ſymptomatibus convulſivis in Saxonia, Luſatia, finitimisque regionibus exercuit. Auguſto, Septembri, cæterisque menſibus tragœdia ſpaſmodica acta fuit maximopere. Et quidem primo Torraviæ ruſticum quendam Veterum cum tota ſua familia, ex ſeptem perſonis utriusque ſexus conſtante, excepto infante lactato, atque aliam fœminam Brunnerin cum filiis duobus Altenburgo Dubam venientem, Wittebergamque profecturam, & alium ſervulum in alienis ædibus equis & bovibus paſcendis a ruſtico Vandalo Koſak conductum, per diverſas convulſionum ſpecies hicce vexavit effectus, alios vero Koſak domeſticos, Venatoris Schumanni, ruſtici Kaiſers, Krampens familiam mitius tractavit, dum affectus nominatus hunc vomitu, nauſea, alium dolore capitis, alterum dolore præcordiorum, ſpaſmo ſimplici corripuit.

Cum enim die 2. Sept. ex relatione Ampliſſimi Domini noſtri præfecti *Johannis Caſpari Mayeri* perciperem, Veterum nominatum cum tota domo, aliosque in pago allegato Tornau morbo periculoſo maniaco affici, ratione officii ſtatim promptum paratumque ad viſitandos ægros me

me obtuli, ſi equus procuraretur: Quo facto die ſequenti 3. Sept. illos variis ſpaſmis deprehendi laborantes.

Hunc enim tetanus, alium opiſthotonos, cæteros emproſthotonos cum ſpaſmo cynico, ſtrabiſmo, aphonia, doloribus cruciatiſſimis adeo affecit, ut ſi paroxyſmus actus ſuos ſcenicos tragicos exerceret, vix ſibi temperare potuerint, quin manus violentas ſibi inferre, atque cultro vel laqueo, vel proſiliendo in fontem ante fores conſtitutum vitam cum morte commutarent, dicentes: *wenn ihnen bey Zeiten nicht Hülffe geſchaffet würde, müſten ſie ſich ein Leid anthun, indem es unmüglich länger auszuſtehen, es wäre als wenn Hölliſch Feur im Leibe wäre, ſo brennete, und tobete es.*

Inquirens autem in cauſam hujus morbi diri, ſymptomataque graviſſima, dicebant uno ore omnes, ſe neſcire, cur tantis cruciatibus angerentur; frumentum æſtivum materno (*Sommer- und Mutter-Korn*) manibus ab ariſtis privaſſe, atque hujus frumenti modiolum fuiſſe tractaſſe, atque molæ immiſiſſe, ut farinam ad coquendum panem nanciſcerentur, ex qua farina aliquot panes coctos calide cum butyro comediſſe, atque aquam frigidam ſuperbibiſſe, quo die demum nauſea, vomitus, dolor capitis atque præcordiorum ſecutus fuerit.

Miſeris itaque hiſce ſymptomatis cruciatis Apothecarium ſuaſu vicini ad ſe vocaſſe, qui medicamenta diaphoretica fortiora volatilia liquida dederat, quæ ad medium hauſta in feneſtra poſita erant, inde vero ægroti antea ambulare adhuc atque negotiis ſuis fungi valentes pejores ſe redditos fuiſſe omnes teſtabantur, fortiori enim diaphoreſi ad ſudorem cogendos fuiſſe, ſe vero haudquaquam in lecto permanere per ordinatas ab empirico horas, atque ſudorem exſpectare deſideratum non potuiſſe, niſi in maniam vel delirium incidere voluerint, *ſie hätten müſſen närriſch drüber werden, oder wäre ſchon geſchehen, wenn ſie die Arzneyen fortgebrauchet.*

Pater inter alia narrabat, quod ante paucos dies adhuc jumentis ſylvam petere valuerit, licet nauſea atque vomitus illum vexaverit, ſed ab aſſumtis ſudoriferis fortiſſimis, cæteriſque medicamentis male ſe habuiſſe quam maxime, filiam aphonia poſt uſum medicamentorum atque epilepſia correptam fuiſſe.

Quod cum æqua mentis lance hæc ſymptomata perpenderem, cauſam non æque huic frumento, ſed alii communi adſcribendam eſſe judicavi, inprimis cum *Thomam Williſium l. de Morbis convulſivis p.* 103, 104. *Gregorium Horſtium in Oper. Tom. II. L. VIII. Obſervat. XXII. p.* 422. de Morbo Convulſivo Maligno, & Epidemio, & in *Cent.* 10. *Problematum* θεραπευτικῶν *Quæſt. VIII. p.* 109. *Tom. III.* an ſpaſmus peſtilentialis eandem cum ſcorbuto curationem habeat? (quæ materia etiam in ejus Tractatu *Germanico de Scorbuto p.* 156. teutonice verſa extat, &

& in *parte I. obſervat.* ibidemque *lib. I. Epiſtol. medicin. ſect.* 3. tractata) ac *D. Johannem Draviſium de Scorbuto* & quidem *p.* 72. *Tit. II. de affectu ſcorbutico ſpaſmodico, von der Schatbockiſchen Kriebel-Kranckheit* in mentem revocarem, qui autores morbum convulſivum anno 1597. Haſſiæ, Weſtphaliæ, Epiſcopatui Colonienſi, & vicinis locis epidemicum optime deſcripſerant, qualis affectus dicto Saxonico ut ovum ovo ſimillimus, quorſum Lectorem Benevolum brevitatis cauſa ablego.

Mihi quoque non ignotum eſt *D. Gottlieb Budæum*, Medicum Provincialem Luſatum de hoc morbo Conſilium Medicum *von der Krampff-Sucht, oder Kriebel-Kranckheit* menſe Januario h. a ex quinque plagulis, & poſtea *D. Joh. Chriſtian Haberkorn* Practicum Camencenſem, *unvorgreiffliche Gedancken von der Ziehe oder Nerven-Kranckheit* ex una & dimidia plagella edidiſſe, ſed cum unius etiam morbi plures poſſint eſſe cauſæ, & alia in Praxi præterito, hocque anno obſervare mihi licuerit, atque, quod minime iſti ſoli frumento hicce affectus in variis Saxonicis locis graſſatus adſcribi queat, loco Speciminis Inauguralis de hac materia agere conſtitui, inprimis cum menſe Decembr. Januar. Februar. Martio & Aprili hic morbus de novo afflixerit multos, ex quo ulterius de cauſa inquirendum duxi.

Dubæ enim menſe Januario & Martio Sutoris uxor nutrix 30. circiter annorum, ſalvo infante, licet unica modo mammilla lactaret, & interdum alii juveni lacte copioſo gaudenti committeret, hoc morbo laboravit, quam quaſi paralyticam prima vice ſiniſtro latere ex uſu vulgaris ſudoriferi introducti pulveris cardui bened. cum rob. Sambuci (*Flieder-Mutz*) in larga quantitate ſumti viſitavi, poſtea ſpaſmus hanc ſtationem reliquit, atque regionem dextram occupavit, ut flectere brachium, vel pedem nequiverit ſine dolore ſummo, tandem modo in hunc vel illum pedem vel brachium malum ſe inſinuavit.

Menſe Martio uxorem doliarii ex uſu allegati ſudoriferi domeſtici 40. annorum hunc fere in modum hoc πάθημα vexavit lecto quaſi per 10. dies cum febre affixam.

Menſe Martio ruſtici in pago Scene hoc malum ædes adeo infecit, cum copiæ Saxonicæ, Regis Poloniarum & Electoris Potentiſſimi ex Polonia redirent, & nocte hoſpitia ibi quærerent, ut omnes poſt diſceſſum militum ex Diaphoretico pulvere, quem aliquis Hagæ Saxonum degens dederat, V. Snem vero diſſuaſerat, per dies 14. anxie decumberent, & cum nemo illos miſeros, nec ſacerdos ex metu contagii, quaſi peſte laborarent, viſitatum iret, equus uno oculo cæcus eſculenta & potulenta quærens, cum nullus eſſet qui aliquid præberet, in fontem incidit atque obiit, cæteraque pecora fame fere periere, quod ruſticus illius domus ſtupidus & quaſi ebrius, auxilium meum anxie implorans, mihi denunciavit.

Menſe Aprili Cereviſiarii filia virgo 20. annorum menſium obſtructionem legitime patiens hocce affectu ſpaſmodico in pago Lauſig correpta fuit, quæ nec micam panis hujus ſecalis vel guſtu vel oculis, ut cæteri omnes, percepit. In pago Gœrslüz quoque menſe Martio tota fere familia opiſthotono corripi dicebatur, quæ vero meam opem non deſideravit.

Sed cum alia exempla allegare ſupervacaneum eſſe ducam, & inſtituti ratio illud non permittat, paucis his præmiſſis ad rem ipſam progredior, divinum Numen animitus precatus, ut omnia fauſte eveniant.

DILUCIDATIO.

Morbum ſpaſmodicum rariſſimum in Saxonia epidemicum malignum conſideraturi, explicandum eſſe judicamus, unde derivetur, & qualis ſit hicce affectus.

Græca eſſe nomina ſpaſmodicum, epidemicum, quilibet tyro Medicinæ facile videbit. Vocabulum vero ſpaſmodicum convulſivum ἀπό τȣ̃ σπαέιν ſive σπᾷν *trahere*, contrahere, epidemicum vero contagioſum ex ἐπι *ſupra* & δῆμος *populus* dicitur, *allgemein anſteckend*, contagiὸs, uti fere dyſenteriæ epidemicæ malignæ, Peſtis, cæterarumque febrium malignarum genius eſſe ſolet,

Sciendum vero eſt, maximam differentiam eſſe inter dyſenteriam epidemicam malignam, *die* Contagioſe *Rothe Ruhr*, & inter *der* Contagion- *oder Peſt ſelbſt.* Novimus hinc confuſionem hoc nomine ortam, cum medicus prius pronunciaſſet, nec diſtinxiſſent, quos decebat, & contagionem putaſſent peſtilentem intelligi, & de urbe prædicari, donec meliora ab aliis doctioribus edocti eſſent.

Definiri poteſt hic morbus, quod ſit affectus epidemicus, ſeu communis pluribus, a cauſa communi, ſpeciatim miaſmate maligno contagioſo ſcorbutico, nervis inimico, acido, bilioſo, putrilaginoſo, irritativo conſtante, non nunquam abſque febri, nonnunquam magis cum eadem.

Supra citati autores *Drabitius* & *Horſtius* hunc affectum germanico nomine inſigniunt *die Kriebel- Kranckheit*, *Krampffſucht*, *Ziehen le Seuche*, recentiores vero *die Ziehe- oder Nerven- Kranckheit*, *den Krümmer.*

Hocce vero malum revera epidemicum malignum eſſe teſtatur allegatus *Horſtius l. c. p.* 422. *Cap. I.* De natura & cauſis morbi convulſivi, quando illum morbum ſpaſmum peſtilentialem intemperiem contagioſam nervorum & tendinum ex venenatis mucilaginibus & vaporibus provenientem nominat. Conſentit & *Drabitius p.* 99. *dieſe Kriebel Kranckheit iſt anfällig*, inquiens, *und können die Geſunden von den Krancken leicht angeſtecket werden* &c.

Hiero-

Hieronymus Reuſnerus Nordlingenſium Poliater *de Scorbuto exercit. 1.* morbum hunc per agitationem convellentem ex peſtilentibus ichoribus, & malignis vaporibus nervos vellicantibus ſcaturientem definit.

Diximus autem in hiſtoria narrata, quod variæ ſpecies convulſionum in ægrotis viſæ fuerint. Tetanus enim aliquos cum aphonia adeo affecerat, ut inſtar mortui, vel ligni recti jacerent, ſicuti unicus fœminæ Altenburgenſis filius a matre in hypocauſtum ex camera altioris contignationis in linea recta extenſus quaſi mortuus portabatur, *Er ſtarrete gleich hinweg wie ein Scheit Holtz, und war gantz ſteif*, qui puer Wittebergæ poſtea obiit, neglecta cura, diæta, & V. S. ne, qualem tragœdiam etiam luſit cum ſupra dicto ſervulo ruſtici Koſaks 14. annorum, ſine ſenſu & motu in ſtragulis circa fornacem ἀφώνῳ, cum lethargo per aliquot dies jacente, & ſi iſte ſe mente paululum colligeret, alvum expoſiturus, vel urinam emiſſurus, a domeſticis, inſtar mortui diſtenti ante fores trahebatur.

Eſt vero TETANUS, quando corpus & cervix erecto poſitu riget, nec ullo motu ſeu verſus anteriora, ſeu poſteriora flecti poteſt, ſed motu tonico, quem vocant, quamvis & in reliquis viſendo, in eodem ſtatu rigido conſiſtit, qui affectus eſt peſſimus, quia ex emproſthotono & opiſthotono componitur, in illoque ſinguli muſculi ante & retro hominem trahentes corripiuntur.

Emproſthotonus præcipue puellam ſex annorum cum aphonia, ſtrabiſmo & ſpaſmo cynico cruciabat per dies multos. *Es biegete ihr dieſer* Affect *den Leib zuſammen wie einem Sprenckel, oder einen Reiff*, & lecto inſidere cogebatur, cum cæteri ad minimum, ſi paroxyſmus ſcenam in theatro humano interdum mutaſſet, pedibus ire atque loqui, ſed cum ſtupore & quaſi ebrii poſſent. *Sie ſahen gantz ſtutzigt, und thaten aus, als wenn ſie ſich voll getruncken, oder in vielen Nächten nicht geſchlaffen hätten.* Prima vero ſpecies convulſionum eſt ἐμπροσθότονος, quando antrorſum ejusmodi contractio fit, incurvata verſus anteriora ſpina dorſali, & capite, ut mentum v. g. pectori incumbat, & tenſis ſimul artubus. Huic contrario modo fit ὀπισθότονος, ubi iisdem partibus verſus poſteriora ceu arcus incurvantur affecti, ut ſcapulis incumbat caput, ſimul quoque artubus eodem modo ex parte Germ. *Es wirfft ſie in die Hoh, daß ein Knabe, oder ein ſtarcker Kerl unter ihnen durch kriechen konnte.*

Spaſmus Cynicus vero eſt convulſio oris, ut etiam os claudere puella hoc affectu laborans non potuerit. *Sie ſperrete das Maul auf, und konte es nicht zumachen.*

Strabiſmus autem dicitur ſpaſmus oculorum, torvi erant puellæ oculi atque rubicundi, ex motibus ſpaſmodicis epilepticis (*ſahe gantz ſtiehr gräßlich, und grehmiſch aus*) cum aphonia aſpectum mirabilem

 repræ-

repræſentabat iſta puella, ut terrorem atque timorem incuteret ſpectantibus.

Aphonia vero eſt convulſio linguæ, ſive privatio loquelæ, ex ἀ privativo *non*, & φωνέω *loquor*, ut velut muti viderentur & nimirum ſermonis expertes.

Quemadmodum autem in Theatro actus ſcenici variantur; ita etiam in his perſonis theatrum humanum repræſentantibus variatio ſymptomatum atque ſpecierum convulſionum in ſpectaculo triſti per lucida intervalla per multos dies obſervata fuit.

Spaſmi ab aliis varie denominantur vel incompleti, quamdiu ſegniter, tarde, oſcitanter obrepunt, & in fibris nerveis tantum ſigillatim exercentur, earumque tenſione & vibratione dolores illos acutos lancinantes, imo rumpentes veluti excitant & dolorum faces accendunt. *Es iſt ihnen, als wenn alles drinne zerreiſſen ſolte, und ein Feuer oder Licht drinnen brennte.* Vibrativos vero incompletos, contumaces, atque rebelles ſpaſmos illos dicere poſſumus, quando non æque uno eodemque momento contrahunt, ſed quaſi motu tremulo fluctuante ſuccuſſatorio micant, & veluti ex diaſtole & ſyſtole conſtantes inferunt ægrotis ſenſum interpunctorium, ſeu lancinatorium, formicatorium, ut conquerantur ægri de cruciatibus ſummis. *Es ſteche, fechte, wüte, poche, und tobe in Gliedern, als wenn eine Seege hin und wieder gezogen würde und Ameiſſen hin und wieder* march*irten.*

Spaſmodicus hicce morbus porro dolorem excitat lancinatorium, terebrantem, tremulum quaſi ſectilem & acicularum vibrantium inſtar. *Es reiſſet, zerret, ſticht, tobet, grüblet, zuckt, zittert in ihren Gliedmaſſen.* Sunt qui vocem ſpaſmi, per vocabulum Convulſionis minus recte exponi putant, & rationem afferunt, quod vellere motum impetuoſum quendam repentinum juſta vocis acceptione deſignet; tanto magis vero convulſionis vox & convellere, & impetum ſimilem & effectum omnino majorem vulgo exprimeret.

Tandem datur & ſpaſmodicus morbus magicus dæmoniacus, per magiam illicitam, a malis hominibus mediante diabolo procreatus. *Dravîſius c. l. p.* 92. ex *Fernelio* de *abditis rerum cauſis Lib.* 2. exemplum juvenis adducit, qui tertio menſe Græce & latine locutus eſt, quam linguam nunquam didicerat, & arcana multa adſtantium & Medicorum propalavit. Aliud videri meretur apud *Zacutum Luſitanum in Praxi admiranda* 7. 3. *c.* 139. *p.* 140. Morbi autem trans naturam, remediis trans naturam curantur, ut graphice poſt Fernelium diſſeruit *Carrerius* ad *libros Galeni de loc. affecto diſp.* 37.

Caſum Tragicum etiam producit *Dravîſius p.* 93. in Scenam Wittebergenſis textoris filii 13. annorum, qui per quatuor annos a Chirurgis fruſtra tractatus fuit.

Caven-

Cavendum vero eſt quam maxime, ne ſtatim affectus nominati, vel alii morbi chronici rebelles cum empiricis deceptoribus pro incantatis habeantur, quo de plura legi merentur apud Dn. D. Weſtphalum Practicum Medicinæ Dœlitſchii Celeberrimum, in Pathologia dæmoniaca.

CAUSAS quod attinet hujus morbi ſpaſmodici, variæ a variis traduntur, de quibus optime laudatus egit *Williſius de morbis convulſivis. Hippocrates 6. Aph. 39.* nominat quidem πλήρωσιν, καὶ κένωσιν, *repletionem & inanitionem*, ſed mediatas illas magis. Hodie enim irritationem rectius vocamus IMMEDIATAM illam omnis convulſionis, tum tonicæ potiſſimum hujus noſtræ, τάσει conſtantem, tum clonicæ, ſeu epilepticæ, in quam tamen in quibusdam quoque abiiſſe viſa eſt.

Unde SUBJECTUM primarium ſunt fibrillæ nerveæ, una cum ſpiritibus animalibus, qui æther ſimul impenſus corporis cum corde & cerebro attendendi quam maxime, ſeu univerſum nervoſum genus potius. Alii acrimoniam ſanguinis & humorum agentem in genus nervoſum. Alii ex recentioribus abundantiam ſanguinis & ſtatum ſpongioſum elaſticum corporis pro cauſa efficiente materiali accuſant, talem ſc. in quo ſanguis quantitate in poris muſculorum ac meatibus continetur ac incedit, vaſa vero habeat admodum anguſta, exilia, unde majori preſſione habet opus.

Acidum vaporoſum, bilioſum, ſcorbuticum, elaſticum in infimo ventre peccare, & fomitem in ventriculo, meſenterio, hepate, liene hærere, & gas elaſticum venam portæ ingredi, atque ſuccum nervoſum cerebrum inquinare ſtatuimus. Succus enim nutritius hicce nervorum corruptus ſenſum formicatorium ſæpiſſime prima vice excitat, quia liquor iſte a miaſmate maligno infectus ſtatim animales ſpiritus ſupprimit quaſi, ut expandere & diffundere ſe nequeant. Si vero liquor nervoſus morbo ingraveſcente adhuc magis pervertitur in ſua craſi, & nobiliora loca afficit, ſpaſmos producit varii generis.

CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS vicem ſuſtinent HUMOROSÆ, & VAPOROSÆ, lympha, bilis, ſanguis, plethora & cacochymia, imprimis acida, ſcorbutica, & flatus omnis generis, quantitate, qualitate, & motu varie peccantes.

Inter CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES vulgus quidem frumentum illud æſtivum cum materno conjunctum (*Sommer- und Mutter-Korn*) rore nebuloſo venenato (*vergiffteten Mehlthau*) impraægnatum pro vera cauſa exclamavit, quod alii etiam non æque ex ſtirpe minorum gentium oriundi putarunt. Neque hoc plane omni reatu abſolvi, abſolute vero & unice minus id accuſari poteſt. In ſe inſons eſt; quotannis enim id enaſcitur quoque, & innoxium plane eſt, imo nonnullis quoque inter ipſa remedia refertur. De hoc latius

 legi

legi meretur & curioſe agens *D. Johann. Brunner in Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. II. Obſerv.* 224. *p.* 346. & *Claudius Deodatus panth. hygiaſt. l* 2. *c.* 21. *p.* 135. qui tamquam ſecretum ad hæmorrhagiam & quamcunque ſanguinis e vulneribus effuſionem ſiſtendam commendat, in paſſione hyſterica, & partu difficili vero a *Joh. Stocker. in Prax. aur. l. I. c.* 17. *Joh. Wittich. in Vade Mecum* (*oder teutſchen Arzeney-Buch.*) *part. I. pag.* 137. *Joh. Schröder in der teutſchen Pharmacop. p.* 1140. *Vide Riedlin. de Medicam. ſimpl. p.* 48. Interim certis caſibus, annis & locis potuiſſe illud concurrere, vix negandum fuerit, quod & relatio ſuperior confirmat

Referri potius huc merentur aliæ quoque reliquæ, nominatim ex NATURALIBUS TEMPERAMENTUM humidum, frigidum, melancholicum, bilioſum, phlegmaticum, ſeroſum, AETAS, SEXUS & alia diſponentia.

Ex NONNATURALIBUS, vero primo loco ipſe AER inſtar omnium eſt, & elogio *Divini Senis l. de flatibus c.* 4. *t.* 9. maximus in omnibus, quæ corpori accidunt & autor & dominus, ſeu potens, inprimis ut ex ipſo ulterius philoſophemur, quando, ut hoc quoque noſtro loco, ob ſummam communionem cum corpore humano præſertim, μεμιασμένος νουσεροῖς μιάσμασι ἐς τὸ σῶμα ἐσέλθῃ, *morbidis ſordibus in corpus ſe ingerit*, ſeu ἔξωθεν ἀπὸ τοῦ ἠέρος μεμιγνυμένου τῷ συμφύτῳ θερμῷ, *extrinſecus, ab aere immixto inſito calori.*

Et ſi cauſas non naturales morbi convulſivi maligni conſideramus, qui anno 1797. Haſſiam cæterasque regiones infeſtavit, dicit *Horſtius l. c* qui locus inſigniſſimus eſt commentarius hujus noſtri morbi: Cauſas hujus affectus quod attinet, ægrotantium relatione ſcire licet, quod externa cauſa communiter in alimento, ad nutriendum minus idoneo & improportionato, conſiſtat, dum pauperes rebus ad vitam neceſſariis deſtituti panem impurum & male coctum longo tempore in ſumma famis urgentia devorant, interdum etiam poma acerba & auſtera, fungosque & ſimilia deglutientes, ſe eduliis crudis, immaturis & aſtringentibus ingurgitant, de quorum depravata concoctione cruditates obortæ, & circa meſenterium, ventriculum, jecur, ac lienem collectæ, a partibusque nutriendis, alimenti inſtar ob inſatiabilem cupiditatem & intenſiſſimam famem, attractæ, ſpecificam tandem & malignam corruptionem inducunt. Ex cujus minera & fomite peſtilentes vapores quandoque erumpentes, nervoſumque genus impetentes, vim nervorum motricem ita irritant ac incitant, ut membra primum motu convulſivo agitantes, formicarum inſtar, vellicent, ac ſtimulent, qua lucti non diſcuſſi neque digeſti, ſed adhuc forte prævalentes in intimos usque nervos ſe inſinuant. Quo facto membra, cum truculenta morbi & doloris exacerbatione mirum in modum incurvantur, & extenduntur, ac conſequenter penitus convelluntur; nonnunquam etiam morbus

morbus Herculeus producitur, tandemque ægrotantes adeo peſſumdantur, ut vel paralyſi, artuumque contractione, vel delirio ac velut mentis ſtupore corripiantur, ac iisdem longe detineantur.

Negandum autem non eſt, panem non bene coctum, atque calidum, vel placentas calentes, nauſeam, vomitiones, dolores ventriculi, capitis, imo mortem in aliquibus dictis perſonis procreare potuiſſe, cum experientia, & *Caſp. Hoffmanno* teſte *Inſtit. med. Lib. V. C. VI. §. 6. p. 669.* panis calidus ſit deterrimus, quia continet multas fumidas exhalationes, unde ſitis, inflatio ventriculi & hypochondriorum, dolor capitis. Quamque noxam panis iſte calidus ſequiori ſexui inferat, aliisque, quod ſæpius vitam cum morte mutaverint, exempla multa ſunt in promtu. Et ita panis calidus primus magna cupiditate ſumtus & potus aquæ largus frigidæ impuræ hauſtus, cæteris male ſe habentibus, facile damnum inferre potuit, & jam olim divus *Celsus* noxam hujus panis calidi de victus ratione in acutis obſervavit.

Notum etiam eſt cuique, qua aviditate, & deſiderio tempore meſſis quilibet ſibi optet panes calidos novorum frumentorum comedendos cum butyro, vel ſine iſto, & quod delectamentum ſæpius exinde ſentiant iſtæ perſonæ lautioris victus etiam, inprimis ſexus ſequioris: quo quæſo deſiderio & appetitu capient ruſtici noſtri, quibus res anguſta domi eſt, & laboribus quotidianis gravibus, frigori, æſtui ſolis obnoxii, apud quos mala victus ratio, licet nulla fames, quod Deo laus ſit, apud nos fuerit audita, uti apud *Gr. Horſtium* c. l. querela eſt maxima.

Mentionem occaſione frumenti hujus ſupra fecimus apud JOH. CONR. BRUNNER., qui quoque ipſe panis calidi noxam affert: Mulier ad me adducta *inquit*, a chirurgo, lithotomiæ haud imperito, conquerebatur de convulſionibus quotidie circiter undecim recurrentibus: eadem monſtravit manuum digitos, extremitatibus quaſi aduſtos, emortuos, rigidos, & induratos, ſenſus motusque expertes. In cauſam tam ſtupendi pathematis inquirens, a chirurgo cum ſtupore didici, degener illud frumenti genus eſſe cauſam, quod incolæ ſylvæ non tantum convulſionibus tententur miris, ſed & extrema ſphacelo emoriantur, nec facilius hæc accidere, quam pane recens ex clibano extracto, calente adhuc comeſto; noxam non tam facile percipi, ſiquidem refrigeſcat, & ſitu ſiccetur. Faſſa eſt mulier, ſe ſcriblitam (*Dümmen*,) vocant calentem comediſſe, indeque luere maleſuada fame. Illud ſecale æſtivum maternum vero citatus Autor. c. l. per cornicula nigra deſcribit: Degeneravit quoque ſecale, & loco granorum alimentariorum protruſit cornicula nigra, grana ſecalis degenerantia; quæ experti in ſylva hercynia, qua tunc temporis agebam, *Martins-Korn*, vocarunt. Dicitur alias germanice in quibusdam locis, *Korn-Mutter*, *Korn-Müttergen*, *Meel-Mutter*, *Todten-Kopff.*

Ex

Ex Causis Præternaturalibus inſtar omnium eſt Scorbutus, qui novam quaſi Pathologiæ medicæ faciem intulit, unde merito primatum ſibi vendicat ſuo comitatu, & latente etiam ſæpe putrilagine, ac inſidiis, unde ad hunc quaſi reliqua poſſunt referri, hic dicenda.

Reliquarum cauſarum ordinem una Contages ſupplere poteſt. Hinc etiam id peſte, dyſenteria & ſimilibus utplurimum a ſorditie, militia, incuria morbi ejuſmodi incipiunt, ſorditie creſcunt, & ad ἀκμὴν deveniunt, donec ſtragem edant inſolitam, ſeparati vero melius curantur, & ſic contra ire licet magis.

Valet & hic τὸ θεῖον Hippocraticum adeo, ut & manifeſta ſæpe ſit alteratio, & inæqualitas aeris, quoad qualitates primas & ſecundas morbifica illa quam maxime, & ſæpe tamen fallacia non cauſæ ut cauſæ committitur. Viſa eſt dyſenteria epidemica ſæviſſima ſæpe, ubi tamen fructus ſumme nocivi putati æſtivi plane fuere innoxii, & nullo modo accuſandi, ſolo calore æſtivo majori bilem exacuante, & acorem ſanguini conciliante.

Hinc novimus ſæpius in dyſenteria epidemica maligna fructus horæos, pruna cerea, cucumeres, aliaque a magiſtratu tanquam cauſas procatarcticas gratis prohiberi, vidimus enim in dyſenteria epidemica maligna Ienenſi, Dübenſi aliiſque plurimos mortuos, qui talibus fructibus non uſi fuerunt, cum interdum iſte affectus contagioſus etiam detur, licet nulla pruna cerea, vel alii fructus horæi inveniantur, vel comedantur. Obſervare etiam nobis licuit in peſte bovina, quæ præterito anno in Saxonia, Deſſavienſique tractu in boves ac in vaccas irrepſit, contagio affectos fuiſſe boves atque mortuos, licet domi in ſtabulis detinerentur, ne gramen atque braſſicas rore farinaceo *Meel-oder Honigthau* maculatas decerperent, ſed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Signa Diagnostica quod ſpectat, ratione Generis, præter hactenus jam dicta, & oculis obvia, vix opus eſt plura attingere. Ratione Subjecti ſpecialis itidem uteri hæmorrhoidum, viſcerum, & Causarum, facile fuerit ex dictis eruere reliqua.

Quod vero attinet Prognostica, dubia quidem moveri poſſunt, ſi ſeparatim febres acutas, & convulſiones acutas conſideremus, & chronicas, utræque enim dantur, & conjunctas. Abſque febri morbus hic convulſivus chronicus fere eſt magis; cum febri vero acutus magis, & ut plurimum lethalis. Tale enim additum tali, reddit illud magis tale, unde vel unica hæc notio ſpecialis magis contagioſam, magis lethalem reddit, & definit. Tetano vidimus puerum 9 & alium 4 annorum, licet XIV. dies ſupervixiſſent, mortuos; Alius vero evaſit.

Curam tandem propoſituris fons triplex ſe offert, ſc. diæteticus chirur-

chirurgicus atque pharmaceuticus, ſi prius METHODUM MEDENDI paucis delibemus. Si ullibi enim, in morbis epidemiis & malignis hacce opus eſt, innixa indicationibus debitis, quæ uti non æque obviæ & ſic obſcuræ magis ſunt; ita facile prius quamplures perire aſſolent, quam patefiant remedia indicata.

Penſitatis itaque dictis probe INDICATIO CURATORIA acrimoniam irritativam omni modo diſſipandam & demulcendam indicat, inprimis per bezoardica & nervina appropriata.

PRÆSERVATORIA fermentum & putrilaginem acidam ſcorbuticam invertendam & debellandam attendere jubet; VITALIS roborandis nervis & viſceribus invigilat & ſymptomatibus urgentibus. Hinc ex DIAETETICO fonte commendatur victus tenuis, juſcula avenacea, decoctum *hordei* cum *radic. ſcorzon.* atque *raſur. CC.* & *ſerum lactis* magni uſus; vinum & cereviſia minus ſuadenda, cum calorem & morbum magis augeant.

Fons CHIRURGICUS vero non negligendus, & ſtatim V. S. quæ optimum in hoc morbo, præmiſſis evacuantibus eſt remedium, inſtituenda in brachio, mediana, vel ſaphæna in pede, ſi menſes ſuppreſſi adſint, in momento enim omnes ægroti levamen ſenſere dicentes: *Es ſey ihnen doch gar ſo wohl ums Hertze, als wenn ſie neu gebohren wären.*

Williſius quoque ſæpius laudatus *l. c. p.* 104. qui ægritudinem Weſtphalorum hanc ſimili prorſus typo inſignitam, non raro apud ſe excitatam, & per totas familias, ſaltem in pueros & juniores graſſatam, novit, me fecit alacriorem, ut ſecundum ejus manuductionem V. S. ſuaderem *p.* 120. dicens: circa febris hujus initium ſanguinis miſſio fere omnibus convenire videbatur.

Hoc remedii genus ſæpe in parvulis cum fructu expertus ſum: quippe hoc modo cruoris maſſæ tacite ac cooperte efferveſcenti, fuligineſque ſuas in partes nobiliores ſpargenti, ſpiraculum quaſi aliud aperitur, proindeque effloreſcentiæ ejus impuræ a cerebro & pulmonibus avertuntur. Quanquam igitur hæc febris mali moris aliquatenus maligna audiat, attamen in quantum ſanguis haud ſtatim coagulari, ſed fundi nimis & ſeroſitates ſuas in partes nobiliores, nempe cerebrum & pulmones ſuggerere aptus fuerit; idcirco phlebotomia, modo in principio morbi celebretur, fere nulli non convenit. Speciatim ſervulus quoque boum præter ſpem in integrum unica V. S. ne a tetano reſtitutus eſt.

In *ſtupore* majori commendavimus VESICATORIA, emplaſtrum cantharidum cum empl. alb. cocto, ex præſcriptione Wedeliana, ut materi peccans eo melius & diutius efflueret. Enimvero, ſi decenter id fiat, nec excedatur in applicatione, debito præbio & loco, non

dici poteſt, quam ſalubriter ſe gerant, nec acrimonia majori ullam noxam inferunt.

FONTICULI quoque & ſcarificationes in malo rebelli, mania, delirio, ſtupore, lethargo locum habere poſſunt, chronico imprimis magis malo.

Ex PHARMACIA, purgantia ἄνω, καὶ κάτω, & imprimis vomitoria, ſtatim a morbi principio, adhibenda. Hæc enim non modo coctionis primæ viſcera evacuant, adeoque morbi fomitem primum & originalem ſubducunt, verum inſuper a ſanguine ſeroſitates emulgent, adeoque purgamenta ejus potius in ſtomachum & inteſtina, quam in caput, aut pulmones ſuggeri faciunt.

Una porro ab emeticis glandulæ, lymphæ ductuum exceptrices, cum ſucceſſione magna vellicantur, ac ſucci nervoſi ſuperfluitates, ne cerebrum ejuſque appendicem male afficiant, in viſcera inferiora magis exprimuntur. Et in hunc finem crebro enematum uſu alvus continuo ſoluta teneatur, *Williſio* ſæpius laudato monente.

Curam Weſtphalorum, Haſſorum anno 1596. Academia Marpurgenſis in Conſilio medico germanice deſcripſit, quod conſilium *Gregor. Horſtius* poſt triginta annos, cum de novo hic morbus in Haſſia graſſaretur, in latinam Linguam tranſtulit, atque ſuo operi ſupra allegato inſeruit, quæ tota cura ex Electuario purgante *Kriebel-Lawerge*, Antidoto convulſivo *Kriebel*-Theriac, & pulvere convulſivo *Kriebel-Pulver* conſtat, quorſum lectorem ablegamus; quanquam *D. Drabitius l. c. p.* 109 fateatur, Marpurgenſium medicamenta omnibus non æque profuiſſe, & alia quærenda.

Inter emetica laudem hodie meretur *radix Ipecacuanha*, de qua vid. Diſſ. *D. Præſidis*, cum *rhab. Alexandr. vero : pulvis* item *laxat. veget.* cum *tartaro reſoluto* & *cinnabari nat.*

Ex univerſalibus faciunt huc & DIAPHORETICA, ex quibus cumprimis antimoniata excellunt: ♁. *Diaphor.* & *bezoardicum minerale*, *martiale*: ex DIURETICIS SUCCINATA, eſſentia ſucc. volatilis, Sal ſuccini volatile, & ſalia alcalia, & alcalina ipſa. Reliqua ut ALTERANTIA GENERALIA & SPECIFICA, bezoardica, ſcorbutica, nervina & ſtomachica, & quæ inter hæc partim in uſum traximus, partim addi poſſunt, fuere ſequentia: *Eſſentia Antimonii*, *liquorum viperina*, *ſcordii*, *ſerpentariæ Virginianæ*, *trifolii fibrini*, *caſtorei*, *carminativa*, *abſinthii compoſita*, *tinctura bezoardica eſſentificata*, *mixtura ſimplex* per mixtionem & deſtillationem parata, *antiſcorbutica*, *eſſentia cephalica*, *theriaca cœleſtis*, *liquor cephalicus*, *cornu cervi ſuccinatus*, *tincturæ corallior.* & alia.

Ex ſolidis *ſpecies diapæon. Specificum cephalicum Michaelis*, *cinabaris nativa*, *pulvis epilept. Marchion. de chelis cancror.*] *Londinens. Lapis de Goa*,

Goa, ut *decocta* & *ſimplicia*, *cephalica*, & *cordialia*, *pulveres Bezoardicos* taceamus quamplures, & cordiales quoque. Huc referri poſſunt imprimis etiam *martialia*.

Non audiendi ſane ſunt, qui hodie denuo horum virtutes habent ſuſpectas, cum ſint omnino ex præcipuis, cum & ſine antiſcorbuticis, prout vel acidis, vel alcalicis debita ſalibus, edulcandi, abſorbendi, roborandi & demulcendi uſibus conſpicua.

Extremorum locum tenent *balſamum* & *unguentum ſpaſmodicum mynſichti*, *ſpiritus paralyticus ejusdem*, *lumbricorum*, *formicarum*, *cornu cervi*, ⊖*is* ✱*ci*. *unguentum nervinum*, *martiatum*.

Colophonem addit accommoda DIÆTA, ſine qua fruſtranea ſunt omnia. Vitandus AER frigidus, & humidus, inæqualis, incuria, & negligentia, Imo & amuleta & periapta non ſunt de nihilo, ex *radice pœoniæ*, *dictamno noſtrate*, *radice plantaginis*, *colchici*, *ungula alcis*, & cura publica ac politica pauperum.

Ex annonæ enim caritate morbi epidemii utplurimum radicem ſumunt & incrementum, quamobrem diviſæ operæ debent eſſe in ejuſmodi calamitatibus publicis. Non una cura ſufficit medicorum, ſed Magiſtratus & rerum-publicarum, omnium intereſt.

SOLI DEO LAUS, HONOR ET GLORIA.

CCLVI.

IVONIS JOANNIS STAHL

ET

FRANC. JOS. ERBENI DE SCHOENERBEN

DE RANULA

Sub lingua ſpeciali cum caſu.

Erford. 1734.

PRÆFATIO.

UT ut nobilis hominis vita, atque jucunda generi humano ſanitas eſt, ità ſæva quotidie tela ſtruuntur vita mortifera, fabricantur indies ingrata integram conſtitutionem corporis lædentia arma, quæ tam multifaria ſunt, ut undique tum ab in tum extrinſeco orta, aut e corpore non mature propulſa, conſpici valeant. Nam & ea, quæ alias in ſtatu naturali conſtituta nobis vitam & ſanitatem conſervant, ſæpe hoſtili manu nos invadunt, interitumque minantur, ut ſunt omnis generis humores utiles horumque fons & origo, ipſe ſanguis generaliter ſumtus. Hic enim quam primum deviat à ſua quantitate fitque naturæ oneroſus, exoritur ſimul corpori malitioſus, elaboratur in propriis thalamis inſidioſus ſanitatis & haud raro vitæ hoſtis. Dum itaque hic ſuccus vitalis aliis cum liquoribus laudabilibus tum prædicto, tum aliis diſtinctis modis, in motibus & qualitatibus conſtitutis, theſaurum vitæ, ſanitatem nempe, ipſumque fontem hujus theſauri, vitam videlicet, nobis auferre poteſt & ſolet: quid cogitandum erit de ipſis cauſis toto genere præternaturalibus, nullo modo ſpectantibus ad ipſum vitalitatis noſtræ ſtatum quæ in propria machina corporea animata generatæ, & ut feroces beſtiæ illam infeſtant, ut ſunt vermes: hi enim in illam multis in partibus ita ſæviunt, ut illam inanimatam, per mortem ab illis productam, efficiant. Ad ſimilem cauſam ſpectant quoque calculi, quorum enumerationem in multis partibus productorum corporis humani adducere ſupervacaneum mihi videtur, aſt unici memorare liceat ſedem, qui generatus

ratus fuit pauco temporis ſpatio ſub lingua, atque produxit ranulam. Etſi nunc jamdum proſtent variæ ranulæ calculoſæ obſervationes, cum tamen quædam diſtinctæ circumſtantiæ concurrerint, ut infra dicetur, hinc pro themate inaugurali hanc mihi elegi materiam. Faxit D. T. O. M. ut hic Academicus labor in Divini Nominis gloriam vergat!

---

§. I.

RAnulam ſuam etymologiam in ſcholis medicis accepiſſe ab animalculo fluviatili aut potius paludoſo, *Rana*, extra quidem controverſiam eſt, ob quam vero rationem, inter ſe nondum cuncti authores in totum conveniunt. Nam *Riverius in ſuis operibus Prax. Med. L. V. de affect. linguæ Cap. II. fol.* 241. *ait.* ideo dici ranulam noſtrum affectum, cum hic ſimilis ſit partibus poſterioribus ranæ. Alii derivationem deſumunt ranulæ à ranæ capite, quod huic ſimilis ſit, & præſertim ajunt, ranulam convenire cum ranæ intumeſcentia illa molli cutanea, quæ ſub maxilla ejus inferiore in reſpiratione contingit. *Fonſeca* plane ſtatuit obſervari in ranarum ore aperto ſimilem tumorem, ut ranula ſub lingua exhibet. Quibusdam placet derivationem deſumere a difficultate loquendi, quæ obſervatur in iis, qui ranula ſub lingua affecti ſunt, ut quaſi inſtar ranarum coaxent; at difficultas loquendi & involubilitas linguæ etiam in aliis morbis, tum linguæ, tum faucium, deprehenditur, hinc non ſolum ranula affectis hæc, ſed etiam aliis morbis detentis adſcribi valet, per conſequens ab hac ranulæ denominationem, aut derivationem formare non integrum mihi videtur. Qua de cauſa illi potius ſubſcribo ſententiæ, quæ comparationem facit ranulæ cum ſupra adducta intumeſcentia ſub maxilla inferiori inſpirantibus ranis, quæ etiam, ſin probe conſiderentur, non abſimilis eſt ranulæ ſub lingua. Poſſumus etiam favere menti *Fonſecæ*, ſin ita res ſe habeat. Celeberrimus D. D. *Joan. Erhard. Donaver* omnes has etymologias vilipendit & derivationem deſumere cupit ab ipſa lingua, quod videlicet tumor, ranulam ſub lingua denotans, ſit quaſi alia lingua adulterina, ſedem habens ſub lingua, hinc denominat hunc tumorem *Hypogloſſium*, ut in *Miſcellan. Phyſico-Medico-Mathem. Erford.* conſpicitur ejusdem obſerv. *anno* 1729. *claſſe* IV. *articul.* 5. von dem ſonſt *Ranula*, aber von *Hipocrate accuratius Hypogloſſium* Benanten Mund Gewächſe. Ideo etiam ab aliis anteceſſoribus latine Ranula vocatur *lingula*, quaſi lingua parva, ſive minor. Græcis audit *Rana* βάτραχος, unde Latinis etiam dicitur *Batrachus*. Ab *Hippocrate* quoque *L. II. de morbis ſect. V. fol.* 471. interprete *Foeſio*, *Hypogloſſis* intitulatur, ubi dicit; *ſi Hypogloſſis, aut tuberculum ſub lingua oriatur* &c. derivatur

 enim

enim ab ὑπό ſub, & γλῶσσα lingua. Leguntur etiam plura ſynonyma in *Diſſertatione inaugurali de Ranula ſub lingua* S. T. *Celeb. Rudolphi Wilhelm. Kraufii*, ubi *Ranula* etiam appellatur *Ranunculus*, *Caruncula*, *Nidus*. Germanis *das fröſchlin unter der Zunge froſch*, *die Kröte*, *ein Schwamm*, *oder Gewächs unter der Zunge.*

§. II.

Ranula eſt tumor ſub lingua circa fraenulum, vel in utroque latere, vel in uno tantum, vel in medio, major vel minor, mollior vel durior, primarius vel ſecundarius, benignus aut cancroſus, ſæpiſſime tunicatus, ab in eo varia contenta materia proveniens, reſpirationem, ſuctum, deglutitionem & locutionem plus minus lædens.

§. III.

Ranulam eſſe tumorem, ſub lingua inter membranam dicti loci formatum, eſt extra dubium, attamen in hoc variat, quod nunc grandior, nunc minor obſervetur, & quo magis in hoc a ſemet ipſo diſcrepat, eo etiam majorem vel minorem adfert moleſtiam in deglutiendo, reſpirando, loquendo, ſugendo. Hinc quandoque piſi, ciceris, fabæ, caſtaneæ magnitudinem æquat: vid. *Riverius* citato loco. Contingit vero etiam ſæpe, quod multo grandior evadat, ut fere penitus deglutitionem & reſpirationem aboleat. Quale exemplum habet *Tulpius obſervat. med. l. I. cap.* 52. vid. *Aquapendens in operibus chirurg. citat. miſcellan. Phyſic. Med. Mathemat. Erford.* ubi tumor recenſetur inſtar ovi gallinacei magnus.

§. IV.

Eſt quoque hic tumor differens ratione attactus, hic enim, dum materia repletus eſt mucoſa & viſcida, aut mellaginea, tum quoque mollior eſt, eo, qui in ſe continet materiam tophaceam, aut calculoſam; de materia viſcida, aut mellaginea vero ut plurimum conſtare ſolet, rarius reperiuntur, interim tamen proſtant exempla, tophi, aut calculi in eo, qualia collegit *Schenckius obſerv.* 388. *L.* 10. & d. monſtrat in A. N. E. *obſervatio* 144. *Decur. I. An. IX. & X. à D. Samuele Ledelio communicata*, *de calculo ſub lingua.* Nec aliud in *Miſc. Phyſic. Med. Mathemat. Erford.* Obſervatio *D. D. Crameri An.* 1727. *menſ. april. claſſ. IV. artic.* 5. a Celeberr. *D. D. Jo. Hartmann. Degner.* clarior reddita, videre licet: ut & nos hujus Celeberr. viri elegans obſervatio, de calculo ſub lingua, citato loco poſſibilitatem calculoſæ concretionis ſub lingua docet. Et cum hæ obſervationes multum cum noſtro

noſtro caſu conſpirent; hinc eundem ſubjuncturus ſum. Etſi in prædictis caſibus prioribus, *Crameri* nempe & D. D. *Ledelii*, cum locus ſpecialiter non allegatus ſit, nondum certi ſimus de vera Ranula, interim ſufficiat nobis poſſibilitas ſimilis concretionis compactæ in dicto loco.

§. V.

Non abs re dixi, dari hunc tumorem ſublingualem quandoque primarium, quandoque ſecundarium; illum enim eſſe ſtatuimus, qui abſque omni alio morbo prægreſſo contingit; ſecundarium vero eum appellamus, qui alium præcurſorem morboſum habuit; ut in adductis obſervationibus factum eſt, ubi utrumque calculum præceſſit inflammatio anginodea: Ita quoque noſtro in caſu, quem mihi communicavit Exceil. Dn. Præſes, alii præceſſerunt morbi, quos excepit *Ranula:* Subjectum erat præter propter aliquot viginti annorum, ſexus melioris, temperamenti Phlegmatico-melancholici, faciei ſubtumidæ, vitæ ſedentariæ magis, quam laborioſæ deditum; hoc enim 15. Septembris ann. præterito incipit conqueri de furunculo ſub axilla ſiniſtra, huic apponitur emplaſtrum diachyl. ſimpl. eum in finem, ut ſuppuratio contingeret, quæ etiam intra biduum aut triduum ſecuta eſt; aperto adhuc hoc ulcere corripitur otalgia ſpuria, cui opponebatur eſſ. alexiph. ſtahl. c. liqu. C. C. Succinat. hæc duravit per 7. dies, fluente adhuc materia e nominato ulcere, tandem illa evanuit & commutata eſt in ranulam ſub lingua in medio & quaſi baſi frænuli, aperto adhuc ulcere. Acceſſit chirurgus, videns hunc tumorem, neſciebat quidnam hic ſignificaret, deſiderans ab excellent D. Præſid. conſilium, cui ab eo dictum, eſſe ranulam, qua de cauſa intrinſecus remedia reſolventia interim adhibita fuere, extrinſecus vero chirurgus proprio motu mel roſarum cum unguento ægyptiaco applicavit; erat vero hic tumor inſtar minoris caſtaneæ, aut præterpropter majoris nucis avellanæ, juxta chirurgi relationem; hanc ranulam comitabantur per biduum dolores gingivarum, loquendi & deglutiendi difficultas; tertio die, dum patienti hic tumor moleſtus eſt, comprimit ſponte cum duobus anterioribus digitis, quo facto proſilit lapillus, totus albus, friabilis, levis & tamen lamellatus: ceſſantibus dictis ſymptomatibus, lapidi mediocri carpionum fere quo ad figuram ſimilis, niſi, quod in baſi rotundior, in medio elatior, & in anteriori parte acutior, ità, ut potuerit in baſin & apicem dividi: ſucceſſu tandem temporis deraſa baſi, in conſpectum venit nucleus, magnitudine & figura lentis, coloris paululum magis citrini, hic in poſteriori parte baſi firmiter adhærebat, remota vero hac, ſic erat totus liber inſtar aliorum nucleorum, in nucibus aut aliis fructibus reperibilium, & ſin manu commovebatur hic lapillus, ſic, ut

aëtides

aëtides, ſonum edebat, quod manifeſtum eſt ſignum, illum in anteriori parte fuiſſe liberum nucleum: interrogatus & examinatus antea ranula affectus, quo ad omnes circumſtamtias, an non unquam antecedenter aliquam ſub lingua, vel faucibus moleſtiam paſſus ſit, reſpondit, ſua tota vita non neque etiam alia diſpoſitio ad morbos, excepta ea, quæ e temperamento deſumenda eſſet, inveniri potuit. Et quoniam adhuc aliquid reſiduum erat de mel. roſ. cum unguent. ægypt. ſic locum ranula antecedenter obſeſſum ipſum ſubjectum inunxit & abſterſit, & ita ſponte conſolidatio de reliquo facta eſt.

§. VI.

Datur nec minus Batrachus, ſive ranula, vel benignus, vel cancroſus: benignus eſt ille, qui ſimplicem materiam vel viſcoſam, vel calculoſam, vel mellagineam agnoſcit: hic vero dicitur, qui ſigna cancri poſſidet malignæque indolis & corruptionis eſt, ut citato loco *Riverius* diſſerit: *Periculoſa etiam Ranula eſt, quæ nigra, aut fuſca, & dura eſt, ad cancri naturam accedens, & illa non eſt attingenda.* Dictum quoque eſt in II. §. ſæpiſſime in ſpeciali tunica materiam contineri, quæ auferri quocunque modo debet, alias, ut infra dicetur, redire ſolet tumor, etſi per inciſionem materia contenta ſubtracta atque ſublata fuerit; quod quidem præſertim in eo tumore, qui meliceridis naturæ eſt, certiſſimum eſt; miror vero admodum, cur in obſervationibus deſumptis ex *A. N. C.* & *Miſcell. Phyſic. med. math.* §. *IV.* poſt excluſum calculum nulla fiat mentio de exſtirpatione alicujus membranæ, ut & etiam in noſtro caſu, ut dictum, nil ſpecialiter adhibitum fuit, niſi quod ℥iv. mel. roſ. ℈j. unguent. ægypt. permixtus fuerit; quod equidem non tam potens ſepticum remedium eſt, ut alias ab authoribus recommendantur, & tunica expoſcit, quod ibi forſan ſufficiens fuit, cum hæc ranula adhuc recens erat: Quamobrem appoſitum fuit *ſæpiſſime*, an fortaſſis ſublingualis tumor calculoſus abſque ſpeciali capſula conſtitutus ſit; quod ulteriori ſcrutinio atque obſervationibus committendum eſſe duco.

§. VII.

Locus principalis hujus tumoris eſt ſublingualis membrana, communis partibus faucium adæquatus frænulum & lingua cæteræque huic annexæ atque vicinæ partes; unde ratio ſymptomatum deduci poteſt, cur involubilitas linguæ hunc ſequatur tumorem, unde impedita reſpiratio, loquendi, ſugendi & deglutiendi difficultas exoriatur.

§. VIII.

§. VIII.

Eleganter ſcripſit *Georgius Wolff. Wedelius* p. m. in *Patholog. med. Dogmatica ſect. II. Cap. XII. de cauſ. morb. conformat. pag.* 387. omnem tumorem in ſe continere cauſam proximam, quæ illum locum tumere facit; dum dicit: *omnis tumor a materia præternaturali dependet, ſeu per ſe tali, ſeu per accidens.* Ita quoque, ut ſupra jam monuimus, noſter ſublingualis tumor pro cauſa proxima illud agnoſcit, quod in eo latitat, atque abſconditum eſt; eſt vero illud materia plus, minus viſcida, vel calculoſa & tophacea, benignæ aut cancroſæ indolis.

§. IX.

Remote ad hunc fomitem producendum varia concurrunt, maxime vero ſtatus M. S. viſcidus & terreſtris, nempe cacochymia phlegmatica & melancholica; in utraque enim humores viſcidi ſunt, qui, dum circulationis M. S. ad fauces, glandulas ſalivales qualcunque ibidem ſitas, membranam ſublingualem poroſam, & continuo in ſtatu naturali liquorem ſalivalem effundentem, adferuntur, ob viſciditatem & terreſtreitatem per porulos excretorios dictæ membranæ non tranſcolantur, ſtagnant cumulantur, extendunt noſtri morbi ſedem, faciunt & eandem tumere, generatur propria membrana, & ita oritur hic morbus ſæpiſſime tunicatus; dum vero terreſtrior & tartarea adeſt humorum conditio atque qualitas, ſic enim quoque facile ſtaſin ineunt, qua facta ſucceſſive tenue quidem vel tranſcolatur, vel evaporatur, ut in prædicto tumore etiam, craſſius vero & tartareum accumulatur, concreſcit, oriturque juxta ſuam propriam indolem materia compacta dura, tophacea, calculoſa. Sin vero plane materia hujus tumoris humoroſa putredine, corruptione, corroſivitate, more cancri in aliis partibus, afficiatur, fit malignus & cancroſus tumor. Coadjuvant generationem hujus morbi diſpoſitio reperibilis in temperamento phlegmatico & melancholico, ut & plura remotius deſumenda & rebus non-naturalibus; inter quæ notari meretur ipſum lac matris, cum hic affectus familiarior infantibus, quam provectioris ætatis ſubjectis eſt, tametſi hæc non excepta ſint, dum enim illud craſſum, viſcidum, magiſque caſeoſum eſt, ſimilem etiam infert qualitatem humoribus, qui percolandi & tranſfundendi ſunt, qui, ſi remoram in dicto ſuperius loco capiunt, hunc morbum efficiunt, atque cauſant. Concurrit immunditieſ faucium in infantibus, in quorum ore viſcoſi & glutinoſi tum a lacte, tum pulte, quibus ordinarie veſcuntur, humores producuntur, oblinentes & obſtruentes porulos, excernentes ſalivalem humorem, qui ſtagnans ibidem, evapo-

ratis, aut quomodocunque ſeparatis tenuioribus particulis, incraſſeſcit & ranulam infert. Cum vero ranulæ locum dicamus eſſe ſupra adductam membranam, datis rationibus quoque, hinc ut eo melius huic ſententiæ ſubſcribere valeamus, audiatur *Petrus Dionis* in ſua anatomia, *Demonſtrat. VIII. fol.* 396. dum agit de *Palato* : *Circumveſtitus denſa & corrugata tunica, quemadmodum interiores genarum & oris partes. Tunica iſtius ſubſtantia tota perſperſa eſt glandulis conglomeratis &c.* tandem pergit : *Hujusmodi glandulæ ſeroſitatem quandam ſecernunt : quam in os deſtillant per innumeros tubulos, quibus hoc in cribri modum foraminatum eſt.* Tametſi nunc hæc membrana per totam faucium cavitatem cribroſa ſit, ſic tamen in dicto loco ob majorem laxitatem magis ad concipiendum tumorem, quam in aliis locis, idonea & apta dicitur. Vid. Diſſertatio allegata.

§. X.

Antecedunt & concurrunt varii morbi, ut in recenſitis caſibus ex *Miſc. Phyſic. med. math. Erf. & A. N. C.* noſtroque caſu obſervatur, quibus jungere liceat alios morbos, præſertim catarrhoſos capitis, in quibus ſerum inutile eminet, quod facile craſſiusculum redditum & adductum in membranam dictam, in eadem ſtagnat & tumorem inducit. Nec minus notari merentur morbi glandularum faucium, gingivarum, ipſiusque linguæ; dum in illis materia congeſta & ſtagnans per metaſtaſin in hanc membranam impellitur. Et cum dicatur, neminem calculo laborare, niſi ſit hypochondriacus, ita quoque poſſumus inferre probabiliter, illa ſubjecta, quæ ranula calculoſa correpta fuerunt, quoque diſpoſita fuiſſe ſaltem, ſi eodem non laboraverint, ad malum hypochondriacum.

§. XI.

Petetur nunc fortaſſis a nobis diffuſior noſtri caſus dilucidatio, quæ vero facile proprio marte ex ſupra adductis cauſis & rationibus, inveniri poteſt, ſuperſtite tempore brevi, quo hic calculus generatus eſſe videtur; aſt, hujus aliam dare rationem non poſſumus, quam, quod ob continuum affluxum ſeri terreſtrioris per frequentiſſimum M. S. Circulationem factum, etiam tam celer calculoſa concretio exorta ſit.

§. XII.

Quod attinet Diagnoſin generaliter, hæc admodum facilis eſt, dum enim minor eſt ranula, elevata lingua digitis, aut alio quocunque inſtrumento in conſpectum venit : cernitur enim tumor circa frenulum linguæ & venas caninas, ita ut hic tumor, ut ſupra jam monitum eſt

ſit

ſit vel in uno vel in utroque latere, aut in medio, tegens & abſcondens quaſi frænulum. Magnitudo ejus per ſe patet; quid vero in ſe contineat, deſumendum erit ex attactu, ſin enim admodum durus deprehenditur, abſque notis cancri, probabiliter de calculoſa indole judicium ferendum erit. Sin paululum diutius tumor obſederit ſuum locum, ſuſpicari poteſt de meliceride; ſin minus, concludendum erit, foveri in tumore ſimplicem materiam viſcidam & mucoſam, quæ vero omnia evidentiora fiunt poſt factam apertionem, per quam effluens materia optimum ſignum & nota eſt, antecedenter contenti humoris, qui etiam ratione caloris variat; ita citrei coloris humorem obſervavit *Paræus*, inſtar albuminis ovi deprehendit *Bartholinus hiſtor. anatom. cent.* 1. *hiſtor.* 78. ſigna ranulæ cancroſæ jam ex *Riverio* allegata ſunt; eſt enim hic tumor varicoſo-ſcirrhoſus, durus, nigricans. Primarius, vel ſecundarius tumor ex hiſtoria morbi & relatione ægrotantis patefit. Hoc adhuc monendum; quod & quandoque lingua cum glandulis maxillaribus aliiſque tumeat, aut doleat, procul dubio, ob quoque ibidem ſtagnantem materiam lentam, mucoſam.

§. XIII.

In Ranula quacunque, exemta cancroſa, nil mali pertimeſcendum habemus, niſi admodum grandis evadat, & ad manus nullus haberi poſſit chirurgus, aut per ejus imperitam manum læſio quædam per accidens contingat; quod vero non conſtitutioni ranulæ, ſed imperitæ manui chirurgicæ adſcribendum foret. Hoc tamen pertimeſcendum & prædicendum habemus Ranula affectis, quod, ſin tunicatus ſit tumor, ejus tunica vel per chirurgicum, vel pharmaceuticum fontem exſtirpari debeat, ne alias a redituro ingrato hoſpite iterum ſalutetur. Tempus curationis variat; ſin etiam admodum magna fuerit ranula, expoſcens majorem apertionem & diſciſſionem, tunc etiam longius temporis ſpatium pro conſolidatione requiritur; idem valet, ſin tunica majoris capacitatis eruenda eſt, uti ſupra citatus celeb. D. D. *Donaver* in Ranula tunicata, ab ipſo dexterrime curata & exſtirpata, debuit pro integra conſolidatione impendere quatuor ſeptimanas; cum vero ſæpe minoris molis eſt, ut ſupra recenſio differentium ranularum adducta fuit, hinc etiam paucis diebus ad felicem pertingit finem; quod clare obſervavimus in noſtro & aliis recenſitis caſibus de calculo ſub lingua, & ranula noſtra calculoſa. *Foreſtus* intra biduum pulvere externo, qui inferius adducetur, puellam 12. annorum reſtituit.

§. XIV.

Raro quidem Ranula abſque manu chirurgica tollitur, attamen dicit celeberr. *Heiſterus* in ſua *Chirurgia cap. LXXXVI. vom Fröſchleni unter der Zunge fol.* 573. quandoque tumorem per ſe abſque adminiculo chirurgico rumpi: ſimile quoque exemplum nobis ſuppeditat obſervatio D. D. *Ledelii* aliorumque, præſuppoſito nempe, fuiſſe ranulam: uberiorem exhibet veritatem noſter caſus. Et cum vel ſponte, vel abſque majori induſtria apertura hujus tumoris quandoque contingat, & non laborioſam curationem requirat, ideo partem practicam pertractandam a leviori ſtatu in me ſuſcipio. Nam hoc in caſu, præprimis rupto tumore minori, nullo alio remedio indigemus, quam quodam abſterſorio commixto quodam ſeptico, ut in omnem eventum eradicetur tunica, & præcaveatur regreſſus humoris. Eſt vero commune Remedium *Mel Roſar.* utpote abſtergens & conſolidans, quod vero non ſat efficax eſſe ſolet, hinc huic immiſceri poteſt *unguent. ægypt* aut, ſuadente celeb. D. D. *Heiſtero*, ſpir. vitrioli, qui non tantum abſtergit, ſed etiam corrugat cavitatem, inhibetque crebriorem humoris viſcidi affluxum, quo remedio mediante penicillo ſinus frequentius ab- & exſtergitur; convenit quoque poſtea, qua crebrioribus vicibus os elui debet. Poſſunt vero etiam adhuc remedia ſeptica eligi, de quibus, ut & internis remediis, atque conſolidantibus, in ſubſequente §.XVI. quædam dicentur.

§. XV.

In ulteriori ranulæ curatione formandæ erunt quædam indicationes: 1. Corpus aliqualiter ab humoribus inutilibus liberetur, quantum circumſtantiæ admittunt. 2. Ranula ſuis cum inutilibus humoribus atque tunica propria, ſin præſens ſit, tollatur. 3. Conſolidatio hiatus procuretur. 4. Cauſæ adjuvantes quæcunque proſcribantur.

§. XVI.

Recentiores operationi chirurgicæ ſolent præmittere, permittente tempore, quædam laxantia & remedia incidentia, reſolventia; illa ex hydragogis & menalagogis præparant atque addunt merc. dulc. Altera incidentia componunt ex variis ſalinis, acribus medicamentis, ut ſunt ſalia media, alcalia, aromatica, Rad. Ar. Tinctur. Tart. Eſſ. pimpinell. alb. ſ. Poſthac ad ipſam operationem progreſſum inſtituunt; antequam vero hujus methodum indigitem, hic notandum quod veteres abſque ea conati fuerint ranulam profligare; hinc *River.* allegato loco purgationes

tiones & V. S. præmittere ſuadet, atque ſubiungit pulverem, quem ex *Forejio*, cujus autor eſt *Nicolaus Florentinus*, deſumpſit, qui, ut §. XIII. dictum, fatetur, ſe puellam intra biduum ranula affectam hoc pulvere liberaſſe; eſt vero ſequentis compoſitionis: rec. cortic. granat. hyſop. ſicc. ⊖ commun. an. ℨij. M. f. Pulv. qui ſub lingua detinendus & reiterandus eſt. Quidquid ſit, ſin præmittenda præmiſſa fuerint, abſque mora audaciter ad operationem chirurgicam confugiendum eſt; ubi apex linguæ digitis ſiniſtræ manus attollendo reprimitur, in majori vero tumore utendum ſpeculo oris, dein per tranſverſum totus in adultioribus ſubjectis tumor diſcinditur, & quantum fieri poteſt, ſimul membrana tumorem ferens exſcinditur, ſin vero id fieri nequeat ſimul & ſemel, tunc tandem medicamentis ſepticis partim recenſitis, partim fortioribus eradicatur; inter quæ collocavit D. D. *Donaver* mercurium ſublimatum. Celeberr. D. D. *Wilh. And. Kellner in M. Phyſ. Med. Math. Erford. Claſſ. IV. art. 6.* allegat ranulam, ope circumſpecte admoti butyri antimonii, poſt factam inciſionem quidem, ſed non penitus exſtirpationem membranæ, radicitus ablatam. Unicum id notandum, ne afficiantur venæ raninæ & ductus ſalivales, hinc peritam, ut plurimæ operationes chirurgicæ, expoſcit manum chirurgicam ranulæ diſciſſio, ſin adhuc magis exſtirpatio ſcindendo. Ad manus habeat chirurgus ſanguinem ſiſtentia, quæ quidem expreſſe non neceſſaria videntur, ſin operatio circumſpecte inſtituatur: poſſunt vero ſepticis ſimul digeſtiva commiſceri, prouti circumſtantiæ atque intentio chirurgi id expoſtulat. Dum hæc omnia peracta ſunt, ipſaque fovea vel cavitas mundata, apparente carne ſana, conſolidatio inſtituenda eſt, quæ liquamine myrrhæ, Balſam. de Per. de Copaiv. & ol. momord. obtinetur. In Infantibus vero ſufficit tumoris per transverſum diſciſſio, & exſtirpatio lenioribus ſepticis. Cancroſa ranula nullo modo attingenda eſt; Calculoſa apertionem, mundationem, membranæ exſtirpationem, ſin adſit & conſolidationem requirit. Cauſæ coadjuvantes removentur iis, quæ dictis cauſis ſunt contraria, & e materia medica peti poſſunt, obſervando legitimum diætæ regimen. Et hæc ſunt, quæ ſuccincte de Ranula diſſerere potui.

CCLVII.

JO. GOTHOFR. SCHEID

DISSERTATIO INAUG.

Brevem hiſtoriæ mulieris cujuſdam quæ inopinato caſu ſubito loquelam amiſcit, & ex inſpirato repente recepit, Enondationem ſiſtens

Argentor 1725.

L. C. D.

PRÆFATIO.

Corpus humanum cum brutorum, quæ ſanguinea appellari ſolent, machinis comparantes, magnam hinc inde analogiam deprehendunt; cum bruta iſta multas actiones edant actionibus humanis ſimiles. Peraguntur in eodem fere modo digeſtio, chylificatio, ſanguificatio, ſanguinis circulatio & aliæ plures functiones: factum inde eſt, ut principium quoque immateriale quidam in ipſorum corporibus reſidere putaverint; & certe, admirandæ iſtæ a beſtiis peractæ functiones, ad ſtuporem ſæpius mentem alliciunt, ut vix non aſſentiaris illis, qui ſimile quid in iis latitare ſtatuunt, niſi obſtarent ipſa ſcripturæ verba; animam ipſorum in ſanguine latitare confirmantia. Nec porro quoque ratione ſtatus præternaturalis magna intercedit inter homines & bruta differentia; nam & hæc ſuos patiuntur morbos, licet non ita frequentes ac mortales homines. Divina itaque ſapientia ab iis nos diſtinxit, inſlando nobis animam rationalem, qua mediante, non ſolum magis ſtupendas actiones producimus, ſed & actionum noſtrarum quoad magnam partem conſcii reddimur, plures dijudicamus atque dirigimus. Hæc inſuper eſt, quæ cogitationem intellectumque format, & quod maximum eſt, abſque hocce principio in omnipotentis & beniguiſſimi Creatoris cognitionemque nunquam potuerimus pervenire. Ab hoc etiam principio, juncto cum ſuo habitaculo, prodit ſtupenda ea actio, quæ quam maxime a brutis nos diſcernit, loquelam dico, qua quid præſtantius quid admirabilius a Deo concedi poſſit, non video. Licet enim beſtiæ ſentiant & appetant, deſiderium tamen ſuum exprimere vix poſſunt, homo vero omne inſligentiæ genus & affectus exprimere poteſt; ſua ſenſa atque mente concepta aliis declarat,

clarat, & quod quam maxime eſt celebrandum, in laudes ſui Creatoris ire poteſt. Facile quis jam concipit, quanta miſeria premantur illi, qui divino hocce beneficio, vel a nativitate, vel alio caſu privati vivere coguntur Miſerabilior certe perſona exiſtit cæco mutus, ſi vel ultimo loco allegatum vocis uſum reſpicias. Haud raro autem ejusmodi infortunio torquentur homines, dum variis ex cauſis quandoque vix penetrabilibus aphoni mutique fiunt. Concedit tamen ſimul nunquam dignis laudibus concelebranda divina benignitas, ut tanto malo auxiliatrices medicæ manus exiſtant, aut illud ſponte quoque ceſſet. Curioſa admodum eſt obſervatio, quam familiæ non ſolum meæ, ſed & univerſitatis venerandus ſenior Vir Nobiliſſimus, Ampliſſimus, Excellentiſſimus Experientiſſimuſque Dn. Jo. Valentinus SCHEID *Med. Doct. & P. P. O. Patruus, Patronus ac Præceptor meus ad dies vitæ omni pietatis cultu proſequendus, cum adhuc curæ noſocomii majoris præerat, contigiſſe annotavit. Equidem jam typis expreſſa extat in fine diſſertationis, de polypo cordis ſub ejus Præſidio a Viro Nobiliſſimo Experientiſſimoque D. D.* MOSSEDER, *practico hujus urbis feliciſſimo, Medico Noſocomii dicti ordinario fautore æſtimando. Verum enim vero, cum ſimpliciter tantummodo relata ſit, ex conſilio prædicti Dn Patrui me non operam luſurum eſſe, cenſui, ſi illam pro themate inaugurali ſeligerem. Bene quidem gnarus ſum, me accurato hiſtoriæ hujus examini quam maxime incapacem eſſe: attamen cum in arduis & voluiſſe ſatis ſit, facile me veniam impetraturum ſpero, ſi brevitati præſertim ſtudens, dignam erudito orbi expoſitionem non proferam. Deus T. O. M. ingenium meum ita dirigat, ut omnia in ejus gloriam cedant. Benevolus autem lector rogatus ſit, tyroni tenuem ingenii fœtum condonet.*

HISTORIA

Quæ ao. MDCLXXXIX. *Menſ. April. die* 17. *contigit.*

ANcilla quædam 24. circiter annorum per 5. annos ex veneficio, uti creditum fuit, muta, ideoque ceu perſona, ut vulgo loquentur, miſerabilis in noſocomio noſtro nutrita, die dicto circa undecimam nocturnam ſubito vocalis rurſus evaſit. Laboraverat ea ante quinque. & quod excurrit, annos fœda ſcabie, qua de cauſa e noſocomio cum aliis eodem morbo, aliisque affectibus quibus thermæ proficuæ ſunt, laborantibus ad Ladenſes, uti quot annis fieri ſolet, ablegata eſt. Inde ſanitati reſtituta rediens, dum ſervitiis domeſticis in civis cujusdam domo addicta eſt, febre tertiana intermittente corripitur. Exacerbatur eadem febris caſu quodam, cum paroxyſmo ingruente, urceum aqua ex puteo modo hauſta plenum capiti imponere volens, rigore

gore jam correpta, ſuper totum corpus effundit, unde ad noſocomium, quia ſe vitiis domeſticis neceſſariis defungi non poterat, rurſus delata eſt. Ibi, multitudine ægrotantium non aliter permittente, puellæ cuidam alii uno in lecto ſocia jungitur. Iſta ſociam ægre ferens, & plus, quam hæc noſtra, benevolentiæ tum apud Miniſtrum, tum ancillas inſervientes obtinens, eam verbis aſperioribus factisque tractabat. Poſt aliquot dies, cum hæc noſtra circa crepuſculi tempus forte fortuna in lecto ſedens erecto corpore obdormiiſſet, ſubito in vertice capitis ſenſit velut ſibi baculo inflictum verber. Ad quod expergefacta ultimam pro quinque annis vocem emiſit, ſervatoris nomen ingeminando. Interea geſtibus, digitisque monſtrando tantum effecit, ut adſtantes ſociam interrogarint, utrum ab ea fuerit percuſſa: quæ tamen quæſtioni inſtantibus nihil reſpondit, præter quam, quod ſociæ, quæ tantum animi ſenſa geſtibus ſignificare poterat, caſtaneæ fructum in eam capitis partem, qua ſe dolere miſera monſtrabat, projeciſſet. Procedente deinceps tempore, cum a febre convaluiſſet muta, nunquam ægrotavit, aut medicamentis uſa eſt, niſi, quod interdum præſervationis cauſa purgante pharmaco, aut venæ ſectione vacuata fuit, de nullo, quantum ex ipſa percipi potuit, ſymptomate conqueſta, quam quod nihil omnino eloqui, ac nequidem aliam vocem, quam gemitum, emittere poſſet; cæteroqui auditu valens, omniaque, quæ quiſque ipſi verbis indicabat, intelligens. Ita quinque fere annos exegit, omnium quicunque eam vidiſſent, commiſeratione digna. Demum tempore ſupra notato, cum ab aliquot diebus male habere cœpiſſet, atque quantum ab ipſa per iteratas quæſtiones nutusque cognoſci potuit, oris amaritudine, dejecta appetentia, atque deglutiendi difficultate laboraſſet, ſuaſum ipſi fuit poſt crebriores oris collutiones vomitorium, quod tamen capitis motitatione conſtante abnuit; in erea ſemper, quantum intelligi potuit, de buccella veluti in faucibus, quam neque deglutire, neque excernere poſſet, hærente conqueſta. His ita aliquot dies, uti modo dictum, durantibus tandem ſubito noctu circa undecimam, cum in lecto jaceret, neque ut ipſa poſt faſſa eſt, ſomno indulgeret, ſed potius, uti præcedentes noctes exegit, ita & eam inſomnem metueret, viſus ſibi fuit veluti concitatus quidam in faucibus fragor, quo facto, ſub o excretum ſanguini permiſtum pus, quod deinceps etiam linteo exceptum monſtravit, liberam, ipſi vocem reſtituit, dum, in quo prius ſuit miſera, ſervatoris nomen rurſus ingeminavit. Hanc dum ipſa audiebat a ſe ipſa emiſſam vocem, nondum plane, num ſomnio deludretur mens, ſibi conſcia, rationem inire cœpit, quod ſi hoc verbum effari potuerit, an non & plus eloqui poſſet; quare vicinas ſibi in lectis recumbentes vocavit. Illæ tamen ſomno ſepultæ vocalem recens factam, nec jam tum clarius illas inclamare valentem non audiverunt. Proinde ſomnum vix capere audens, & ne, quam recuperaverat modo,

vocem

vocem rurſus perderet, ſibi metuens, ſummo mane, ubi diluculum appetere cæpit, lecto ſurgens, illas, quas noctu voce iſta ſua nondum elimata expergefacere nequivit, tum contactu, tum voce ſubmiſſiore, ut poterat, vigiles eſſe, ſecúmque de recuperata loquela gaudere juſſit. Expergefacti hinc cæteri, audita noviter rurſus quamquam voce ſubmiſſiore loquente, obſtupeſcunt omnes.

Miniſter poſt certiores factos, qui in Noſocomio redituum curam gerunt, ad Medicum pergit, caſumque inexpectatum exponit. Inde ad Magiſtratum res defertur. Hic Archiatro ampliſſimo facultatis noſtræ Dn. Seniori Dvct. Marco Mappo ſignificari jubet, ut rem accuratiore examine exploret. Inter hæc, cum Medicus noſocomii ordinarius illico, audito mirando iſto eloquio veluti renato, noſocomium ingreſſus fuiſſet, omne, quantum potuit, diligenter inquiſivit; donec de adventu ſupra laudati Domini Archiatri certior factus, ipſo conſentiente venam in brachio ſecari curavit, cum ranina ſub lingua adeo commode pertundi nequiverit; gargariſmumque & emeticum pro ſequenti die præcepit; id verò ipſa averſata fuit, donec dolore capitis, cibi faſtidio, aliisque ſymptomatibus, neſcio, an præ gaudio recuperatæ vocis humanæ, an cacochymia, cujus ſeſe non obſcura exeruerunt indicia, correpta, ad medicamentorum neceſſariorum uſum coacta fuit. Iis poſtea reſtituta, nunc integra ſanitate fruitur, atque in noſocomio noſtro miſeris ægrotantibus pauperibusque ſatis alacriter inſervit.

§. I.

Antequam in cauſam rariſſimi propoſiti caſus inquiram, haud extra oleas vagabor, ſi pauca quædam de loquela prælibem. Ex ipſo proëmio facile patet, loquelam ſ. facultatem vocem articulato ſono profe endi, & ſenſa mentis clariſſime proponendi, ſoli homini eſſe conceſſam. Licet enim & animalibus brutis ſua competat vox, imo quædam articulatos ſonos hominum ad inſtar proferant, quorum in exemplum Pſittacus atque Pica ſiſtuntur: de quibus Perſius Poëta canit.

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε.
Picasque docuit noſtra verba conari
Magiſter artis ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Licet etiam in Scenam producatur canis loquens, attamen minimè proprie ſic dicta loquela ipſis conceſſa; cum præſertim principio rationali ſint deſtituta: multo minus capiti artificiali Alberti Magni tale quid concedi poteſt.

Valet enim hic quam maxime, quod Ariſtoteles in ſuis ſcriptis nobis reliquit, dicens. ἡ δὲ φωνὴ ψόφος τίς ἐςὶν ἐμψύχε, τῶν γὰρ ἀψύχων, ἐδὲν φωνῇ, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν. Vox autem eſt ſonus quidam animati, nullum enim anima carens vocem emittit, ſed per ſimilitudinem vocem edere dicitur, Per loquelam namque animi conceptus, per ideas vocibus & litteris diſtinctas, ut Wedelius loquitur, exprimuntur, adeoque tanquam principale dirigens conſiderandus eſt intellectus. Loquela autem per certa inſtrumenta, vocalia dicta, peragitur, quæ paucis recenſebo.

I. Requiritur aër (*a*) rariſſime autem ille qui inſpiratur (*b*) ſed qui exſpirationis tempore eliditur, juxta Philoſophum citatum, cum Spiritum reddimus, diſertis verbis ait, non cum capimus vocem formamus.

II. Pulmones, inprimis verò veſiculæ iſtæ membranaceæ (*c*) quæ aëris domicilia, ſi ita loqui licet, ut inſpirationis, ita exſpirationis organa.

III. Larynx, (*d*) in quo aër è trachea & pulmonibus rediens vertitur in vocem.

IV. Cartilagines quinque (*e*) inprimis verò Epiglottis.

V. Tonſillæ & uvula de quibus varie diſputatur, utrum requirantur ad loquelam, dum exempla tam affirmantia, quam negantia paſſim proſtent, & M. N. C. (*f*) narrent, ex amiſſis his partibus notabiliter eam fuiſſe læſam; integram tamen remanentem vocem Bartholinus (*g*) & M. N. C. recenſent. Interim probabile videtur ex illarum ſitu naturali aëris repercuſſionem promoveri, atque loquelæ formandæ (*h*) inſervire.

VI. Fauces (*i*) quarum ope loquela perficitur.

VII. Palatum denteſque (*k*) quorum utilitas & neceſſitas ex eo apparet, quod infantes aut ætate jam provecti homines illis carentes, aut penitus non aut minus diſtincte verba eloqui poſſunt, & contra loquuntur tanto diſtinctius, quando habent plures.

VIII. Ne-

(*a*) Vid. HELMONT, Aleph. Hebr. delin. c. 4.

(*b*) Exempla hominum qui inſpirando vocem edidere, hancque ob cauſam engaſtromythi vocati fuerunt. vid. DIGB. tr. de corp. nat. c. 28. p. 244. & M. N. C. A. 1. obſ. 25.

(*c*) Vid. BERGER. Phyſiolog. c. de reſpir.

(*d*) Vid. Aquapend. de LARYNGE vocis organo, & DIMERBR. anat. l. 2. c. 15. p. 471.

(*e*) Vid. BARTHOL. Anatom. renov. p. 444.

(*f*) D. 2. A. 5. obſ. 6.

(*g*) Anat. renov. l. 3. c. 12. & M. N. C. D. 1. A. 4. & 5. obſ. 66.

(*h*) Vid. HEISTER Anatom. corp. hum.

(*i*) Vid. FABR. ab Aquapend. de loquela.

(*k*) MOEB. Phyſiol. cap. de dentib. & SEBIZ. diſſert. de dent. & exercit. Pathol. p. 180.

VIII. Narium foramina (*l*) quibus obſtructis difficulter admodum ac minus grate litteræ exprimi poſſunt.

IX. Lingua (*m*) quæ mira velocitate mediantibus muſculis ad omnes oris plagas fertur, extenditur, ſurſum & deorſum pellitur, quo itaque quid cupiamus eo promptius eloqui valeamus.

X. Os, (*n*) ſicuti conſtat ore fingi ſermonem, ita negari nequit eodem obſtructo vel læſo locutionem corrumpi ac deſtrui.

XI. Labia, (*o*) quorum beneficio aërem ſonantem mediantibus muſculis ex quibus componuntur, cogimus aſſumere variarum litterarum formam.

XII. Diaphragma & muſculi intercoſtales (*p*) qui expanſioni & conſtrictioni thoracis dicati ſunt, & hos aliquid contribuere ex eo apparet, quoniam & inſpirationi & exſpirationi inſerviunt.

XIII. Partium harum motus: (*q*) motum autem huncce provenire à muſculis recenſitarum partium, tum propriis tum communibus, facile quis videt.

Denique XIV. humiditas moderata (*r*) qualis eſt ſaliva & alii humores è glandulis ſecreti, qua vox grata auribusque amœna fit.

§. II.

Videmus itaque admirando admodum modo loquelam perfici. Dum nimirum aëreum fluidum in exſpiratione hoſpitium deſerit & vocale fit, non ſenſim & quiete exſurgere (*s*) ſed determinate expelli debet. Idem porro, ad corpora varia appulſum, varie modificatur; expreſſum enim è cellulis pulmonalibus, ſubit in exitu aſperæ arteriæ ramificationes, è quibus dein ad cannam pulmonalem fertur, & per hanc ulterius expellitur. Aperuit enim, ut celeberrimi Bergeri (*t*) utar verbis, viam aëri divina ſolertia ex illa fiſtula ſpiritali, ut poſſet lingua miniſterio ſuo fungi, atque efflatum ex glotide aërem intra oris cavum, maxillarum oſſibus dentibus circumſcriptum, adjuta motione faucium, maxillæ inferioris

(*l*) Vid. AMMAN. diſſert. de SURDO loquente.

(*m*) Vid Helm. alphab. *Hebr.* BARTHOL. anat. renov. p. 553. MOEB. fundam. Phyſiol. p. m. 135. Aquapend. l. c. & *Joh. Alb.* SEBIZ. Exerc. Pathol. 186.

(*n*) Vid. BERGER. Phyſiol. c. de loquela.

(*o*) Vid. Helm. l. c.

(*p*) Vid. BERG. l. c. & FABR. ab Aquapend. de reſpiratione.

(*q*) Vid. BOERHAV. de loq. & voc. in inſtit. & *Theod.* ZWING. pract. Med. part. II. pag. 75.

(*r*) Vid. ZWINGER. compend. Med. Univ. p. 67. & BARTHOL. anat. renov. p. 436.

(*s*) Vid. BOERHAV. inſtit. de voc. & loq.

(*t*) Vid. de nat. hum. p. 313.

ris & labiorum, & ſi quæ præterea organa ad vocis articulationem conferunt, pulſibus ſuis ita modificari, extraque os propellere, ut tanquam interpres cogitationum unius, ſuo diverſo ad aures appulſu, & commotione nervorum acuſticorum, ſtatim quasdam animi notiones, ſive conceptus quosdam, vel ideas, in altero excitet, quas ejusmodi motibus aſſuefacti, hac illaque voce rebus ſignificandis idonea, exprimere didicimus.

§. III.

Vocem humanam, ratione quidem loquelæ, ut plurimum uno eodemque modo formari, nullum eſt dubium; ſed diſcrepat tamen loquela, tum pro omnipotentis Juſſu, tum pro organorum diverſitate, gentium diſcrepantia aliisque, pluribus circumſtantiis. Qua in re ſatis prolixus eſſe poſſem, ſi ad ſcopum meum iſta diviſio faceret. Verum enim hæc minime ſit mens mea, igitur ſufficiat, ſequentem in modum protuliſſe diviſionem, quarum Im Fortis & remiſſa. IIda Magna & parva. IIItia Rauca & ſonora. IVta Dulcis & ingrata. Vta Gravis & acuta. VIta Articulata & minus articulata. Poſita hacce diviſione, non abs re erit vitia loquelæ depravatæ hic apponere. Diſpiciam itaque, quomodo vel lædatur, imminuatur atque depravetur, vel plane etiam deficiat.

§. IV.

Inter vitia loquelæ ſequentes potiſſimum eminent ſpecies. Una autem generali appellatione *dicuntur* dicitur difficilis ſeu (u) *μογιλαλία*, cujus tres rurſum ſpecies ab Ariſtotele recenſentur, quarum Ima audit *τραυλότης*, Blæſitas, ſic enim Ariſtoteles (v) ait, *τραυλότης ἐστὶ, τὸ γράμματός τινος μὴ κρατεῖν, καὶ τοῦτο οὐ τοῦ τυχόντος* quando ſcilicet homo litteras certas proferre nequit, ſed unam in aliam mutat. v. gr. R. in L. IIda *ψελλότης* Balbuties juxta eundem Philoſophum l. c. *ἐστὶ τῷ ἐξαιρεῖν τι ἢ γράμμα ἢ συλλαβὴν*, cum ſyllaba aut littera in voce omittitur. Et IIIia *ἰσχνοφωνία* Hæſitas ſive linguæ hæſitantia nuncupatur, & Philoſophus cit. ait, eam provenire *ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ταχὺ συνάψαι τὴν ἑτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἑτέραν*. Quando quis verbum verbo, aut ſyllabam ſyllabæ cum laborioſa pronuntiatione ſubinde repetit, & ita adverſe loquitur. Denique abolita cenſetur locutio, quando nihil, neque litterarum, neque ſyllabarum, neque dictionum profertur; quem ultimum loquelæ affectum, utplurimum aphoniæ titulo inſig-

(u) Vid. *Mich.* SENNERT. Specul. Med. Pract. tom. I. part. 2. Sect. 4. cap. 17. & LANG. Pathol. animat. ad cap. 14. animadv. p. 156.
(v) Vid. Probl. 30. Sect. II.

inſigniunt. Notandum hic ſtatim venit, aliquibus vocabulum aphoniæ (w) minus arridere, exiſtimant enim haud adeo commode poſſe loquelæ defectum hoc verbo exprimi, utpote quo ſaltem vocis defectus intelligatur. Quis vero neſcit, vocis ablationem & defectum involvere loquelæ, minus vero locutionis ceſſationem (x) innuere ſtatim vocis abſentiam. Cum autem tres hæ locutionis depravatæ ſpecies, vitia ut plurimum ſint à natura hominibus inſita, hocque nomine non emendabilia, ſicut & mutitas, quæ à primo ortu contigit, aut plane non, aut arte quadam (y) difficulter corrigitur, idcirco illa miſſa faciam, & ſollicitus tantum ero, de defectu loquelæ, qui poſt nativitatem accidit.

§. V.

Variis autem modis loquela depravatur, variasque agnoſcit cauſas quibus deficit. Nunc enim ſunt externæ nunc internæ. Inter internas merito recenſeri meretur mens, qua conceptus noſtros per convenientia verba exprimimus; quare neceſſum eſt, ut poſſideamus certum idioma ad loquendum (z). Ipſa enim dum neſcit nomina, quibus alias res appellari ſolent, nullo pacto poteſt cogitata ſua convenienti ac articulata voce declarare. Quod & fit mente male affecta aut variis imaginationibus occupata, quæ aliquando obmuteſcentiam inducit, ſuo exemplo docent Melancholici, (a) qui ſæpe obſtinatiſſime obmuteſcunt.

Mentem excipiunt ſpiritus animales, quorum vitio, ſicuti omnes fere corporis noſtri partes, ita & loquela (b) quam maxime afficitur. Eorum namque defectum aut læſiones tanquam cauſam in plurimis experimur morbis, & ſic quoque in locutione. Spiritus nimirum animales (c) defectu peccantes, vel penitus auferunt loquelam, vel minimum difficilem ſatis reddunt. Experientia edocti in iis hominibus diu longis ac gravioribus morbis vexatis, eos pene ob nimiam virium jacturam obmuteſcere, adeo ut vix verbum unum alterumve eloqui valeant. Non ſolus autem ſpirituum defectus loquelam noſtram afficit & lædit, verum etiam influxus eorum denegatus.

Obſtructis enim nervis ſucci nervei influxus impeditur, quo denegato, paralyſis oritur; qua etiam nonnunquam lingua afficitur, atque loquela privamur; quod Platerus aliique docent. (d) Non ſecus ob ſpaſ-

 modicam

(w) Vid. ETTMUL. op. de guſt. læſ. p. 8[illegible].
(x) Vid. *Paul.* ZACH. quæſt. Med. legal. L. II. tom. III. [illegible] 8. p. m. 203.
(y) Vid. diſſ. AMMAN. de loquel.
(z) Vid. LUDOV. Mercat. oper. T. I. L. 3. Part. 1. cl. 1. quæſt. 180.
(a) Vid. M. N. C. D. 3. A. 1. obſerv. 155.
(b) Vid. *Ab.* SEBIZ Exerc. Pathol. l. c.
(c) Vid. SENNERT oper. T. I. L. II. part. III. Sect. II. C. 5. pag. 454.
(d) Vid. PLAT. obſ. Pract. LI. p. 124. & p. 125. FOREST. L. 14. obſ. 33. HOECHSTETT. obſ. Med. Dec. 9. caſ. 5. M. N. C. D. 1. A. 5. obſ. 38.

modicam nervorum contractionem ſpirituum influxus impeditur & naſcitur aphonia. (*e*) Quod in epilepſia fere perpetuum eſſe vult Hœchſtetterus. (*f*) De Muliere quadam in octavo geſtationis Menſe opiſthotono correpta, & loquela privata ſcribit Schenkius. (*g*) Plura de vocis à convulſionibus interceptione vide in M. D. C. (*h*) aliisque authoribus. Nervorum etenim par vagum laryngi & linguæ, (*i*) & poſt hanc aliis viſceribus concedit ramificationes, manifeſtam hinc ſympathiam infimi ventris, cum vocis organis conſtituit, propter quam lingua pro diverſis animi pathematibus diverſas vocum patitur differentias, quæ vera eſſe docent, qui obmuteſcunt ex paſſione hyſterica, (*k*) colica, (*l*) lumbricis inteſtinis incarceratis (*m*).

Sicuti autem paralyſes & convulſiones nervorum loquelæ noſtræ inimicæ ſunt, ita & ſi diſſecantur, aut ab aliis cauſis læduntur (*n*), loquela ſæpius privamur. Diſſectione enim nervorum facta, motus linguæ ad ſermonem maxime neceſſarius deficit: quod notum eſt in canibus, quorum nervos, ſi cultro anatomico vivos ſubjicere volumus, ne rem prodant, aut filo intercipimus, aut diſſecamus, quod inventum non Veſalius modo, (*o*) ſed & Galenus (*p*) annotavit. Idem in hominibus fieri probat Gal., dum affert exemplum alicujus, qui ſtrumis puero inciſis, nervis digitis diſruptis puerum à ſtrumis liberavit quidem, ſed mutum reddidit. Plura vide in Schenckii & Zacut. Luſit. oper. (*q*).

Non ſecus ab actionibus naturalibus impeditis ſæpius loquela noſtra afficitur: actiones enim naturales in ſtatu phyſiologico ita ſe habent, ut ſemper id, quod illis moleſtum eſt, naturaliter per loca excretoria expellant; ubi vero talia retinentur, tunc unum malum alterum ſequitur. Loco teſtimonii ſit obſtructio menſium, quæ, uti plurimorum ac gravium aliorum morborum ſedulus faber exiſtit, ita & loque-

(*e*) Vid. M. N. C. D. 2. A. 1. obſ. 97. & BONET. Sepulchr. T. I. L. I. de vitiis vocis & ſermonis. Sect. 22. obſ. 15.
(*f*) Dec. 4. caſ. 4.
(*g*) L. I. obſ. 249.
(*h*) D. 1. A. 9. obſ. 57. & 89. Tulp. L. 4. cap. 3. & BONNET in Sepulchr. lib. I. Sect. 22. obſ. 15.
(*i*) Vid. WILLIS de nerv. c. 26. & VIEUSSENS Nevrol. univerſ. de pari vago pag. 181.
(*k*) Vid. LUSITAN. oper. T. 2. ubi de hiſt. prax. L. 2. cap. 5. obſ. 3. & HOECHSTETT. D. 4. caſ. 2.
(*l*) Vid. M. N. C. D. 2. A. 1. obſ. 81.
(*m*) Vid. M. N. C. D. 2. An. 5. obſ. 27. FOREST. L. 14. obſ. 33.
(*n*) Vid. SCHENCK. lib. 1. obſ. 393.
(*o*) Vid. ejus hum. corp. fabr. cap. ult.
(*p*) Lib. 7. de admin. anat. & II. de decret. Hipp. & Plat.
(*q*) Vid. SCHENCK. obſ. L. 2. p. m. 329. & Zac. Luſ. op. T. 1. L. II. hiſt. XIV.

loquelam ſæpius lædit, quod docet *Franciſc.* RUBEUS. (*r*) à ſuppreſſa gonorrhæa aphoniam ſubortam Zacut. Luſitan. (*s*) in obſ. ſuis habet, & hiſtoriæ docent ex ſudoris, (*t*) ſuppreſſione aphoniam ortam.

A Medicamentorum, quis crederet, ad ſanitatem labefactatam reſtituendam, uſu, malum hocce ſæpius provenire, conſtat, quod venæ ſectione probatur. M. enim N. C. (*v*) deſcribunt hiſtoriam, mulieris cujusdam 52. annorum, quæ poſt V. S. celebratam loquelam omnem amiſit, ita ut præter *ja* & *und* nullum aliud verbum eloqui valeret. Mirandum certe quod ab hocce remedio affectus tales producantur, cum notum ſit, alias V. S. in aphonia tanquam præſentiſſimum remedium adhiberi, eamque ab Hippocrate (*w*) commendari. Hic tamen plane contrarius effectus ſecutus eſt. Plura adhuc infelicium & funeſtarum V. S. exempla in medium proferre poſſem, ſed hæc ſufficiant; concludo itaque diſticho ſequenti.

Diſcite mortales pretioſo parcere ſucco
Tam vitæ fons eſt quam necis author idem.

Porro ab opio per clyſma infuſo, loquelæ impeditæ, hiſtoriam deſcribit *Platerus* (*x*). Ab odore vinaceo (*y*), ἀναυδίαν ex potu ſubitaneo cereviſiæ (*z*), aphoniam ex aquæ fortis (*a*) potu, denique ex eſu baccarum belladonnæ (*b*) obmuteſcentiam ortam, hiſtoriæ docent.

Miſſis jam obmuteſcentiæ cauſis hiſce, ad alias me accingo, eæ autem ſunt ictus aut lapſus ab alto. Et mirum eſt, ipſam palladis ſedem, arcem animi, & nobiliſſimarum functionum domicilium, caput, ſat validis licet integumentis galeaque robuſtiſſima in adultis probe ſit munitum ab externis tamen injuriis perſæpe peti, * quod quotidiana docent exempla. Tantus enim quandoque ferientis impetus, inſtrumentique violentia, ut loquelæ haud raro periculum ſubeat tactus infeliciter homo; hujus rei notabile exemplum in Valleriolæ (*c*) ſervo

(*r*) In exercit. noct. p. m. 447. exercit. 40. & act. Haſn. volum. 1. obſ. 7.
(*s*) Lib. 1. Hiſt. Pr. obſ. 105.
(*t*) Vid. act. HAFFN. vol. 1. obſ. 12. pag. 40.
(*u*) Vid BINNING. obſ cent. 3 obſ. 32.
(*v*) D. 2. A. 1. obſ 97 & D 2. A 5. obſ. 145.
(*w*) De vict. auct. ſect. 27. dicit τὸ δὲ ἄφωνον τινὰ ἐξαίφνης γενέσθαι, φλεβῶν ἀπολήψιες ποιέουσιν, ἢν ὑγιαίνοντι τοῦτο ξυμβῇ ἄνευ προφάσιος, ἢ ἄλλης αἰτίης ἰσχυρῆς. Ut aliquis derepente voce privatus fiat venarum interceptiones faciunt, ſi ſano hoc contingat absque manifeſta, aut alia forti cauſa.
(*x*) L. 1. obſ. med. pag. 127.
(*y*) RHOD. obſ cent. 2. obſ. 29.
(*z*) M. N. C. A. 3. D. 1. obſ. 60.
(*a*) FOREST. lib. 15. obſ. 30.
(*b*) M. N C. D. 2. obſ. 108 A. 10.
(*c*) Vid. amat. LUSIT. obſ. VI. ...

ſervo habemus; qui caſu ab alto, & in totum diffracto cranio mutus evaſit, & poſt ſeptem dierum ſpatium vocem recuperavit. Similes Hiſtorias lege apud Schenck. & alios authores. (*d*) Pari ratione ex cerebri læſione humorum influxus, ac conſequenter loquela, impeditur, quod dudum jam Hippocrat: (*e*) in aphoriſmis ſuis annotavit. Quem Aphor. alii Authores variis comprobarunt obſervationibus, & inprimis Schenckius atque Foreſtus (*f*).

Ordo jam atque diſſertationis nexus poſtulat, ut etiam diſpiciam, quomodo vehementes animi & ſpirituum animalium motiones noceant loquelæ. Quemadmodum enim felix ter quaterque ille pronuntiandus eſt, qui animi ſui affectiones ad ethicæ Chriſtianæ cynoſuram ita habet obedientes ut in æquilibrio ſubſiſtant. Quod & Horatius aureis verbis inculcavit, quando dicit.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia: moriture Deli.

Ita felicior eſt is, qui ab illis vincitur, illisque ſuccumbit, quod experientia declarat quotidiana Pathematum autem omnium animi, ad inferendum corpori damnum, promptiſſima ſunt, gaudium repentinum, vehemens terror, triſtitia, ira &c. Nam cum hæ celerrimi animi ſint motiones, neceſſe quoque eſt, ut celerrimæ ac concitatæ præter naturæ ordinem, motiones ſpirituum & ſanguinis conſequantur. Inde fit, ut partim diſſolutis & conſumptis viribus mox excipiat, partim etiam œconomia motus vitalis evertatur, & via ad morbos ſtruatur apertiſſima. Gaudium profuſum ac inſolens, ſpiritus tam vehementer diſſipat, ut ſanguine hiſce deſtituto ſyncope vel morte repentina homo corruat, quod nonnullis obtigiſſe memoriæ proditum eſt ab obſervationum ſcriptoribus. Ex repentino gaudio exſpiraſſe animam Polycratam nobilem feminam in Naxo Inſula Ariſtoteles refert. Nec veteres latuit tam ſubitæ mortis cauſa: unde Heliodorus obtingere, ait, ejusmodi mortem ἐκ τῶν πνευματικῶν πόρων εἰς ὑπερβολὴν διαστάντων χαλασθέντων. Obſervatione etiam quotidiana conſtat, percepto improviſo & magno gaudio,

(*d*) Vid. Schenck. obſ. L. I. obſ. 39. obſ. 53. 63. 64. & 70. M. N. C. D. 2. A. 1. obſ. 91. & A. 3. obſ. 52 D. 1. A. 2. obſ. 120. D. 2. A. 8 obſ. 15. & Art. 9. obſ. 127. Hochſtet. obſ. Dec. 4. caſ. 5. Foreſt. L. XIV. obſ. 33. in Schol.

(*e*) Aph. 58. ſect. 7. ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος ἀνάγκη γίνεσθαι παραχρῆμα. Quibus cerebrum, ait, concuſſum fuerit ex aliqua cauſa, eos ſtatim voce privari neceſſe eſt.

(*f*) Vid. Schenck. L. I. obſ. 40. 45. et 109. Foreſt. lib. 9. obſ. 30. M. N. C. D. 1. A. 9. obſ. 124. & D. 2. A. 1. obſ. 29. & A. 6. obſ. 25.

gaudio, vocem mox deficere, atque lachrimas elici, quod noſtrates ita efferunt. *Er hat vor Freuden kein Wort mehr reden können.* Cum e contrario lenis & ſuavis lætitia ſpiritus recreet, excitet, & ſanguinis circulum promptum expeditum ac liberum reddat, inſolens autem, ſpiritus admodum conſumat. Quod & facit triſtitia, ea enim & mœſtitia ſanguinem & ſpiritum à circumferentia magis ad centrum intro ſpaſmodice conſtringendo habitum corporis, compellunt, ſicque faciunt, ut retrocedentes ex organis ſuis, homines varie afficiant, imo ſæpius ἀλάλους (*g*) relinquant. Unde *Salomo* (*h*) ſcribit triſtis animus exſiccat oſſa. it. C. XV. Sicut tinea veſtimento & vermis ligno, ita triſtitia in viro nocet cordi. Sequitur jam ira, qui affectus quoque eſt nocentiſſimus vitæ ac ſanitati hominis; in iracundia enim ſanguis vehementiſſime & maximo cum impetu ad externum habitum corporis movetur, quo fit, ut ſub paroxyſmo infletur facies, oculi fiant feroces & rubicundi, in partibus ſentiatur tremor, dentes comprimantur, quin imo vox intercipiatur, quod docent M. N. C. (*i*). Nec minorem experimur noxam à terrore, & clarum eſt experientia quotidiana nihil magis provocare epilepſiam quam terrorem. Porro nihil magis aptum eſt, ad excitandum in gravidis abortum, quam inopinatus terror.

Quod ex terrore paralyſis, apoplexia gravis, obſtructio menſium, hæmoptyſis imo & aphonia producantur in foro medico notiſſimum eſt; & teſtatur de ultimo affectu nominato *Gæckelius*, (*k*) qui hiſtoriam noſtræ ferre ſimilem in chartam conjecit. Similem huic hiſtoriæ aliam recenſent act. Hafn. (*l*) ſic & à ſpectris (*m*) cancris (*n*) lupo viſis (*o*) & ob exortum incendium (*p*) aphonos factos perhibent. A Mœrore & luctu nonnunquam obmuteſcentiam oriri exempla, docent, & *Val. Max.* (*q*) Nauſimenis, inquit, Athenienſis uxor, cum filii ac filiæ ſuæ ſtupro interveniſſet, inopinati monſtri perculſa conſpectu, & in præſens ad indignandum, & impoſterum ad obloquendum, obmutuit.

Reſtat

(*g*) Vid. diſs. cl. D. PAUL. de animi commot. vi medica Lipſ. 1700. habit. § 18.
(*h*) Prov. cap. XVII.
(*i*) D. 2. A. 3. obſ 49.
(*k*) Vid. conſ. & obſ. med. 57. p. 541.
(*l*) Vol. I. obſ. 101. & M. N. C. D. 1. A. 3. obſ. 121.
(*m*) Vide RHODII cent. 2. obſ. 29. & CRAUSII diſs. Jenæ. 1702. de Aphon.
(*n*) Vid. M. N. C. D. 1. A. 2. obſ. 145.
(*o*) Vid. ZACUT. LUSIT. lib. II. de med. prin. hiſt. 14.
(*p*) Vid diſs cit.
(*q*) L. I. C. 8.

Reſtat jam ut etiam aliquid de amore immoderato, aut potius inſano dicam. Plurimi certe ab eo non tam animo, quam corpore laborarunt. Qua de re videri meretur divus *Gregorius*; (*r*) indicat id Davidis filius, qui ex amore Thamaris ægrotaſſe traditur (*s*). Et notum eſt experientia, ex amore perverſo, nimio & immoderato lipothimias, arthritides, & inter alia innumera etiam obmuteſcentias excitatas fuiſſe. Quod patet ex M. N. C. (*t*) nec hic ebrietatem ſicco pede præterire poſſum, quin & hujus mentionem pauciſſimis faciam. Quanta homini ſit peſtis vinum immoderate ſumtum, quam corpus mentemque miſere ſauciet, docent faciei nunc pallor, nunc turpis rubor, fœtens anima, obtuſi ſenſus, ulceratorum oculorum ut & ingenii hebes morienſque acies, mors memoriæ, tremulæ manus; nihil enim frequentius ebrioſis contingit, quam manuum tremor, qui & ſæpius alias quoque partes aggreditur, quod ex languido corpore, fractoque inceſſu paſſim videre eſt. Imprimis enim nervis bellum indixit, quare non mirum eſt, apud eos, qui Bacho indulgent, quod difficulter ac miſere verba exprimant; aut penitus ſæpe obmuteſcant, quod HOCHSTETTI (*u*) annotavit. Et HIPPOC. (*w*) aphor. egregium nobis reliquit; ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει. Si ebrius quiſpiam, ait, derepente voce privetur, convulſus moritur. Cui multæ obſervationes ab authoribus allegatæ addi poſſent, niſi anguſtia chartæ B. L. ad illos remittere, me cogeret: quare ſufficere allegaſſe FORESTUM credo (*x*) qui hunc aphoriſmum Petri Delphii exemplo confirmavit. Confirmo & hiſtòria quadam, à nunquam ſatis laudando ac devenerando Dn. Patruo meo ſequentibus verbis annotata, mihique gratioſe communicata. Adoleſcens quidem Leucopetræus Saxo, poſtquam noctu die 28. Mens. Mart. 1718. à largiore ingurgitatione vini generoſioris jam gravi crapula correptus, enormem hauſtum ſpirit. ceras. nigr. feciſſet, profundiſſimo ſopore oppreſſus, non ſolum per noctem, ſed & in ſequentem usque diem cum jactura ſenſus omnis, ſudore etiam circa frontem ſyncoptico, ac frigore ſubinde extremarum, pulſu debiliore, & reſpiratione difficiliore, ut & ſanguine ex ore & naribus fluente, jacuit. Unde cum mane in hoc ſtatu in lecto repertus eſſet, advocati illico medici pariter & Chirurgus fuerunt. Ab iis tamen, utut vena in brachio ſecta, ſpir. ſal. Armon. mediante pluma, naribus immerſus, veſicatoria ad ſuras pedum applicata, clyſter quoque acrior ano injectus fuiſſent, nulla

(*r*) Lib. 4. moral. C. 10. & lib. 3. dialog. cap. 24.
(*s*) Lib. 2 Reg. C. 13.
(*t*) D. 1. A. 6. obſ. 135.
(*u*) Vid. Dec. 3. caſ. 9.
(*v*) Aph. 5. ſect. 5.
(*w*) Obſ. lib. 14. obſ. 33. in ſchol.

nulla arte excitari potuit; niſi quod interdum parumper nares & labia oris moverit, inprimis ubi poſt injectionem ol. amygd. d. in juſculo carnium & lactis tepidi per ſiphonem inflexum, aliquid muci quadantenus purulenti cum regurgitante liquore per os excrevit.

Permanſit ita ſtupidus usque ad horam circiter XI. antemeridianam, qua immerſo rurſus à medico ipſi per plumam columbinam naribus ſpir. ſal. Armon. emiſſo uno alterove verbulo vocem & ſenſum recuperavit. Gaviſus etiam poſtea uſu rationis & ſenſus plenario per totum diei decurſum fuit, adeo, ut, cum appoſite omnibus adſtantibus ad interrogata reſpondiſſet, non exiguam ſpem convaleſcentiæ fecerit, niſi quod acute admodum febricitarit, de inſigni dolore & morſu ventriculi conqueſtus. Adhibita quoque fuerunt ad iſtos affectus compeſcendos idonea medicamenta interna pariter atque externa, ſicut & antea idem factum erat, cum adhuc ſenſus expers jaceret. Non tamen propter corpus, uti poſtea anatome docuit, jam ante male quoad pulmones affectum, & morbi nimiam vehementiam priſtina ſanitas obtineri potuit. Siquidem hora poſt mediam noctem quarta dyſpnœa rurſus cum diſpendio rationis correptus, hora poſt ſexta exſpiravit. In corpore defuncto hora poſt decima cultro anatomico diſſecto, inventus fuit ventriculus quoad fundum, totus quantus interne inflammatus, circa ſuperius orificium jam gangræna fœdatus, humore quadantenus glaſteo ac livido fœtente ſcatens. In corde nulli erant polypi, potius ſanguis ſolito magis fluxilis, ex utroque ventriculo cordis adaperto effluxit. Pulmo vero utrinque inflammatione, & quidem forſitan jam ab aliquo temporis ſpatio, correptus, obſervatus fuit; quandoquidem, qua parte culter adactus fuit, ad preſſionem digitorum profectoris plus puris quantum quidem intra 24 horas generari potuiſſet, quam ſanguinis ipſa pulmonum ſubſtantia profluxit. Reliqua viscera nulla labe contaminata inventa fuerunt.

Quemadmodum autem à ſpirituum dyſcraſia alioque eorum vitio, inſigniter turbatur locutio, ita ab organis reſpiratoriis, vario morborum genere laborantibus, non minus notabiliter læditur. Suprema nimirum Æoleæ noſtræ porta, ſæpe nobis nolentibus conſtringitur ac comprimitur à rebus ſolidis devoratis (*x*) & gulæ inhærentibus aut à lapidibus aſperam arteriam & nervum recurrentem (*y*) prementibus. Quin imo aliquando cum ſummo vitæ periculo occluditur (*z*), aut ob tumorem (*a*) tracheæ innatum, aut inter œſophagum & aſperam arte-

(*x*) Vid. Forest. L. XV. obſ. 28. Fel. Plat. obſ. med. p. 208.
(*y*) Vid. Bonet. ſepulchr. lib. 1. ſect. 21. obſ. 2.
(*z*) Vid. act Hafn Vol 1. obſ. 109. gulæ & narium coalitum à variolis M. N. C. D. 2. A. 9. ob. 45. pag. 8.
(*a*) Vid. Bonet. ſepulchr. lib. 1. ſect. 22. obſ. 2.

arteriam (*b*) aut faucium (*c*) loquela noſtra afficitur. Plura de hac materia lege in FOREST. obſerv. (d). Aliquoties ab humorum tenuium affluxu nimium relaxatur (*e*), ſicuti enim moderata ejus inunctio ad vocem abſolute requiritur, ita plus æquo vocalibus inſtrumentis irritatis raucedo oritur, & enormius humectatis, ſequitur omnimoda vocis ablatio. Sic & ubi fauces nimium ſunt conſtrictæ, ſermo ſæpius læditur, teſte FORESTO (*f*).

Præterea turbatur vox ubi pectoris cavitas vel ſanguine, vel alio humore (*g*) eſt impleta, pulmonesque premit ut ſeſe ſufficienter expandere, neque ſe complicare recte poſſint, & diaphragma libere ſe movere nequeat. Unde nec aërem debite aſſumere, nec exſpirationis actu convenienter ad vocis formationem elidere poſſunt.

Abſoluta hac generali vocis læſæ deſcriptione progredior ad organa, immediate magis ſermonem conſtruentia, ſeu quæ ſermonis geneſim præprimis impedire poſſunt. Occurrit autem ex omnibus primo lingua. Hanc inter locutionis organa principatum tenere, extra omne dubium poſitum eſt. Teſtantur id omnes fere anatomici, teſtatur quoque experientia. Hac namque homo carens, aut ſi naturalem ſuam conſtitutionem deſerit, atque ab ea diſcedit, vel penitus nos loquela privat, vel ſaltem difficilem reddit. Quod HIPPOCRATES (*h*) atque ZACHIAS in quæſt. Med. legal. (*i*) fatentur, aliæque multæ obſervationes affirmant; & inprimis TULP. (*k*) SCHENCK. (*l*) atque HORSTIUS (*m*) & licet repugnent huic ſententiæ exempla ſanctorum Martyrum, qui per miraculum, exciſis à tyrannis penitus linguis, tamen locuti fuerint, ut de Libycis Epiſcopis, quibus Arriani linguas radicitus evulſerant, Hiſtoriæ docent. Talia tamen vel miraculis ſunt accenſenda, vel agnoſcunt cauſas naturales, dum nempe loco ablatæ linguæ partes aliæ vices ejus funguntur. Uti HOECHSTETTERUS (*n*) annotavit.

(*b*) Vid. TULP. lib. 1. C. 44. ROHD. cent. 2. obſ. 47.
(*c*) M. N. C. D. 2. A. 3. obſ. 47. & D. 1. A. 4. obſ. 67.
(*d*) Vid. lib. 15. obſ. 14. usque 24. & BONET. ſepulchr. lib. 1. ſect. 22. obſ. 16. 22.
(*e*) Vid. HORST. op. med. T. 2. L. 3. obſ. 19. & FOREST. lib. XV. obſ. 32.
(*f*) L. XV. l. c.
(*g*) Vid. PARÆI L. 9. C. 31. p. 231. & Vid. Vid. de curat. membr. L. 8. C. 20. SENNERT. Prax. L. 2. p. 3. c. 4. p. 343. & BONET. ſepulchr. L. 1. S. 32. obſ. 14.
(*h*) Lib. de princip. 19. §.
(*i*) Lib. 5. T. 3. quæſt. 5. p. 415. & SCHENCK. lib. 1. obſ. 399.
(*k*) Vid. lib. 1. cap. 41.
(*l*) Vid. lib. 1. obſ. 181.
(*m*) Vid. T. 3. D. 4. quæſt. 1. p. 115.
(*n*) D. 9. C. 8. p. 348. tumor ſub lingua æmulus linguæ ſive alia lingua p. n. & TULP. obſ. med. lib. 1. c. 41.

notavit. Admirandam M. N. C. (*o*) deſcribunt hiſtoriam, Salmuri in gallia ex variolis quemdam exſpuiſſe linguam totam, nec tamen loquendi promptitudinem amiſiſſe.

Porro linguæ volubilitas, à certa quadam re impedita, ſi penitus ceſſat, aut ſaltem imminuta eſt, loquelam noſtram lædit. Loco teſtimonii ſit tumor, qui linguam tardam reddit, (*p*) aut impedit, quo penitus non moveri, ac volutari poſſit, quæ tamen verſatilis valde exiſtere debet. Perinde vero eſt ſive tumor hicce ſit nativus, vel demum adventitius. De priori ſcribit SCHENCK. (*q*) M. N. C. (*r*) de poſteriori mentionem faciunt M. N. C. (*ſ*). Motum quoque ſuum lingua abſolvere nequit, quando à tumore quodam prope frenulum nominatum, hærente, impeditur, qualem SCHENCK. (*t*) atque TULPIUS (*u*) deſcribunt.

Sed non raro etiam fit, ut ſub lingua, calculi, difficultatem ei movendi generantes exiſtent, quales recenſent M. N. C. (*v*) & SCHENCK. (*w*) aut pili in lingua geniti (*x*) motum ejus impediant, quo & loquela moleſtatur.

Idem malum experimur à nimis parva nimiumque exſiccata lingua. Exſiccata nimirum, ut magnitudine non attingat molem conſuetam tum non ſolum minorem ſolito acquirit dimenſionem, (*y*) ſed inſuper ineptitudinem debite ſe movendi contrahit.

Denique à ſoluta linguæ continuitate læditur ſermo; quod obſervamus in iis, quibus vel inſtrumentis vel morſu vulnera inferuntur, vel ſi à nativitate lingua duplex exiſtit, quæ totum fere oris cavum (*z*) occupat. Aſt talia exempla admodum ſunt rara, nihilominus ſi obſervantur bilingues iſti, communiter cenſentur elingues, cujus rei rationem dant M. N. C. (*a*).

 Sic

(*o*) D. 1. A. 1. obſ. 35. & PARÆUS L. 22. C. 5. p. 489.
(*p*) Vid. Fel. PLAT. Pr p. 286. LANG. Pathol. anim. c. 14.
(*q*) Vid. obſ lib. 1. obſ. 383. & 390.
(*r*) D. 2. A. 2. obſ. 51. & BARTHOL. in obſ. cent. 2. hiſt. 22. FOREST. lib. 14. obſ. 28. & ſeqq. SAVANAROL. Pr. Tr. 6. C. 6.
(*ſ*) D. 1. A 2. obſ. 107. & D. 2. A. 7. obſ. 51.
(*t*) Vid. lib. 1. obſ. 389. tumor, inquit, ſæpe ſub lingua exiſtit, qui loquelæ adimit libertatem, ex quo *βάτραχος* Græ. dicitur. Latinis ranula, quod hoc linguæ vitio correpti, coaxando magis quam eloquendo, ſenſa mentis enunciare videantur.
(*u*) Lib. 1. cap. 52 & FABR. ab Aquap. chir oper.
(*v*) D 1. A. 3. obſ. 1. A. 9. obſ. 144. & D. 2. A. 10. obſ. 116.
(*w*) Lib. 1. obſ. 388. & BARTHOL. anat. renov. L. 3. C. ult.
(*x*) Vid. SCHENCK. L. 1. obſ. 386.
(*y*) Vid. SAVANAROL. Prax Tr. 6. C. 6. rub. 5. & PLAT. Pr. p. 287. & RIVER. l. 5. c 4.
(*z*) Vid. SCHENCK. lib. 1. obſ. med. de lingua.
(*a*) Vid. D. 1. A. 9. obſ. 137. & SCHENCK. obſ. med. lib. 1. obſ. 380.

Sic & propter male formatum linguæ frenulum malum hocce nonnunquam oritur. quando nimirum illud vel nimis ſtrictum & curtum eſt, vel nimis latum, longiorique linguæ tractu adnatum. quod vitium fere ſemper poſt nativitatem contingit, illud autem ſæpe à prima nativitate dependet. Præter primam verò conformationem ulcus vel vulnus in cauſa eſſe poteſt, aut ſi cicatrix vel major, vel durior quam fieri deberet, ſuccreſcit, unde lingua expedite moveri non poteſt. In nonnullis infantibus impedimento eſt hoc vitium, quo minus papillas ſugere, vel ad majorem provecti ætatem, voces articulatas exprimere valeant, niſi manus chirurgica opem ferat. Quod ipſum ex diſertiſſimo ore celeberrimi noſtri anatomici Viri Ampliſs. Excell. experientiſſimique D. D. Salzmanni Patroni ac Præceptoris æternum devenerandi habeo, legique etiam poteſt in MSC. Collegio chirurgico (*b*). Quamvis autem hoc ligamenti vitium quandoque ne quidem balbutiem homini inferat, (*c*) interim tamen ſæpius (*d*) mancam reddit loquelam, imo nonnunquam ejus defectum prorſus inducit (*e*). Obſervamus ulterius in labiorum conſideratione, quæ in ſtatu naturali multum quoque in formandis & pronuntiandis verbis contribuunt, ex eorum mala conformatione inſigniter lædi loquelam; quod in labiis leporinis (*f*) videmus. Haud minorem patitur læſionem uvula, naribus (*g*) aut palato, male formatis, quod docent lue venerea laborantes (*h*).

Et quis omnia loquelæ vitia à quacunque cauſa orta recenſere poſſet, dum omnium hiſtoriographorum libri, variis obſervationibus pleni ſunt. Alii enim à vermibus (*i*). Alii a frigore nervis accidens (*k*). Alii ab abſceſſu in pericardio (*l*). Alii ab humore concreto in cordis ventriculis (*m*) & iterum alii ob thymum (*n*) glandulam corruptis humoribus infarctum, aut ob abſceſſum in ventriculo (*o*) loquela privati fuere.

Nec

(*b*) Part. 2. ſect. 2. art. 13. de inciſione frenuli linguæ.
(*c*) Vid. Barthol. Anat. renov. lib. 3. c. 13.
(*d*) Vid. Sennert. Pr. L. 1. Part 3. ſect. 5. cap. 5. & Schenck. L. 1. obſ. 391.
(*e*) Vid. Plat. Pr. T. 1. de ling. & loq. vitiis.
(*f*) Vid. Author. ab Excell. D. D. Salzm. colleg. chir. T. 1. ſect. 1. art. 3. de natura labii leporini allegat.
(*g*) Vid. Tulp. l. 1. obſ. 25. & Schenck. obſ. med. l. 1. ubi de naribus.
(*h*) Vid. Forest. L. 33. obſ. 22.
(*i*) Vid. M. N. C. D. 1. A. 8. obſ. 100. & D. 2. A. 5. 170. Schenck. obſ. med. L. 1. obſ. 257. & diſſert. de aphonia periodico à vermibus orta. auth. Ziegler. Baſil. 1724. edit.
(*k*) Vid. Zacut. Luſit. op. T. 1. lib. 2. hiſt. 15.
(*l*) Vid. Bonet. ſepulchr. L. 1. obſ. 2. ſect. 22.
(*m*) Vid. L. C. obſ. 12.
(*n*) Obſ. 16.
(*o*) L. C. obſ. 18.

Nec prætereunda eſt, iſta aphoniæ ſpecies, ſilentio, quæ periodica dicitur, de qua vide M. N. C. (p), denique non poſſum non, quin & mentionem illius aphoniæ ſpeciei faciam, quæ a faſcinatione, uti in vulgus creditur, provenit, hujus enim exemplum exſtat in M. N. C. (q) ubi aphoniam à faſcinatione ortam deſcribunt. Quod & clariſſ. D. D. CRAUSIUS (r) muliere ex veneficio muta confirmat.

§. VI.

Finitis jam, quantum fieri ob temporis Anguſtiam potuit, hiſtoriis, paucis ad quasnam noſtra pertineat perluſtrare animus eſt.

Duo autem præprimis occurrunt phænomena conſideratu digniſſima, alterum, quod ſubito & uno quaſi momento vocem amiſerit, alterum quod ex improviſo rurſus eodem beneficio mactata fuerit. Circa primum quæri utique poſſet, an non faſcinatio, uti quidam credere voluerunt, interceſſerit, nec ne? ubi non poſſum non facere cum iis, qui in aſſerendis veneficiis cauti incedere jubent, cum conſtet, ex millenis hiſtoriis, vix unam alteramve hiſtoriolam faſcinatorum veram eſſe, & certe imperium Diaboli, poſt glorioſiſſimum ab omnipotenti Servatore noſtro de eo actum triumphum, ita imminutum atque fractum eſſe, ut vix amplius vel ipſe vel ejus mancipia, tam ſtupendos in mortalium Lytro prætioſiſſimo redemptorum corpora, effectus producere valeant. Accedit illud, quod ſæpius à cauſis maxime naturalibus tam miri morbi atque ſymptomata exoriantur ut iis laborantes non modo pro faſcinatis, ſed & plane dæmone obſeſſis à male credula plebe pronuntientur. Aſpiciamus cum malo hypochondriaco paſſioneque hyſterica conflictantes ægros, & quandoque ſtabunt comæ, voxque faucibus hærebit. Quas & quantas fabulas ludant vermes aliaque animalia, quæ ex ovulis in corpore fuere prognata vel in idem per os irrepſere, triſtis experientia docet, cujus rei teſtimonium ſatis facere poteſt lacertus iſte ex ſtellionum genere, quem die ſecundo Novembris 1699. venerando Patruo meo oſtendit, Viri Ampl Excell. Experientiſſimique Domini *Joh.* BOECLERI Med. D & P. P. O. cap thom. Canon. meritiſſimi, fautoris Patroni ac Præceptoris mei in æternum colendi, cujus fideliſſimæ informationis & inſignis favoris in omni vita memor ero, beatæ memoriæ Parens ampliſſimus Dn. *Joh.* BOECLERUS. Med. D. & Prof. Sacri Palatii Comes, cap. thom. canon nec non diſtrictus argent.: Phyſicus Provincialis qui vomitu à Puella novem annorum in pago Lingelsheim non longe ab hac urbe

(p) D. 2. A. 3. obſ. 40. D. 1. A. 9. obſ. 183. D. 3. A. 3. obſ. 150. D. 2. A. 10. obſ. 197. & diſſert. ZIEGLER. cit.

(q) D. 3 A. 2, 169.

(r) In diſs. Jenæ 1702. habit. de Aphonia. p. 12.

urbe diſtante horrendis cruciatibus, miriſque contorſionibus exagitata, a ſumpto medicamento ſimplici. pulv. ſc. cornach. rejectus fuit, vivus adhuc, & ſatis vegetus, perque plures adhuc dies ſuperſtes. Non itaque, dum extraordinaria ſymptomata occurrunt ad veneficia, faſcinationesque multo minus ad obſeſſiones provocandum. Indignum hoc eſt Medico, præſertim cum ſæpiſſime cum ipſo morbo & veneficium & Diabolus profligetur. Hinc etiam noſtro in caſu non aliam niſi ſumme naturalem cauſam adfuiſſe credibile mihi quam maxime videtur. Quod ſi hiſtoriam bene perpendamus, plures videntur concurrere cauſæ; non dicam multa de conſtitutione corporis cacochymica, neque etiam de ſcabie, quippe quæ retrocedens vix comprehenſibiles quandoque edit effectus, prolixus eſſe volo, ſed potiſſimum Imò conſiderandum offero terrorem, quo perculſa fuit, dum febre correpta aqua frigida ex puteo hauſta, ſuper totum corpus perfuſa fuit, unde tum ſpiritus in motu ſuo impediti, tum etiam reliqui humores in circuitu ſuo turbati fuere, ut a circumferentia ad centrum ſe receperint, organaque loquelæ inſervientia, quaſi paralytica reliquerint, aut potius ſpaſmodice contracta, non amplius debito modo commovere potuerint, præſertim cum IIdo loco ad talem contractionem quam maxime contribuiſſe videatur inopinatum iſtud frigus, corpus rigore correptum, ulterius ſtringens Unde poſtmodum humores in majorem ſpiſſitudinem redacti, non niſi depravate & inſufficienter ad modo dictas loquelæ deſtinatas partes influxere. Accedit, quod, circa loca, ſermoni exprimendo, deſtinata, ab illo rigore condenſati humores ſtagnarint, ibique ſucceſſive abſceſſum formarint, qui ob membranæ ſuæ duritiem nonniſi poſt longum temporis ſpatium potuit rumpi; ad quem abſceſſum quoque contribuiſſe videtur percuſſio capitis, ſi illa vera eſt, præſertim cum a tali percuſſione in partibus internis abſceſſus formari poſſe, dubium non ſit, quanam autem in parte præcipue tumor iſte reſederit, exacte quidem determinari nequit, a faucibus tamen non longe abfuiſſe illud probabile reddit, quod ſemper de buccella veluti in faucibus, quam neque deglutire, neque excernere poſſet, hærente conqueſta fuerit. Mirum equidem cuidam videri poſſet, quod cum ejusmodi tumore juncta non permanſerit febris præſertim cum deinde pus quoddam obſervatum fuerit; at experientia conſtat, ejusmodi tumores, præſertim cyſti craſſiori incluſos intra corpus diu absque ulla commitante febricula ſubſiſtere poſſe, teſtes hujus rei exiſtunt vomicæ pulmonum, quæ diu ſatis, nullo fere modo laborante homine perſiſtunt. Cum autem deinde hic tumor ad maturitatem inclinaret, nihilominus aliqua febris ſpecies, quam non tam deglutiendi difficultas ab increſcente tumore orta, quam oris amaritudo, dejecta appetentia & alia, quæ forſan tum aderant ſymptomata, indicare videntur, acceſſiſſe probabile eſt; improbabile autem eſt à projecta caſtanea in eam capitis partem, qua ſe dolore miſera monſtrabat, veneficio quaſi, tale produci potuiſſe

potuiſſe malum, niſi velis dicere imaginationem & præconceptam contra verberantem ſociam, quaſi veneficam, opinionem aliquid hic contribuiſſe. Nec triſtitiam plane excluderem, quam in triſti noſocomio, præſertim cum ſe à ſocia verbis aſperioribus tractatam ſentiret, conceperat; quid enim & hic affectus ad aphoniam valeat, ſupra jam indigitatum fuit, ſicuti & mea qualiacunque ratiocinia ex ſupra allegatis obſervationibus confirmari poſſe, ſpero. Cæterum licet re vera in ſtatu p. n. fuerit conſtituta, dicta mulier, nihilominus ſuas deinde, à febre libera, functiones peragere potuit, quo magis tumor in tali parte hæſiſſe videtur, quæ abſolute tum ad vitam, tum ad motum non erat neceſſaria. His itaque forſan ex cauſis aphona fuit reddita ægra.

§. VII.

Nihil jam amplius reſtat, quam ut paucis etiam exponam, qua ratione tantum beneficium rurſus receperit. Variis equidem modis loquelam reſtitui, notum eſt: memorabile eſt exemplum filii Cræſi, qui à nativitate mutus, dum occiſorem in Patrem irruentem videret, terrore amoreque in Patrem exagitatus, miraculo quaſi linguæ uſu donatus eſt, ut hoc ipſo præcaverit mortem Patris. Experientia etiam docet, quod aphonia ſæpius diverſis remediis fuerit ſublata, de quibus tamen tractare longum nimis foret, quapropter etiam ſilentio involvo methodum Ammani, qua mutos & ſurdos à nativitate inſtruit, quomodo loqui queant. Noſtram quod concernit ægram, non adeo difficile erit exponere, quomodo rurſus evaſerit facunda? modo reſpiciamus ad ea, quæ ſupra dixi de apoſtemate organis vocalibus incumbente; dum enim illud ſucceſſu temporis ad maturitatem pervenerit, accedentibus crebrioribus oris collutionibus tandem diſruptus fuerit tumor, id quod ex pure ſanguine permixto, & ex ore rejecto, facile cognoſci potuit. Quod autem clara voce non ſtatim intonuerit, mirum non eſt, cum partes, loquelæ deſtinatæ, tamdiu ab uſu ſuo quieverint. Accedit præſertim illud, quod etiam cacochymica extiterit, ſucceſſu autem temporis, & poſt debita adhibita remedia, ulcere forſan beneficio naturæ ſponte ſanato, claram recuperavit vocem. Illud tamen ultimo ſilentio non involvendum eſſe dico, quod licet valetudine admodum ſecunda gaudeat, hebetioris tamen & debilioris ſit nunc ingenii, cujus phænomeni rationem forſan non adeo inepte ab ictu in caput, cerebrum concutiente, imo etiam à mœrore derivare quis poſſet. Habes hic B. L. brevem caſus ſat curioſi delineationem, quam ſi minus exaſciatam, & hinc inde vacillantem deprehendes, benignitate tua illam ſuppleas iterum, iterumque contendo.

S. D. G.

CCLVIII.

SIGISMUNDI SCHMIEDER

SCHEDIASMA

DE

POLYPO OESOPHAGI VERMIFORMI RARISSIMO,

A quotidiano pulveris Sternutatorii hiſpanici vulgo Spaniol *abuſu progenito.*

Delitii 1717.

§. I.

PROOEMIUM.

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, eripimur terris. Omnes unum hanc in vitam habemus ingreſſum, diverſum vero atque varium ex iſta egreſſum. Omnes una manet mors, ſed mille dantur viæ, per quas ad eam mortales ducuntur. Mille pereundi toto die obveniunt die modi, & iisdem ſæpius illum gelida abripit & ſuffocat aqua; aut inſani maris abſorbent fluctus; iſtum immanis dilaniat fera ac miſere diſcerpit; huic exitio palea exiſtit futilis, vel alia res viliſſima, nulliusque momenti; illi inſperato vitæ terminum abbreviat herba lethifera aut culex abjectus; iſti nullius pretii acicula mortem inopinato affert: hunc porro terribile proſternit fulmen; illum domus vel murus conquaſſat corruens, aut terra dehiſcens magno cum ejulatu ad inferiora trudit; iſtum latrones in via trucidant crudeles, miſerandumque poſt ſe relinquentes ſpectaculum: Huic vitæ filum tacite diſſuit fucoſa & improba Venus; *illi ignem vitalem extinguit immoderatus* Bacchus; *iſti ſaliens ſub inexſaturabili pectore flamma, ira nempe æſtuans atque memor, cito affert interitum. Multos interimunt morbi chronici; multos acuti; multos denique leves initio, imo pro leviſſimis habiti, morbi omnem præter ſpem atque expectationem, viventium numero exturbant exterminant atque ejiciunt. Adeo perpauci, imo pauciſſimi, naturali moriuntur morte! Qualia multiformis vitæ humanæ exitus exempla ſuo* in Theatro Tragico Dn.

ADA-

ADAMI, *dictus* MISANDER, *copioſe congeſſit*, *omnibusque ſecure viventibus ob oculos penſitanda poſuit. Quibus jure meritoque annumerandus venit præſens caſus, oppido curioſus ac rarus, cujus ſequentem in modum ſe habet.*

HISTORIA MORBI.

Caupo quidam in pago Poſſevvitz prope Pirnaviam, *Johann Gottfr.* GROSSE, Vir annum 43. agens, temperamento ſanguineo-phlegmatico, habituque ad cacochymiam admodum proclivi, at ſat notabili corporis mole gaudens, mirumque in modum pulveris ſternutatorii Hiſpanici, vulgo *Spaniol*, deliciis effaſcinatus, A°. 1714. circa tempus vernale dolorem quendam urentem, a nimia dicti pulveris aliquando facta per nares attractione, in medio œſophagi perſenſit, inopinatoque non ita multo poſt deglutitionem nonnihil animadvertit impeditam. Quamobrem auxilium quærens, Medicum quendam convenit, & de dolore, nunc quidem ſopito, at in deglutitionis impedimentum mutato, queritur, cujus affectus cauſam in pituitoſa quadam ac viſcida materia, interioribus œſophagi partibus adhæreſcente, Medicus ponens, convenientia pro iſta incidenda, reſolvenda atque educenda, ægro præſcribit remedia, irrito tamen ſucceſſu maloque indies indiesque adhuc ingraveſcente. Hinc æger nihil levaminis percipiens ad alium ſe confert, ejusve opem implorat, ſimulque affectus cauſam infra ſuo loco paulo ſpecialius reddendam, ſibi probabilem, ipſi refert, quam vero hic flocci æſtimans, aliamque ſubeſſe aſſerens, ægro remedia, pro neſcio quo, acido, ſpaſmodicam hanc fibrillarum affectionem generante, corrigendo atque eliminando, equidem exhibet; at iterum absque ſucceſſu ſperato. Nullum igitur ſecunda vice effectum ſalutarem, hactenus tam anxie exoptatum, æger obſervans, in auxilium rurſus vocat alium: & quidem medicaſtrum ruſticum, qui, prioris veſtigia legens, pituitoſam acremve materiam genuinam ac veriſſimam hujus impeditæ deglutitionis liberioris exiſtere cauſam, pariter pro re certiſſima aſſerit, certo citoque, ut impudens id hominum genus, gravi animadverſione utique dignum, ſolet, impedimentum hoc ſeſe ablaturum, deglutitionemque liberiorem redditurum, certiſſime pollicetur. Varia hinc ægro porrigit, quorum uſus, inſignis licet pituitæ copia fuerit educta, plane denuo fuit inanis atque nullus, cum ne minima levaminis cujusdam pars ægro inde fuerit allata. Deſerens ergo & hujus hominis vani medelam æger, naturæ & tempori ſeſe tantum committere animum induit, ſponteque ſua forſan hoc malum iterum ceſſaturum firmiter ſperat. Interim vero *Penicullum Ventriculi*, vulgo *die Magen-borſte*, remedium illud barbarum, de quo multi hactenus

ctenus inaudierat, conſulit, iſtud applicat, ejusque ope ſat notabilem equidem educit pituitoſæ materiæ copiam, nullo tamen inde ſubſequente levamine. Ad quæſtionem, num ex applicatione penicu'i ſenſerit dolorem? reſpondit: eum quidem ſe non ſenſiſſe, interim tamen difficilem, imò in ventriculi cavitatem ejus penetrationem haud poſſibilem, ob quoddam in gula obſtaculum perceptum, plenarium periculi ingreſſum prohibens, fuiſſe. Paulo poſt, loco ſperati effectus ſalubris, magis magisque malum augeri animadvertit patiens, adeò, ut ſolida tandem alimenta haud amplius aſſumere valeret, ſed liquidis tantum, e. g. lacte, juſculo avenaceo tenui &c., famem ſedare corpusque valde jam emaciatum nutrire cogeretur. Imo, tantum hic affectus demum ſumſit incrementum, ut recenſita jam liquida tenuia libere exinde deglutire haud valuerit, ſed mediante calamo ſtramineo iſta abſorbere neceſſe habuerit miſer. Quamprimum enim paulo liberius larginsque ea ſorbere voluit atque deglutire, ea ſtatim cum ſonitu regurgitarunt, præſentaneam ægro ſuffocationem minitata. Tandem hic, de cetero ſanus, liberaque reſpiratione gaudens, denuo Medici cujusdam auxilium implorat, petitque, ut ſibi ſuppetiæ ferantur. Hic, in affectus hujus admirandi cauſas occaſionales paulo curatius inquirens, variaque ex eo quærens, alia inter quoque ea, de quibus ſuperius jam nonnihil fuit adductum, audit: ægrum nempe nimis in uſum vocaſſe pulverem ſternutatorium, eundemque dubio procul miſerandi hujus mali primam extitiſſe cauſam occaſionalem. Et, quo evidentior veriorque cauſa hæc appareat, factum fuiſſe refert æger, quod pulvis hic, præſertim ſicciſſimus ſummeque volatilis, corpore aliquando calefacto, & ſudoribus probe diffluente, naribus copioſe intruſus, fortiterque inſpiratus, non ſolum in aſperam arteriam, verum etiam in fauces & gulam usque, penetrarit, tuſſim, eamque frequentem & moleſtam, nec non in gula ardorem, una cum dolore primum obtuſo, ſanguinisque ſputo, excitarit. Ex quo tempore ſtatim dolorem haud lenem, & hoc evaneſcente, deglutitionis impedimentum, fuiſſe exortum, ulterius confeſſus eſt æger, ſancteque affirmavit, nunquam in vitæ ſimile, nec etiam vel leviſſimum, in œſophago percepiſſe deglutitionis impedimentum. Hæc omnia Medicus percipiens, excreſcentiam quandam cartilagineam, ex læſione œſophagi obortam, adeſſe, ægrumque in extremo vitæ periculo conſtitutum, pronunciat, cujus terminum, inevitabile nunc fatum, cui æger ſolum relinquendus erat, accelerare viſum fuit. Ob nutritionis enim debitæ defectum corpus obeſum adeo fuit extenuatum, ut magis τοῦ σκελετοῦ, quam vivi hominis, faciem repræſentarit. Ultimo liquidorum etiam ne guttulam quidem aſſumere amplius potuit, quo venit, ut poſt aliquot dierum ſpatium, menſe Aprili anni 1715 fame ſitique incredibili emaciatus fractusque miſere tandem periérit. Cadaver quo aperiretur, cauſaque tam ſtupendi affectus detegeretur inque lucem protraheretur, vivens adhuc æger petiit, hac tamen conditione,

ditione, ut absque ſumtibus ſectio inſtitueretur, quod etiam ita factum fuit. Aperto itaque decenter nunc cadavere, ventriculus A. in fig 4. parteſque internæ, a ſtatu naturali adeo remotæ non fuerant inventæ, excepto tantum œſophago, qui a B. usque ad C nonnihil contortus & pharyngem verſus ſolito tenuior atque acuminatior apparuit, & quidem adeo, ut ejus apertura, alias ſatis ampla, vix pirum admittere fuerit viſa. Quo autem, quæ intus forte laterent, nunc quoque luci exponerentur, ille inciſus fuit, quo facto, ad omnium ſtuporem conſpectui præſens delineata ſeſe ſtitit inſignis excreſcentia carnea, per medium Fig. 1 & 3 d d d diviſa, quæ in media œſophagi parte, eaque poſtica, qua ſpinæ dorſi adjacet initium (circa quod aliquis cujusdam materiæ cruoris inſpiſſati ad inſtar, cernebatur) ſumens, ad pylorum usque ſeſe fere extendens, longitudine ſex digitorum transverſalium, craſſitie vero lumbricum inſignem, tam in α quam in β, æquabat. cujus etiam faciem aliquo modo mentiebatur. Subſtantia hujus excreſcentiæ (interdum c c c plicatæ, ut ex fig. 3. patet,) rectius polypi, erat carnoſo-fibrilloſa atque mollis, color vero ex alto rubicundus. Cultro anatomico, & quidem faciliime, cum vel digitorum jam attactui cederet, auferebatur polypus ſic rariſſimus, quo ablato, pedes ejus vel potius radices, quibus in gulæ ſubſtantiam ſe inſinuaverat, in conſpectum veniebant, quarum veſtigia b b ob nimiam ſuam brevitatem, multo elegantius in œſophago aperto, quam ipſo in polypo, utpote qui ante interiori adhærebat tunicæ, conſpici poterant, uti ex fig. 2. luculenter patet. Et ſic impeditæ deglutitionis mortisque miſeræ cauſa, de qua nemini hactenus quicquam fere in mentem venerat, detecta nunc conſpiciebatur, dignaque judicabatur, quæ rarioribus medicorum obſervationibus infereretur, publiceque proponeretur.

Talis itaque fuit Viri hujus in optimo adhuc ætatis flore conſtituti lamentabilis vitæ exitus, cui procul dubio longius vitæ filum ducere fuiſſet conceſſum, diætam ſi ſervaſſet debitam, atque a nimio pulveris hujus uſu provide ſe temperaſſet, ac in tempore, hoc eſt, in principio ſtatim, œſophago adhuc dolente & ſputo cruento nondum ceſſante, valetudinem ſuam rite indicaſſet. Tantum refert in tempore venire, quod omnium eſt primum! Cum vero omnis morbi vera cognitio dimidiam, ut veriſſime dicitur, curationis abſolvat partem, quæ in noſtro, ut videtur, neglecta fuit, nemo etiam miretur, erroneam inde curationem, mortemque demum, ob malum inveteratum & ἀδυναμίαν curandi, exortam fuiſſe atque ſecutam. Hinc οἱ ἰατροὶ, ait HIPPOCRATES de *morbis mulier.* Lib. I. p. 615. edit. Fœſii, ἁμαρτάνουσιν οὐκ ἀτρεκέως πυνθανόμενοι τὴν πρόφασιν τῆς νούσου; & paulo poſt: χρὴ οὖν ἀνερωτᾶν αὐτίκα ἀτρεκέως τὸ αἴτιον. Sed, quis polypum heic latuiſſe divinare potuit, alias in naſo præcipue ac corde nidulantem? Ita autem profecto res ſeſe habet circa ea mala, interius latentia virumque noſtrum plane ſubterfugientia, præſertim,

cum ſæpiſſime ſub alterius morbi facie nobis illudant, cujus illuſionis exempla e multis in præſenti eſſe poſſunt: Abſceſſus latens, vid. Celeberrimi STAHLII Diſſertat. de Hectica Febre, abſceſſuum internorum comite; malum hypochondriacum & ſcorbutus, in *Chriſt. Johann.* LANGII Opp. Medicor. Theoretico-Pract. P. II. Cap. V. §. 14. p. 33. & Cap. VII. §. 4. p. 38. Paſſio Hyſterica, in SYDENHAMII Diſſert. Epiſtol p. m. 487., ejusque Proceſſib. in morbis fere omnib. Curand. p. m. 718. qui etiam evolvendi in Append. ad Epher. Medico-Phyſic. Academ. Leopoldino-Imperial. annum. X. Decur. II. p. 143. ubi de affectione, in fœminis, hyſterica, maribus, hypochondriaca dicta; & Polypus Cordis in *Michael. Bernhard.* VALENTINI Pandect. Medico Legal. P. I. ſect. III. Caſu XX. p. 344. 346. 349. 357. & 364., nec non Praxi Medica Infallib. p. 196. ſeqq., item in ZITMANNI Med. Forenſ. Caſu XXCIIX. p. 1367. 1369. & 1372. ſeqq.: Qui morbi, quantis ſe ſub larvis ſæpius occultent, ex ſcriptis ac opp. jam allegatis, pluribusque Medicorum Celeberrimorum obſervationibus, conſtat, & diligenti prudentique Practico obſcurum eſſe nequit. Sic de polypo cordis quodam, polypo mutabiliori, prolixum ac memorabile conſignavit exemplum jamjam laudatus D. *Mich. Bernhard.* VALENTINI in Praxi infallibili allegata, ubi polypus ille admodum curioſus, ſchemate aſthmatis convulſivi cum cordis palpitatione indutus, omnibus impoſuit Medicis, cui larvam poſtea, omnium cum admiratione, cadaveris detraxit ſectio. Unde clariſſime patet, quod medicus prudens non ſtatim huic vel illi morbo, obſcure ſe providenti, vel ſub alius facie apparenti, fidem habeat, ſed quam diligentiſſime in ejus ludificationes inquirat, cum & in Praxi Medica etiam illud: Qui facile credit, facile jam decipitur, obtineat. Quapropter prudenti diffidentia & perſcrutatione indefeſſa Medico opus eſt, inprimis, ubi ſigna debita non omnia adſunt, nec remedia, alias certiſſima probatiſſimaque, effectum ſuum edere obſervantur ſalutarem. At enim vero, hoc opus hic labor eſt! Debitis ergo & neceſſariis requiſitis, iisque tam Medicis quam Philoſophis, & judicio præſertim practico exquiſito, decenter ſit inſtructus ille, verum hic a falſo diſcernere cupiens. Sed agendum eſt, cum plura perſequi, tum Hiſtoriæ tum Proœmii magnitudo prohibeat; ut ea exponamus & proferamus, quæ exorſi ſumus. Quare ad propoſitum nunc veniemus & in eo, quantum fieri poterit, præmiſſa definitione nominali & reali, atque diviſione, generatim in polyporum ſubjecta, ſpeciatim vero in noſtri locum natalem, quem deſcriptum dabimus, inquiremus: Deinde iterum nonnihil in genere polyporum cauſas delibabimus, ſpeciatim vero præſentis occaſionalem ac proximam ſcrutabimur; ac demum quarto phænomena nonnulla, adjectis quibusdam quæſtionibus, ex hiſtoria morbi [illegible]; eave quinto ſoluta dabimus atque explicata. Tu vero,

O Deus!

O Deus! o Vitæ merito pars maxima noſtra!
Virgilius Georgic. Lib. II. v. 40. p. m. 56.

Summe Deus! ventum lenem da vela patenti!
Idem verſu 41.

Da facilem curſum, noſtris nunc annue cœptis!
Idem Lib. I. v. 40. p. 36.

Atque oſtende viam, propius res aſpice noſtras!
Idem Æneid. Lib. primo v. 530. p. 136.

Tuque adeo votis jam nunc adſueſce vocari!
Idem Georg. Lib. I. v. 42.

SECTIO I.

Definitionem Nominalem & Realem atque Diviſionem exhibens.

§. I.

Cum primis jam artis noſtræ ſalutaris ætatibus in uſu fuerit ſolenni, nominum ante omnia accuratius cognoſcere uſum, quo res, quarum notitia acquirenda erat, eo facilius paterent, majorum noſtrorum veſtigia dum lego, a ſcopo haud me aberraturum arbitror. in præſentis Diſſertationis limine, ſi de iſtius rubricæ ſignificatu nonnihil fuero ſollicitus. Scribit equidem Dn. *Anton.* REIES in Diſſert. de Affectib. cum Hæmorrhag. uteri connexionem habentibus, Argentorati menſe Januario anni 1715. habita: (Diſſertationem hanc Inauguralem ſervus quidam chirurgicus, homo literarum & morum plane rudis, menſe Junio jam dicti anni, non ſine Illuſtris Facultatis Medicæ Erfurtenſis, verique Diſſertationis Autoris, ignominia, turpi conatu, clam nempe ac furtive, ſub ſuo nomine, adjectis multis carminibus gratulatoriis, imprimi curavit, eandemque pro ſuo labore publice venditavit, uti hoc teſtantur Acta Inquiſitionalia in Curia Pirnavienſi) ſe neſcire, quam vim in vocibus quidam quærere ſoleant, cum parum inde utilitatis ad Medicas redundet, & hæc vocum evolutio non tam ad forum Medicum, quam potiſſimum Criticum, ſpectet. Sed quis non videt, hæc verba tangere Scarabæos criticos, qui nulla neceſſitate ſæpius vana ejusmodi verborum aucupia inſtituunt, quisquiliasve tales inutiles magno cum ſuſurro & labore congerunt. Uſus habet laudem, crimen abuſus habet. Nec Medici etiam ſana critica carere poſſunt, quod multis exemplis ac teſtimoniis, ſi inſtituti ratio permitteret, probatum & confirmatum dari poſſet. Philiatri

liatri enim non tantum pilulis, pulveribus atque tincturis, adſtringendi ſunt, longe plura certe iſtos ſcire oportet. Verum, re ertamur unde dilapſi ſumus. Deſcendit Πολύπους, Jonice & Dorice πώλυπως vel πωλυψ, a πολύς, ὁ & ποῦς, ut ita vi vocum Polypus idem ſit quod multipes, ac rem quandam multis pedibus inſtructam, in ſenſu autem Medico excreſcentiam in corpore humano p. n. carnoſo fibroſam, multis radicibus, tot quaſi pedibus, quibus adjacentes arripit partes, easve iisdem firmiter tenet, donatam, denotet. Unde etiam Polypodium (quibusdam Draco dictum, Germanice ob innatam dulcedinem *Engel-Süs*, *Süſ-Wurzel*, vocatum) multis radiculis, pedibus, quaſi minuſculis præditum, quibus in ſaxorum fiſſuras, quercuumque partes vetuſtate corruptas, ſeſe inſinuat, easque firmiter prehendit, nomen accepiſſe videtur. Celeberrimus *Georg. Hieron.* VELSCHIUS in pereleganti ac eruditiſſimo ſuo Tract. de Vena Medin. conſcripto, pag. 110. polypodium, quod annoſis innaſcitur quercubus, pro excremento morboſo habet, quando ita ſcribit: Imo nec polypodium, quod ſupra draconem quibusdam dictum animadvertimus, quamvis ſui generis ſit planta; aliud quam morbus quidam annoſæ quercus videtur, quemadmodum & viſcorum ſpecies, radicibus nodoſis & curvatis dracunculis haud abſimiles. Quam vere hæc aſſerantur, perpendant Botanici ac hiſtoriæ naturalis ſcrutatores.

§. II.

Alii excreſcentiam hanc carneo-fibroſam nomen ſuum â Polypo piſce accepiſſe volunt, idque non tantùm ratione multarum radicularum & pediculorum, quibus hic inſtructus dicitur, judicio D. *Mich.* ETTMÜLLERI Colleg. Pract. Lib. II. cap. V. artic. II. in Tomo opp. II. pag. 361. edit. Weſtphal., ſed etiam ratione ſimilitudinis ſubſtantiæ carneæ, ejusve mollitiei atque tenacitatis pedum, dum omne, quicquid iisdem arripit, firmiſſime tenere fertur, unde etiam PLAUTUS in aulular. iſtos homines, qui & capaces ſunt atque tenaces, cum Polypis non ineleganter comparat, inquiens: Ego iſtos novi Polypos, qui, ubi quicquid tetigerint, tenent. Ex quo loco porro videmus, quod hoc vocabulum, Græciæ licet ſuas debeat origines, in Latium tamen ſit receptum, uti ex Horatio. Ovidio aliisque patet auctoribus latinis. Sic HORATIUS Epod. XII. verſu 4. ſequ. p. m. 128. polypi morbi hisce in verbis mentionem injicit:

- - - - - - *Namque ſagacius unus odoror,*
Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis;

& Sermon. Lib. I. Sat. III. verſibus 38-40 p. 148. ſeqq.

- - - - - - *Amatorem quod amicæ*

Tur-

Turpia decipiunt cœcum vitia; aut etiam ipſa hæc
Delectant: veluti balbinum polypus agnæ.

Verum apage ſis turpis amator! habeas tibi colum has dapes, quibus apprime conveniunt illæ, quas *Manerc.* SCAURUS, Conſul Romanus, dicente SENECA de benefic. lib. IV. cap. 31. avide ore hiante excepit atque deglutivit. At enim vero redeamus iterum ad rem. Undecunque autem malum hoc, ſive a convenientia cum polypo piſce ratione ſubſtantiæ iſtius, ſive a pedum multitudine eorumque virem apprehenſam firmiter retinendi (quod ultimum aſſertum priori videtur probabilius) ſuum acceperit nomen, diutius tamen circa ejus evolutionem, moram ut nectam, opus non videtur, hinc ad polypi deſcriptionem pergens, dico, quod ille ſit variarum corporis humani partium excreſcentia præternaturalis, ut plurimum carnea vel carnoſo-fibroſa, mollis, indolens, rubicundo aut incarnato colore imbuta, multisque radicibus inſtructa. Hæc deſcriptio, cum & noſtræ excreſcentiæ œſophageæ competat, jure meritoque etiam ratione ſubſtantiæ, coloris & configurationis, polyporum in claſſe collocanda venit.

§. III.

Cum vero experientia frequens edocuerit, omnem polypum non ſemper unius ejusdemque ſubſtantiæ, coloris atque mollitiei, eſſe, ſtudio in deſcriptione noſtra τὸ ut plurimum fuit additum. Aliquando enim polypus, ratione coloris, ætatis, ſubſtantiæ, qualitatis, quantitatis, ſenſationis, non ſemper unus idemque deprehenditur, nec in uno eodemque invenitur loco; unde variæ ejus apud practicos exortæ fuerunt differentiæ atque diviſiones. Sic v. g. ratione coloris diſpeſcitur in album, ruffum, incarnatum, pallidum & lividum; ratione ſubſtantiæ in fungoſum, carnoſum, carnoſo-fibrilloſum, ratione ætatis in recentem & inveteratum; ratione qualitatis in benignum, malignum & cancroſum; ratione quantitatis in parvum, magnum, mediocrem; ratione conſiſtentiæ in mollem, durum, cartilaginoſum; ratione ſenſationis in dolentem & indolentem. Vide PAREI Opp. Chirurg. lib. VII. cap. II. p. m. 232., SEBIZII Spicil. Med. Pract. T. I. P. II. Sect. VII. cap. IV. aliosque. Denique dividitur polypus ratione loci & proprii domicilii in ſuperiorem & inferiorem, ac in polypum cordis, cujus hinc & inde apud ſupra allegatos VALENTINI & ZITTMANNUM aliosque practicos occurrunt exempla, quorum quinque ego ipſe recordor; in polypum bronchiarum & tracheæ, cujus exemplum refert *Eduard.* TYSON in Thomæ BARTHOLINI Actor. Hafniens. volum. V. obſervat. 30. pag. 94. ſequ.: in polypum meningum cerebri, cujus inter alia mentionem injicit celeberrimus *Johann. Jacob.* HARDERUS in

Ephemer. Medico Phyſic. Acad. Nat. curioſ. anno I. decur. II. obſervat. XXXV. pag. 95.; in polypum œſophagi, cujus nonniſi præſens mihi notum eſt exemplum; & demum in polypum narium, cujus proventus non adeo rarus obſervatur, unde etiam tam variæ ejus diviſiones ſub initium hujus paragraphi prolatæ ortum duxerunt. HIPPOCRATES περί νυσων lib. II. p. m. 471. ſeq. edit. Foëſii quinque ejus recenſet ſpecies, quas inter notabilis ſequens, de qua ita ſcribit: ἔσωθεν παρά τόν χόνδρον, ἀπότεν σκληρόν Φύε τόκκαί δοκέει μέν εἶνα κρεας. Ἦν δε ψαυσυς ἀναῦ, ψοφέει οἶον λίθως; quæ polypi autem ſpecies inventu admodum rara eſt.

§. IV.

Aliis quoque in corporis partibus & interioribus & exterioribus, præter jam recenſitas, has enarratas naſci poſſe excreſcentias multipedes, nullus dubito. Quod vero rariſſime, imò fere nullæ earum occurrant obſervationes, partim fit ob quorundam practicorum negligentiam, partim ob ſtolidam hominum opinionem, quæ inſpectionem cadaverum difficilem reddit, partimque etiam ob occaſionis defectum. Ruri enim haud raro ſingulares atque rari deprehenduntur effectus, quorum autem pauciſſimi ad veri & rationalis medici notitiam perveniunt, ſed ex relatione poſtmodum, ægris jamjam defunctis, innoteſcunt.

SECTIO II.

Polyporum in genere, in ſpecie verò præſentis ſubjectum exhibens, ejusve ſtructuram delineans.

§. I.

AD polyporum ſubjectum illud nunc declaraturi, primum pergimus, præcipue cum id maxime ſcitu ſit neceſſarium, quo, & de modo remedia rite applicandi, niſi quædam ἀδυναμία forte obſtet, & prognoſi, quæ ubique ſola fere medicum admirabilem reddit, recte formandi, certi fiamus. Cum autem varium hoc ſit, ut ex §. 3. ſect. I. jamjam patet, nunc meninges cerebri, nares, aliasque corporis partes, conſtituant, miſſis his, in præſenti tantum circa noſtri polypi ſubjectum inhæſionis, œſophagum nempe, occupati erimus, ejusve hac occaſione ſtructuram ad interius aſſerenda, ex hoc paulo accuratius intelligenda & explicanda, enodatam delineatamque dabimus.

§. II.

§. II.

Prius vero quam hoc faciamus, œſophagi denominationis rationem reddere juvabit. Eſt autem œſophagus vox compoſita ex verbo ὀίω, Ἤσω, ſero, porto, & φάγω, edo; ut ita vi hujus compoſitionis ὁ οἰσόφαγος, locum qui cibum excipit, vel potius inſtrumentum, quod alimenta alio deportat, denotet. Alimenta enim ab ore & faucibus excepta, fiſtula hæc cibalis, ſphinctere ſuo per dilatationem recluſo, fibriſque hujus motricibus nunc rurſum arcte ſeſe conſtringentibus, ulterius ad ventriculum ablegat.

§. III.

Ratione itaque originis gulæ, de ſitu ejus atque progreſſu, notandum venit, quod initium illa ſuum in faucibus ſumat, ubi in ſenſu ſtrictiori pharyngis gaudet nomine. Ab hac enim, utpote cui continua, porticæ & membranaceæ tracheæ parti connata; ad hujus & colli vertebrarum ſuperiorum vel quatuor thoracis, quibus inſidet, tractum, recta deorſum tendit, ad quintam vero thoracis vertebram perventus, aortæ deſcendenti cedens, non nihil dextrorſum, & ad vertebrarum nonam cum eadem lævorſum denuo reflectit, eandemque tranſcendens, (unde clare ſatis patet, cur nonnulli corpore vehementer concalefacto, & ſanguine quaſi fervente, hauſto potu frigido, interdum in rigorem incidant, ut plurimum poſtea in febrem hecticam & putridam abeuntem. Vulgus ait: *Die Leber iſt geſchuppet worden*). Ad diaphragma, thoracem & abdomen dividens, pervenit, quo ab ipſa in parte inferiore ſeu muſculos a perforato, nervis ab octavo ſeu pari vago oriundis, nonnullis concomitata, abdomen ingreditur, demumque cum ventriculo intime unitur. Quo vero muniis ſuis rite defungi queat, provide *ſummum numen*, neceſſariis ipſam ad hæc decenter obeunda, inſtruxit requiſitis. Quapropter debitam ipſi non ſolum amplitudinem ſed & virtutem ſeſe nunc dilatandi, nunc conſtringendi, nec non ſufficientem glandularum, ſerum ad vias lubricandas plorantium copiam, alimentorum recte ad ventriculum perferendorum in gratiam, ſuppeditavit. Requiſita autem jamjam allata ſunt muſculi, vaſa atque tunicæ, e quibus via hac conflata conſpicitur, ut in ejus jam paulo ſpecialius evolvenda mirabili videbimus conſtructione, ad quam absque ullo ulteriori verborum nos nunc conferamus anfractu.

§. IV.

Primum pervenimus ad fauces, quæ omne id comprehendunt ſpatium, radici linguæ ac gulæ interpoſitum eſt, quodque alias pha-

ryngis ſeu principii œſophagi condecoratur nomine, ſiquidem ſuperius gulæ ſeu œſophagi caput non niſi muſcularis faucium eſſe videtur membrana. Licet autem haud omnino collapſa deprehendatur pharynx, cum eam os thyroideum, quo aër abſque ullo impedimento reſpirationis tempore per os nareſve in fiſtulam ſpiritalem irruere, atque ex iisdem per eandem viam rurſus exprimi queat, diſtentam ſervet atque expanſam; magis tamen eodem deglutitionis tempore adhuc amplior redditur atque dilatatur. Quem in finem duo præcipue muſculorum paria faucibus ſunt inſerta, quorum prius ſtylopharyngæum, alterum cephalopharyngæum, appellatur, e quibus illud ex radice proceſſus ſtyloidei, carneo, eove tenui, exoritur principio, atque oblique deſcendendo lateribus glanduloſæ faucium membranæ inſeritur; hoc vero ex parte, ubi cervicis caput primæ jungitur vertebræ, enatum deſcendendo in elationem pharyngis partem implantatur. Muſculis hiſce principium verſus contractis neceſſario fauces redduntur capaciores, aptioresque ad alimenta eo felicius excipienda evadunt. Hinc iis nimium inflammatis atque contractis, cum hic alimentorum ex ore ad gulam tranſitus ſit interceptus, difficillime, imo peſſime, deglutitionis negotium procedere obſervamus.

§. V.

Perventis ſic ex ore ad fauces alimentis, & ad deglutitionem a dentibus atque ſaliva præparatis, non diu hic moram nectunt, ſed ſtatim a contractivo pharyngis motu in anguſtum fiſtulæ cibalis canalem exprimuntur, cui motui non tantum œſophagæus ſeu gulæ ſphincter, ſed etiam pterygopharingæi inſerviunt muſculi, qui principio lato gracilius ac carneo ex ambobus pterigoideis proceſſibus atque radice linguæ, nec non etiam partibus oſſis hyoidei extremis enaſcuntur, atque carneis fibris ſemicircularibus excurrunt, quæ & ſupernam & poſticam tunicæ glanduloſæ pharyngis partem ambientes, in media quaſi linea concurrunt, in quam etiam omnino inſeruntur. Ad horum muſculorum munus quod attinet, in eo conſiſtit, quo fauces ad alimentorum in gulam expreſſionem promovendam coarctent, eoque ſimul tempore amygdalas reliquas, quæ glandulas iis ſubſtratas ad ſeri ſui intus contenti emiſſionem conſtringant, ut alimenta eo facilius citiusque ad ventriculum demandari queant. Tandem adhuc œſophagus ſeu gulæ ſphyncter conſiderandus reſtat, qui non niſi muſculorum jam nominatorum continuatio eſſe videtur: uti enim hi elatiorem, ita ille e contrario, inferiorem, pharyngis complectitur partem, atque ex utroque cartilaginis cricoideæ latere carneis enaſcitur fibris, quæ ſimili poſtea modo ad poſticam pharyngis lineam protenſæ in eadem terminantur, ut adeo iis contractis alimenta neceſſario in adnatum canalem, gulam nempe, expel-

expellantur. Nonnulli adhuc plures eorum numerant, ut VALSALVA, natione Italus, qui in tract. ſuo de aure humana, ſequentia muſculorum recenſet paria, eademque æri inciſa exhibet, nempe 1) ſtaphylopharyngæum], olim pro cephalo - pharyngæo habitum; 2.) gloſſopharyngæum, olim ſphænopharyngæum nuncupatum; 3.) ſtylopharyngæum; 4.) hyo-pharyngæum; 5.) thyropharyngæum; & denique 6.) cricopharyngæum. Verum enimvero, ad ſupra recenſitorum principia & inſertiones diligenter reſpicienti obſervatori perfacile patebit, horum multiplicationem præter ullam neceſſitatem fuiſſe factam.

§. VI.

Explicatio nunc faucium atque œſophagi muſculis ulterius ad gulæ vaſa, ſubſtantiam ejus percurrentia, atque tunicas, ex quibus hæc deglutitionis organa compoſita comparent, progredimur, ubi primum notamus, duplicis vaſa eſſe generis, adducentia nempe atque reducentia. Ad hæc venæ pertinent ac vaſa lymphatica; ad illa arteriæ ac nervi. Ad arterias, ſanguinem in nutritionis gratiam adducentes, quod attinet, iſta in collo a carotidibus, in thorace ab intercoſtalibus, nonnunquam etiam bronchiali Ruyſchiana, & in abdomine a coronariis, ſuam ducunt originem. Nervi, quibus gula gaudet, motus & ſenſus cauſa ſpiritus animales, tertiam corporis humani partem eſſentialem, ψυχὴν nempe, conſtituentes, adducentes, pari octavo ſeu vago ſuas debent natales. Venæ ſanguinem ſuperfluum reducentes, vaſisque majoribus iterum infundentes, ſimiliter in collo jugularibus, in thorace azygo ſeu venæ ſine pari, & in abdomine coronariis, inſeruntur. Ad vaſa lymphatica harum partium quod ſpectat, de iis nihil afferre poſſumus, cum eorum exiſtentia, de quo tamen haud dubitari poteſt, nondum fuerit demonſtrata atque detecta.

§. VII.

Vaſa ulterius excipiunt tunicæ, quarum nonnulli anatomicorum tres, nonnulli quatuor, nonnulli etiam, ut VERHEYEN in Anatom. Tract. III cap. 10. p. 289., quinque ſtatuunt, quarum prima, eaque extima, mera eſt membranacea, œſophago non tantum inveſtiendo, ſed eidem partibus vicinis alligando, inſerviens. Cum vero interdum fibris perquam exilibus nerveis prædita conſpiciatur, a non nemine inde membranoſo-nervea quoque dicitur. Altera, quæ huic ſubjacet, carnoſo-muſculoſa appellatur, atque ex duplici fibrarum ſerie, longitudinalium nempe, ac circularium ſive rectius ſpiralium, componitur, quam duplicem fibrarum ſeriem WILLISIUS in Pharmaceut. Ration. S. Diatr. de Medicam. Operat. in humano corpore P. I. Sect. I. cap. 2. p. m. 7.

 equi-

equidem admittens, ratione vero earum progreſſionis ab aliis diſſentiens, unam earum adſcendere, alteram vero deſcendere, aſſerit, quarum hanc ad deglutitionem, illam autem ad vomitionem, facere contendit. At enim vero recte de hac opinione Williſiana Dn. TAVRY in Anat. ſua nova Ration. Illuſtr. edit. Lat. p. 18. hunc in modum ſcribit: Cum impoſſibile ſit præciſe determinare, quænam iſtarum ſerierum adſcendat, quænam deſcendat, cumque utriusque ſeriei fibræ easdem adhæſiones ſ. connexiones eandemque configurationem obtineant, cognoſci non poteſt, an diverſis inſerviant uſibus, nec ne? In homine ſerierum una ex fibris longitudinalibus, altera ex circularibus, contexta eſt.

§. IIX.

Tertia, quæ vaſculoſæ nomen gerit, ex fibris irregularibus innumerisque vaſculis laxe conflata eſt, ſiquidem infinita pene vaſcula œſophagi perreptant ſubſtantiam. Eam quod concernit, quantum ad me attinet, ſuperfluum ac præter neceſſitatem ab Anatomicis exſculptum judico. Quis enim neſcit, omnes corporis partes permultis inſtructas eſſe omnis generis muſculis, quorum e vario progreſſu & concurſu paulo latiori ac compreſſiori ſi ſemper novam effingere vellemus tunicam, multis in partibus ea reliquis adhuc adjicienda foret. Videmus v. g. hoc in oculi ſtructura mirabili, cujus tunicæ conjunctivæ, album oculi conſtituenti, inſignis vaſculorum ſanguiferorum ſuper injecta apparet copia, tunc demum ſub viſum cadentium, quando oculos inflammatos ruboreque inſigni perfuſos conſpicimus. Quis vero ideo hæc vaſcula, longe lateque tunicam hanc adnatam pervadentia, pro nova vellet venditare membrana, atque peculiari. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. VERHEYENII vaſculoſam quarta nunc excipit, glanduloſa nempe, quæ membranam quandam, ex fibris ſecundum fiſtulæ cibalis longitudinem excurrentibus conſtructam, & hinc inde glandulis copioſe conſperſam, l. a. pag. 291. . . deſignat, ut adeo hujus tunicæ miniſterio gula ſerum ejusdem lubricationi inſerviens, conficiat. Huic demum adnata deprehenditur quinta, quæ tendinea eſt, ut alias vocatur, & ex fibris ſecundum longitudinem exporrectis coaleſcit, cujus ſuperficies cruſta villoſa, lanugine quadam inveſtita:

§. IX.

Ex his hactenus adductis atque expoſitis dilucide ſatis apparet, quo officio fungatur œſophagus, quâ ſtructura eaque mira ac ſubtili gaudeat, & quæque mala, viâ hâc læſâ, inde oriantur. Sic & deglutitionis & reſpirationis negotium peſſime procedere, ægrumve maxime mortis in articulo tunc temporis conſtitutum videmus, quando œſophagi

phagi latera, quod quidem raro fit, coaleſcunt, quale triſte admodum exemplum clariſſimus VERHEYEN l. a. 296., & BONETUS Medic. Septentr. P. I. p. 504. adducunt; vel quando hæc alimentorum via paralyſi laborat, de qua WILLISIUS l. a. p. ita ſcribit: Novi quosdam ob paralyſin in hac œſophagi tunica carnea excitatam, deglutitionis magna difficultate laboraſſe, aliosque, ob fibras penitus reſolutas, fame interiiſſe. Vid. etiam BONETUS l. c. p. 500.; vel quando fauces atque gula, ut in hyſtericis non raro obſervamus, ſpaſmodica corripiuntur contractione, adeo, ut ægrotantes de corpore quodam gulam ingreſſo, quod ex opinione plebeja uterus exiſtimatur, *Die Muter wäre ihnen in den Hals geſtiegen*, conquerantur, ſæpeque ſuffocationis inde incurrant periculum; vel quando fauces atque œſophagus, ut in angina fieri obſervamus, gravi afficiuntur inflammatione; vel quando glandulæ, juxta quintam thoracis vertebram œſophago accumbentes, nimis intumeſcunt, eamque viam valde coanguſtant, & ad deglutitionis negotium perficiendum ineptum reddunt, quales caſus nonnullos ſe obſervaſſe teſtatur DIEMERBROECK opp. lib. II. cap. 16. p. m. 326. ita ſcribens: Hæ glandulæ nonnunquam ab humorum influxu ita intumeſcunt, ut nimium comprimant & anguſtum reddant œſophagum, ſicque potui & cibo, omnique alimento, tranſitum præcludant, hominemque fame & ſiti enecent, quales tres quatuorve in praxi noſtra occurrentes vidimus caſus.

§. X.

Licet vero œſophagus vel coalitus, vel inflammatione correptus, vel paralyticus, vel penitus reſolutus, vel ſpasmodicus, vel a glandularum intumeſcentia compreſſus, vel tunica ſua ſpoliatus, vide BARTHOLINI actor. Hafnienſ. volum. I. obſervat. 119. p. 212. & vol. III. obſervat. 30. pag. 62. ſeq.; vel plane cartilagineus, vid. BONETUS l. a. p. 504. fuerit obſervatus: Simile tamen exemplum, quale noſtrum, vix ac ne vix quidem reperias, dignum ideo judicatum, cujus memoria eruditos inter retineretur.

SECTIO III.

Generatim polyporum, in ſpecie vero præſentis cauſas remotas & proximas exponens.

§. I.

Omnes Polyporum cauſas hic recenſere occaſionales, res non ſolum eſſet nimis prolixa, & ab inſtituto noſtro aliena, ſed quoque diffi-

difficilis, cum earum numerus prope ſit infinitus. Nunc enim polypo occaſionem ſubminiſtrat vel cauſa interna, vel externa; ad quam priorem pravæ ſanguinis qualitates; ad poſteriorem vero variæ injuriæ externæ, v. g. contuſio, hæmorrhagia, frictio, & ſic porro, pertinent. Sic de polypo à contuſione in naribus excitato videri poteſt *Joh. van* MEECKERN obſervat. chirurg. XI. & XIII; â frequenti hæmorrhagia narium & catarrhis acrioribus, *Mich.* ETMULLERUS tomo opp. II. pag. 862.; a narium frictione frequenti & forti KERCKRINGIUS, ſpicileg. anatom. obſervat. XIV. Sic porro Polypus cordis ab humoribus viſcidis, glutinoſis in ſanguine hoſpitantibus, qui facile a ſuperveniente terrore, hauſtu potus frigidi, tempore æſtatis corpore calente, generari poſſunt, oriri poteſt. Hoc enim modo gelatinoſæ ſanguinis partes atque fibroſæ in grumos abire ſolent, qui in cordis auriculis ventriculisque compreſſi, per quos una cum ſanguine quia tranſire commode non valent, in ejusmodi corpus grumoſum atque fibroſum radices poſtea figens, & à continuo appellente ſanguine incrementum capiens, ſucceſſive coaleſcunt. Alio tempore polypus cordis ab acido in ſanguine hærente, nec non etiam â mærore ſimilibusque animi pathematis, experientia *Michael. Bernh.* VALENTINI in pandect. medico-legalib. ſupra allegatis; verbo: ab omnibus iſtis rebus ac cauſis, ſanguinem ſolito viſcidiorem glutinoſioremque reddentibus, ſpiritusve animales abſumentibus, excitatur.

§. II.

Ad occaſionem itaque præſentis caſus quod attinet, duplicem in noſtro ſubjecto conſiderandam habemus, quarum una eſt cacochymica corporis conſtitutio, altera pulveris ſternutatorji abuſus, qua occaſione, antequam longius progrediamur, de pulveris hujus ſternutatorii denominatione, præparatione, natura ac principiis, cum id â re noſtra non alienum videatur, in præſenti non nihil afferemus. Vocatur hic pulvis ſternutatorius a patria, ubi primum confectus fuit, HISPANICUS, vulgo SPANIOL, cujus præparationis modum *Dn. D.* THEBESIUS in Tract. *vom Rauch- und Schnupff-Taback cap. 6. p.* 62. ſequentem eſſe ait: *Die Spanier machen ihn auf eine andere Art* (paulo enim ante de italorum eum conficiendi modo locutus erat) *allwo ſie einen guten Craſilianiſchen Tabak nehmen und in einem geheitzten Zimmer ſehr ſtark trocknen, daſs er ſich mit denen Händen leichte zerreiben läſſet: Dieſen alſo wohl getrocknet, thun ſi in zwey von klarer Leinwand gefertigte Säckgen, welche ein eigener Mann, der ſich die Augen, Naſe und Mund, mit einen beſondern Inſtrument vermachet und verwahret hat,* (de incommodis & morbis eorum, qui hunc pulverem præparant, vid. *Clariſſ.* RAMAZZINI, tract. de morbis artific. cap. 17. p. m. 114. ſeqq.) *in*

in einen andern Gemache ſtark zuſammen rüttelen und ſtoſſen muſs, daſs ein ſolches zartes Pulver, unter der Geſtalt eines Rauchs, durch das dünne Tuch heraus flieget, welches in dem ganzen Zimmer ſich allenthalben anleget, ſo geſammlet und zum Gebrauch verwahret wird. Dieſes Pulver iſt ſo zarte, als immermehr ein Staub-Meel ſeyn kan, und wird von ſeinem Vaterlande, wo es zubereitet wird, Spaniol genennet. Eine andere Sorte wird uns aus Portugall überbracht, ſo nicht allzuklar iſt, und zugleich aus der roth gelben Farbe in die grüne fallet. Es wird auch von den Portugieſen zugerichtet aus den Bläteren des beſten Virginiſchen *und* Braſilianiſchen *Tabacks, ſo zuvor in Roſen-Waſſer geweichet ſind, daſs die allzuſtarke Schärffe etwas ausgezogen und gemindert werde, hernach werden ſolche wiederum getrocknet, und auf die nächſt bequehme Art zu Pulver gemachet.* Hæc ille hactenus. Pulvis hic ultimus eſt optimus, cum non adeo volatilis, nec etiam tam acris, ac prior, obſervatur, cujus, alterius nempe ſpeciei, uſum ego diſſuaderem, præcipue cum haud amplius genuinus, ſed admodum adulteratus, variisque, ut percepi, liquoribus, vetuſtus inprimis & vapidus, infectus ad nos deferatur.

§. III.

Imo, cum inſignis & perquam copioſus pulveris hujus uſus noſtræ terræ incolas iſtius præparationem per ſpeciem quandam molarum manubriis inſtructarum, vulgo *Hand-Mühlen*, quoque docuerit, dici profecto non poteſt, quantam adulterationem quantamque depravationem execrabilis auri ſacra fames atque habendi cupido huic adjecerit pulveri. Compertum enim ipſemet multoties habeo, ut ab aliis etiam relatum accepi, iſtius confectores omnes quisquilias, omnes petiolos ſitu correptos, foliaque deperdita, ſimul conterere, inque pulverem convertere. Quæ inde igitur non exoriantur, proh dolor! gravia mala, eaque haud vero triſtia! Uſus genuini laudem, crimen abuſus, habet. Modum itaque excedentes, propter virulentiam narcoticam & ſtupefactivam adeoque pernitioſam, graviſſima atque deſperata ſæpius incurrunt mala, quales Exempla adducunt JACOBUS VI. Rex Angliæ, in peculiari Tractatu Miſocapni nomen gerente, WILLISIUS Pharmaceut. Ration. P. I. Section VII. cap. III. p. m. 200., *Johann. Chryſoſtom.* MAGNENUS in Eleganti Exercit. de Tabaco Exercit. IIX. §. 1. pag. 105. & 109., *Sim.* PAULI in Commentar. de uſu & abuſu Tabaci & herbæ Theé p. m. 6 ſeq, *Mich.* ETMULLERUS Colleg. Pharmaceut. in SCHROEDERI Pharmacop. Medico Chym., P. I. Sect. Claſſ I. Tom. Opp. I. pag. 614-616. edit. Weſtph I., GREMBSIUS Arbor. Integræ & Ruin. Homin. Lib. III. Cap. I. §. 37., *Adrian.* SPEIGELIUS in Corp. Humani Fabrica Lib. VIII. cap. 2. p. m. 243., THEBESIUS in Tract. ſupra alleg. p. 65. ſeqq. ESTIENNE & LIBAULTIUS de

l'agriculture p. 187. Hinc oleum *Tabaci* deſtillatum pernitioſiſſimum venenum eſt: Sicut Florentiæ in Italia proſtat oleum Tabaci deſtillatum, quod pro atrociſſimo veneno habetur. Ibidem recipiunt Tabacum vino maceratum, huic intrudunt acum, eamque ita madidam infigunt animalibus quibuscunque, quæ mox ab ictu pereunt. Paucæ certe olei deſtillati Tabaci guttulæ quodvis animal enecant: Si enim recipitur hoc oleum, in quo particulæ Tabaci omnes concentratæ, ejusque gutta unica linguæ felis vel canis ſimilique animali inſtilletur, ea ſtatim exinde redduntur rabida, ac tandem moriuntur: item ſi filum oleo hoc deſtillato illitum & intoxicatum gallis aut gallinis ſimilibusque cum acu per coxam, aut carnem in pedibus, traducatur, exinde mox intereunt. Si in vulnus gutta unica immittitur, ſtatim interficit, cujus quædam exempla a Celeberrimo D. *Michaele* ETTMULLERO in Colleg. quodam Pharmaceut. manuſcripto, ab Illuſtris Academ. Nat. Curioſ. Socio noſtro D. Weſtphalo benevole mihi communicato, ex RHEDI Experim. Indic. allegantur. Interne quoque gutta unica olei hujus aſſumpta miras præcordiorum anguſtias, vertigines ac ſcotomias, inducit, experientia jam laudati ETTMULLERI. Porro nec viperæ aliique ſerpentes Tabacum ferre poſſunt; ſi enim circa ſpinam tantillo vini, oleo hujus deſtillato imprægnati, adſperguntur, intereunt; imo ſi Tabaci fumus ſerpenti aut viperæ afflatur, mox intoxicatæ ſtupent & mortuæ quaſi jacent. Conſ. ſæpe laudatus ETTMULLERUS in Colleg. manuſc. allegato, RHEDI Experim. circa res ex India allat. p. 10. 40. ſeqq.; & L'EMERY Curſus Chimici P. II. cap. XIV. p. m. 602. ubi ſimul p. 604. refert, oleum hujus deſtillatum, facta inciſione cutis in coxa aut crure canis, mediante turunda imbuta immiſſum, eundem cum impetu ſupra & infra purgaſſe, utut alias animal robuſtiſſimum: quod etiam ex Tabaci foliis clyſteribus ad unciam dimidiam incoctis ſæpe obſervavit ſupra allegatus Academ. Naturæ Curioſ. Socius noſter, teſtantibus ejus Litteris familiaribus: Sicut pariter ETTMULLERUS in Colleg. Pharmaceut. ad SCHROEDERUM Tom. Opp. I. p. 615. edit. Weſtphal. in Praxi expertus eſt. Clyſma ex decocto Tabaci paratum corpus mere turbaſſe, ac convulſiones, ſudores frigidos, maximaque mala alia, induxiſſe, unde probe notanda, quæ Poeta Italus habet:

Molto Bacco e Tabacco uccide un huomo.

§. IV.

Gravia igitur ob detrimenta a pulveris hujus abuſu excitata quibusdam olim in Regionibus uſus Tabaci ſub utriusque forma a ſummo Magiſtratu admodum ſevere fuit prohibitus. Sic Dn. OLEARIUS in Itin. ſuo Moſcovit. & Perſico Lib. III. Cap. 6. p. m. 197. & cap. 19. p. 289. ſcri-

ſcribit: Moſcowiæ Imperatorem, ob inſignem utriusque Tabaci abuſum, anno 1634. Mandato publico prohibuiſſe, ut ne quis Ditioni ſuæ & Provinciis ſubjectus Tabacum inferret, vel in iis Tabaco uteretur, ſecus autem qui facturus eſſet, & Mandato non pariturus, ei non ſolum paratiſſimam certo fore fuſtigationis aut virgarum pœnam, ſed & quoque alarum naſi bifidam ſectionem. Cujus infamiæ nota affectorum aliquot ſibi ſuisque in Itinere obvia factorum exempla noſter teſtatur auctor: quam gravem eandem animadverſionem in Mandati Regii Perſici transgreſſores idem Lib. V. cap. 31. p. 645. annotat. Tabaci quoque uſum ſubditis ſuis aliisque omni modo diſſuaſiſſe JACOBUM VI. Magnæ Brittanniæ Regem, legimus, qui ſuo in Tract. ſupra §. III. allegato, aſſerente RASTNERO in Diſputat. de Jure Tabaci §. 3., ſequens promulgavit Edictum: Tandem, o Cives! ſi quis pudor, rem inſanam abjicite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam ſtultitia; unde & Numinis accenditur ira, corporis ſanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas Gentis ſeneſcit domi, vileſcit foris: Rem viſu turpem, olfactu inſuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnoſam: & ſi dicere liceat, atri fumi nebulis tartareos vapores proxime repræſentantem. Alii hoc Edictum non de uſu, ſed de cultura Tabaci intelligunt: Vid. Hiſtor. orbis Terrar. Geograph. & Civit., Francofurti ad Oderam Anno 1673. edita, Cap. 3. §. 4., ubi: Tabaci culturam in Agris Gloceſtrenſibus non minori cum ſucceſſu tentarunt, ſed Edictis Regiis quanquam ægre retracti ſunt, quod metueretur, ne, ſi in ipſa Anglia inſtitueretur, Coloniæ Americanæ inde detrimentum caperent. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, cum heic non tam de fumigatione Tabaci, quam potius de pulveriſati nimia per nares attractione, diſſeramus.

§. V.

Hæc enim adeo hiſce temporibus increvit, ut in conſuetudinem plane abierit, nec amplius remedii loco pulvis hic habeatur. Hinc in ſalutationum officio & magnifico prandiorum atque cœnarum apparatu, magnum aliquod omiſſum videtur, niſi illo quoque tempore multoties pyxide nunc eburnea, nunc e teſtudinis marinæ ſcuto formata, nunc argentea, inaurata gemmisque ſplendidis condecorata, ut & imagine intus, plerumque laſciva & turpi, exornata, ſingulari quodam cum corporis motu verborumque circuitu, producta aliisque oblata, nares perpetuo hoc pulvere vexentur, atque inſigni ſternutationis ſtrepitu, futilis hujus pulveris prodatur inſpiratio, neſcientes interea hujus perverſæ conſuetudinis Amatores eam & contra decorum & mundiciei leges eſſe, nares, cloacarum facies repræſentantes, gerere. Imo legibus ſanitatis peſſimum hunc morem e Gallia ad nos aliasque Regiones profectum adverſari, nemo fere credit, ſed elegantia putatur ad Gallorum etiam hæc in re vi-

vere mentem. De qua ſtulta imitatione BARCLAJUS quoque in Icon. Animor. Cap. III. p 89. edit. BUCHNER. ita ſcribit: Vicinæ autem aliæque etiam gentes ridiculo errore deceptæ ad illorum quoque mores, per earundem veſtium ac motuum variam imitationem, putant accedere: ignaræ, leporis & gratiæ virtute in nonnullis hominibus uno genio cuncta placere; in aliis autem, in quibus natura ad hos mutabiles habitus propitia non eſt, ejusdem venuſtatis imitationem & curam ingratam eſſe ac ludicram. Immenſam hanc ſternutatorii pulveris libidinem non tantum Cives quam plurimos oppidanos, ſed ipſos etiam Pagorum Ruſticos, tam noſtræ quam exterarum Regionum gentis, mirifice delectari, naſique pica vexari, conventus nuptiales, cauponarii &c. quotidie fere teſtantur: quod quadraginta jam abhinc annis de Curlandiæ ruſticis obſervavit Ducis Wurtenbergici Archiater meritiſſimus, Academiæ noſtræ ſæpius laudatæ ſocius nunquam otioſus, Dn. D. LENTILIUS, in Ephemer. Anno X. Decur. II. Append. pag. 131. tabacino hoc pulvere minus, quam ipſo pane, carere potentibus. Salutationis, pergit Vir Excellentiſſimus, quædam apud ipſos ſpecies, dum ruſtico ruſticus fit obviam, ut nicotianæ ſuam quisque thecam ſibi viciſſim offerant, quod ni fiat, incivile prorſus habetur. Quis non cum HORATIO Epiſt. XIX. Lib. I. verſu 19. p. m. 249. jure meritoque exclamet: O Imitatores, ſervum pecus! Arrigite igitur aures, quæ SENECA, homo gentilis, de vita Beat. Lib. I. p. m. 652. his verbis ait: Nihil magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur: Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorum exempla nobis multa ſunt; nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem, vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliarum ſuper alios ruentium &c. Verum, eo hodie perventum eſt, ut omnes fere virtutes veræ exulent, tantasque inter alia prava hæc conſuetudo, & ſanitati & bonis moribus adverſa, radices egerit, ut homines non amplius, ut jam dictum fuit, ad rationem, ſed ad ſimilitudinem, vivant. *Dann es werden heut zu Tage allerhand Dinge, ſie mogen auch noch ſo abgeſchmackt herauskommen, als ſie nur immer wollen, vor eine Galanterie geachtet, worunter die mit Schnupf-Taback beſtreueten Naſen, billig mit oben anzuſtehen verdienen.* Exoptandum vero eſſet, quo corruptum hunc morem ad mundi genium ſe componentes tantum colerent; Verum enim vero, ut lues epidemica peſtilenti ſuo habitu promiſcue homines afflat & inficit, ita & hæc prava conſuetudo iſtos, qui modeſti tamen & pii, vanitatesque mundi ex toto ejuraſſe videri cupiunt, tacite quoque corrumpit. Sic enim hodie quandoque unum alterumve in ſacra cathedra ſtantem, ac de bonis moribus ex iſta ad populum ſermonem facientem, avide ex ſua pyxide juxta ſe poſita, bonam hujus pulveris partem digitis præhendere, naresque eo ad Auditorium

rium riſum ſcandalumque conſpurcare, & mihi & aliis obſervare licuit. Opus profecto hinc foret, publico mandato turpem hunc cœrcere morem, uti ſub initio ſuperioris ſeculi id factum legimus, cujus Clariſſimus THEBESIUS l. c. his meminit verbis: *Hier fället mir ein, was ich einsmahls geleſen, daß die Prieſter in Spanien denſelben ſich ſo ſtark angewöhnet, daß ſie auch ſo gar bey Adminiſtrierung des Heil. Abendmahls und bey der Meſſe ſich deſſen bedienet, weswegen auch zu Anfang des vorigen Seculi Pabſt* URBANUS IIX., *auf Anſuchen des Decani und des Capituli der Haubt-Kirchen,* Seville, *eine Bulle ergehen laſſen, worinnen er alle, die inskünftige in der Kirchen Schnupf-Taback gebrauchen wurden, in den Bann gethan.* Hæc ille.

§. VI.

Occaſione ſternutationis quæſtio, ſcitu omnibus neceſſaria, occurrit, cur ſternutantibus precetur ſalus, osque ſimul ſignetur cruce? Initium conſuetudinis hujus ſuperſtitioſæ ante Ariſtotelem, & ſic diu ante Chriſti nativitatem, apud Ethnicos incrementum ſumſiſſe, teſtatur Strabo, p. 438. Siquidem & ethnici â ſternutamentis auguria capere ſoliti fuerunt, cujus etiam ARISTOTELES, THEOCRITUS, ARISTÆNETUS, PETRONIUS, PLINIUS, *Robert* KNOXIUS *in cylianiſcher Reiſe-Beſchreibung* lib. III. cap. 1. p. 134. aliique quam plurimi meminerunt, quam ideo AMMIANUS & AUGUSTINUS repudiarunt, imo ipſe CICERO de divinat. lib. II. his verbis: Quæ ſi obſervamus, & pedis offenſio nobis, & corrigiæ abruptio, & ſternutamenta obſervanda. Apud Romanos quidem ſternutatio olim inter minima erat omina: at apud Græcos ominis maximi habebatur, divinitatis enim quiddam contineri augurabantur, unde non ſolum certum obſervabant tempus, ſed & latus, ubi ſternutatio fieret: hæ ad ſiniſtrum latus averſabantur; meridianæ fauſtæ habebantur, maxime ſi a latere dextro; matutinæ vero infauſtæ, unde PROPERTIUS eleg. 3. lib.

Nunc tibi naſcenti primis (mea vita) diebus,
Aridus argutum ſternuit omen amor.

Vid. del RIO in diſquiſit. magicar. lib. III. p. II. Quæſt. IV. ſect. IV. p. m. 454. Antiquis nimirum his Ethnicis caput ſacrum habebatur, hinc veteres Hebræi ac Græci per caput jurabant, ac ſternutamentum capite editum, tanquam Deum adorabant, teſte Xenophonte de Athen. Republica, & de rebus Græcor., Caſaubono animadv. in Athen. lib. II. cap. 25. Formula eorum erat: Ζεῦ σῶσον! *Jupiter ſerva*: cui votum nobis conſuetum reſpondet: *Proſit! Gott helffe!* Sicut etiam a Græcis ſternutantes genu flexo ſalutabantur, teſte Athe-

 næos.

naco. Ritus hic a veteribus, qui ſternutationem a periculoſa cerebri commotione oriri crededant, continuabatur, hinc ſternutantibus ſalutem precabantur, ne apoplexia aut alio periculoſo cerebri affectu corriperentur: Quamplurimis enim ſternutatio audit apoplexia parva, vel epilepſia quædam levis, ut jam olim AVICENNÆ lib. III. fen. V. tract. II. cap. 3. cui poſtea adſtipularunt RIOLANUS particul. meth. cap. 17., UNZERUS de Epileps. lib. I. plurimique alii. Et quidem maxime cum ſternutarent, per ſternutamenta animam expuliſſe credebant, unde conſuetudo hæc ſuperſtitioſa ortum duxit, ut ſternutantes ſalvere jubeantur, dicendo: *Salus*! vel *Proſit ſaluti!* Ritus hic ſternutantibus bene precandi continuavit per omnes fere nationes, etiam regnum turcicum, ut ad ſternutationes epilepticorum ſimiliumque capitis affectuum, ut & graſſantibus morbis malignis peſtilentialibus ſimilibusque epidemicis contagioſis infectorum, aut caput denudent, aut corpus inclinent, & ſternutantes conſueta hactenus formula ſalutent: *Deus* te adjuvet! *Gott helffe dir!* Similis ſternutationis malignæ contagioſæ in famoſa illa Athenienſium peſte graſſantis mentionem facit THUCYDIDES de bello pelopoanenſ. §. 131. pag. 108. item *Polydor.* VIRGILIUS de Invent. rerum lib. VI. cap. 2. p. 454. qua omnes, qui aliquoties ſternutaſſent, paulo poſt extincti ſunt; quod etiam confirmatur ab *Heron.* CARDANO in *Hippocrat.* Aphoriſm. 47. libri V. p. 559, & DIEMERBROECKIO de peſte cap 5. p. 18. item lib. IV. hiſtor. 18. de peſte Neomagenſi anno 1639. graſſante, qua durante neminem ſæpius ſternutantium convaluiſſe obſervavit. Videatur etiam PIENS de Febrib. p. 485. *Guil.* DURANDUS in ration. divinor officior. p. m. 152. & *Carol.* SIGONIUS hiſtor. de Regno Ital. lib. I. qui quidem hunc ſalutandi morem a *Gregorii magni* pontificis tempore deducit, cui autem STRADA prælus academ. lib. III. proteſt. 4. de Piſtore ſuburbano, & *Cornel.* STALPARTUS van der WIEL obſſ. rarior. cent. II. part. prior. obſerv. VI. p. 50. contradicunt. Ipſam hiſtoriam morbi hujus epidemici peſtilentialis, quo anno 588. tempore *Gregorii magni*, Pontificis Romani, homines infecti ſternutando obierunt, ex chronico quodam Coldicenſi manuſcripto ſupra laudatus Dn. D. WESTPHALUS nuperrime mihi communicavit ſequentibus verbis: Anno 579. *wurde König* Siegebertus *im Lager vor Tornay erſtochen, darauf kommet* Childebertus *ans Regiment. Bey ſeiner Zeit anno* 588. *entſtunden erſchreckliche Ungewitter, und grauſame Waſſerfluthen, darauf erfolgte eine erbärmliche Seuche und Peſtilenz in allen Landen, daran viele Millionen Menſchen hinſturben; ſo balde ein Menſch anfieng zu nieſen, war keine Rettung bey ihnen, darum ſagte man zu ihme:* Gott helffe nun dir! *Dieſes erſchrecklichen Sterbens halber ordnete der Pabſt zu Rom* Gregorius Magnus *die Litaney an, unter welcher zu Rom in einer Kirchen, ehe ſolche ausgeſungen worden*, 80. *Perſonen, die geſund zum Anfange des Geſangs kom-*

kommen waren, unter währenden Nieſen hinfielen und ſturben. Potius ergo credendum, ritum hunc a gentilium auguriis partim, partim erronea veterum opinione, qua ſternutationem ab apoplexia, epilepſia, aliaque periculoſa cerebri & totius capitis ſacrati commotione, ſuam traxiſſe originem. Econtra Medici Pariſienſes, ac hodienum noſtræ gentis mulierculæ viſitantes, bonum omen optimumque reconvaleſcentiæ ſignum habent, quando ægri ſternutare incipiunt, quod illis alias, ob virium defectum, denegatur, unde vulgatum illud apud nos & Gallos ortum duxit. Sternutavit, ſalva jam res eſt! Vid. Miſant. BRIOSIUS in epiſtol. p. 204. Nimirum ſternutatio critica omnino ſalutaris eſt, & aut futuram hæmorrhagiam, aut morbi ſaltem reſolutionem & translationem indicat. Salutare quoque ſignum eſt in morbis ſeroſis ſ. phlegmatitis, ac ſoporoſis, nec non in ſuffocatione hiſterica, & materiæ morbificæ in cerebro reſolutionem & translationem indicat. In partu quoque difficili conducit, quatenus totum abdomen, & univerſum fere ſyſtema nervoſum, fortiter concutit, adeoque in muſculis abdominis conatum excitat & partum promovet, Conf. HIPPOCRATES ſect. V. aphor. 35. & ephemer. academ. nat. curioſ. ann. III. decur. I. obſervat. 138. p. m. 247. Verum in morbis acutis, malignis, peſtiferis &c. ſine criſeos indiciis, & cum ſymptomatibus aliis gravioribus, copioſior, frequentior & violentior, lethalis eſt, indicat enim cauſæ morbificantis malignæ nimiam volatilitatem, acrimoniam, generi nervoſo ſtatim inſidiantes, unde etiam affectus epileptici ſimilesque convulſivi, & in ætate grandævi apoplectici &c. ſubſequuntur. Minus quoque convenit in vulneribus & ulceribus capitis, affectibus oculorum, pulmonum, in ſpecie in phtiſi, cum convulſione tanta facile rumpantur ulcera, dilatentur vulnera, commoveatur & lædatur nervus opticus cum tunica retina, unde cæcitas ſæpe oriri ſolet.

§. VII.

Sed miſſis his, ad pulveris ſternutatorii Hiſpanici hactenus deſcripti abuſum revertendum, qui, (utut alias, ſi bonitatis ejus, quantitatis moderatæ, temporis adhibendi ac temperamentorum, juſta habeatur ratio, neutiquam plane rejiciendus eſt ac contemnendus) præſentis noſtri caſus mera fuit cauſa occaſionalis, neutiquam tamen ægri conſtitutione cacochymica excluſa, quæ obſtetricis ſuſtinuit partes, quo eo facilius œſophagi tunicas lædere atque erodere valuerit pulveris acrimonia. Proxima polypi noſtri cauſa, ut ex ſupra dictis patet, & ex ulterius dicendis intelligi poterit, tunicarum, inprimis glanduloſæ, fuit corroſio, humorumque inde excitatus affluxus. Facta enim hac læſione particulæ ſanguinis viſcidæ atque gelatinoſæ, extra ſua vaſcula delatæ, primum in fibrillas, deinde ſucceſſive in ejusmodi excreve-

creverunt corpus carnoſum, quod poſtea ob continuo accedens nutrimentum, adauctum fuit, & in ſuo incremento & deſcenſu inferiora verſus, hederæ adinſtar arboreæ radices novas tunicis œſophageis infixit, per quas novum ipſi acceſſit nutrimentum. Simili modo ac opilionum & aurigarum canes veterani ſæpe rauci fieri ſolent, dum, equos oviumque greges per æſtatem torridum ſequentes, varios terræ pulveres copioſe inſpirant, qui tam laryngi, quam pulmonibus & aſperæ arteriæ ramificationibus, impacti & cum lympha aliisque nutritiis ſuccis in partibus glandulоſis, horumque vaſis compacti, tumores duros & tactui renitentes conſtituere, imo & ſæpiſſime acres laryngis tunicam valde ſenſibilem, vaſaque ſanguinea & lymphatica, arrodere ſolent.

Sectio IV.

Phænomena quædam nonnullasque circumſtantias atque quæſtiones ſiſtens.

Phænom. I.

Fuit vir hic temperamento ſanguineo-phlegmatico, corporisque mole ſat notabili, ad cacochymiam tamen valde proclivi præditus.

II.

Copoſiſſime aſſumſit pulverem hunc ſternutatorium.

III.

Corpore aliquando concalefacto, naresque hoc pulvere, eoque ſicciſſimo, replevit, fortiterque eum inſpiravit, quo factum fuit, ut non ſolum ad fauces, & œſophagum usque illum, penetrare obſervarit; &

IV.

Statim dolorem urentem, tuſſim frequentem ſputumque cruentum, ſenſerit.

V.

Temporis ſpatio quodam effluxo dolor, tuſſis & ſputum cruentum, ceſſarunt, deglutitio autem ſenſim difficilior reddita fuit.

VI.

VI.

Cauſa hujus affectus a medico & medicaſtro, rejecta probabiliori, enarrata, habita fuit copioſa materia pituitoſa nimis viſcida, ſed inepte.

VII.

Æger remediis prioribus incaſſum adhibitis, alii cuidam medico affectum hunc ejusque cauſam, ſibi probabilem, refert, quæ vero iterum rejicitur, & in neſcio quod, acidum ſylveſtre commutatur.

IIX.

Medicamenta rurſus nullum edunt effectum ſalutarem.

IX.

Deſerit æger medicos; ſeque naturæ ac tempori, ut ajunt, committit, foreque ſperat, ut ſponte ſua iterum hoc malum abeat.

X.

Adhibet penicillum ventriculi, vulgo *die Magen-Börſte.*

XI.

Hujus applicationem equidem difficilem ſentit, minus tamen doloroſam, penetrationem vero in ſtomachum usque, ob quoddam obſtaculum, plane impeditam.

XII.

Educitur hujus ope inſignis equidem pituitæ; nonnihilque ſimul cruoris, absque ullo tamen levamine.

XIII.

Ab uſu hujus penicilli faucium deglutitio, antea adhuc liberior, nunc difficilior, animadvertitur, ita, ut non multo poſt ſolidiora alimenta non amplius aſſumere valeat, ſed ad liquida tantum confugere opus habeat, quæ, ob malum indies accreſcens, curſum libere deglutire nequit, ſed leniter ea per calamum ſtramineum abſorbere cogitur.

XIV.

Paulo liberius abſorpta cum ſonitu regurgitant, præſentaneamque ægro minantur ſuffocationem,

XV.

Tandem ob plenariam liquidorum, etiam valde tenuium deglutitionem prohibitam, fame ſitique æger fractus, ac ſceleti cute tantum obducti faciem referens, miſere moritur.

XVI.

Aperitur cadaver, œſophagusque ad latus dextrum nonnihil contortus, ſuperiora autem verſus ſolito tenuior, gracilior acuminatiorque conſpicitur.

XVII.

Iſta œſophagi in faucibus apertura nonnihil durior contracta & ita exigua apparet, quo vix piſum admittat vulgare.

XIIX.

Gula inciſa, media ejus in parte, excreſcentia vermiformis ſat notabilis per medium diviſa, radicibus nonnullis brevibus ſubſtantiæ atque tunicis œſophagæis infixis, conſpectui ſe offert.

XIX.

Circa initium hujus polypi rarioris materia, ſanguinis grumoſi ad faciem nonnihil accedens, deprehenditur.

XX.

Subſtantia ejus adeo mollis erat, ut levi etiam digitorum tactui cederet, colore ceterum gaudebat ex rubicundo pallido.

Quæſtio I.

An malum hoc fuerit hæreditarium, ut quædam voluerunt?

Quæſtio II.

Annon in principio affectui huic medela afferri, ejusque incrementum impediri, potuiſſet?

Quæſtio III.

Annon inveteratus hic polypus deſtrui atque auferri potuiſſet?

SEC-

Sectio V.

Reſolutionem & Reſponſionem hactenus prolatam tradens.

I.

Circa temperamenti nomen, definitionem atque diviſionem, de qua materia, cum permulta jam extent ſcripta, primoque ſtatim intuitu, quid per iſtud & quale heic intelligatur, eluceat, non morabimur; nec eorum quoque novatorum litem, qui nobilem temperamentorum doctrinam omni, at vano, conatu evertere atque ex orbe erudito præſcribere laborant, noſtrum in præſenti faciemus: ſed brevitatis cauſa ad Diſſertationem infra allegatam remittimus. (Vide M. GREGORII Diſſertat. de Temperam. Scriptorib. Novi Teſtamenti, ubi in lucem. hæc controverſia pertractata legitur.) His itaque miſſis, ad aſſerti probationem nos accingimus, ubi diximus; Virum hunc temperamento fuiſſe præditum ſanguineo-phlegmatico. Nemo autem hic arbitretur, ob adjectum ſanguini phlegma, temperamentorum numerum me credere quaternarium, cum eum tantum ternarium eſſe exiſtimem, variis ex rationibus, tam ſacris quam phyſicis, aliisque demonſtrabilem. Temperamentum vero, vulgo phlegmaticum quod dicitur, peculiare non eſt, ſed corruptum ſaltem, cum ad ſanguineum pertineat, quod plerumque, accedente vita atque inordinata ac prava diæta, in hoc degenerare ſolet, quanquam enim non negem, ex utero quoque materno prodire interdum phlegmaticos, noſtram hypotheſin qui aliquomodo poſſent vacillantem reddere; verum enim vero res omnis in vado verſatur, eſt & manet phlegmaticum temperamentum corruptum, qualis enim parentum conſtitutio, talis quoque ſpermatis natura deprehenditur; ſed hæc materia alio tempore paulo curatius forte fuerit examinanda. Sanguineum autem in noſtro ſubjecto valde cacochymico primum adhuc obtinuiſſe locum, actiones non tantum in vita morales, ſed & corpori ſat notabilis moles, qua ſanguinei ut plurimum, præſertim vitam tranquilliorem degentes, gaudent, nec non habitus aliæque circumſtantiæ demonſtrarunt, quæ corporis conſtitutio autem, ut ſuperius dicta, vitæ genus nempe inordinatum diætamque juxta ſex res non naturales perverſam, quo vitio plerumque Caupones laborare ſolent, admodum fuit depravata, colorque & habitus antea vividus & laudabilis, in pallidum nunc atque œdematoſum aſpectum mutatus, actusque morales multo tardiores nunc facti fuerunt obſervati. Quibus ex cauſis hæc corporis conſtitutio nullo alio, quam ſanguineo-Phlegmatici temperamenti titulo, condecorari potuit debuitque.

II.

De pulveris ſternutatorii hujus nomine &c. Sect. III. §. 3. jamjam fuit actum, nunc paucis iſtius in principia inquiremus, quo planior ejus fiant natura ſeu temperies operandique modus. Ad partes itaque conſtitutivas iſtius quod attinet, odor non ſolum gravis & ſapor acris de ſulphure & ſale volatili teſtantur; ſed etiam analyſis chymica ſatis clare iſta imo plura adhuc demonſtrat. Comperimus enim inſigni hunc 1.) pulverem olei fœtidi ac ſulphuris impuri & narcotici; 2.) ſalis admodum acris alcalicæ naturæ; & 3.) phlegmatis acidi, præditum eſſe quantitate, qua ex compoſitione facile patet, quanta pro temperamentorum diverſitate immoderatus atque inſanus ejus abuſus procreare valeat incommoda. Hoc autem probe notandum, quod partes hæ conſtitutivæ non ſemper in una eademque reperiantur copia, ſed earum mixtura, nunc ratione vetuſtatis, nunc ratione ſoli natalis ac climatis, nunc etiam ratione præparationis, diverſa deprehendatur. Ex quibus cauſa reddi poteſt, cur interdum operationes in uno eodemque ſubjecto huic adſueto tam diverſæ obſerventur, quamquam & temperamentorum diverſitas non excludenda veniat. Sic enim v. g. ſalis volatilis, ut ex experimentis chymicis inſtitutis didici, major copia, quam olei & ſulphuris narcotici, elicitur; alio tempore plus phlegmatis acidi, quam ſalis & ſulphuris, ſicque porro, deprehenditur. Ut plurimum a. ille pulvis, qui in noſtris terris præparatur, aut adulteratur, multum acidi; ille vero, qui vere ex Hiſpania ad nos fertur, multum ſulphuris & ſalis volatilis acrioris, in ſe continet, ſemperque acerrimus animadvertitur, quod ex præparatione clarum eſt, dum folia non ad Italorum & Portugallorum laudabilem temperantur modum, ſed ſtatim absque ulla correctione conteruntur, inque pulverem convertuntur.

III.

Ex quotidiana obſervatione notum eſt, quod pulvis hic nimis exſiccatus, multo vehementius nares earumque interiora afficiat altiusque penetret. Veritati hoc eſſe conforme, multa probatione non indiget, modo quis ad majorem h. m. partim volatilitatem pulveris; partim etiam ad pororum relaxationem, quæ in corpore vel motu vel alia cauſa calefacto contingit, attendere velit. Quomodo vere ad fauces, imo ad gulam usque, fuerit delatus, per facile eſt intellectu, qui enim quantitatem aſſumptam, & naſi ſtructuram internam, intelligit, poſſibilitatem ſtatim videt. Forti namque ac celeri facta inſpiratione, qua præcipue hujus pulveris amatores delectantur, *denn darinne ſoll eine ſonderliche Delicateſſe ſtecken*, cum impetu iſte per narium meatum ad oris & gulæ fundum porrectum, eo fuit compulſus, quod aſſertum quilibet, de ejus veritate

ritate dubitans, in ſe experiri poteſt. Confirmat etiam iſtud Dn. D. BOHNIUS, atque Dn. D. THEBESIUS, quorum prior Tract. de Offic. Medici-duplici Clinico atque Forenſi p. 200. ita ſcribit: Nec, qui Nicotianæ pulvis ſine ſternutatione & inſenſibiliter magis errhini nomine vim ſuam exerit, omni culpa vacat, cum ejus notabilem ſemper portionem, nobis non advertentibus inſpiratione per nares facta, ad laryngem & pulmones cum aëre deflectere, probabile ſit; Alter vero in Tract. ſupra cit. p. 65. ſeq. ſequentem in modum diſſerit: *Dieſes aber thut vornehmlich der Spaniohl, als welcher ſo ſehr ſubtil, daß er wegen ſeiner Leichtigkeit bis in die Lufft-Röhre gehet, und indem er ſo ſcharff iſt, dergleichen Effectus verurſachet*; & ulterius: *Ingleichen haben ihn diejenigen zu meiden, ſo an der Lungenſucht laborieren, weil er durch die Naſe gezogen, durch das runde Loch bey der Naſe im Kopffe in dem Halſe, und in oder wenigſtens an die Lufft-Röhre gehet, und daſelbſt dieſe empfindliche Orte irritieret und groſſen Huſten verurſachet.*

IV.

Hoc phænomenon antecedentis veritatem confirmat, cum immediate poſt copioſam aſſumptionem, dolor in gula urens, tuſſis frequens, atque ſanguinis ſputum, fuerunt exorta, manifeſto argumento, pulverem hunc eo usque penetraſſe, ibique hos excitaſſe effectus. Modus perſcrutatu haud eſt difficilis, modo quis pulveris naturam ſupra explicatam, individui noſtri conſtitutionem cacochymicam, & a calore relaxationem, perpendat conſideretque; magnam etiam ejus portionem ad œſophagum una cum ſaliva ſimul inter degluttiendum delatam fuiſſe non adeo improbabile videtur.

V.

Ex hoc & antecedente phænomeno clare ſatis patet, pulverem hunc genuinam polypi noſtri extitiſſe cauſam, eumque hoc tempore ſuum ſumſiſſe initium. Quamprimum enim caro ejusmodi luxurians enaſcitur, ut plurimum dolor ceſſat, indolensque ejusmodi obſervatur excreſcentia.

VI. & VII.

Quot capita, tot ſenſus, dicitur vulgo, & quidem veriſſime. Unde vero hæc diſcrepantia? Unde hic inter Medicos diſſenſus? Audiamus Celeberrimum STAHLIUM in Programm. de Diſſenſu Medicor.: Si jam hoc malum, diſſenſus nempe mutui, inquit, cauſa & origo non magis, quam objecti & affectuum dignitas conſideretur, fieri non poteſt, quin penſitatis Medicinæ & artis fundamentis, quæ experientia & arte ab-

 ſolvun-

ſolvuntur, quaſi ſponte reſultet, diſſentientes illos aut plane falſa inſimulatione inter ſe mutuo certare: aut rationis, vel experientiæ, expertes eſſe, utrosque aut alterutrum ad minimum. Sicut enim non ſemper ſuccedit, ut inter duas contrarias ſententias alterutra ſit vera, quando videlicet tota relatio, circa medium nempe objectum, circa quod verſari debet, non recte inſtituta eſt: ita fieri certe ſubinde poteſt, ut neutra ſibi mutuo oppoſitarum ſententiarum ſit vera, ſed vel media quædam potius locum habeat, vel ſi oppoſitæ illæ a tramite ſuo oberraverunt, nempe debitum verum reſpectum ad uſum objectum non retinuerunt, plane illa, quam hac via, quærenda ſit veritas. Hæc ille. In præſente autem Caſu nullum hactenus medentium rem acu, quod ajunt, tetigiſſe, inde eſt, quod neuter malum debite examinarit, inque circumſtantias rite inquiſiverit, ſed ſuæ tantum opinioni fictæ fidem adhibuerit. Hinc ingens, ulterius l. c. ait STAHLIUS, experientiæ ſcandalum, & ab omni ævo probabile eſt, illa & rationis & circumſpectionis experimentalis aliquando inopia, aliquando quoque inadvertentia, ut bonus etiam eventus, licet manifeſto laborioſos, & quod ſane commiſeratione dignum eſt, tanto magis ipſos laborioſiores, communiter ſuæ arti imputare geſtiant Medici, & e talibus rebus experientias ſuas formare aut fovere. Unde, paulo poſt pergit. profecto nihil familiarius eſt, quam ut illi, qui nullo rationis aut experientiæ laborioſiore apparatu ſubnixas, eoque ipſo mira facilitate ipſis commendabiles viſas ſuas methodos & poſitiones illis, quæ aliter ſeſe habent, non ſolum apud ſe ipſos anteferre ſoleant; Sed etiam quacunque, non magis data, quam arrepta, occaſione illas diverſas inſectari, & tam rebus quam hominibus, apud imperitos contemtum moliri. Hi, ſi meliorum illorum patientiæ tandem vim faciant, & defectum propriorum ſuorum placitorum demonſtrationes extundant, quid poſſunt inde expectare, quam ſui quoque circa talia exiſtimationis detrimentum. Quare fit, ut ſicuti illi alios apud imperitam plebem, ita ſe ipſos apud peritiorum cohortem, contemtui exponent: adeoque tandem utrinque non tam ſolum perſonarum amplius, ſed & ipſius artis ludibrium, radices agat. Hi ſunt demum fructus illi fœtidi atque virulenti, quos multorum inconſideratus atque irrationalis profert Medicorum diſſenſus atque imperitia, quod ſane quam vehementer eſt dolendum.

IIX.

Hoc non mirum, cum cauſa genuina non fuerit perſcrutata, qua alias rite detecta atque remota, niſi ἀδυναμία occurrat, medicamenta ſuos edunt effectus ſperatos, malumque removetur atque ceſſat.

IX. Ita

I X.

Ita Genius hominum hodie eſt comparatus, ut, ſi non ſtatim animadvertant aliquod levamen, extemplo Medicum priorem deſerant, & vel ad alios, vel ad medicaſtros, currant, vel plane remedia ſeponant, putantes, naturam optimam mali ſemper fore medicatricem. Quam perverſe autem id fiat, uberrima docet atque teſtatur experientia, dum ſæpius hoc modo non ſolum morbus levior in malignum degenerat, ſed quoque ob intempeſtivam ejusmodi remediorum abſtinentiam plerumque incurabilis evadit.

X. & XI.

Conſtituerat equidem æger apud ſe firmiter, nullum ſe amplius adhibiturum remedium, ſed mali medicationem & ablationem a natura, cujus miniſter eſt Medicus, expectaturum: Verum conſilium mutabat, aliudque in uſum vocabat remedium ſat barbarum ac violentum, peniculum nempe ventriculi, *die Magen-Börſte*, de cujus ſtructura & utendi modo in præſenti, cum res ſit notiſſima, ac paginæ anguſtia inſuper etiam vetat, non faciam verba. Cui autem volupe eſt, plura de hoc inſtrumento legere, is Actor. Erudit. ſupplem. T. U. Sect. IV. pag. 183., binas Diſſert. Jenenſes de Excut. Ventric. & de novo Inſtrum. Repurgator. Ventriculi conſcriptas, nec non Dni. D. WOLFII Phyſici Dubenſis, *gründliche und vollſtändige Deſcription der ſonderbahren und curieuſen Magen-Borſte*, adeat, ubi voti ſui compos fiet. Cauſam applicationis difficilioris hujus inſtrumenti, denegatique ejus in ſtomachum ingreſſus, ut longis adducamus verbis, opus non eſt, cum ea evidens ſit atque clara. Difficilis enim aditus dubio procul a conſtrictione & criſpatura fibrarum œſophagi, ab hactenus crebra per remedia acria facta earum irritatione exorta, ortum duxit ſuum.

XII.

Unde copioſa materia pituitoſa mediante peniculo hoc, licet non in ventriculum ingreſſo, originem traxerit, undeque profluxerit, intellectu adeo difficile non eſt, modo quis ad glandularum vellicationem atque preſſuram, hoc inſtrumento factam, præcipue in hoc ſubjecto cacochymico, attendat. Videmus ejus rei veritatem in ſubjectis perfecte ſanis, ubi circumforanei experimento ſuo vulgari, per pulverem quendam arcanum adjectum aut jactatum errhicum, ſat notabilem viſcidæ materiæ quantitatem per os ac nares educere norunt, quam operationem Catarrhoſam Extractionem, *das Fluß-Abziehen*, appellitant, eamque præſervationis in gratiam ſequentem in modum ſedulo hominibus ſuadent atque inculcant. Primo jubent, ut ille, eductionem catarrhi putatitii deſiderans, capite

ſedeat

ſedeat prono; deinde mediante ſtylo quodam ligneo os diducat; & tertio pulverem jactatum per nares attrahat. Hoc enim facto brevi poſt, ad omnium adſtantium admirationem, per os atque nares notabilis viſcidæ ac tenacis materiæ copia effluit, quam baculo vel virgula poſtmodum ejusmodi agyrtæ arripiunt, circumvolvunt, extendunt, multumque de ejus nocumento ac periculo, feliciter nunc amolito, garrire & blaterare ſciunt. Quis vero prudentium ejusmodi homuncionum non videt vafritiem, non tam proximi ſanitatem, quam potius ejus argentum, cupientem & anhelantem? De hac catarrhorum extractione vid. BONETUS Medic. Septentr. P. I. p. 217. & Ephemer. Academ Naturæ Curioſ. Ann. I. Decur. I. Obſervat. 34. p. 110-112., item in Append. ad hunc Annum p. 9. ſeq., nec non Ann. IX. & X. Obſervat. 117. p. 283. Sed Mundus vult decipi! Quilibet in ſe hunc ſeri effluxum quotidie experiri poteſt, dummodo methodum indigitatum obſervet, atque nonnihil de pulvere cujusdam vegetabilis acrioris, ſ. radicis pyrethri vel raphani ruſticani, euphorbii, vel amylo, (ex quibus hunc pulverem maximam partem compoſitum, inſtituto multifario ejus examine, ipſemet deprehendi) naribus immittat. Seri autem hoc modo per nares atque os effluentis facilem egreſſionem non parum etiam adjuvat ductuum ſalivalium per oris diductionem facta apertura, muſculorum tenis preſſio, proniorque capitis ſitus, quomodo non fieri non poteſt, quin majori in copia quam alias fieri aſſolet, humores effluant. CLUSIUS e *Nicol.* MANARDE in Simplic. Medic. ex Novo-Orbe delat. corticis cujusdam meminit, qui pulveriſatus, & naribus inditus, idem præſtat, eumque ob effectum corticem rheumaticum vocat, eumque ita deſcribit: Ex Peru mihi miſſus eſt craſſus quidam cortex, quem vaſta ex arbore ulmo ſimili, cum amplitudine, tum forma, detractum ferunt: naſcitur ad ripas fluminis cujusdam viginti quinque leucis a Lima diſtantis, nec alibi in India reperitur. Indi in capitis defluxionibus, rheumatiſmis, aut alioqui corporis gravedine laborantes, hujus arboris corticem in tenuiſſimum pulverem comminuunt, & naribus imponunt; humores inſigniter educit, qua ratione liberantur; quod verum eſſe ipſi experti ſumus. Hæc ille. Quod vero educta materia adeo tenax obſervetur, ut extendi queat, inde eſt, quod corpus egreſſa, aërique nunc frigidiori expoſita, particulæ calidæ ac volatiliores aufugerint, ſolasque gelatinoſas & ſalinas poſt ſe reliquerint. Cur autem noſter æger, multa licet ablata pituita, nullum plane ſenſerit allevamentum, nemo miretur; cauſa enim mali præſentis non fuit remota, qua alias imminuta & ablata effectus quoque imminuitur atque ceſſare obſervatur.

XIII.

Peniculi applicationem deterioris hujus conditionis veram fuiſſe cauſam, quis non intelligit atque evidenter videt? major enim fibrarum ad criſpa-

criſpaturam jamjam aptarum irritatio, contractio atque contorſio, fuit oborta, quæ, iisdem non ſtatim in priſtinam ſuam ſedem delatis, ſucceſſive confirmata atque conſolidata fuit. Unde & aliter evenire non potuerit, quam ut hac ex cauſa accedente ſimul partium corporis contabeſcentia & flacciditate, & ſolidorum & demum liquidorum deglutitio non rite proceſſerit, eaque ſenſim ſenſimque difficilior reddita, imo tandem plane ægro denegata fuerit.

XIV.

Hujus phœnomeni rationem clariſſime exponunt phœnomen. 16. & 17. Oeſophago enim contorto, principium verſus ſolito tenuiori, graciliori & accedente ſimul tam parva ejus apertura, non potuerunt non regurgitare liquores paulo liberius abſorpti.

XIV.

Cauſa hujus phœnomeni plana eſt; qualis enim nutritio, talis corporis habitus, & virium quoque conſtitutio.

XVI. & XVII.

Hic primo videmus uſum inſignem, quem cadaverum ſectio, a nullo practicorum, præcipue occaſione ad eandem inſtituendam affulgente, negligenda, ſed omni ſtudio atque perſuaſione quærenda, arti noſtræ ſalutari præſtat, cum per eum tanta detegantur, quæ & famæ & vitæ & cauſarum perſcrutationi, & medelæ hujus vel illius mali, alio tempore egregie conſulere obſervantur. Contorſio œſophagi ab irritatione & contractione fibrarum a remediis antea acrioribus ad pituitam imaginariam incidendam acceptis, maxime vero a violentia peniculi, fuit excitata atque exorta tenuitas & gracilitas inconſueta, nec non apertura ſolito longe minor & durior, a fibrarum nimia in ſe ſtrictura ortum duxerunt. Cujus rei veritatem in fune videmus: hujus enim fila, quo laxius ſibi invicem incumbunt, eo craſſior ille; quo vero arctius inter ſe cohærent, eo etiam gracilior, tenuior atque durior, obſervantur.

XIIX.

Cum polypus noſter figuram habuerit vermiformem, cur non contiguus, ſed per medium diviſus, fuerit obſervatus, & undenam ſuos acceperit pedes, res quidem explicatu adeo facilis non eſt, cum ejusmodi excreſcentiarum intus latentium generatio virum noſtrum ſub-

terfugiat, quo itaque minus debito modo attendere queamus: interim tamen ſequentem in modum ejus generationem factam fuiſſe, mihi concipio. Quamprimum pulvis ſternutatorius per fortem inſpirationem in gulam fuit delatus, eam non in uno, ſed diverſis in locis, (en diviſionis originem!) ob tunicæ, præcipue hoc in ſubjecto, teneritudinem & mollitiem, ſuamque nimiam acrimoniam, ſtatim corroſione agreſſus eſt, unde etiam momentaneus dolor urens, tuſſis frequens ac moleſta, læſionem adhuc multum exaſperans, & denique ſputum cruentum. Hanc gravem œſophagi læſionem, extemplo pulveris aſſumptionem inſecutam, ſtatim, ut intellectu facile eſt, excepit humorum viſcidorum & acriorum affluxus, qui extra ſua vaſcula delati, in coagulum pedetentim abierunt fibrilloſo-carneum, quod, propter continuo ipſi accedens nutrimentum, ſenſim ſenſimque in hanc notabilem, partim ob gulæ configurationem, partim etiam ob humores deorſum fluentes, inque ſuo progreſſu hederæ arboreæ in modum radices ſpargentes, ſtiriæ inſtar, excreviſſe videtur, molem elongatam pedibus donatam. Unde quoque cauſam videmus figuræ vermiformis, quam non parum, ut probabile eſt, adjuvit alimentorum, licet poſtmodum imminuta, deglutitio. Ab his enim verſus inferiora excreſcentia hæc ſæpius preſſa effectum fuit, quo non in corpus globoſum aut latum, ſed longum atque teres, lumbrici craſſioris faciem repræſentans, fuerit commutata. Vellet quis aſſerere, radices noſtri polypi uno eodemque tempore ſtatim poſt factam multiplicem œſophagi læſionem fuiſſe exortas, ego ipſi non valde repugnarem, cum non adeo improbabile videatur, ex læſione hac diverſis in locis facta, humores egreſſos, interjectis his intervallis, demum coaluiſſe; & ſic quoque ratio aliqualis, & earum ordinis & brevitatis, dari poteſt. Interim ita conjicere liceat, donec quis probabiliora afferat.

XIX.

Materiæ cruentæ particula, quæ ad polypi caput adhæſit, unde eo devenerit, difficile ſcrutatu non eſt, modo hactenus dicta ſi conſideremus, & phænomenon duodecimum præcipue perpendamus.

XX.

Quod adeo mollis polypus hic fuerit obſevatus atque pallidus, nulla alia fuit cauſa, quam quod per tres, & longius adhuc dies, cadaver jacuerit, indeque poſtea utique aliter evenire non potuerit, quam quod ſubſtantia atque color alterati mutatique fuerint.

Quæſtio I. II. & III.

Quæſtiones haſce non protuliſſem, niſi extitiſſent, qui mihi eaſdem enodandas propoſuiſſent. Ne itaque & hi putent, ſingulare quid

quid in re & arte fundatum ſe ſcire atque de iſto, ac de vero, opinari, ad eas breviter tamen, daturus ſum reſponſionem. Ad primam igitur qu d ſpectat reſpondeo negando, ideo, quod a prioribus annis usque ad initium hujus mali deglutitionis impedimentum non perceperit, quod tamen fieri debuiſſet, ſi polypus hic hæreditarius fuiſſet, dubioque procul iſte, cum ejusmodi excreſcentiæ perpetuo creſcant, ægrum mu'to citius e vita ſuſtuliſſet. Exorta autem fuit inde hæc de malo hæreditario imaginario opinio, quod ex defuncti cognatis non nemo aliquando dixerit, matrem & aviam demortui itidem aliquoties ex deglut tione difficili laboraſſe. Quis vero hoc fundamentum admodum eſſe lubricum non videt? Secundam quod concernit, canonem æger in mentem utique revocare debuiſſet notiſſimum: Principiis obſta, ſero medicina paratur. In principio enim, dolore adhuc ſputoque ſanguinis durante, remediorum convenientium apparatus malo opponi. Sicque ejus incremento apex forte poni potuiſſet. Tertio, quod plane hoc fuerit impoſſibile, quæcunque etiam fingantur inſtrumenta & encheiriſes, ἀδυναμία adfuit curandi malum. Primo enim manibus pars affecta tractari non potuit, & quis polypum hic quæſivit? Deinde, ſi etiam hic a ſede ſua vi quadam inſtrumentali deturbatus & avulſus fuiſſet, quis hæmorrhagiam, quæ ſine dubio hanc operationem periculoſiſſimam fuiſſet inſecutura, compeſcere, & pro ſymptomatibus periculoſis inde non exorituris, vel pro non amplius futura ejus germinatione, ſpondere voluiſſet?

S d properandum eſt ad finem, circa quam hac occaſione varia curioſa, & phyſica & moralia, ut: Symbola, emblemata atque proverbia, de hocce polypo, a quo, ut ſupra monitum fuit, malum præſens accepiſſe dicitur, proferri poſſent. Cum vero id nimis longum foret, adeat, qui velit, GESNERUM, *Ulyſſ.* ALDROVANDUM, MERCKLINUM FRANZII Hiſtor. animal. tract. III. c. 6. p. m. 686. Camerarii emblemata, PICINELLI mundum ſymbolicum, PIERII Hierog'yphica, ERASMI adagia &c. ubi abunde deſiderium explere poterit ſuum. Ne tamen vero & hac in parte plane ἀσύμβολος diſcedam, præſens noſter polypus œſophageus, vel voluptatis nocivæ, vel hominis malevoli, ſub ſinceræ amicitiæ larva, alterius detrimentum quærentis, imago eſſe poteſt, cum epigraphe: *Amplectitur, ut ſtrangulet!* Interea lectorem benevolum, hactenus prolata ut æque bonique conſulere velit, peramanter peto, Deoque triuni optimo maximo decentiſſimas pro viribus conceſſis perſolvo grates cui etiam,

A quo principium rei dependet, in ipſo
Principium ut operis fuerat, ſic ſit quoque ...

ἘΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

A Sanguinis qualitate & corporis ſtructura temperamenta & mores dependent.

II.

Ingeniorum diverſitas a diverſa cerebri fabrica ejusque conſtitutione proficiſcitur.

III.

Medicus moraliſta multo facilius feliciusque depellit morbos, quam alius hac doctrina deſtitutus.

IV.

Qui animam rationalem pro nulla ſubſtantia, ſed mera potentia, ex organorum machinæ humanæ combinatione reſultante habent, & ſcripturæ ſacræ & ſanæ rationi contradicunt.

V.

Hypericum fugare dæmones malos, ſpectra, veneficas & ſagas, fabulis annumerandum eſt anilibus.

VI.

Phyſiognomia non rejicienda, ſed tantum a ſuperſtitione purganda eſt.

CCLIX.

JO. FRID. ZIESNER

RARUS OESOPHAGI MORBUS

Regiomonti 1732.

§. I.

Oeſophagus eſt canalis quidam, ex diverſi generis membranis compoſitus, eſculenta & potulenta in ventriculum deferens. Initium capit, ubi pharynx deſinit, & terminatur in ſuperiori ventriculi orificio. Tanta gaudet longitudine, quantum inter ambas illas partes intercipitur ſpatium. Principium Oeſophagi, pharinx ſive gula audit, figuram infundibuli ſatis amplam referens. Ut vero alimenta maſticata & ſaliva in ore mixta, eo melius in canalem Oeſophagi impelli queant, neceſſario muſculi, ceu inſtrumenta motus, dilatatorii & conſtrictorii, à Deo T. O. M. creati ſunt. Quamvis autem Autores adhuc maxime inter ſe diſcrepent, quot paria muſculorum conſtrictioni & dilatationi inſerviant? dum alii tria, uti *Heiſter: in compendio anatomico* p. 147. alii quatuor, uti *Barthol. Anat.* p. 448. alii quinque, uti *Spigel. Anat. lib. IV.* p. 173. alii ſex paria ad dilatationem, & unum Oeſophagæum, ad conſtrictionem facere autumant: nihilo minus tamen ad conſtrictionem pharyngis, Hyo-Thyro & Cryco pharyngæorum paria muſculorum facere exiſtimo; pro faciliori vero introitu deglutiendorum, paria, ſtylo Cephalo-Pterigo-Salpingo & gloſſo pharyngæorum, ut nimirum ſeſe dilatent, a provida natura data ſunt. Facta enim hac dilatatione ſatis amplum locum potulenta æque ac eſculenta ibidem inveniunt, quo eo melius per conſtrictionem trium parium muſculorum modo nominatorum ad orificium Oeſophagi perveniant, ſicque in cavo ipſius ſub pharynge hærere poſſint.

§. II.

In thoracis cavitate Oeſophagus eſt collocatus, colli, dorſi vertebris, nec non parte membranacea poſteriori arteriæ aſperæ firmiſſime adhærens: a faucibus ad quartam vel quintam dorſi vertebram recta linea excurrens: ubi aliquantulum dextrorſum vergit; donec circa no-

nam recurvatur, ac perforato diaphragmate ſiniſtri lateris, ad undecimam circiter vertebram progreſſus, ſiniſtro ventriculi orificio communicatur. Inter quartam & quintam thoracis vertebram corpus aliquod glanduloſum Oeſophago adnaſcitur, aliquando ex duobus tribus vel pluribus glandulis conſtans, ad lubricam efficiendam viam datum, quo deglutienda tanto expeditius per canalem, ventriculum petere poſſint. vid. *Veſal. lib. V. cap.* 3. p. 415.

§. III.

Cum in primo §pho de muſculis pharyngem dilatantibus, & conſtringentibus egerim, neceſſarium eſſe judico, curatius perpendere, cur deglutienda, quæ in œſophago ſub pharynge hærent, in ventriculi cavitatem propellantur?

§. IV.

Indefeſſa ac perfecta diſquiſitione anatomica conſtat, œſophagum ex membranoſa, celluloſa, muſculoſa, glanduloſa, & nervoſa tunica contextum eſſe. Omnes hæ recenſitæ membranæ, ſuo non carent uſu. Etenim exteriori membranoſa, utpote tenui & fibroſa, a pleura ortum trahente, & cum ipſa contigua, cæteræ ſunt involutæ. Celluloſa, pro corporum diverſitate, magis vel minus conſpicua eſt, & multa pinguedine referta; ut fibræ muſculares mobiliores reddantur: hoc obſervare licet in hominibus obeſis; aſt in macilentis non item, niſi flatu cellulas expandere velis; *vid. Clar. Ruyſch. Theſ. VI.* p. 9. Muſculoſa ex duplici fibrarum ſerie eſt compoſita, nimirum longitudinali & circulari; ſiquidem fibræ longitudinales, dum abbreviantur, œſophagum conſtringunt. Sicque maſticati, attenuati, humidi, lubricati, cibi, actione voluntaria & naturali in ventriculum propelluntur, ne diutius in cavo canalis permaneant, vid. §. I. & III. Glanduloſa, nervoſæ tunicæ incumbens, ſuccum pinguem lentumque ab arteria œſophagæa *a Clariſſ. Ruyſchio Ep. 6. Tab.* 7. *f.* 3. delineata, paratum, in cavum canalis per emiſſaria exprimit; ne vero parcius aut abundantius iſte humor fluat, fibris aliquo modo carnoſis conſtructa eſt hæcce tunica, pro majori aut minori contractione. *vid. Mang. The. Anat. lib.* 3. p. 523. Papillo nervoſa perquam multum facit ad ſenſationem, quia papillæ ex nerveis extremitatibus factæ, agminatim inter ſe diſpoſitæ, copioſiſſime ibidem reperiuntur. Ex his quoque papillis, cruſtam ſive tunicam villoſam œſophagi contextam eſſe patet: ex verbis *Celebr. Ruyſch. in Theſaur. VII.* p. 21. reperi luculenter tunicam villoſam pro labiorum, „ buccarum, gulæ, ſtomachi, & inteſtinorum ejusmodi fere eſſe con-

„ ſtitutio-

„ ſtitutionis, ſcil. nil niſi corpus compoſitum ex papillis nervoſis, vaſ„ culis ſanguineis, tomenii aut goſſypii inſtar tenuibus. „

§. V.

Duo quoque vaſa arterioſa totidemque venoſa ambiunt œſophagum; prima arteria ex intercoſtali oritur, & œſophagæa dicitur, de qua §. IV. altera e cœliaca prodit. Aſt aliquando ex ipſo arteriæ aortæ trunco, arteriarum ramuſculos exſurgere ad huncce canalem, *Celeb. Heiſt. docet not. 67. inquiens:* „ Ego vero non ſemel, ſed ſæpius, duas, tres, tales „ arteriolas diſtinctis principiis, ex arteria magna, oriundas vidi ac „ demonſtravi quæ cera repletæ erant. „ Vera prior in Azygon terminatur; altera inferiora petit & in ſtomachicam coronariam ſe inſerit.

§. VI.

Nervus ad œſophagum excurrens dicitur vagus, quia pluribus partibus opem fert, ex corporum olivarium lateribus proſilit, juxta ſinus laterales duræ matris cranium perforat, cumque vena jugulari interna prodit, multos ſurculos tam ad muſculos cervicis, oſſis hyoidis, laryngis, quam ad ipſas fauces & œſophagum propagat. Tandem ulterius deſcendendo ad latus arteriæ aſperæ, in ſiniſtrum & dextrum diſpertitur ramum; hi vero, ad orificium ſiniſtrum ventriculi concurrentes, ibidem plexum nervoſum, circa œſophagum conſtituunt, *ut patet ex Fig. Barthol.* p. 678. p. p. p. p.

§. VII.

Rite jam omnibus hiſce perſpectis, quæ tam ad pharyngis, quam ipſius œſophagi ſitum, connexionem ſtructuram ſeu fabricam, motumque in ſtatu naturali pertinent: facilius judicium reddi poteſt, de ſtatu ejus præternaturali ſeu morboſo. Quemadmodum enim omnes, in tota noſtra machina reperibiles partes, variis obnoxiæ ſunt morbis, ſive ſint fluidæ, ſive ſolidæ: ita quoque, & œſophagum diverſis obnoxium eſſe læſionibus, ne functionem ſuam rite peragat, quotidiana edocet experientia. Iſto enim læſo, læditur deglutitio, aut in tantum: quando nimirum muſculorum pharyngis paria ſolum; *vid.* §. *I.* aut in totum: ſi ſimul & ipſius œſophagi fibræ circulares & longitudinales *vid.* §. *IV.* paralyſi laborent; ut cibi & potus ſine ullo exquiſito ſenſu, in ventriculi cavum, propria gravitate, cum ſono & ſtrepitu, quaſi in lagenam vacuam irruant; quod quandoque in febribus acutis obſervatur, ob inſignem virium reſolutionem & defectum ſpirituum animalium. Nec raro accidit, quod aliquando deglutitio imminuatur aut depravetur,

ſive

ſive id fiat a tumoribus externis, internisve, abſceſſu, ſtrictura fibrarum ex ſpaſmo ſuborta, quo hypochondriacæ & hyſtericæ paſſiones, pertinent, uti infra patebit; ſive a cartilaginoſa ſubſtantia ipſius œſophagi; ſive ex obſtructione propter varia deglutita, in pharinge vel œſophago hærentia, uti ſunt oſſicula, ſpinæ piſcium, aciculæ &c.

§. VIII.

Prout vero tonſillæ vel glandulæ maxillares, a lymphæ cujusdam viſcidæ collectione infarctæ, liberum ſanguinis motum, & naturalem tranſitum impediunt; ſic quoque tumores interni externique, modo majores modo minores, nunc a leviori, nunc graviori inflammatione, oriuntur, quæ inflammatio notha ſeu ſpuria appellatur. Vera interim inflammatio, acutus ſane & periculoſiſſimus eſt morbus, quo æger ſubito interimi poteſt, niſi cito liberetur; nam in partibus muſculoſis laryngis, pharyngis & ipſius œſophagi fibris hærens, non minuitur, ſed augetur, ſicque viam & reſpirandi & deglutiendi præcludit, & cum febre continua vel continente eſt conjuncta; hinc talium febricitantium lingua ſæpius arida, fiſſa, obſervatur, imo materia viſcida nunc nigra, nunc alba, tam lingua quam fauces ſunt obductæ.

§. IX.

Et ſane ſi tonſillæ obſtructæ, internos externosque tumores conſtituentes, deglutitionem impediant; nullus dubito, quin, quo rigidiores, denſiores, compactioresque fibræ, ſeu membranæ œſophagi ſunt, eo minus ad motum ſuſcipiendum, aptæ exiſtant, quin potius prorſus actionem deſtruant, & ita quidem, ut nec liquida nec craſſa ad cavum ventriculi ope canalis deferantur. Nam quemadmodum omnis humorum motus, impulſus atque progreſſus fibris ac membranis motricibus promovetur: ſic quoque œſophagi actio, ab his ut dependeat, neceſſe eſt; nullatenus vero fibris rigidioribus, compactioribus, quæ jam cartilagineam induere ſubſtantiam abſolvitur. Quod autem paulatim cartilagineam imo oſſeam conſiſtentiam aliquando acquirat œſophagus, conſtat ex obſervatione in *Sepulchret. Anatom. Boneti lib.* 3. *S. I. IV.* p. 749. *de deglutitione læſa annotata.* Verba ſunt ſequentia: „ In diſſecto ca-
„ davere, totus eſt pura cartilago, neque erat pervius, niſi cavitate
„ valde minuta, vix ſetam porcinam admittente, ſed integra ſubſtantia
„ cartilaginea ſolidior. „

§. X.

Jam ad rarum œſophagi morbum progredior, quem pro virium meorum

orum tenuitate denoare & explicare, omnem navabo operam. Morbi autem rari illi dicuntur, qui raro corpus noſtrum infeſtant, & ratione ætatis, temperamenti ac ſtructuræ partium diverſimode ingruunt, atque ex variis cauſis, & inter has, uti in hoc caſu, ex paſſione hyſterica, accidere poſſunt.

§. XI.

Equidem notum, paſſionem hyſtericam, affectum eſſe chronicum & complicatum, ſævisſimorum moliminum ſpaſticorum matrem, circa venam portarum & viſcera prope adjacentia, a congeſtione ſanguinis abundantis & ſpiſſioris ortum. Hacce jam exiſtente, non ſolum vehementiſſimi dolores cardialgici, cum ſpaſticis exacerbationibus, circa præcordia conjuncti obſervantur; verum etiam atrociſſimi, lancinantes, vertiginoſi quandoque capitis dolores, in temporibus, vertice vel occipite concurrunt. Temporaria reſpirationis interceptio, cum frequentibus cordis palpitationibus contingit. Deglutiendi difficultatem cum tali exquiſito ſenſu percipiunt, ac ſi nucleus, aut alia res dura œſophago eſſet incluſa, præcedentibus pandiculationibus & oſcitationibus. Appetitus ut plurimum vagus eſt & abſurdus, cum intercurrente aliquando nauſea & vomitu, materiæ bilioſæ, acidæ ac peregrini ſaporis. Ructus, flatus, borborygmi, alvi obſtructiones communiter obſervantur. In paroxyſmo graviori aucto emiſſa urina, quidem apparet limpida, aſt interdum lateribus vaſorum granula rubra adfixa adhærent, quæ deinceps fundum petunt. Perſonæ vero temperamenti melancholici, aut ſanguineo melancholici, ut & cholerici; vitæ ſedentariæ addictæ; lochiorum perturbationes, ceſſationes menſium, expertæ; diæta craſſa, flatulenta, viſcida, potu coffe abutentes; & denique animi pathematibus v. g. triſtitiæ, mœrori, aut aliis affectibus deditæ, frequentius huic malo obnoxiæ ſunt.

§. XII.

Hæc modo recenſita ſymptomata varios, graves, diverſiſſimosque motus in corpore excitant, quo vigor, tam animi quam corporis, minuitur atque pervertitur, hinc ſani corporis functiones, rite procedere nequeunt. Cum vero in tota rerum natura, fere nihil, ſine ratione fiat, ideo hi perverſi & mutati motus, ex certis cauſis proficiſcuntur, quas medicus rationalis probe, perſpectas habeat, quia labor medentis, maxima ex parte in accurata & prout fieri poteſt exquiſita cognitione cauſarum morbificarum verſatur. Hanc ſententiam *Venerandus Senex Hippocrates libr. de natura humana* §. 25. *p. m.* 278. *confirmare voluit his* „*verbis: curationem inſtituere oportet, ut cauſæ morbi nos opponamus.* „*Sic enim utique ſolvitur* id, *quod morbum in corpore fecit.* Minime

vero cauſa hujus morbi in principio quodam, quod ſenſu interno, intentione ac ſapientia inſtructum & materiæ expers quærenda; nam corpus humanum licet immateriali & materiali principio conſtet, nihilominus tamen in plurimis morbis cauſæ a machina ſola, & ejus affectionibus proveniunt.

§ XIII.

Igitur cauſas mali hyſterici ex principio materiali, derivandas eſſe arbitror. Nam ſi perſona temperamento gaudens ſanguineo-melancholico, mox circa hypochondria, mox circa lumbos, mox circa præcordia, doloribus gravioribus & atrocioribus vexatur, cauſa formalis & proxima erit vehementia ſpaſmorum, genus nervoſum afficiens. Talis nimirum indolis ſunt ſpaſmi, ut vel univerſum corporis habitum, vel nervorum ac membranarum compagem, conſtringendo corripiant. De prioribus mihi hic non erit ſermo, quia in hyſtericis paſſionibus haud obſervatur, quod tubuli excretorii, in tota peripheria corporis deliteſcentes, ita a ſpaſmo coarctentur, quemadmodum in omnibus febribus intermittentibus contingere ſolet, ut ſanguis ab extremitatibus ad partes nobiliores, & materia excrementitia perſpirabilis ad interiora repellatur. Illorum vero motuum ſpaſmodicorum nunc fiet mentio, qui nerveas & membranoſas partes ſolum corripiunt, doloresque atrociſſimos pariunt. Quam primum dolor in lumbis ſentitur, ſpasmus ad plexum meſentericum pervenit, renes afficit, & urina tenuis ſecernitur; ſi, in hypochondriis dolor exiſtit, hepar & lienem ſpasmus corripit; ſi præcordia aggreditur, in primis viis tyrannidem ſuam exercet, & in œſophago deglutiendi difficultatem; circa ventriculi orificia dolores cardialgicos: & in inteſtinis flatulentiam nimiam parit.

§. XIV.

Tanto vehementiores ſunt hi motus ſpaſtici, quanto impuri & ſpiſſi ſanguinis congeſtiones, quæ ad ſtaſin aut ſtagnationem pronæ majores, & quo exquiſitioris membranæ ſenſationis irritantur. Vera igitur & efficiens materialis cauſa mali hyſterici recte in congeſtione ſanguinis ſpiſſi & impuri quæritur. Quamvis enim tales congeſtiones ſæpius occurrant, & in prima ætate caput, in media pectus, in conſiſtente abdomen afficiant: nihilo ſecius, tamen nec plethoricæ, vitæ ſedentariæ & otioſæ deditæ perſonæ: nec lauta diæta abutentes: nec fluxu menſium inordinato vel plane deſtructo laborantes: a talibus congeſtionibus ad ſuperiora verſus, immunes permanent. Hoc interim non negandum, corpora plethorica ſæpius & diu, ſine ullo incommodo vivere, quamdiu fluida ſuperflua pura, vel impura, perenni atque circulari motu agitantur,

tur, ac per excretorios tubulos ultimosque vaſorum fines in naribus, recto vel utero ejiciuntur. Vaſis uterinis vero nimium conſtrictis aut coarctatis menſtrui vel lochiorum fluxus legitimus retardatur vel ſupprimitur, adeo ut ilias morborum in corpus muliebre ingruat, non ex eo fundamento, ac ſi venenatum aut corruptum quid partibus iſtis inhæreret, (eſt enim ſanguis menſtruus in ſe & ſua natura optimus, nutritioque ſucco refertus,) ſed quod redundans ac regurgitans, qui per minima vaſa venoſa uteri ac vaginæ erat evacuandus, circulum ſanguinis æqualem impediat, robur fibrarum & contractionem cordis vaſorumque infringat.

§. XV.

Cum ergo in hyſtericis affectionibus, a lochiorum vel menſium fluxu retardato aut imminuto, congeſtiones oriantur; fiunt exinde ſpaſmi: hinc ſanguis per hancce ſtricturam canalium, in vaſa aperta in majori quantitate irruit, infarctus, ſtaſes, ſtagnationes & inflammationes efficit. Ad eundem modum, ſimul ac ſpaſmus præcordia aggreſſus, tubulos ac canales arterioſos venoſosque, circa orificium ventriculi ſiniſtrum deliteſcentes, ita conſtringit, ut ſanguis, ex menſium vel lochiorum ſuppreſſione, ad ſuperiora redundans, ad œſophagi quoque vaſa propellatur, inde fit in arctioribus canalibus obſtructio. Impreſſus ſic cruor per aliquod temporis ſpatium ibi ſubſiſtens moveri deſinit, quieſcit, tranſitum fluentis novi ſanguinis impedit, vaſa dilatat atque extendit; dolores, inflammationes excitat; quæ niſi cito reſolvantur in ſpiſſum, tenacem, glutinoſum & album humorem concreſcunt, & veri puris naturam induunt, ut tali ratione non ſolum abſceſſus, ſed vera quoque gangrænoſa & ſphaceloſa corruptio oriatur. Hinc iſta congeſtio, ſtagnatio & inflammatio, quæ œſophagum lædit, tam interne quam externe, & in ſuppurationem vel abſceſſum vergit, periculo non vacat, ſed mortem minatur.

§. XVI.

Nullo enim chirurgicæ artis auxilio talis abſceſſus aperiri poteſt, præſertim ſi fere mediam ipſius œſophagi partem occupaverit, quo factum vel co lectum pus, inter membranas ſive tunicas hujus canalis hærens *vid.* §. *IV.* exprimatur; ideo in iſto loco adhuc clauſo augetur, attenuatur, putreſcit, acre fit, membranas & vaſa corrodit, ut ſanguine mixtum effluat. Aſt exteriori membrana, a pleura ortum trahente, ſana adhuc exiſtente, in ventriculi cavitatem irruit, vel vomitu ejicitur, reliquum per oſcula vaſorum venoſorum eroſa abſorbetur &

 ſangui-

ſanguineæ maſſæ miſcetur, quam inquinat & ſucceſſu temporis viſcera nobiliora etiam corrumpit.

§. XVII.

Nec interna medicatio, quamvis perite adhibeatur, quidquam præſtat. Signa enim diagnoſtica, malo hocce incipiente aut increſcente intricata & minus evidentia ſunt. Quapropter cum inſimul ſymptomata plurima quæ in hyſtericis §. *XI.* obſervavimus, hic quoque concurrant: ſaltim quod dolores cardialgici cum vomitu & dejectione ingeſtorum graviores obſerventur; regio itidem inter ſcapulas per intervalla doleat; nec Argus ipſe obſtructionem in minimis prævidet. Quando vero inflammatio jam in ſuppurationem abit, ægerque pus excreat, morbus quidem patet, ſed curatio fruſtra tentatur, licet optimis remediis; donec ægrotus vel inedia, cum cibi licet probe maſticati & ſaliva mixti, ob læſionem continui œſophagi, ventriculum petere nequeant, vel ex rationibus §. 15. allegatis, miſerrime perit.

§. XVIII.

Totam rem luculentiſſime, ex caſu nunc recenſendo illuſtrabo. Matrona quædam honeſtiſſima, celebris mercatoris hic Regiomonti, nunc deſideratiſſima conjux, pluribus retro annis de ſymptomatibus variis ex paſſione hyſterica oriundis, conquerebatur. Mox enim ſpasmis & doloribus circa hypochondria, mox circa lumbos, mox circa præcordia corripiebatur, quibus juncta erant, appetitus vagus, pulſus debilis, urina cum ſedimento roſeo: aliquando rubra tenuis, cum granulis rubris, in fundo vitri in acervulum collectis, & poſt conquaſſationem vaſis fundum petentibus; continuus fere menſium inordinatus fluxus, & cum inſequens fluor albus, diebus aliquot perdurans: ſumptis nihilo minus medicamentis, affectus hi, miteſcebant in tantum, ut res domeſticas, licet ægre peragere, ſacras ædes frequentare, & aliquando excurſiones facere poſſet. Integram interea reſtitutionem vetabant, corpus laxum & ſpongioſum, pravis humoribus repletum; temperamentum; ætas; diæta ad nimium uſum Coffee prona; animique perturbationes; refrigerationes inter curas domeſticas; puerperia duo: poſt quæ lochia pauca, impuritatibus uterinis vero diffluebat fere. Accidit, ut circa initium anni præteriti, puerpera fieret, & filiolum ex grato conjugio nanciſceretur, quem partim amore, partim neceſſitate ducta, ipſa lactabat. In iſto tempore, primis ſtatim lactationis diebus, conqueſta eſt, de doloribus obtuſis inter ſcapulas & in præcordiis, qui vero datis diaphoreticis ceſſarunt penitus. Cum vero inter lactandum, pectus ſæpius denudare oportuit, interim quod lactantibus, ut plurimum

mum commune eſt, menſes ſubſtiterunt plane; hinc ortæ ſunt exinde variæ afflictiones: utpote tenſiones in abdomine, circa ventriculum ſanguinis congeſtiones, & exinde affectus cardialgicis doloribus ſimillimi; deglutitionis læſio; dolores recurrentes aliquando inter ſcapulas. Poſt aliquod tempus dicebat ſe inter degluciendum obſtaculum in præcordiis ſentire, poſt idem obſtaculum, gravius recurrere pronunciabat, cum dejectione eſculentorum ſtatim poſt paſtum, & vomitione muci tenacis copia. Medicus ordinarius advocatus, cupit, ut fruſtum panis comedat; illa panem bene maſticando & ſaliva optime permiſcendo, deglutit, inter deglutiendum nihil ſentit, niſi quod, ſimul ac panis in regionem præcordiorum pervenit, ſe ſtatim ſentire renitentiam, quem in præſentia medici, cum muco haud pauco evomuit. Medicus ægrotæ conſtitutionem ſciens, atque rem bene examinans, hariolatur, eſſe aliquid in canale ipſius œſophagi, quod deglutitionem impediat, & per conſenſum nervorum, in ipſo orificio ventriculi dolores creet; itaque, ut per Chirurgicum Caſtrenſem Primarium dexterrimum, filum argenteum, cum globulo argenteo annexo, per œſophagum intrudatur curat. Id quod non ſemel factum, neque tamen Chirurgus aliquod obſtaculum, vel a tumore vel a caruncula ortum, per totum œſophagi tractum, neque in orificio ventriculi ipſo obſervat, ſed libere fundum ejus inſtrumento petit; neque ægrota ſenſum moleſtum ab inſtrumento deprehendit. Quapropter patiens ad conſilium medici infantem lactare deſiit ſimulque ſecum reputavit medicus, ut materies viſcida & acris, quam ſemper poſt aſſumpta vomitu rejecit, corrigatur & evacuetur; quod factum dato blando emetico & alvum ſimul leviter ſtimulante. Res bene ſucceſſit, quia ægra poſt medicamentum levamen in præcordiis perſentire, & ſicubi prius non niſi pultes, nunc jam jus gallinaceum, cum pauca carne minutim ſciſſa, in ventriculum perveniſſe, ibique manſiſſe, læta innuit. Itaque ut ſpaſmi orificiis ventriculi demulcerentur, ſanguinis afluxus ad ventriculum arceretur, perque loca convenientia excerneretur, cogitatum eſt, adhibitis inſimul variis remediis tam internis quam externis, ipſa VS. non omiſſa. Nec inutilis deprehendebatur hæcce curatio, ſiquidem ægra ambulare, & nundinas frequentare potuit. Cum vero nihiloſecius mox de doloribus & deglutitionis difficultate conquereretur; conjiciebat medicus eſſe aliquid, vel in ſuperiori ventriculi orificio, vel non procul ab ipſo, in œſophago, quod moleſtum & periculoſum morbum minetur. Ideoque omnia tentabat, quæ ars præcipit; ubi vero in caſſum ſingula cedere animadvertebat, in Conſilio Medico mentem ſuam de toto morbo libere aperiebat. Nec decepit ipſum conjectura, ſiquidem poſt aliquot ſeptimananas vomitu dejecit plus ſanguine permixtum. Hinc unitis viribus, data ſunt remedia, quæ ſaltim excogitari poſſunt, omnia, donec ægrota, auctis ſymptomatibus, inprimis roſionibus vehementiſſimis circa

ca ventriculum, anxietatibus maximis, lypothimiis ſupervenientibus; febre lenta, exhauſta, placide, aliquot poſt habitum conſilium medicum ſeptimanis, obiit.

§. XIX.

Ubi defunctæ corpus ad preces mariti cultro anatomico examinatum erat, ſequentia animadvertebantur.

Aperto abdomine ventriculum ſtriæ perreptabant rubræ.

Hepatis pars concava, ubi veſicula fellea adjacet, putredine erat correpta.

In meſenterio multæ nigræ aderant maculæ a ſtagnatione ſanguinis ortæ.

Subſtantia interna amborum renum erat putredinoſa, & in pelvi ſiniſtri renis pauca quantitas materiæ purulentæ inveniebatur.

Uterus cum ovario ſiniſtro a ſanguine copioſo in ibi ſtagnante, inflammatione erat correptus, dextrum vero ovarium bene ſe habebat.

Stigmata in pulmonum lobis, ſterno remoto paſſim obſervare licuit.

Cor erat flaccidum atque pericardium multa pinguedine cinctum.

In œſophagi interna ſuperficie, abſceſſus diſruptus reperiebatur; nucis juglandis magnitudine; a quo in duas partes diviſus, ac ſi ſcalpello per tunicas diſciſſus fuerit; ſola exteriori tunica leviter adhuc cohærente, licet & hæc ſphacelo erat corrupta.

Vertebram quintam & ſextam, ubi abſceſſus locatus fuerat, etiam ſphacelo arroſas vidimus.

Anterior œſophagi pars ut tracheæ & pulmonis poſtica, ſphacelo quoque infecta deprehendebantur.

TANTUM.

CCLX.

CCLX.

JO. MILLETER,

DE MORBO TSOEMOER, HUNGARIÆ ENDEMIO.

Leid. 1717

PROOEMIUM.

PRæclare cecinit Poëta Æneid. Lib. VI. Quiſque ſuos patimur manes ; quod non minus circa res medicas, quam alias ſuffragantem habet veritatem. Teſtantur illud abunde humanæ viciſſitudines ac morborum inſultus diverſi, magiſque vel minus familiares, non ſolum pro temperamentorum, ætatum, vitæ generis, ſexus, anni temporum differentia ; ſed & locorum in quibus naſcimur vel vivimus varietate,

Hinc aliis alius ſemper locus eſt inimicus
Partibus : ad Balthum ſcorbutus in oribus uſit :
Turgida ſic collo dependet ſtruma Sabaudis,
Alpiniſque viget : ſiccum, ſic phtiſis, Iberum
Fortior inſurgit ſolito detrudere niſu.
Ungariamque febris combuſit certa : calore
Anglia ſic ſudat proprio : veneriſque malignus
Indorum morbus deturbat viſcera : & inſtat,
Auſtriacis nodoſa pedes tardare podagra.

Sicque plicat varie tricis Ciragra Polonos quales plures in diſſertationibus ſuis eruditis exhibent morbos celeberrimi in arte medica Viri F. HOFFMANNUS *de morbis certis regionibus & populis peculiaribus, &* RIVINUS *de morbis endemiis. Nec regiones ſolum aut integræ provinciæ ſubjectæ ſunt certis quibuſdam morbis, verum particularia quoque loca nonnulla peculiares ſuos fovent morbos. Sic Liber Baro de* VALVASOR *in deſcriptione Carniolæ ſub titulo :* Die Ehre deſs Hertzogthums Crain *in publicum emiſſa Lib. III. p.* 323. *notat, maculam quandam nigram lentis*

lentis magnitudine variis in corporis partibus ſpectabilem v. g. pectore, dorſo, artubus, quæ ante exceptionem pruritum excitet, ruſticis in certis particularibus Carniolæ locis: (auff de Karſt, und an den Poick, deſsgleichen im Vipacher Boden) familiarem eſſe, quam iidem frictione forti cum allio profligent, aſſerentes ſine frictionis uſu hominem in ſpatio 2. aut 3. dierum ea ſucumbere debere: teſtaturque in ſuperiori & inferiori Carniola nihil de hoc morbo obſervari. Notitiam hujuſmodi endemiorum morborum, uti uſu ſuo medico minime carere facile quiſque artis medicæ gnarus annuat, ita jam Hippocr. libr. de Aer. loc. & aquis medicis eam ceu utilem commendavit. Non ſufficit verò ſolum ſcire, quinam peculiares morbi, vel qui frequentius aut rarius in hoc vel illo loco & qua de cauſa occurrant, ſed intereſt etiam noviſſe quid peculiare in hoc vel illo loco reſpectu benignioris, vel malignioris indolis, aut aliarum circumſtantiarum hic vel ille morbus, præ aliis locis gerat? quænam remedia chirurgica æque atque pharmaceutica magis vel minus tuto diverſis in locis ex uſu ſint, calidiora magis vel temperata? Alterantia vel evacuantia, & quæ ex his in genere magis proficua, fortiora item vel mitiora, majori vel minori doſi data, eſſe ſoleant? Differunt enim ſecundum Celſum in præfat. Lib de Med. p 8. genera medicinæ, pro natura locorum, aliudve opus eſt Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galliis &c Sic febrem ſemitertianam, quæ alibi raro in malignam tranſit, Romæ magna ex parte valde periculoſam eſſe ſcribit BAGLIV. L. I. Prax. Med. c. 15. Longior, & difficilior eſt curatio paralyſis ſcorbuticæ Embdæ, quam Hamburgi, teſte Severino Engaleno in libro ſuo de ſcorb. p. 99. In Hiſpania vulnera capitis ſumme periculoſa eſſe JUNGKEN Chir. man. p. 81. refert. Coberus Veſtphalis fortiora, Suevis mitiora purgantia propinanda eſſe annotavit D. III obſ. 2. in ſchol. Wolffgangus HOEFERUS in Herc. Med l 8. c. 2. monet Bavaros leviſſimis, Hungaros non niſi fortiſſimis purgari, fœminaſve Hungaricas, ut & Auſtriacas prægnantes Bals. Embryonis ceu nimis calidum offendere. Galli trepanum feliciter, Dani minus ferunt, teſte Bartholino. In Gallia ſutura tendinum vulneratorum, operatio bubonoceles & curatio ulcerum chironiorum feliciter ſuccedunt, contra in aëre Romano ſecundum Bagliv. c. 1. Sic HOLLER comment. in Aph. 2. ſect. 1. Hippocr. ſcribit. Narbonenſes medicos reprehendere Pariſinos, tanquam ad aperiendam venam audaciores. Pariſiis tamen facile phlebotomiam ferri; quæ, ut alia mittam, cum ita ſeſe habeant, totus in eo eram, ut quid in patria circa has res obtineat, cognoſcerem; miſſis itaque compluribus quæſtionibus medicis de rebus utilibus & neceſſariis mihi viſis ad modernos nonnullos patriæ noſtræ practicos, triplex reſponſum à celeberrimis nunc in Hungaria, doctrina non minus, quam felicitate in medendo & fama inclytis practicis obtinui, videlicet Poſonio à D. Carolo RAYGER juniore Med. D. & Celſiſſ. Palatini Regni Hungar. Archiatro. Neoſolio a D. Carolo Otone MOLLER, Med. D. & inclyti

comita

comitatus Zolienſis, nec non Regiæ liberæque civitatis Neoſolienſis Phyſico ordinario. Ac Sophronio à D. Joh. Adamo GENSELIO, Med. D. Academ. n. c. Germ. Collega, & Civit. Soproniens, Phyſico ordinario: quorum ſingularem erga me benevolentiam hoc ipſo comprobatam non poſſum non digno celebrare encomio: ex quibus excepta quædam, dum de morbo Hungaris endemio ago, non inutilia, nec a præſenti tractatione prorſus aliena fore exiſtimavi, ſi curioſi lectoris in gratium in fine diſſertationis annecterem, ea bona fide communicando, qua ipſos mihi ſcripſiſſe in litteris ſuis teſtabantur. Dum autem thema quoddam inaugurale mihi eligendum eſſet, primitus quidem conſtitueram apud me de febri vulgo dicta Hungarica agere, & cum in diverſum abeuntes authores eam pertractantes non ſolum in limite circa determinandum nomen & ſpeciem febris, verum & circa ſymptomata, cauſas, remedia offenderem, miſeram denuo prolixas quæſtiones ad ſupra memoratam trigam celeberrimorum Hungariæ medicorum ſperans fore, ut obtento benigno reſponſo ab iis, facilius demum mihi innoteſcat, tum natura ipſa hujus morbi, qualis in Hungaria deprehenditur, tum ratio diſſenſus authorum, cum alias difficile ſit judicium, an cauſa verius rejici debeat in diverſas annorum conſtitutiones, vel diverſitatem locorum, aut etiam medicamentorum adhibitorum differentiam: mutandum tamen brevi fuit conſilium, dum acceptis ex patria triplicibus litteris, parens & amici dulciſſimi quam proximum urgerent reditum: cumque animus ſemper fuerit morbum aliquem Hungaris adſcriptum pertractare, in morbo Tsömör tandem aquievi, cujus nomen apud Hungaros receptum malui in diſſertationis titulo eo uſque uſurpare, dum ex tradita genuina ejus Hiſtoria, quodnam latinum ipſi magis competere videatur, innoteſceret: & cum Hungaris perpetuus quaſi ſit hic morbus, id eſt, omnibus annis, omni annorum tempore affligens non unum, ſed plurimos, endemium eum appellandum cenſui. Tametſi vero, ut hominum mores ſunt, male forte audire poſſem à quibuſdam, me hujuſmodi morbum evolvendum in me ſuſcepiſſe, cujus curandi ergo raro Hnngari ſolicitare ſoleant medicum, ii tamen meminerint popularem Hungarorum curationem tanti non eſſe, quæ indubie ſemper profliget morbum hunc, & pejora prohibeat conſectaria, cum ſæpe febres intermittentes, continuæ, & ipſa febris Hungarica ſuccedere ſoleant adhibitis licet eorum remediis, cujus tamen tempeſtive ſucciſa radice morbi hi popullulare minime poſſent. Unde jam FORESTUS L. I. de febr. c. 1. in Schol. eo ex capite reprehendit medicos febris diariæ tractationem ſeu benignæ negligentes, quod videlicet nonnunquam in periculoſos tranſire obſervetur morbos. Antequam autem ipſam tractationem aggredior, lubet paucis authorum, qui de morbo hoc egerunt, & hiſtoriam ejus tradiderunt, mentionem injicere: Coberus itaque primus eſto, cujus decades tres obſerv. caſtren. præcipue autem prima ſæpius Languoris Pannonici, Hungaris (ut ipſe dec. 1. obſ. VI. in Scholio

lio dicit). *Tſchemmerle dicti* (*rectius tamen Tsömör audit*) *mentionem faciunt, tametſi vero author hic pro aliis bona fide communicatis laude ſua defraudandus mihi minime videatur, in eo tamen humani quid paſſum ipſum eſſe ſuſpicor, quod morbum Tsömör à morbo Hungarico ſive febri Hungarica, Hungaris Hagymaz, Germani:* Haubt Kranckheit *dicta minus probe diſtinxerit, adeo quæ lectori facile inponat, ut quæ ſymptomata huic competunt, illi promiſcue omnia ab eo conſignata tribuenda eſſe credat. Videtur equidem D. 1. obſ. VIII. p. 42. Languorem ab ipſo morbo Hungarico diſcernere, dum dicit: niſi tantis ictibus corpus jam purum ſatisque laudabilis conſtitutionis concuſſum fuiſſet hunc tam gravem non amplius languorem, ſed morbum perfecte Hungaricum facile effugere potuiſſet, & dec. ejuſdem obſ. X. p. 53 Plenis greſſibus ad languores pannonicos, in funeſtum tandem morbum terminandos deferebar &c. nihilominus aliis in locis, & cumprimis p. 32. Obſ. VI. D. 1. binos hos morbos invicem miſcet, dicens, languorem Hungaric. anno 1366 inſana prorſus rabie peſtis inſtar in omnes graſſatum eſſe, cum tamen cuilibet Jordanum anno 1566. in Hung. caſtrenſem medicum agentem, de phænomenis peſtis. c. 19. evolventi liquido patere poſſit, eo tum non languorem Coberi pannonicum, ſed ipſam febrim vulgo Hungaricam dictam tanta cum ſtrage graſſatam eſſe, ut taceam, quæ ibidem de contagio & internecione hujus languoris memorat, & obſ. VI. D. 1. p. 31. in Schol. de Petechiis languori huic familiaribus, morbo Tsömör nulla ratione tribui poſſe. Id inſuper haud injurie forſan deſiderari a viro bono poſſet, ut luculentiorem & prolixiorem paulo hiſtoriam morbi hujus Tsömör tradidiſſet, cum præter obſ. VI. & X. D 1. pauca quædam tradita phænomena, in reliquis fere ſolo nomine languoris pannonici contextus fuerit, niſi in reliquis ſuis decadibus* (*mentionem enim facit decadis IX in D. II. obſ. 1.*) *defectum hunc ſuum ſupplere ſtuduiſſet, quas tamen una cum celeberrimo, dum viveret Meibomio in Præf. ad decades III. obſ. caſtr. Coberianas mihi videre non licuit. Proximus Cobero ſit Malachias Geigerus, qui in microcoſmo Hypochond. Monachii 1652. edito in IVto de morbo Tsömör quædam complectitur, quem cum nec in Saxonia, nec hic obtinere potuerim, verba ejus a D. D. Reimanno bona fide communicata in hiſtoria morbi hinc inde citabo. Wolfgangus Hœferus junior pariter in Herc. ſuo medic. brevibus mentionem hujus morbi facit p. m. 326. & D. Joh Paterſon Hain in Ephem. N. C. Ger. D. 1. an. 11. obſ. 28 D. Samuel Köleſeri denique de Kereſeer, Phil. & Med. D. Sacr. Cæſ. Regiæque Majeſt. Rei metallicæ per Tranſylvaniam Inſpector, in tractatulo ſuo de ſcorbuto mediterraneo Cibiny in XII. edito anno 1707. genuinam magis & prolixiorem paulo morbi hujus hiſtoriam exhibet, qui tanto majorem laudem mereri mihi videtur, quo honeſtius ſemper duxi inſtitutum, ſi quis patrias res ſtudioſe inveſtiget, & eaſdem memoriæ commendet, quam ſi quis peregrina ſectando, ante pedes poſita & quotidie oculis uſurpanda deſpiciat,*

deſpiciat, negligat. Ante 2. *annos prodiit Erfordiæ quoque diſſert. Inauguralis de Languore Pannonico, authore Joh. Theophilo Windiſch amico & condiſcipulo quondam meo Jenæ, pleraque omnia tamen ad hiſtoriam & cauſas hujus morbi facientia, ſi unum vel alterum excipias, quod a conterraneo noſtro eo tum Jenæ commorante ſciſcitando reſcivit, ex Cobero mutuavit. Hi ſunt de quibus certus ſum, morbum hunc ſcriptis ſuis perſequutos eſſe. Promiſit equidem D. Carolus Raygerus Senior Endemiorum, & Epidemicorum Hungariæ libros* 2. *in Præf. ad Pauli Spindleri obſ. Medic. Centuriam, ubi haud dubie, pro more ſuo erudite, de morbo Tsömör quoque commentatus fuiſſet, ſed cum nec ex patria, nec ab eruditis exteris vel bibliopolis compertum habere poſſim, an typis evulgati ſint, ſuſpicione moveor, præmaturam forte mortem laudabilibus viri hujus conatibus obſtitiſſe, & editionem ſuſpenſam manſiſſe. Præter horum vero authorum de morbo Tsömör annotata phænomena, in reſponſionibus ſupra memoratorum D. D.* Raygeri junioris, Molleri, Genſelii *communicata: non minus, quæ à fautoribus & amicis meis integerrimis D. Joh. Adamo* Reimanno *Med. D. & Practico Eperienſi, nec non D. Adamo* Bacsmegyi *Inclyti Comit. Gömörien. Phyſico ordin. per litteras accepi, ut & quæ a conterraneis Wittenbergenſibus, Hallenſ. Jenenſ. cujatibus expiſcari potui, hiſtoriæ morbi inſeram, citatis inferius breviter autoribus. Faxit divinum numen, ne in evolvendo hoc morbo caligent oculi, & à veritatis tramite deflectat ratio, verum totus conatus hic meus cedat in nominis ſui ſanctiſſimi gloriam, proximique ſalutem.*

HISTORIA MORBI.

AD ipſam rem jam progreſſum faciens neceſſarium duco præmittere hiſtoriam morbi, ut huic præcognitæ reliqua dicenda firmiori inniti queant fundamento. Eſtque hæc:

Poſt aſſumptas avide carnes vervecinas vel ſuillas, aliudve difficilis concoctionis edulii genus (1), aut etiam poſt quemvis laudabilem cibum ſingulari cum dulcedine atque aviditate præcipitanter nimis & magna in copia ingeſtum (2), ſemiſaturum (3) vel ultra ſatietatis limites oppletum, corripit faſtidium ciborum (4), cui jungitur aliquando ſenſus tenſivus vel gravativus ventriculi (5), nonnunquam anxietas præcordiorum inquietudine comitata (6), ructus (7), conatus vomendi (8), interdum ipſe vomitus (9), inflatio abdominis

 flatu-

(1) D. *Moller. Rayger. Reiman* (2) *Moller.* (3) *Kœleſeri.*
(4) *Kœleſeri, Genſelius.* (5) *Rayger Genſelius. Moller. Reiman. Bacsmegyi.*
(6) *Bacsmegyi.* (7) *Genſel.* (8) *Genſelius, Bacsmegyi.*
(9) *Genſelius.*

flatulenta, torminoſa (10), diarhæa (11)]: mox languor atque laſſitudo quædam membrorum (12) ſenſim ſenſimque incrementa ſumens, ut tandem gravativo, contuſorium, profundum dolorem exhibeat (13), cum ſenſu gravativum, in nonnullis tractorio & tenſivo dorſi inter ſcapulas (14), (qui non nunquam verſus manus ſucceſſive ſeſe, extendendo oneris cujuſdam veluti ad extrema manuum delabentis ſenſum infert (15), & dolor capitis gravativus (16). Hinc oriuntur pandiculationes, torpor ſenſuum (17) & cogitationum (18), diſciplicentia ſui (19), in aliquibus propenſio in ſomnum fere ineluctabilis (20), inapetentia (21): ſuccedunt paulo poſt horripilationes modo majores, modo leviores (22), apud aliquos cum æſtu volatico initio alternantes (23), jam calor major vel minor (24) cum augmento doloris capitis (25), [quo durante calore circa tempora pulſatorius, ardens, nonnunquam lancinans, vibrativus obſervatur dolor (26)] noctes inquietæ (27), inſomnia turbulenta, alvus adſtricta, venarum ſolito major turgeſcentia, arteriarum pulſus febrilis, & tubercula dura [quæ preſſa exquiſite dolent (28),] per totum corpus (29) imprimis vero in ſpina dorſi, collo, nucha, circa tempora, maxime circa carpos manuum externe (30) ſupra radium palpabilia (32), modo majora, modo minora (32, [inſtar piſi, ſeminis lini, nucum juglandium (33)] pro ratione ſcilicet ſubjectorum, in iis etiam qui ſæpius frictione morbum hunc profligarunt, majores obſervantur (34). Corripit alias morbus hic ſanos (35), altioris æque atque infimæ ſortis & utriuſque ſexus homines (36), frequentiſſime famelicos, ac poſt prægreſſum jejunium (37), omni annorum tempore (38): inter temperamenta frequentius cholerica vel cholerico-melancholica (39), peregrini in Hungaria commorantes nunquam vel ſolum rariſſime hoc morbo corripiuntur (40). Et reſpectu frequentiæ etiam inter Hungaros diverſitas quædam intercedit, nam quos Comitatus Hungariæ meri Hungari incolunt unice lingua patria Hungarica utentes, iis familiarior hic eſſe ſolet morbus, quam aliis, ubi Germanica vel Schlavonica ſimul viget 41. Solvitur malum hoc totum ſpatio unius vel alterius horæ, vomitu, inprimis

(10) *Rayger. Mollerus. Reiman.* (11) *Kœleſeri.*
(12) *Hœſerus. Kœleſeri. Rayger. Moller. Reiman. Bacsmegyi.*
(13) *Conterranei.* (14) *Conterranei.* (15) *Conterranei.*
(16) *Hœſerus. Rayger. Moller. Reiman. Bacsmegyi.* (17) *Kœleſeri.*
(18) *Conterranei* (19) *Reiman. Rayger. Moller.* (20) *Conterranei.*
(21) *Kœleſeri.* (22) *Geigerus. Kœleſeri. Reiman. Rayger. Moller.*
(23) *Hœſerus. Conterranei.* (24) *Kœleſeri. Rayger. Mollerus. Reiman.*
(25) *Conterranei.* (26) *Conterranei.* (27) *Kœleſeri.* (28) *Kœleſeri.*
(29) *Kœleſeri. Geigerus. Reimannus.* (30) *Hœſerus. Reiman. Moller. Rayger.*
(31) Ex *Conterraneorum* relatione & oſtenſo loco hoc ſcio.
(32) *Conterranei* (33) *Geigerus.* (34) *Reimannus.* (35) *Mollerus.*
(36) *Kœleſeri.* (37) *Mollerus.* (38) *Genſelius.* (39) *Mollerus.*
(40) *Mollerus. Genſelius. Rayger.* (41) *Mollerus.*

primis ab initio ſponte ſuperveniente (42); nodis autem jam præſentibus & æſtu incrementum ſumente ſolus vomitus non ſufficit (43). Solvitur etiam per ſudorem ſponte obortum (44), aliquando etiam per diarhœam (45). Curatur a popularibus frictiones validas inſtituendo, iis præcipue in locis, ubi tubercula præmemorata deprehenduntur (46) ope aceti alliati, piperati (47), ſpiritus vini (48) inprimis oleo aliquo deſtillato remixti v. g. ſuccini (49), vel viribus Rad. Leviſtici inprægnati (50), aut ſola ſaliva (51). Alii butyrum in hunc finem eligunt (52), pinguedinem alii anſerinam, imo porcinam, prius tamen ad ignem modicum calefactam, aut liquatam (53). (Quod remedium inprimis in adſuetis, ſæpe totam curam abſolvit, præcipue vero repetitum, & initio morbi ſuſceptum (54), interdum minus feliciter impedit ſubſecuturos morbos (55).) Remedii inſuper loco ipſis eſt abſtinentia a cibo (56) vel ſpirituoſorum v. g. vini generoſi (57), ſpirit. vin. cum pipere (58), aut decocti abietis aſſumptio (59), & denique motus corporis vehementior, ſuſceptus curſu equeſtri vel pedeſtri aut velocius ſolum deambulando, vel laboribus (60). Terminatur ut plurimum unius, 2. 3. vel 4. dierum ſpatio (61). Neglecto vero initio malo, nec adhibita frictione vel alia medela, excretionibus ſupra allegatis ſpontaneis etiam emanentibus, ut plurimum ſuccedunt febres intermittentes (62) vel continuæ (63), ipſa quoque febris hungarica (64): vel longiſſimo interdum tempore valetudinarium hominem relinquit (65) cum inappetentia, laſſitudine, & alvo adſtricta conflictantem (66). Stata recurrendi tempora minus obſervat, ſed errores dietæ ſequitur ſupra dictos (67), hac tamen cum differentia, ut in adſuetis vel leviſſima ex occaſione eorum denuo tragœdiam ſuam ordiatur (68). Aliis morbis non complicatur (69). Nunquam contagioſus eſt (70). Multo minus petechiis ſtipatur (71). Nec, quod *Höferus* ex relatione quorundam Hungarorum recenſet, ſc. initio neglectum, ſpreta frictione, hominem intra triduum neci dare, experientiam adſtipulantem habet.

(42) *Mollerus.*
(43) *Mollerus.* (44) *Mollerus. Kœleſeri, Reiman.* (45) *Kœleſeri.*
(46) *Hœferus, Conterranei.* (47) *Coberus, Kœleſeri.* (48) *Kœleſeri.*
(49) *Kœleſeri.* (50) *Conterranei.* (51) *Rayger. Moller.*
(52) *Conterranei.* (53) *Conterranei.* (54) *Moller.*
(55) *Genſelius. Conterranei.* (56) *Kœleſeri* (57) *Conterranei.*
(58) *Conterranei.* (59) *Raygerus* (60) *Conterranei.*
(61) *Kœleſeri. Conterranei.* (62) *Reiman. Genſel.*
(63) *Genſel. Moller. Reiman.* (64) *Kœleſeri.*
(65) *Köleséri.* (66) *Köleſeri. Rayger.* (67) *Moller.* (68] *Reiman.*
(69) *Genſelius.* (70) *Moller. Rayger. Genſelius.*
(71) *Moller. Reiman. Conterranei.* (72) *Raygerus.*

TRACTATIO.

EXpoſita Hiſtoria Morbi lubet de nomine ejus quædam prælibare: Hungaris itaque trium nationum, videlicet, Germanis, Schlavis & ſtricte ſumptis Hungaris communi nomine venit Tsömör. Nec in Tranſylvania Hungaros, Saxones & Valachos inter diverſum ſortitur nomen teſte D. D. *Köleséri*, de cujus vocis origine tametſi certi quid determinari vix poſſit, ſi tamen conjecturæ locus, exiſtimarem ab Hungarica voce Tſomo, quæ nodum ſignificat ortum ſuum duxiſſe, unde primitus forte Tſomos-ér, id eſt, nodoſum vas, vel ſimpliciter Tſomos, id eſt, Nodoſus, (ſc. morbus) à tuberculis inſtar nodorum hoc in morbo palpabilibus, appellatus ſit, ſucceſsu vero temporis per abuſum o in ö, & ultimum s. in r. mutatum, ut nunc Tſömör audiat, licet aliqui etiam loco ö, ſimplex e. & loco Ts. Cs. adeoque Tsmer vel Cſemer ſcribant: & cum vox Tsömör commune nunc nomen ſit omni nauſeæ apud Hungaros, forte à nauſea cum hoc morbo ſubinde concurſante, tranſumpta demum ſit appellatio ad ſimplicem quoque vel cum aliis morbis complicatam nauſeam.

Latinum nomen diverſos apud ſcriptores diverſum legitur, *Coberus* quippe & D. *Vindiſch* eum Languoris Pannonici & Hungarici titulo inſigniunt, licet illi alibi quoque ſub morbi Hungarici *Luis Pannonicæ* titulo veniat. *Wolfgangus Höferus* l. c. & D. *Joh Paterſon Hain* pariter ſupra alleg. loco, Hungaris nauſeam eum dici exponunt. D. D. *Köleséri* denique loco nauſeæ ſcorbuti mediterranei nomen magis arriſit. Quodnam autem nunc dictorum nominum latinorum morbo huic convenientius eſſe videatur, tametſi paulo ſcrupuloſius de eo diſquirere, ſupervacaneum ipſemet cenſeam, quod in verbis faciles nos eſſe conveniat, dummodo rem eandem, diverſo licet ſub nomine complectamur; nihilominus, cum nomina ſæpe nos manuducant ad ipſarum rerum cognitionem, & ipſam rei naturam exprimant, non omni ex parte inutile fore ſpero paucis de eo diſquirere.

Ad Languoris itaque nomen quod attinet, *Coberus* quidem nullibi, quod ſciam, denominationis ſuæ rationem diſerte exprimit, niſi forte ex eo peteret, quod dicat ipſum languorem eſſe per ſe, & non morbum D. 1. obſ. VI. in ſcholio, unde etiam ibidem eum definit per diſpoſitionem ad morbum. D. *Vindiſch* vero, tametſi contra *Coberum* fateatur affectum hunc eſſe morbum, nihilominus quod cuncta corporis humani membra vehementem in languorem conjiciendo, in eo præprimis malitiam ſuam exſerere ipſum ſcribat, languoris nomen ei competere

petere dicit : verum enim vero priori denominationis rationi obſtat, quod utique in hoc affectu variarum partium functiones more ſolito & ſtatui naturali conformi non exerceantur, ex quarum tamen mutato habitu recte ad ſtatum præternaturalem & præſentiam morbi concluditur. Vel ſi forte eam ob cauſam dubitaſſet hunc affectum inter morbos referre, quod quandoque præcedere ſoleat febrim ſtricte dictam Hungaricam [quamvis D. *Vindiſch* neget ullum morbum eum inſequi, cui fundamento innixus, neſcio, nam nec ſuam tum temporis experientiam interponere, nec ad aliorum Hungarorum conſenſum ante quæſtionem motam provocare potuit] adeoque languor hic diſpoſitionem quandam ad illum involvat, & præcurſorem illius agat, eo ipſo quidem agnoviſſet diverſum eſſe hunc affectum, & ſæpe tempore priorem illo, perperam tamen concluſiſſet, ipſum eo ex capite à morborum cenſu debere excludi, niſi hæmoptiſim phtyſim nonnunquam pediſſequam habentem, & alios conſimiles affectus pari ratione à morborum claſſe arcere velimus. Ad D. *Vindiſch* vero rationem [ut malitiam, quam huic tribuit, mittam] ſufficiet reponere. 1. Non ſemper languorem huic morbo familiarem moleſtiſſimum reliquorum eſſe ſymptoma, quod ex nauſea, cardialgia & anxietate præcordiorum cum hoc morbo concurſante evidens eſſe poteſt. Nec 2. à moleſto aliquo ſymptomate juſtam ſemper denominationem ſimplicis cujuſdam morbi deſumi, cum enim ſimplex morbus quicunque ſolennia eſſentialia quædam juncta habeat ſymptomata, ex quorum ſyndrome & nexu de certi alicujus morbi præſentia & nomine informamur, & non niſi in complicatis morbis, ubi pluribus affectibus familiaria phænomena, ſimul obverſantur, ab eo, quod majorem læſionem oſtendere videtur, vel magis urget; denominationem ſumamus neſcio, cur in tam ſimplici, & ut mihi videtur, veteribus noto morbo, ad aliud nomen confugere debeamus. Nauſeam quod concernit, tametſi facile ſubſcribam D. D. *Köleſeri*, eo nomine non ſemper compellari poſſe hunc morbum, quod conatus vomendi non ſemper adſint, reliqua vero ſymptomata huic morbo propria ſimplici nauſeæ minime adſcribi queant, confido tamen virum cæteroquin eruditum (prout ex ſcriptis ejus comparet) id ipſum non indigne laturum, ſi ratione ſcorbuti nominis diverſum ab eo ſentiam, partim quod ſcorbutus proprie dictus, admodum rarus ſit Hungaris morbus, teſte *Raygero* ſeniore in nobis ad *Spindleri* obſervationes p. m. 160. cujus verba hæc ſunt : apud nos ſcorbutus vald rarus eſt, inprimis in indigenis & Patriæ filiis, apparent quidem quan doque ſymptomata ſcorbutica, ut maculæ in cruribus, gingipedium, ſed ab alia cauſa proveniunt, & aliter curari deſiderant, propterea nec antiſcorbutica apud nos magnum merentur applauſum, aut eam præſtant efficaciam, qualem in vero ſcorbuto inque illis locis, ubi graſſatur, præſtare ſolent : cui ratione infrequentiæ hujus morbi D. D. *Moller* quoque

quoque & D. *Raygerus* junior ſuffragantur in reſponſ. ſuis; partim vero quod complura ſymptomata ſcorbutum ſtipari ſolita minime deprehendantur in hoc morbo, diverſamque ſcorbutus indolem foveat, exempli loco eſto gingivarum laxitas, cruentatio & ſenſim quaſi in tabum reſolutio, ulcera livida mali moris, maculæ ſcorbuticæ, oſſium corruptiones, pruritus in externis partibus, dolores variarum corporis partium, non gravativi ſolum & tenſorii, ſed pungitivi, rodentes, ut plurimum vagi, lypothymia, paralyſes, convulſiones, deliria & alia, &c. de quibus *Severin. Eugalenus* libr. de ſcorbuto, & celebr. *Stahlius* in diſſ. ſua de ſcorbuti & Luis Venereæ differentia conferri poſſunt: ſcorbutus inſuper contagioſus ſit, morbus Tsömör minime. Nauſea vero, vomitus, languor & tumores tametſi ſimilitudinem quandam oſtendere videantur, diverſitatem utique non levem involvunt; cum nauſea, vomitus ſcorbuticus ex improviſo ſæpe oriantur, nulla præcedente cauſa ſimili occaſionali ut in morbo Tsömör, nec tamen ſalutarem effectum poſt ſe trahant, comparem illi, qui ab his excretionibus tempeſtive procedentibus in hoc morbo provenit. Languor vero apud nonnullos ſcorbuticos tantus eſt teſte Eugaleno, ut ad lypothymias proclives ſint ægri, ſi in rectum ſtatum ſeſe erigere velint, cum quo tamen Hungari in hoc morbo non ſolum citra lipothymiæ metum erecto corpore pedibus inniti, ſed & progredi queunt. Tumores denique illorum oculis etiam uſurpari poſſunt, qui in morbo Tsömör non niſi tactu deprehenſibiles ſunt teſte *Geigero*, *Reimanno*.

Si jam quæ mea animi ſenſa de hoc morbo exponere fas ſit, ex hiſtoria morbi colligo, morbum Tſemer, modo ſimplicem eſſe nauſeam, modo febrim ſtomachicam ephemeræ veterum ex cruditate & repletione ortæ analogam, adeoque motus extraordinarios a natura provida (animam intelligo humanam, immaterialem, vitaliter agentem, & pro diverſitate neceſſitatum atque periculorum corpori humano imminentium diverſimode, proportionate tamen ut plurimum organa corporis inpellentem,) provocatos ad vitia primæ concoctionis (ex qualitate ciborum prava, vel quantitate laudabilium licet eſculentorum nimia & præcipiti deglutitione cum inſufficiente eorum maſticatione oriunda) per copioſiorem humorum ad organa chylificationi velificantia affuſionem vel corrigenda, vel ad expeditiorem motum facilitando tandem per ſuperiora ex corpore eliminanda, aut ſi cum ipſo jam ſanguine mora temporis communicata fuerint, celeriori per poroſas peripheriæ corporis partes tranſpreſſione attenuanda.

Dico eſſe interdum ſimplicem nauſeam, videlicet, dum non ſolum conatus vomendi, ructu, languori membrorum & dolori capitis gravativo in hoc affectu urgitur, ſed ſi inſuper huic vomituritioni vomitus ſuperveniens vel diarhœa totum malum ſolvit, ut reliqua hunc morbum

comita-

comitari ſolita phænomena penitus emaneant, adeoque nullius febris complicatæ vel nauſeam excipientis ſuſpicio relinquatur.

Febris vero nonnunquam concurſum auguror ex circumſtantiis communi medicorum ore febri adſcriptis v. g. horrore, calore nunc plures horas durantibus, pulſu denique arteriarum febrili, cum reliquis febrilis motus conſectariis. Stomachicam vero appello febrem ex ſubjecto materiæ morbificæ primario, imitatus eos, quibus febres infantum ex lacte corrupto, vel vermibus in ventriculo nidulantibus, aut denique cruditate ciborum, occaſione adiphagiæ, ſubnata oriundæ ſtomachicarum ſub nomine veniunt: Eſſe autem ventriculum primariam ſedem materiæ morbificæ vel ex eo patere poteſt, quod exonerata tempeſtive vomitu ſaburra in ventriculo contenta totum malum paucarum horarum intervallo diſpareat, ſucceſſive tamen quandoque in maſſam ſangu. quoque derivari labem, inde ſuſpicor, quod ortis tuberculis, & æſtu incrementum ſumente ſoli vomitui non amplius cedat morbus hic, ſicut nec tali in caſu purgans propinatum totum malum tollit teſte D. D. *Mollero.* Dixi inſuper febrim hanc eſſe ephemeræ veterum ex cruditate ortæ affinem; ephemeram enim eam eſſe terminus ejus intra 1. 2. treſve dies evincit, quem ſi tranſcendat, vel in continuam febrim, vel intermittentem definit, an etiam inſtar aliarum diariarum in hecticam vel lentam febrem nonnunquam mutetur, ex languore equidem diuturno, inappetentia cum alvo adſtricta eandem aliquando excipiente ſuſpicor, deſtitutus tamen plurium phænomenorum febris lentæ indicia manifeſtiora exhibentium teſtimonio confidenter aſſerere dubito. Affinitatem vero hujus cum veterum ephemera ex cruditate ortum ducente (de qua Galen. 8. Method. Medend. c. 5. Aëtius tetrabibl. 2. Serm. 1. c. 68. *Alexander* TRALLIANUS l. 12. c. 1. Avicenna Canon. Medic. lib. IV. ſect. 1. tr. 1. c. 26. & Sennert. de febribus l. 1. c. 6. agunt) innuere videntur tum cauſarum prægreſſarum ex ciborum qualitate vitiata, vel quantitate nimia conformitas: tum ſymptomatum v. g. ructus, diſtenſio ventriculi, conatus vomendi, alvus modo ſoluta, modo adſtricta, languor corporis & dolor capitis præter febrilia phænomena. Vid. *Sennert.* c. l. paritas, (niſi forte tubercula hoc in morbo palpabilia quisquam illi veterum ephemeræ minime competere dicat, quæ tamen, cum ex mea ſententia tendinum initia ſint, a veteribus forte neglecta ſunt tam ſtudioſe annotari, utpote nil vel parum momenti ad morborum accuratiorem notitiam præbentia) curandi denique ratio eadem; commendabant enim vel vomitoria, vel alvum ſubducentia, aut ſtomachica duntaxat, pro conditione ſcilicet materiæ morbificæ; Avicenna vero inſuper inediam ſuadet, & dicit huic febri præcipue biliosa corpora eſſe obnoxia, conformiter morbo Tſömör, qui etiam cholericis vel cholerico melancholicis familiarior eſt.

Dum vero uterque hic morbus definiendus mihi veniat, nullum aptius genus, utriusque morbi indoli conveniens, deprehendi, quam motus extraordinarios, eſſe enim in utroque morbo motus, & quidem alios, quam pro ordinario naturæ curſu, neminem credo inficias iturum, qui ſymptomata eorum perpenderit, quapropter prolixiore etiam probatione hujus ſuperſedeo; id tamen non undiquaque omnibus expeditum videbitur, quod motus hoſce naturæ, ſive animæ immateriali tribuam, cujus tamen probatio cum non uni, ſed pluribus momentis innitatur, ad ipſorum ſymptomatum enodationem, ceu opportuniorem locum, ne crambem recoquere cogar, eandem reſervabo, ubi ſi quantum per brevitatem fieri licuerit oſtendero, a materialibus cauſis phœnomena morbi proficiſci non poſſe, eo ipſo documentum erit ab anima ceu altera hominis parte eadem peti debere, dum tertia pars hominis, quæ ab aliquibus in ſubſidium vocari ſolet, magis luci veritatique fuerit aſſerta.

Dixi vero vitia concoctionis primæ ex qualitate ciborum prava, vel laudabilium licet eſculentorum quantitate nimia & inſufficiente eorum maſticatione oriunda cauſam eſſe, cur natura motus hoſce extraordinarios ſuſcipiat: Conſtat enim ex hiſtoria morbi morbum hunc nonniſi errores dietæ ſectari, & contra tempeſtive oborto vomitu vel alvi fluxu præſente miteſcere, evidenti argumento errata dietæ, quatenus digeſtionem promptam eludunt, conſtituere debere non ſolum occaſionalem, ſed ſimul continentem cauſam hujus morbi: turbari vero digeſtionis negotium ab erratis iis in hiſtoria morbi allegatis, paucis impræſentiarum probandum erit, 1. itaque qualitatis ratione, ſuppono ceu notum a poſteriori, cibos æquali quantitate aſſumptos, alios facilioris eſſe digeſtionis, alios magis refractarios ſeſe gerere, ex horum vero cenſu pinguia quoque eſſe, quæ ſive oleoſa ſua ramoſitate, ſalinas menſtrui particulas obtundendo & in motu præpediendo, aquoſas vero ab intimiore ſui ingreſſu arcendo, ſive denique tonum ventriculi aliqua ex parte relaxando agant, fruſtrari ſæpe deprehenduntur concoctionem, jam cum caro vervecina & ſuilla communiter copioſa pinguedine luxuriare ſoleant, evidens eſſe arbitror, cum eædem quoque præ aliis cibis difficilius admittant concoctionem, idque tanto magis, quo avidius ingeſtæ fuerint, uti enim lœnocinium guſtus vel fames prægreſſa hujusmodi aviditatis ſæpe numero authores, raro longiorem maſticationi concedunt moram, ita non probe præmanſas carnes has tanto difficilius etiam in ventriculo reſolutionem ſubire debere ex mox dicendis conſtabit. Quantitatem vero nimiam 2. ciborum etiam alias facile concoctioni auſcultantium, ingens momentum habere ad fruſtrandam concoctionem, præter veritatem a poſteriori, a priori quoque confirmari videtur ex eo, quod in omni reſolutione

mixto-

mixtorum, certa proportio intercedere debeat, menſtruum inter, & corpora reſolvenda, non ſolum ratione qualitatis, ſed & quantitatis, unde & in reſolutione ciborum, quocunque tandem nomine eandem exprimere placeat, idem obtinere debere, probabile eſt, tollitur autem proportio hæc quantitatis, menſtruum inter ventriculi & cibos reſolvendos in ingluvie & adiphagia, quare & digeſtionem labefactari neceſſe eſſe ſana docet ratio. Maſticatio vero 3. uti rite & ſufficienter inſtituta duriores ciborum partes diſcerpendo, comminuendo, ſalivalemque humorem intimius cum aëre iis immiſcendo non uno nomine reſolutioni ciborum favet, ita inſufficientem, brevem, minus præparatos, & magis refractarios concoctioni tradere cibos eodem ex fundamento veroſimile eſt. Monendum hic duco Coberum non ſolum a cibis, ſed & aquis inſalubribus D. I. obſ. VII. a vini immoderato uſu D. I. obs. VIII. Ex ira D. I. obſ. IX. Ab aëre Hungarico D. I. obs. X. & a vigiliis D. I. obſ. XI. languorem ſuum Hungaricum deducere: Tametſi vero in dubium vocare nolim, cauſas haſce inducere potuiſſe languorem, pendeo tamen animo, an non ſub languore ejus has cauſas excipiente febris vulgo dicta hungarica, quam ſæpe cum morbo Cſömör confundit, vel alia febris ephemeræ ſpecies latuerit, cum notum ſit languorem tam febrim Hungaricam, quam Ephemeras concitari, & non raro ephemeras ab ira, ſpirituoſis potulentis, fervore aëris nimio, vel tranſpiratione impedita (quæ ſi ulhbi, ſane in Hungaria familiaris, imo quotidiana eſt, cum æſtate fervidiſſimum licet diei tempus præceſſerit, ſub noctem tamen frigidior aëris ſit conſtitutio;) vigiliis denique natales ſuos ducere; aut ſi utique morbus Cſömör fuerit, dubium an non ciborum quoque concurſus acceſſerit, cum in caſtris vix non quotidie circa hos delinquatur, quo ſenſu etiam *Höferi* in Herc. med. & D. Paterſon *Hain* in Miſc. N. C. loc. cit. accipienda eſſe arbitror verba, dum uterque præter cibos a potu quoque morbum hunc ortum ſumere ſcribit. Cur autem a ſupra memoratis Coberi cauſis & potu non proficiſci hunc morbum credam, inducor ex eo, quod nec D. *Raygerus*, *Mollerus*, *Genſelius*, *Reimannus*, *Bacſinegyi* mentionem harum cauſarum ullam faciant, nec me unquam in Hungaria eas ob cauſas quenquam morbum hunc incurriſſe recorder, nec ab aliis conterraneis certi quid ea de re expiſcari potuerim.

Dixi præterea in definitione data, ſcopos naturæ præfixos eſſe in motibus hiſce extraordinariis adornandis, ut directione ſanguinis copioſius verſus interiora augeat ſecretionem humorum chylificationi inſervientium, ad vitia illa concoctionis vel corrigenda, vel ſolum ad expeditiorem motum prædiſponenda, quo ſubſequis tandem motibus excretoriis ſive per ſuperiora, ſive inferiora tanto promptius obſequantur, & ſic feliciter e corpore eliminentur: Eſſe enim hic peculiarem talem

lem directionem humorum ab externis ad interna ſenſus tenſivus & gravativus artuum, non minus horror teſtantur, de quibus inferius: Augeri vero ſecretionem a copioſiori humorum collectione circa internas partes vel inde eluceſcere poteſt, quod copioſiori ſanguine diſtenta magis vaſorum, inprimis arteriarum latera, utique patentiores quoque reddant poros & orificia vaſorum lateralium in organis ſecretoriis, per quæ magis hiantia copioſiorem quoque fieri debere ſecretionem, ſanæ rationi obvium eſt. Eo ipſo autem dum ob majorem ſecretionem humorum ſalivalium, ex ventriculi itidem glandulis & denique pancreate & hepate major ſit affuſio humorum menſtrualium, facile quoque intellectu eſt, cæptam ante hac digeſtionem ſub hiſce circumſtantiis abſolvi, adeoque vitia concoctionis corrigi debere, aut ſi cruditates hæ adeo difficiles concoctu ſint, ut non niſi longiore mora demum ſuperari & emendari queant, diuturniori vero hujusmodi correctioni natura inſudare nolit, palam eſt, ad minimum abſtergendis quaſi iis & lubricandis, vehiculi denique loco commodam locare operam hanc copioſiorem humorum affuſionem. Præter hos vero humorum directorios, alios quoque excretorios nonnunquam ciere motus natura ad vitia primarum viarum ſive per ſuperiora, ſive inferiora proturbanda & ex corpore proſcribenda, vomitus & diarhæa teſtantur, quibus initio rite ſuccedentibus brevi victas dare manus morbus aſſolet. In ſanguinem autem mora temporis indigeſtus chylus delatus, ne cum aliis ſanguinis moleculis per ſubtiliſſimos capillarium vaſorum mæandros preſſus obſtructionibus hinc inde facile anſam præbeat, huic quoque occurrere providam naturam dixi, tranſpreſſione fortiore, celeriori & frequentiori ſanguinis per poroſas peripheriæ partes, uti enim ſub æſtu febrili fortius & celerius circulari ſanguinem per habitum externum corporis vix quicquam amplius hoc tempore inficias ibit, ita hoc eodem motu fortiori attenuari ſanguinem, & cum eo indigeſtas quoque chyli moleculas diſcerpi & ſubtiliſari debere, neceſſarium conſequens eſt.

Hactenus de nomine & definitione, jam ad ipſorum phœnomenorum in hoc morbo obviorum enodationem tranſitum facio. Prægreſſa itaque ciborum vitia, excipere ſolet faſtidium eorum, quod in plerisque tantum eſt, ut non ſolum ſine peculiari difficultate & renitentia eosdem deglutire, ſed ut conterraneorum quidam ſuo ipſius exemplo mihi fidem fecit, ne odorem quidem perferre, imo nec oculis ſine ſingulari quadam animi averſatione contemplari poſſint, idque non modo durante morbo, ſed morbo etiam jam profligato, imo aliquando per quadrantem anni & amplius poſt ſuperatum morbum: Faſtidium hocce animæ adſcribendum eſſe, uti a plerisque omnibus aſſenſum mihi polliceor, perpendentibus faſtidium & averſationem, involvere voluntatem aliquam quaſi negativam, quam corpori tribuere a ſana

a ſana ratione alienum eſſet, ita tamen nova moveri poſſet quæſtio, utrum anima hic ſeſe active habeat, vel paſſive, id eſt, an non ob ventriculi fibrillas nerveas a materia morbifica ſive pondere, ſive alia quacunque ratione mechanica irritatas, vellicatas, verbo, certo modo affectas in faſtidium trahatur, prout ab objectis externis organa ſenſoria afficientibus in ſenſum & perceptionem cietur? Ego priori ſuffragor, hiſce ut alias mittam, inductus rationibus, quod cum faſtidio ciborum non ſemper ſenſum aliquem gravativum, vel quemcunque alium ventriculi concurrere obſervent ægri, & quod palmarium, exonerato licet ventriculo a contentis ſuis, nec veſtigiis ullis morbi amplius relictis, tamen in longum tempus protrahatur faſtidium, manifeſto indicio non a materia morbifica paſſive in hanc averſationem compelli naturam; ſed potius active cibos eos averſari, a quibus novos cibi parari labores metuit, idque tam diu, donec ſenſim ſenſimque excuſo vanido metu eos denuo appetat, eadem ſc. ratione, qua complures cerevifiam vel quæcunque alia vetriculi loco cum purgantibus data in longum tempus faſtidiunt.

Senſum ventriculi tenſivum & gravativum, non a ſola copia ingeſtorum deduco, cum etiam ſemiſaturis, adeoque necdum tanta mole infarctis, quæ ventriculi latera & diſtendat nimium & gravet, obtingat: nec a præcipiti ciborum deglutitione eum evenire ſuſpicor, quod longe etiam a paſtu adeoque ſenſu inſolito ab impetu deglutitionis profecto jam pridem ceſſante tamen obſervetur, ſupponunt nempe nonnulli ventriculum, qui brevi poſt paſtum diſtentus eſt, cum ſucceſſiva chymi ad inteſtina propulſione arctari, quod utique ex diſſectione cadaverum longe vel brevi poſt paſtum demortuorum, non minus viviſectionibus animalium diverſo tempore ſuſceptis, palam eſt; ex quo inferunt, ſi in contractum ventriculum cibi ſolito impetuoſius intrudantur, ob inſolitam vim, renitentiam majorem ventriculi oriri adverſus ingeſta, unde tenſio & gravitas, hos tamen premit jam allegata ratio, ut aliam mittam, qua ſequi deberet ad primi mox boli præcipitem deglutitionem hunc ſenſum oriri, qui tamen non niſi jam ſemi ſaturis evenit: quibus perſuadeor, ut potius ob æſtimationem noxiæ, vel moleſtæ materiæ præſentaneam concoctionem fruſtrantis, a natura renitentiam hanc ventriculi cieri credam, a qua demum ſenſus ille ortum ſumat.

Ab eadem activa ventriculi renitentia, vel ut magis perſpicue exprimam, motu tonico ventriculi a natura aucto dependere dico & anxietatem præcordiorum inquietudine comitatam, & conatus vomendi & ipſum vomitum, ſive copia ingeſtorum & expanſiva eorum inflatio ſimul concurrat, ſive minus, & parva ingeſtorum quantitas præſto

 ſit;

ſit: Natura enim videns ſibi objici novas difficultates circa concoctionem, breviori via, ſcil. per vomitum ſeſe oneribus hiſce expedire mavult, quam longiori mora concoctioni eorum difficili ſtudere, præprimis cum damnum ab ejectione aſſumptorum metuendum facile reparabile ſit per magis conducibilia fercula, hinc in iis ſubjectis, qui ad vomitum faciles, aucto ſuperiora verſus, contrario naturali, motu conſtrictorio ventriculi, in conſenſum etiam diaphragmatis motum deſcenſorium aſſociando, ſuperius vero orificium ventriculi relaxando, non ſolum conatus vomenti, ſed ſi materia mobilis ſit, vomitus quoque feliciter ciet: In aliis vero, quorum vel in genere indoles ſegnior, negligentior, vel ſolum ad vomitum minus proclivis, aut omnes hujusmodi renitentes motus omittit, ſolo faſtidio & averſatione ciborum, a quibus vitia cumulari metuit concoctionis, contenta; aut languidos duntaxat motus inſtituit, ſenſum gravativum, tenſivum exhibentes: Anxietates vero præcordiorum in ſpecie, ſi ingeſtorum copia & inflatio concurrat, dico partim a diſtentis, per contenta, ventriculi fibris, partim harum erga materiam reniſu dependere, unde acutus dolor anxios & inquietos reddit ægros; a ſola enim diſtentione ventriculi per materiam in eodem contentam non oriri inde ſuſpicor, quod ſæpe nimium quantum etiam tumefacto ſtomacho, minus tamen anxius ſentiatur dolor: Si autem pauca ſit materia præſens, & tamen ab his cauſis eveniat anxietas præcordiorum, fieri id dico a conſtrictis undiquaque fortius ventriculi lateribus, & materiæ ventriculo incluſæ (inprimis needum probe diſſolutæ) quaſi quali reniſu, quo mutuo fortiori affrictu auctus dolor, pari ratione moleſtiam ægro, & hinc inquietudinem infert: Non proficiſci vero motus hoſce vomibundos & cardialgicos a materia morbifica phyſico quodam cauſandi modo, ſc. vel copia ſua gravando, aut acrimonia rodendo, ſtimulando ventriculi latera, inde evidens eſſe puto, quod hæc etiam citra inſignem ingeſtorum copiam eveniant, ſuſpicionem vero ſtimuli amovent aſſumpta ſæpe nil minus, quam vel acrimonia prædita, vel ullius alterius efficaciæ, quæ contractionem ventriculi phyſica quadam ratione inducere poſſet: teſtis eſt caro vervecina, ſuilla, placentæ cum butyro frixæ, panis recens tepidus butyro inunctus, a quo poſtremo, Conterraneus hujas præſentiſſime morbum Cſömör ſeſe incurrere mihi aſſeverabat, niſi forte rancidam acrimoniam hic quisquam incuſare vellet, cui tamen difficile probatu eſſet tam brevi temporis mora v. g. butyrum, lardum recens &c. in rancorem abire. Ut adeo ſanæ rationi magis conſentaneum eſſe videatur, naturam motus hoſce active ſuſcipere, non ſtimulo aliquo moleſto inpulſam, ſed propter æſtimationem materiæ noxiæ vel moleſtæ concoctioni, a qua proinde motibus hiſce ſeſe liberare ſatagat.

Ructus

Ructus nil aliud ſunt, quam flatuum ex reſolutione cibdorum in ventriculo inſufficiente prognatorum, per conſtricta ventriculi latera, relaxato orificio ejusdem ſuperiori, expulſio. Pari ratione inflatio abdominis torminoſa flatibus originem debet, qui diſtendendo inteſtina abdomen in majorem molem elevant, ſimul vero dum contranitentibus ſive conſtrictis inteſtinorum fibris ab uno inteſtini loco in alium propelluntur (inprimis ſi a fermeneſcenti acri quadam materia producti ſint) torminoſis paſſionibus vim ſternunt.

Cum nunc memoratis ſymptomatibus primarum viarum, vel etiam ſine his & ſolo cum faſtidio ciborum complicatus languor atque laſſitudo membrorum, ut inpotentiam quandam, ſive minores in movendis artubus vires involvit, ita ſpontaneam hic potius remiſſionem virium naturæ circa movendos muſculos, ſubeſſe, quam actualem quandam impotentiam, realem virium defectum ſupponentem credo, quod videlicet, alii minus tenera animi indole præditi, obfirmato quaſi animo motus corporis vehementiores v. g. curſu, laboribus &c. ſuſcipiendo, membrorum hunc languorem eludant, qui ſi actuali virium defectui ortum deberet, tantum abeſt, ut motibus his fortioribus ſuperari poſſet, ut potius magis magisque vires proſterni deberent; remittere vero naturam ab intenſione ſuarum virium circa motus voluntarios eum ob finem probabile eſt, ne videlicet vires ſuas, nunc circa actiones vitales magis neceſſarias in externis prodigat.

Senſum gravativum artuum & tractorium dorſi, ut & ſenſum oneris cujusdam delabentis ad extrema manuum, derivo a muſculorum in artubus & dorſo ſtrictura tonica ſucceſſive magis aucta, ob quam cum ſanguis per arterias advectus tanta copia in poroſas muſculorum partes non admittitur, a tergo vero pulſu urgente ſanguis pro ingreſſu ſuo facilitando adverſus ſtrictas ita poroſas partes nititur, ex hoc ſanguinis niſu, & fibrarum muſcularium reactione, atque repreſſione ſanguinis, naſcitur ſenſus gravativus, ut & tractorius, qui, ſi a ſcapulis & dorſo initium fiat ſtricturæ hujus tonicæ auctioris, & verſus extrema manuum ſucceſſive deſinat, æmulatur delabentis cujusdam oneris verſus extremitatem manuum ſenſum: Concurrere vero cum ſenſu gravativo artuum ſtricturam tonicam auctiorem, tum manifeſtus pallor ita correptorum, ſecundum Conterranei confeſſionem, tum ipſe ſenſus dorſi & ſcapularum tractorius evincit; quæri tamen merito hic poſſet, utrum ſtrictura hæc conſenſualis ſit cum ſtomacho, intermediis nervis, vel citra ullam ſpaſmi ex ventriculo, cum fibris nerveis artuum communicationem accidat, & ſi hoc, an revera materia quædam ſtimulando, vel quoquomodo afficiendo fibras muſculares artuum, cauſa hujus motus tonici aucti ſit, vel citra ullam proportionatæ materiæ ſuſpicionem eveniat? Ex ventriculo ſane conſenſualiter per ner-

vos;

vos ſtricturam hanc non proficiſci, teſtatur id, quod nullis etiam moleſtiis circa ventriculum affectis, (niſi quis forte faſtidium ciborum eo annumerare vellet, de quo tamen ſupra) eveniat: materiæ vero artus ſtimulantis abſentiam id arguere mihi videtur, quod materia hæc vel ante commiſſos dietæ errores in ſanguine jam præexſtitiſſe hoc pacto admittenda ſit, vel quod ex ventriculi demum cruditatibus in ſanguinem derivatis, cum eo ad muſculos deferatur; prius refellit ſtrictura harum partium, non niſi errores dietæ ſectans; poſterius partim materiæ ventriculo incluſæ conditio ſæpe ſtimulationi inepta, partim ſtricturæ hujus in artubus præſentia, antequam cruditates ventriculi cum ſanguine communicatas eſſe probabile fit, nam primo mox morbi cum ingreſſu ſenſus tenſorius, tractorius, gravativus ſeſe exerit, quo tempore cruditates ventriculi jam in ſanguinem delatas eſſe, illud diſſuadet, credam, quod vomitu initio ſponte ſupervenienſe vel arte provocato brevi tota ſymptomatum cohors evaneſcit, quæ ſi ſanguini illata labes jam fuiſſet, tam præſenter minime excretione hac diſſipari poſſet, ut adeo veritati proximius eſſe videatur, ſtructuram hanc ſponte naturæ inſtitui, ut non admiſſa in ambitu corporis ordinaria quantitate ſanguinis, tanto copioſius circa interna viſcera cumuletur, pro facilitanda ſecretione humorum in internis partibus, de qua ſuperius.

Confirmat hanc circa internas partes ſanguinis regurgitationem dolor capitis gravativus, cum gravitate artuum concurſans, non admiſſo enim per peripheriam corporis ſufficiente ſanguine, interne cumulatus diſtendit ſolito magis ſanguifera vaſa, uti alibi, ita etiam in capite a qua diſtenſione, moleſta ponderis quaſi cujusdam oritur ſenſatio, unde & dolorem hunc magis profunde, & interne ſentiri conterraneus mihi aſſeveravit.

Pandiculationes, & oſcitationes, voluntarios judico eſſe motus, ſuſceptos ab ægris, ad declinandum ſenſum gravativum corporis, a cujus moleſtia, ut & obtuſos reliquos ſenſus & cogitationes, diſplicentiam quoque animi derivo.

Torpor ſenſuum & cogitationum, propenſio in ſomnum ſunt me Judice remiſſiones ſpontaneæ activitatis naturæ circa ſenſuum & rationis exercitium, ne videlicet diſtrahat vires ſuas pluribus objectis & actionibus, nunc præcipue circa concoctionem primam impendendas, velut in ſano quoque ſtatu poſt cibum, inprimis paulo largiorem (niſi contraria conſuetudo interceſſerit) obſervamus proclivitatem in nobis, majorem modo, modo minorem, ad ſomnum capeſſendum, rationisve & ſenſuum exercitio tantiſper vacandi, quem torporem & in ſomnum propenſionem brevi poſt paſtum nonnulli equidem derivant a chylo ſanguini infuſo, qui ſanguini junctus hujus molem augeat, adeoque vaſa corticalia cerebri magis diſtendendo fibrillas medullares comprimat, ut hinc ſpiritus animales minus

debite

debite influere poſſint: in eas, premit tamen hanc hypotheſim illa difficultas, quod 2. vel 3. horis poſt paſtum, dum copioſiore jam chylo ſanguis turget, hæc proclivitas ad ſomnum minus urgeat, quod tamen ex hac ſententia neceſſario fluere deberet.

Inappetentia, uti pariter voluntatis quendam diſſenſum circa aſſumendos cibos indigitat, ita Naturæ eam merito in accepto fero, quæ ultro ob jam præſentia vitia circa digeſtionem, novorum ciborum appetitum negligit, ne videlicet, horum uſu concoctionis negotium tanto magis gravet, & intempeſtive interturbet.

Horror motus tonici in peripheria corporis augmentum ſupponit, vid. Celeb. STAHLII Diſſ. de motu tonico vitali, quo conſtrictis poroſis partibus ſanguinis tranſitus intercluditur, & hinc cum ſuccuſſatione corporis, frigoris quidam incurſantis ſenſus inducitur. Calor vero ab eodem motu tonico in peripheria corporis relaxato provenit, ob quem admiſſus copioſus in poroſas peripheriæ partes ſanguis ſuo tranſitu caloris ſenſationem fibrillis nerveis inprimit, idque tanto magis, quo aucta ſimul pulſus energia & celeritate cum frequentia, majori vi per easdem tranſprimitur, qui tandem venis copioſior exceptus eas magis turgere facit. Hæc nunc dicta febrilia ſymptomata, videlicet, frigidum horrorem, calorem, pulſum febrilem, ſi quis ab indigeſtis chyli moleculis ſanguini infuſis accerſere velit, quæ in extremis capillaribus arteriis peripheriæ corporis ob craſſitiem hærendo, liberum ſanguinis tranſitum in venas impediant, & ob retardatum ſic motum frigoris & horripilationis ſenſum inferant, iis vero tandem pluribus a tergo prementibus cordis inpulſibus reſolutis, ob liberiorem in venas tranſitum & per eas progreſſum caloris ortui anſam præbeant; per me quidem licebit, ut ſuo abundet ſenſu, obſtant tamen varia, quo minus huic ſententiæ ſubſcribere poſſim, ut alia mittam, dico ſolum, ex hac hypotheſi concipiendam eſſe obſtructionem, ſi non omnium, tamen plurimorum capillarium vaſorum in extremo habitu (ob frigoris ſenſationem univerſalem) qua durante obſervari neceſſe eſſet non ſolum tubercula plurima in ſuperficie cutis, inflammatoria quaſi, ſed cum ob obſtructas ſic extremitates vaſorum, in vicinis eorum productionibus ſanguis cumularetur a nova ſemper expreſſione ſanguinis ſub cordis ſyſtole, adeoque vaſa magis dilatarentur, pulſus etiam ob arterias magis diſtentas v. g. in carpo manuum, magnus deprehendi deberet, quorum tamen nihil ſub frigore obſervatur, & cum circa extremitates obſtructas magisque ſanguine repletas ſub ſyſtole cordis major oriatur particularum ſanguinis attritus erga vaſa, major quoque ex eadem hypotheſi calor illic oriri deberet, non frigus; hac autem de frigore præfiguratione cadente, etiam reliqua de calore lubrico innitentur fundamento; Vel ſi cui ad acrimoniam chyli particularum confugere volupe eſſet, a qua phænomena

hæc derivanda cenſeret, is mox inpingeret in materiæ morbificæ conditionem, quæ ſæpe ab acrimonia proportionata fovenda aliena eſt; Ut adeo veroſimilius mihi videatur ſub horrore, ſponte naturæ, ſine ſtimulo aliquo, aut obſtructione, motum tonicum in peripheria corporis augeri pro excludendo ſic ſanguine ab externis partibus, & contra magis cumulando in internis ad augendas ſecretiones abſtergendis vitiis primarum viarum inſervientes; Sub calore vero remitti eundem tonum, ut chyloſæ indigeſtæ particulæ in habitu externo attenuentur, prout ſupra jam monitum fuit.

Incrementum doloris capitis ſub calore, & mutatio gravativi in ardentem, pulſatorium, nonnunquam vibrativum, lancinatorium, conſectarium eſt diſtenſionis majoris vaſorum ſanguiferorum, & poroſarum partium in capite, admiſſo quippe in externas capitis partes copioſiori ſanguine propter relaxatum motum tonicum, non ſolum partes continentes magis diſtenduntur, ſed & aucto cordis motu fortius impulſus ſanguis, majorem caloris ſenſum imprimit, unde dolor ardens, cumque vaſa arterioſa ſub hiſce conditionibus magis ſolito diſtenta ſingulis momentis pulſus novum impetum per ſanguinem a corde recipiant, nil mirum pulſatorium ſentiri dolorem; vibrativum vero & lancinatorium ſubinde intercurſantem evenire ſuſpicor, ſi ſingulares vel pauciores tantum fibrillæ huic a ſanguine diſtenſioni ſpaſtica quaſi momentanea tenſione reluctantur & renituntur, ob quarum tenſionem, & ſanguinis fortiorem impulſum hic moleſtiſſimus dolor provocatur.

Noctes inquietæ ſunt partim ob caloris, maxime tamen doloris capitis moleſtiam.

Alvum adſtrictam, (quam ex ordine ſymptomatum in hiſtoria morbi recenſitorum durante calore evenire ſuppono, retinui vero ordinem ſeſe invicem excipientium ſymptomatum D. D. Kölesseri, & non niſi hinc inde plura ab aliis communicata vel deprompta ſuis locis inſerui) oriri exiſtimo ſponte naturæ, dum enim ob redundantem ſucceſſive in ſanguinis maſſam indigeſtum chylum, natura verſus peripheriam corporis humores dirigit, ut ibidem tranſpreſſione per poroſas partes attenuetur, reſolvatur, circa interna vero viſcera motum tonicum auget, ut hic excluſi, eo tanto copioſius impellantur, fit, ut in minori copia ad inteſtina admiſſus ſanguis minorem etiam quantitatem mucaginoſæ materiæ eo exoneret, ob cujus defectum contenta minus commode per inteſtinorum canalem provolvuntur & hinc ſegnius longe ad exitum promoventur; non ſecus atque in aliis febrilibus morbis, in quibus natura ad peripheriam corporis humores pellit, ut ibidem quidquam heterogenei ex iis vel deponat, vel ex corpore penitus proſcribat, non urinæ ſolum proventum minuit, ſed & alvum eadem ratione claudit.

Tuber-

Tuberculorum durorum phænomenon priusquam enodem, ante omnia de ſubjecto, quod nodos hoſce conſtituit, diſquirendum erit, videlicet an glandulæ tumefactæ, vel vaſa arterioſa, venoſa, lymphatica, nervi, aut denique muſculorum quædam partes hos nodos forment? Glandulas eſſe ea de cauſa minus veroſimile eſt, quod vel cutaneæ eſſe deberent, vel ſubcutaneæ, illæ eſſe nequeunt, quod non ſolum non probabile videatur eas in tam magnam molem, ſpatio aliquot horarum aſſurgere, ſimulque indurari poſſe, ſed inſuper viſum neceſſario incurrere deberent, cum tamen nodi hi oculos ſubterfugiant, & non niſi tactu deprehendi queant. Hæ vero utique de genere conglobatarum eſſe deberent, quales tamen iis in locis, in quibus nodi comparent, v. g. ut alias mittam partes) prope carpum in externo latere manus ſupra radium minime deprehenduntur. Nec arteriis vel venis nodi hi ulla cum veritatis ſpecie tribui poſſunt, quod præter complures alias difficultates, tumor horum vaſorum non niſi mollis eſſe poſſit, velut in aneuriſmate & varice, nodi autem hi duri ſunt. Multo minus pro vaſis lymphaticis veroſimilis ulla militat ratio, tametſi enim facile forte in tumorem aſſurgere poſſent juxta valvulas, tam ſubito tamen indurari contentam lympham, & vaſa ipſa tantum robur adipiſci poſſe, ut fortem Hungarorum frictionem ſine diſruptione ſuſtinere queant, vix quisquam admiſerit. Nervos ſupponere velle, eſſet contra eorum naturam, qui vel compreſſi aut ligati non intumeſcunt: proximius itaque ad veritatem me acceſſurum confido, ſi ſubjectum horum nodorum eam cumprimis muſculorum extremam conſtituam partem, quæ initium tendini præbet, id quod ſuadere mihi videtur tum locus in genere nodorum, deprehenduntur enim in muſculoſo tendinoſis partibus noſtri corporis, innuentibus hoc D. Bacsmegyi, conterraneis, ex parte Geigero, Reimanno, tum in ſpecie nodi illi notiſſimi circa carpos manuum, quos veluti reliquias ab hoc morbo ſub nodorum forma, conterranei olim ſæpius ab eodem vexati, mihi in manu ſua oſtenderunt; hi enim nihil aliud ſunt, quam muſculorum pollicis extenſorum extrema in tendines jamjam terminatura, quæ etiam in ſano ſtatu & non ſolum apud Hungaros, ſed omnes peregrinos quoque tactui nodos æmulantur, atque quisque in manu ſua eosdem, videlicet 1. vel 2. pollices transverſos ſupra carpum in externo latere manus, ſupra radium (ſcilicet e regione pollicis) offendere poteſt, ſi paulo durius premendo ducat verb. gr. pollicem alterius manus nonnihil a carpo verſus flexuram cubiti; id tamen monuerunt conterranei hos nodos ſub morbo Cſömör majores evadere. Notandum inſuper duco, iisdem conterraneis docentibus nodos palpabiles non ubique in eodem ſubjecto eandem habere magnitudinem, ſed alios magis, alios minus protuberare, unde aliqui etiam non niſi hos nodos, circa carpos manuum & ſpinam dorſi occurrentes, mihi nominare poterant. 2. Quod nodi non mox initio morbi appareant ita increti, ſed poſt complures demum horas, quod

D. D. Moller etiam innuere videtur, dum dicit vomitus ſalutares eſſe, ſi ab initio mox morbi contingant, antequam nodi appareant & æſtus incrementum ſumat, ut adeo non niſi ſub æſtu eos increſcere probabile ſit; Quibus præmiſſis facile conceptu eſſe arbitror, tubercula hæc ea ratione efformari, quatenus extrema fibrarum muſcularium in tendines terminantia ſub æſtu magis diſtenduntur, quæ cum alias etiam & majorem duritiem, & preſſa majorem dolorem, quam medius muſculorum venter exhibeant, nil mirum dura hoc in morbo quoque apparere & fortiter preſſa exquiſitum dolorem ciere. Non difficilis etiam eſſe poteſt ratio, cur pro diverſitate ſubjectorum majora vel minora deprehendantur hæc tubercula? quod videlicet pro ratione ætatis, magnitudinis perſonarum, & temperamentorum magis vel minus toroſæ eſſe ſoleant muſculorum fibræ. Cur vero in iis majora tubercula deprehendantur, qui ſæpius frictione morbum hunc profligarunt, in præſens non determinabo, cum neſciam an etiam extra morbum majores nodos exhibeant, in iis enim, qui in manu nodos mihi oſtenderunt, modo æquales meis, modo majores erant, differentiæ ratio tamen illico patebat, quod hi toroſiores etiam me fuerint. Nec tubercula circa tempora impræſentiarum explicanda in me ſuſcipiam, cum alii eadem negarint, alii qui in nonnullis ea deprehendi audiverunt, locum in ſpecie certo determinare non potuerint, an videlicet ſuperius prope bregmatis oſſa, vel alibi obſerventur, qua de cauſa certi quid dicere mihi non licuit: Ex hac mea tuberculorum explicatione juſta conſequentia inferre quis poſſet, tubercula hæc in aliis quoque morbis & in aliis regionibus deprehendi debere, cui utique non refragabor, tanto quidem minus, quod D. D. Reiman ſcribat D. Matrem ſuam lumbagine rheumatica detentam cum horrore prægreſſo & calore inſigniori oſtendiſſe in dorſo palpantibus ſimiles protuberantias. D. D. Gensel vero teſtetur ſe in Italia quoque aliquoties vidiſſe hujusmodi nodos, licet in quibus morbis, non commemoret. Quod vero hactenus non obſervati ſint paulo curioſius, ſuſpicor inde proveniſſe, quod frictionis uſus tantus hodie non amplius vigeat, a veteribus vero frequentius frictionibus utentibus ſponte illorum neglecti ſint annotari.

Hactenus paulo prolixius explicationem dedi ſymptomatum morbum hunc concomitantium, ſubnectam brevibus reliquorum præcipuorum phœnomenorum in hiſtoria enarratorum enodationem.

Cur itaque famelici, & poſt prægreſſum jejunium, homines frequentius huic morbo obnoxii ſiant? evidentem arbitror eſſe cauſam, quod hi ipſi tanto procliviores ſint ad excedendos temperantiæ limites, latrans quippe ſtomachus raro patitur ſibi præſcribi leges, unde vel præcipiti ingurgitatione, vel mole nimia laudabilium aut difficilium

etiam

etiam concoctu ciborum facile ventriculum onerant, fomitemque huic morbo ſuccendunt.

Quod cholerico & cholerico-melancholico temperamento familiarior ſit hic morbus, tribuo indoli animi eorum, hi ipſi enim, uti circa moralia non patiuntur facile impune objici ſibi impedimenta, omnesque nervos ocyus intendunt ad amolienda ea, ita pari quoque ratione ſeſe gerunt circa actiones vitales, eadem enim anima eſt, quæ rationales & quæ vitales perpetrat actiones, unde hæc ipſa temperamenta quoque in genere febribus magis obnoxia ſunt, teſte celeb. *Stahlio* in diſs. ſua de febris hiſtoria in genere.

Quod peregrini in Hungaria commorantes nunquam vel ſolum rariſſime corripiantur hoc morbo, mirum videbitur iis, qui *Coberi* ſcripta evolverunt, is enim morbo huic plurium militum in Hungaria mortem, quam qui hoſtilibus ceciderunt armis, adſcribit, videtur tamen in eo confudiſſe febrim ſtricte dictam Hungaricam cum hoc morbo, nam illa utique non ſolum familiarior eſt peregrinis quam indigenis, innuentibus id D. *Mokero*, *Raygero*, ſed deleterior quoque illis præ his, teſte D. *Mollero*. Non diffiteor interim ſæpius ſane febrim ſic dictam Hungaricam morbo huic veſtigia legere poſſe in caſtris, cum non ſolum commodiſſima illic occaſio ſit ſuſcitando huic morbo (& quidem peregrinis, ſi non major, cum ipſimet non facile extra caſtra divagentur pro more Hungarorum, ut magis ſalubria conquirere poſſint edulia, tamen æqualis) qui demum neglectus, præcipue aliis cauſis ſimul concurrentibus in febrim illam degeneret peregrinis inprimis periculoſam; verum ipſemet D *Keleſeri* id indigitare videatur in præfatione ſui tract. de Scorb. Medit. Ut adeo de infrequentia hujus morbi dicta ſumenda exiſtimem non niſi de illis peregrinis, qui in civitatibus agunt, hi enim cum forte in cibis majorem temperantiam ſectentur, quam Hungari ibidem nati, & hinc minus frequentem fomitem ſuppeditent huic morbo, rarius etiam eidem obnoxii vivunt, aut ſi æque intemperantes eſſent, & tamen rarius eodem corriperentur, adſcriberem id peculiari Hungarorum indoli præ aliis gentibus, quod ſicut alias in moralibus facile offendi ſoleant, ita nec in vitalibus facile ferant ullas moleſtias, qualis animi habitus cum in peregrinis non adſit, facilius etiam vitia concoctionis tolerent.

Quæ duo videlicet temperantiæ ſtudium majus & animi mores magis compoſiti, cum apud Germanicæ & Schlavonicæ nationis Hungaros, niſi fallor, deprehendantur, iis etiam ea de cauſa rarius evenire morbum hunc auguror, quam ſtricte dictis Hungaris.

Cur vero in illis, qui ſæpius morbum hunc perpeſſi vel ob leves dictæ errores repullulet? cum materiæ minus proportionata hic ſubſit conditio, longe verius credo hanc repullulandi proclivitatem naturæ æſtimationi adſcribi poſſe, quam cuicunque tandem materiali vitio, qua cum ſæpius circa digeſtionem primam moleſtias paſſa ſit, eas vero ſive vomibundis, ſive alvinis excretionibus, aut denique transpreſſione per poroſas partes auſpicato ſuperavit, non modo cautior inde facta vel a levioribus erroribus dietæ ſibi metuit, ſed etiam eandem motuum repetit ſcenam, ut in herba adhuc quaſi ſuffocet, & præcaveat ulteriora damna: Tela enim præviſa minus nocent.

Cur vero initio neglecto malo, nec adhibita ulla medicatione, ſpontaneis etiam excretionibus emanentibus febres intermittentes vel continuæ ſuccedant? ratione febrium intermittentium quidem manifeſtus intercedit nexus, inter cauſam materialem illarum & hujus morbi, cum enim utrique hi morbi circa primas vias collectas cruditates pro cauſa primaria habere ſoleant, facile reliquiæ hujus morbi, illas provocare poterunt. In continuas vero & inprimis febrim hungaricam transformationem hujus morbi, non quidem unice ab hac cauſa materiali primarum viarum derivandam eſſe exiſtimo, ſed concurrere eo tum alias quoque cauſas ſuſpicor, v. g. ex tranſpiratione ſive ante morbum, vel ſub hujus morbi febrilibus motibus ſuppreſſa, collectas ſubtiles ſalino ſulphureas acres particulas, quæ cum agiliſſimi motus & certo reſpectu fermentativo putredinoſæ efficaciæ ſint, facile inde continuis aut ipſi febri hungaricæ materialis fomes ſuppeditari poteſt, prout videmus alias ephemerarum ſpecies ob ſudorem & tranſpirationem cohibitam in continuas putres degenerare. Vid. FORESTUS l. I. de febr. ephem. obſ. 3. in Scholio. In aliis vero cum laſſitudo, inappetentia & alvus adſtricta remanere ſcribantur, equidem ea moveor ſuſpicione, quod forte alia ſymptomata ſimul concurrant, & febricula quædam lenta ſubſit, ſi tamen non niſi hæc allegata eſſent, indicium foret naturam tædio quaſi captam eſſe ad vegetiores denuo motus ſuſcipiendos pro expugnandis vitiis illis circa concoctionem, eo quod prioribus ſuis conatibus operæ pretium non fecerit ob refractariam materiæ conditionem, unde jam non niſi ſucceſſivæ correctioni materiæ ſtudeat, & ne nova ſibi impedimenta objiciantur, ſponte averſetur novorum ciborum ingeſtionem, ſimul vero ab activitate circa movendos arctus remittat, ut illi ſuæ intentioni tanto majori ſtudio non diſtractis viribus incumbere poſſit, unde laſſitudo & inappetentia, cumque laſſitudine preſſi raro motus ſuſcipere ſoleant corporis, ex ſedentaria vita, & ob motus defectum, neceſſario ſegnities alvi induci debet. Tantum de Phænomenis.

Ordinis

Ordinis ratio exigeret, ut nunc ſigna diagnoſtica & prognoſtica, non minus cauſas traderem, ſed cum illa in hiſtoria morbi exhibeantur, de cauſis vero jam ſupra in evolutione definitionis, occaſione ſic ferente egerim, actum agere mihi viderer, ſi hic denuo easdem recoquerem. Ad curationem itaque me confero.

Antequam autem ipſemet curationem ſubnectam, lubet de populari Hungarorum curatione pauca monere, conſiſtit illa in 4. veluti remediorum generibus, frictione ſc. abſtinentia a cibis, motu corporis vehementiore & ſpirituoſorum aſſumptione, quæ ſubinde ita invicem ſubordinare ſolent Hungari, ut abſtineant a cibis ſimul vel frictione utantur, vel ſpirituoſa aſſumant, vel motus corporis inſtituant, vel ab omnibus ſimul medelam poſcant.

Ad frictionem vero in ſpecie quod attinet, validam eam inſtituunt, & cum aceto alliata, piperato, ut plurimum adornari ſoleat, *Coberus Köleſeri* & *Vindiſch* rebus hiſce, quibus adminiſtratur, unice fere curandi partes deferunt, ob earum acredinem atque particulas ſalino ſulphureas, quarum odore fuligines cerebri diſſipari *Coberus*, D. *Köleſeri* vero & *Vindiſch* ſtagnantes in extrema cute humores craſſos incidi & reſolvi volunt. Diſſuadet tamen, quo minus ex ratione frictionem opem ferre credam, frictionis cum pinguedinibus acrimoniæ ſenſibilis expertibus inſtitutæ par efficacia, qua inducor ut credam ipſi frictionis actui meliori jure primas curandi partes decernendas eſſe, quam rebus illis, cum quibus ea inſtituitur, licet & has ſymbolum quoddam ſecundario conferre negare nolim; rationem autem, qua frictio ſubinde profliget morbum, antequam tradam, juvabit præmittere & ſupponere, 1. ex hiſtoria morbi, non ſemper frictionem eum habere uſum, ut vel morbum hunc tollat, vel alios ſubſequuturos averruncet. 2. Frictione cieri affluxum humorum ad peripheriam, quod uti a priori ratio dictitat, quatenus preſſione muſculorum ſanguis ex fibrarum muſcularium interſtitiis in venas reprimitur, ea vero remittente ex arteriis in evacuatos poros copioſius admittitur, ita a poſteriori quoque ex effectu confirmatur, quod videlicet juxta conterraneorum relationem poſt frictionem magis incaleſcere obſervetur corpus; cui ſcopo etiam favet apud nonnullos Hungaros receptus mos, ut partes frictioni ſubmittendas v. g. dorſum, brachia foco ardenti obvertant, & poſt frictionem lectum petant pro promovendo hoc affluxu, & ſi fieri poſſit proliciendo ſudorem: Non minus ipſæ res, quibus frictio adminiſtratur, illud ſuadent, cum vel emolliendi fibras efficacia vel acredine ſua ad affluxum humorum provocandum apta & idonea ſint: Quibus præmiſſis judico frictionem ea ratione abigere hunc morbum, quatenus affluxum humorum verſus peripheriam pro-

vocando

vocando (quem natura ſibi relicta pro concoctione juvanda magis verſus interiora ciere in animo habet) naturam a propoſito ſuo avertit, eodem ſc. modo, quo in aliis morbis v. g. variolis, ubi natura ad habitum corporis materiam morbificam expellere conatur, dato alvum proritante medicamento, a priore ſua intentione avocatur, atque ad inteſtina copioſius humores pellit, licet hic ob materiam morbificam magis activæ & noxiæ efficacia æque impune non ferat hanc ſui ſeductionem, ac in morbo *Cſomör*, cum hic longiori mora adhuc ſenſim ſenſimque corrigi queant concoctionis vitia, inprimis ſi abſtinentia a cibis & ſpirituoſorum aſſumptio ſimul in ſubſidium vocentur, quibus ſi non cedant cruditates & refractariæ magis ſint, ſive ob molem, aut viſcidam nimis tenacitatem, aliamve earum qualitatem pravam, nihil utique frictione obtinetur, ut vel morbus hic ceſſet, vel alii ſubſequuturi morbi præcaveantur: Et cum alias quoque non rarum obſervatu ſit circa actus naturæ, eam a ſemel cœpto propoſito non æque facile & uno contrario educto motu ſeſe pati abduci, non difficilis quoque poteſt eſſe ratio, cur frictio magis repetita & ſæpius in uſum vocata fine demum ſuo potiatur. Conſimilis fere frictionis efficacia celebratur ad uvulam relaxatam reſtituendam in Miſc. Ac. N. C. G. D. II. An. II. Obſ. 58. a D. *Joh. Ludw.* HANNEMANNO, ubi non ſolum adducit Blancardum in Collectaneis ſuis Phyſico-Medicis mentionem facientem felicis hujus modi curationis per frictionem brachiorum uvulæ relaxatæ, ſed ipſemet quoque ſuo & domeſticorum ſuorum exemplo fidem facit, ſæpius ſibi & ſuis uvulam prolapſam hac methodo priori loco citra aliud adminiculum reſtitutam fuiſſe, admonens tempore procidentiæ uvulæ exiguos nodulos ſub cute in brachio 2. digitos ſupra pollicem deprehendi, quos nodulos uti nil aliud eſſe exiſtimo, quam initia tendinum pollicis extenſorum, quæ etiam alio tempore nodos fingunt, (de quibus ſuperius) ita rationem quoque curandi eandem hic eſſe, quæ in morbo Cſömör ſuſpicor, cum enim uvulæ relaxatio congeſtionem ut plurimum humorum verſus fauces pro cauſa agnoſcat, (unde & tumor vicinarum partium eam plerumque ſtipare ſolet) frictio vero brachiorum affluxum humorum ad brachia alliciat, natura frictione pellecta priorem intentionem deſerit, & ad brachia demum copioſius humores pellit, unde ceſſante ad fauces majore affluxu, ſtagnantes humores ſenſim in venas reſorbentur, ſublata vero ſic cauſa diſtendente & emolliente fibras, hæ denuo priori tono ſeſe reſtituunt. Eodem ex capite frictiones alibi quoque a practicis commendari ſolent, v. g. iis in affectibus ubi affluxus humorum ad certam aliquam partem alliciendus eſt, uti in ariduris partium, ad menſium fluxum facilitandum, in pedibus; vel contra ubi affluxus humorum ad aliquam partem vel effluxus arcendus venit v. g. in hæmorrhagiis narium nimiis fricando pedes vel brachia; ſed de frictione nunc dicta ſufficiant.

Tranſeo

Tranſeo ad abſtinentiam a cibis, hanc plurimis ſæpe morbis remedii loco eſſe teſtatur vulgatiſſimum illud: Multi magni morbi curantur abſtinentia & quiete: Cur vero in hoc morbo ex uſu eſſe ſoleat? vix quemquam ſubterfugere poteſt ratio, perpendendo, novos non ingeri cibos ſub ea, adeoque vitia vitiis non cumulari, ſecretionem vero humorum menſtrualium jugiter peragi, quibus poſitis obvium utique eſt, majore menſtrui copia facilius etiam vitia concoctionis fomitem huic morbo præbentia ſuperari poſſe.

Spirituoſa vero aſſumpta uti calorem ventriculi augendo, menſtruum in activitate ſua, & ventriculum in tono ſuo roborando, & denique pro diverſitate eorum, cruditates etiam ex parte reſolvendo non ultimam in morbi hujus radice ſuccidenda merentur laudem; ita motus corporis vehementiores affluxum humorum ad peripheriam provocando, & ſi forte indigeſtæ quædam chyli moleculæ ſub hiſce motibus ex ventriculo intempeſtive expulſæ & in ſanguinem delatæ fuerint, easdem attenuando, reſolvendo, morbi hujus depulſioni favent.

Ad curationem autem medicam, quod attinet, ex ſuperioribus conſtare poteſt, cauſam hujus morbi conſtituere errata dietæ, quatenus digeſtionem eludunt; dixi inſuper in antecedentibus naturæ intentionem eam eſſe, ut vitia concoctionis in primis viis vel corrigat, vel ad motum prius diſponendo dein e corpore eliminet, aut ſi jam in ſanguinis maſſam redundarint, eorum attenuationi ſtudeat: Hos itaque ſcopos medicus pariter ceu naturæ miniſter ſibi præfigere debet, ſi naturæ commodas porrigere velit manus; judicio tamen opus eſt, an unice correctioni cruditatum res tota committenda ſit, vel præſtet evacuare eas? & ſi natura ipſa motus excretorios ſuſcipiat, an ubi non rite ſuccedat excretio ſub hiſce motibus, hos augere vel materiam ſolum ad faciliorem exitum diſponere conveniat? In genere itaque tenendum, ſi ipſa natura ad vomitum inclinet ſub conatibus vomendi, fruſtra illic propinari emetica, quia naturæ motus vomibundi utique ſufficiunt ad excutiendam ſaburram ventriculo inhærentem, quod vero ſub illis motibus nulla contingat excretio, unice materiæ h. l. ut plurimum viſcidæ & tenaci, quæ a lateribus ventriculi difficulter avelli ſeſe patitur, id in accepto ferendum eſt; unde majus hic opere pretium impetratur digeſtivis, incidentibus, abſorbentibus & diluentibus, quam novo ſtimulo excretorio non præparata ad exitum materia. 2. Si nullos hujusmodi motus excretorios natura ſuſcipiat, ingeſtorum qualitas & quantitas medici quadantenus determinare poteſt judicium, an correctioni ſolum materiæ, vel ejusdem evacuationi incumbere debeat, ſi enim laudabilia fuerint eſculenta, & ſolum in inſufficiente maſticatione erratum fuerit, nec in quantitate ingens admodum exceſſus commiſſus, vel ſi cibi laudabiles bene præmanſi, ſola forte quan-

titate nimia moleſtias concoctioni creent, ſpes eſt utique corrigi adhuc poſſe hæc concoctionis vitia, adeoque mitioribus prius remediis tentari debere materiæ morbificæ ſubjugationem. Ubi vero refractaria alias concoctioni aſſumpta fuerint, & vel quantitas eorum ſimul concurrat, vel maſticationis defectus acceſſerit, aut, ſi laudabiles etiam cibi & quantitate & præcipiti infarctu ſimul occaſionem præbeant huic morbo, tunc uti longe minor ſpes impetrandæ correctionis, ita juſtior quoque indicatio, eadem ex corpore proturbandi, ne paulo diutius naturæ laborem faceſſant: non minus vero ſi alterantibus adhibitis in priori caſu ſpei non reſpondeat eventus, ad evacuantia confugere licebit. Et cum tam per ſuperiora quam inferiora in hoc morbo utiles deprehendantur evacuationes, obſervatis iis individualibus circumſtantiis ex methodo medendi notis, quæ uſum vomitorium vel purgantium ſuadent aut diſſuadent, poterunt in genere, ſi cruditates in ventriculo adhuc ſtabulari indicium ſit, commodius per vomitum ceu breviorem viam eædem rejici, vel ſi ad inteſtina jam detruſas eſſe ſuſpicio fiat, per alvum ſubducentia eliminari, aut utræque evacuationes ſimul in uſum vocari, pro abſtergendis ſic ventriculi æque, ac inteſtinorum ſordibus, ſubjungendo demum pro rei exigentia & circumſtantiarum ratione tonum ventriculi & inteſtinorum roborantia aromatica, amara &c. ſemper tamen in evacuationibus ſuſcipiendis, prius materia ad motum prædiſponenda remediis mox dicendis.

Prior jam ſcopus medici np. materiæ correctio, impetrari poteſt partim ſalinis digeſtivis, incidentibus, v. g. Tart. vitriolato. Arcano duplic. nitro depurato, antimoniato. Sale digeſtivo Sylvii, vel ſalibus alcalicis fixis: Card. Ben. abſint. Centau. min. partim abſorbentibus, v. g. Chel. ocul. cancr. Teſtis ovorum calcin. Coral. præp. conchis præp. &c. partim aromaticis: Pipere, Zingibere. Rad. Zedoar. Galangæ. Cardamom. Cubebis &c. partim amaris: ex abſint. Centau. min. C. B. Rad. gentian, rubræ &c. partim acribus: Rad. ari, ſem. ſynapi, erucæ &c. partim vino generoſo ſimplici vel aromatiſato, & denique ex his nunc enumeratis paratis vel compoſitis medicamentis v. g. Speciebus, Pulv. Stomachicis, Conditis, Electuariis, Eſſent. Elixiriis &c. Ex quibus uti facile pro aſſumptorum qualitate magis idonea ſeligi, aut alia aliis pro circumſtantiarum ratione invicem combinari, ita in varias quoque formulas redigi poterunt, quales hic prolixe adferre ſupervacaneum duco, inprimis cum hæc ipſæ lectori compoſitionis medicamentorum gnaro magis tædium, quam utilitatem parere ſoleant.

Secundus ſcopus, np. evacuatio materiæ morbificæ, prout monitum, aptitudinem ad excretionem prærequirit, cui fini inſerviunt pro cauſarum diverſitate tum digeſtiva, tum abſorbentia ex jam dictis repetenda, tum denique diluentia, uti juſcula eſculenta v. g. cereviſia aut aliud juſcu-

juſculum butyro impraegnatum, decoct. avenaceum tenue, ſerum lactis &c. quae ſola eo in caſu ubi natura motus excretorios ciet, excretionem materiae promovent; ubi vero illi deficiunt, cum fructu, praemiſſis ſic materiam praeparantibus provocari poterunt, datis (ut alia prolixitatis evitandae cauſa mittam) Tart. Emet. gr. j - iij. pro ſubjectorum & locorum in Hungaria diverſitate (vide miſcellanea medica in fine annexa) cum ſachari, Antim. diaph. vel ſalis digeſtivi alicujus v. g. Tartar. Vitriolati gr. vj - viij. in pulv. Aut cum Extracti alicujus appropriati v. g. Card. Bened. gr. vj - vij. in pill. pro doſi. Vel quibus ſpuria dicta vomitoria magis arriderent, irritatis penna vel digito faucibus, aut aqua vel lacte diluto tepido copioſe ingurgitato eundem effectum experiri poterunt. COBERUS Eſſentiae Rud. Aſari & Raphani Auſtriaci aliquot duntaxat guttas ſaepius ſe efficaces deprehendiſſe in Hungaria teſtatur. D. II. Obſ. III. in Schol.

Si per inferiora educere conſultius videatur, ſatisfaciet decoct. ex fol. Sennae ʒij - vj. (pro ſubjectorum itidem & locorum diverſitate) cum ſalini alicujus v. gr. Chryſt. Tart. & ſem. aniſi una ʒß - j. aut Rhabarb. ad ℈j - ʒj. cum vel ſine ſtimulo vel incidente aliquo ſalino. Vel Emulſio quaedam ex Reſ. Jalap. Scammon. gr. vj - xiij. Amigdal. dulc. excortic. aut Vitel. ovorum q. ſ. aquae denique Roſ. Cinam. vel alius appropiatae q. ſ. v. gr. ℥iß - ij. parata & edulcorata, ut mercur. dulc. & alia aeque commode & tute inteſtinorum canalem abſtergentia & evacuantia tam ſimplicia quam compoſita, variis formulis inſervitura taceam.

Evacuata vero ſic materia morbifica, ſi neceſſe viſum fuerit, nec circumſtantiae aliae diverſum ſuadeant, inprimis poſt emetica propinata, ſubjungere mox licebit aromatica, amara ſtomachalia, vinoſa, inprimis vinum uſtulatum cum aromatibus v. g. cariophyll. macerc. cardamom. cort. cinamomi &c. quae tam ventriculum roborando, quam relictas forte adhuc cruditates reſolvendo ex uſu eſſe poterunt. Atque ſic paucis duplici indicationi proſpectum eſſet.

Reſtat, ut tertiae quoque paucis ſatisfiat, ſi videlicet febrilia emicent ſymptomata, quae cum ſalutares naturae motus ſint, ad attenuandas viſcidas chyli particulas in ſanguinem delatas ſuſcepti, circa eos quidem vel augendos, vel imminuendos, medico nil temere ſuſcipere fas eſt, ne demum ſero facti poeniteat, magiſque continentia tranquilla, cum temperato regimine & ſufficienti injuncto potu cereviſiae tenuis, ſeri lactis, vel decocti hordei cum Rad. Foenic Scorzone pro diluendo ſanguine ſimul proderit, quam varia calida, urinoſa, opiata, theriacalia, ut ote motibus naturae recte procedentibus pervertendis magis quam gubernandis accommodata; Eſt enim febris haec ſibi relicta omni modo benigna: Si ta-

 men

men quædam propinare placeat, conducent ſalina media ſupra allegata cum fixis diaphoreticis & pauxillo cinab. v. g. Antim. diaphor. Conchar. præp. arcani dupl. ana gr. VII. Cinab. nat. gr. iij. in pulvere, vel cum aquis diaphoreticis v. gr. Scord. Card. B. Fl. Sambuc. (aucta nonnihil pulverum Doſi) in Potiunculæ forma, edulcoranda. Aut mixtr. ſimpl. non camph; vel Eſſent. Bezoard. Stahlii; aut, ſi hæc non habeatur, Eſſentia ex Rad. Helen. Vincetox. Pimpin alb. Ab. ſcord. & aliis lenioribus alexipharmacis, ſimul tamen materiam viſcidam incidentibus, & ſecretiones per urinam ac diaphoreſim promoventibus parata &c. quæ poſtrema ſpirituoſa, inprimis tepeſcente jam æſtu majorem ſpondent efficaciam, ſi ad gr. XX. XXX. &c. propinentur.

Hinc hactenus dictis præſervationis fine ab hoc morbo adhuc breviter ſuperaddi poteſt, ut ſive aſſueti jam huic morbo, ſive minus, temperantiæ ſtudeant, fercula difficilioris concoctionis, quibus facile offendi ſeſe deprehendunt, quoad fieri poſſit vitent. & non niſi bene præmanſos cibos deglutiant: Aſſueti vero ſeorſim meticuloſas & ſcrupuloſas nimis cogitationes circa qualem qualem ſenſum alterationis poſt aſſumpta eſculenta animo excutiant, & quibuscunque gratis ſive colloquiis, ſive aliis mentem divertant, ne indulgendo nimis meticuloſis ideis tanto promptius morbum hunc incurrant.

Atque ſic coronidem impono, Deoque T. O. M. pro clementer conceſſis ad inſtitutum hocce exſequendum viribus, devota mente perſolvo grates. Tu vero Lector Benevole, ſi quæ errata in nunc dictis animadverteres, ea pro humanitate tua excuſabis, & ſiquidem rectiora noſti, candide monebis, quod non ſolum non ægre feram, ſed obſtrictum quoque me tibi ex eo profitebor, probe gnarus, non eam intellectus noſtri eſſe certitudinem, & ſcientiæ perfectionem, ut nil deſiderari queat, quin imo dum mens maxime ſub veritatis ſpecie ſibi ablanditur & applaudit, ſæpe eam falli.

S. D. G.

Sequuntur Miſcellanea quædam Medica in Hungaria obſervata, & ex Reſponſionibus Celeberrimorum Hungariæ Practicorum D. D. Raygeri, Molleri, Genselii *excerpta, curioſi lectoris in gratiam Diſſertationi annexa,*

1. Criſes in Hungaria vere exquiſitæ obſervantur frequentes in febribus acutis continuis, ſed vel ſibi relictis, vel non male tractatis, & quidem

quidem pro ratione cauſarum variæ, nempe: vel per diarhæam 4. & 7. die, vel per ſudorem 7. & 9no. In continentibus, inprimis in ſubjectis junioribus, per hæmorhagiam narium 4. & 7. die, & interdum 11. ſed non ita commode. In inflammationibus cum febre, non ita exactæ criſes obſervantur, excepta Peripneumonia, in qua ſæpius ſeptimo die largo ſudore totum malum intra paucas horas ſolvitur, MOLLERUS. Rarius fiunt criſes per vomitum & urinam, & ut plurimum imperfectæ. Contingunt quandoque ſalutares criſes etiam intercalaribus diebus, octavo tamen & decimo ut plurimum funeſtæ, in primis nocturnæ. Metaſtaſes etiam frequenter obſervantur. GENSEL. Per ſudorem, quæ contingunt, frigidum ut plurimum totius corporis ſudorem ſiſtunt. RAYGERUS.

2. Medicamenta in Hungaria magis conferunt temperatiora, mitiora, & diffuſas vires habentia Galenica, quam calidiora, volatilia ſalina, ſpirituoſa & alia chimica concentratas vires poſſidentia, ob clima calidius, & vini generoſi, piperatorumque aromatum abuſum teſte RAYGERO, GENSELIO & MOLLERO.

3. Prout: in febribus quoque acutis poſitiva ſudorifera calidiora iidem improbant, & contra fixiora terrea, nitroſa utilia eſſe dicunt.

3. Doſes alterantium inprimis volatilium & opiatorum minores eſſe debent in Hungaria quam in Saxonia teſte MOLLERO. Secundum GENSELIUM ſopronium opiatu ut plurimum vomitum cauſant, & ſalia volatilia non niſi in refracta doſi propinari amant. Opiatorum & ſalium volatilium uſum cautum admodum eſſe vult Junior RAYGERUS, id quod Senior etiam, dum viveret, RAYGERUS in Scholio ſuo ad obſ. 47 SPINDLERI monuit.

4. Emetica Hungari pro varietate morborum bene ferunt, etiam largiori doſi propinata, exceptis fœminis; & purgantia niſi ſint vehementiora, nihil operantur ſecundum GENSELIUM. Secundum MOLLERUM vero tam Emetica quam purgantia draſtica, aut in majori doſi exhibita peſſimos nervoſi generis affectus poſt ſe trahunt. RAYGERUS dicit purgantia melius ferre Polonienſes, quam Emetica, quæ apud eos in uſum non trahuntur, quia natura perferre non poſſunt, in caſtris tamen in febribus intermittentibus æque ac continuis ſtatim ab initio cum fructu propinari. REIMANNUS in ſua Epiſtola, vomitoria mitia & parciſſima in doſi, purgantia vero majori in doſi quam lenæ conferre dicit. In infantibus & gravidis vomitoria & purgantia RAYGERUS & GENSELIUS vitanda volunt; MOLLERUS non niſi mitiora, non autem antimoniata, mercurial. ea uſu eſſe dicit. Clyſterum uſum GENSELIUS & RAYGERUS

GERUS frequentem eſſe dicunt in ſuis partibus, MOLLERUS autem in ſuis rarum dicit, ubi tamen adhibentur, optime conducunt, inprimis infantibus & fœminis hyſtericis.

5. Venæ ſectiones nec infantibus, nec ſenibus in Hungaria adminiſtrari ſolent, teſte *Mollero* & *Raygero*; In variolis, exanthematis ante eruptionem uſum quidem habere ſolent, neutiquam tamen iis jam erumpentibus, momente *Genſelio*, *Raygero*, *Mollero*, qui poſtremus in ſtatu earum ſpontaneas quoque ſanguinis excretiones funeſtas ſemper eſſe dicit, imo in febribus continuis epidemicis obſervavit idem omnes, qui quocunque morbi tempore, etiam in ſtatu eximie plethorico conſtituti V. S. adhibuere, certiſſime mortuos eſſe. Pleuritis vera etiam commodius ſine V. S. curatur, quam illa adhibita, niſi ſtatus ſumme plethoricus urgeat, quo in caſu, non niſi 1. vel 2. die adminiſtrata prodeſt, teſte *Mollero*, *Raygero*; *Genſelius* omnes absque venæ ſectione curat, pluresque obſervavit cum, quam ſine venæ ſectione mori.

6. Hirudinum uſum rarum in Patria eſſe, *Raygerus*, *Genſelius* & *Mollerus* exponunt, niſi quod 2. priores in dolentibus cœcis hæmorrhoidibus & cephalalgia atrociori eas applicari teſtentur: poſtremus vero efficaciam earum, ubi adhibitæ fuerint, ſemper bonam fuiſſe fateatur.

7. Trepanatio ut & aliæ difficiliores chirurgicæ operationes ob raros peritos chirurgos, rarius in uſum vocantur, inprimis tempore pacis, teſte *Raygero*, *Mollero*, *Genſelio*, alias feliciter ferunt trepanum ſecundum *Raygerum*.

8. Phtyſis non tam frequens obſervatur in Hungaria atque Anglia teſte *Raygero*, *Genſelio*, imo rarus in Hungaria morbus eſt ſecundum *Mollerum*. Rachitis ſecundum *Raygerum* & *Genſelium* infrequens morbus eſt in Hungaria, *Mollerus* tamen in 2. & 3. annorum infantibus frequenter eam obſervavit. Febres malignæ ſudatoriæ in Anglia frequentes, a *Mollero* non ſunt obſervatæ, a *Raygero* raro. Plicam Polonicam in Hungaria *Genſelius* & *Raygerus* non obſervavit. *Mollerus* dicit occurrere eam in Confiniis Poloniæ, licet non tam frequenter ut in Polonia.

9. Febres intermittentes ſimplices tam quotidianæ, quam tertianæ & quartanæ frequentes ſunt in Hungaria, teſtante *Genſelio*, *Raygero* & *Mollero*, licet tertianæ frequentiſſime ſecundum hunc: Intermittentes duplicatæ rarius a *Genſelio* obſervatæ: Tertiana duplex a *Raygero* ſæpius: *Mollerus* vero dicit per 5. annos epidemice graſſatas eſſe intermittentes duplicatas, & quidem vere tertianæ duplices, autumno quartanæ duplices.

In

In intermittentibus calor fere ſemper frigus excedit teſte *Mollero*, *Genſelio*, *Raygero*.

10. De morbis epidemicis & eorum curatione, quæ SYDENHAMIUS annotavit, inprimis quod diverſæ annorum conſtitutiones, diverſas quoque indicationes & remedia exigant, *Mollerus* etiam a 15. annis in Hungaria quoque ita ſe habere obſervavit. Epidemicos vero morbos, qui annuatim in Hungaria graſſari ſolent *Genſelius* recenſet petechias, variolas & morbillos, menſe martio & aprili frequentes, diverſa ob ſymptomata pro annorum conſtitutionibus diverſas quoque indicationes & remedia poſcentes. *Raygerus* pariter exanthematicos morbos adducit æſtivo & vernali tempore graſſantes, & per 3. annos cum ingreſſu veris Pleuripneumoniam epidemicam obſervavit: frequentiſſimas tamen ex exanthematicis eſſe petechiales conſentiunt *Genſelius*, *Raygerus* & *Mollerus*, qui poſtremus eas dicit poſt hyemale ſolſtitium atque ante & poſt æquinoctium vernale epidemice graſſari, ſine diſcrimine ætatis, frequentius tamen ſanguineos & cholericos, rarius melancholicos corripere. Febres catarrales ſecundum *Genſelium* utplurimum hyeme epidemice graſſantur, ſub quarum larva petechiales ſæpe latent, lethales ſæpius, niſi ſuccurratur tempeſtive. A *Mollero* autem, ab An. 1710. ad 13. catarrales malignæ petechiis comitatæ epidemicæ fuiſſe dicuntur, & quidem circa æquinoctium vernale, & ſolſtitium æſtivale, usque ad æquinoctium autumnale, quæ nec regimen, nec medicamenta calida ferebant.

11. Dantur & particularia Hungariæ loca, in quibus uni præ alio morbo frequentius obnoxii vivunt Incolæ. Sic non modo popularis rumor in Hungaria fert de Cremnizienſibus, eos frequentibus ſtrumis laborare, ſed & *Mollerus* idem confirmat tam de civitate ipſa, quam territorio Cremnizienſi, cauſas rejiciens in aquas ſabuloſas (*kieſichte Waſſer* vocant) ex fodinis metallicis promanantes. Idem de Leucſovienſi urbe *Reimannus* affirmat (tametſi egomet non recorder me tam frequentes & grandiores ſtrumas illic offendiſſe ac *Schemnitii* vidi in metalli foſſoribus) ipſe cauſam Leucſovienſium ſtrumarum refert in aquas montanas limoſas, quales conterraneus quoque inde oriundus mihi teſtabatur, quod ahenea vaſa, in quibus alias aqua decoqui & pro variis utenſilibus abluendis prompta aſſervari ſolet, ſenſim ſenſimque calcaria limoſa materia incruſtentur. Verus quoque eſt rumor de Caſſovia teſte *Mollero*, *Raygero*, peregrinos paululum commorantes illic, febribus corripi non ſolum intermittentibus, ſed & continuis acutis, a quibus ſemel vel bis liberati dein immunes vivunt, cujus cauſam prior aëri jugiter nebuloſo & craſſo adſcribit cum crebro uſu vinorum generoſorum. Idem D. D. *Moller*

Neoſolii

Neoſolii quoque per totum annum frequentiſſimas febres graſſari dicit, in cerevisiam craſſam, crudam & ſaturatam, non minus aërem ex fumo carbonum, qui circa civitatem cremantur, & minerarum cupri exhalationibus, quæ illic torrentur & præparantur, infectum, culpam devolvens.

12. Artritis in ſuperiori Hungaria frequentius vaga infeſtat, quam fixa, ob vina generoſiora, minus tartari feracia, quæ nec doliis tartarum affigere ſolent, teſte *Mollero* & *Reimanno*. In inferiori vero Hungaria frequentius fixa obſervatur quam vaga, iisdem aſſerentibus, licet *Genſelius* utrasque frequentiſſimas eſſe dicat, deprehenduntur vero hic vina magis tartarea, monentibus *Mollero*, *Reimanno*, *Genſelio*, qui poſtremus omnia fere vina ibidem doliis tartarum affigere dicit, inque menſa effuſa maculam gypſeam & calcariam relinquere; (præter Sixſardienſia & Somlogenſia, quamvis nec hæc plane tartari expertia ſint.) Idem ipſe aſſerit poſt paroxyſmos ordinarie tophos illic relinqui. Cæteroquin in genere artritidem tam vagam quam fixam in comparatione cauſarum pro illis excitandis vulgo ſuppoſitarum ſatis raros affectus eſſe dicit in Hungaria *Mollerus*, infeſtantes ſubjecta ſanguinei & ſpongioſi corporis habitus, & utplurimum *Genſelio*, *Mollero*, *Raygero* obſervantibus circa æquinoctia dolorum faces ſuccedentes, licet *Mollerus* etiam tempeſtatibus humido frigidis, prægreſſo errore in diæta, vel animi paſſionibus, tragœdiam ſuam ordiri eas deprehenderit. Juniores artritis vaga, annoſiores, niſi hæreditarium ſit malum, podagra ut plurimum corripit, teſte *Mollero* & ex parte *Raygero*. In paroxiſmo Balſamum Carpaticum, *Krumbholtz-Oehl* Germanis nuncupatum, abſolute noxium obſervavit *Mollerus*, conſentientibus etiam *Genſelio* & *Raygero*.

13. Calculus tam renum, quam veſicæ non eſt adeo frequens in Hungaria, teſtibus *Mollero*, *Raygero*, quorum primus frequentiorem renum eſſe dicit præ veſicæ calculo, minus tamen familiaris calculus illis eſt, qui aqua vel cereviſia utuntur, bene vero qui vino meraciori indulgent, obſervante *Genſelio*, *Mollero*; Balſamum Carpaticum interne exaſperare magis calculum quam ex uſu eſſe ſolet, conſentientibus *Mollero*, *Genſelio*, *Raygero*, *Reimanno*. Cum nunc bis mentio facta ſit balſami Carpatici, pauca tamen, quod ſciam de eo apud authores proſtent (præter *Raygerum* enim ſeniorem in ſcholio ad obſ. 58. Spindleri, ubi pauca de eo exponit, & Miſc. Acad. N. C. Germ. D. I. Ann. II. obſ. 28. in ſcholio, ubi nomen fere tantum ejus habetur, nullibi recordor me quidquam de eo offendiſſe) non ingratum Benev. Lectori futurum ſpero, ſi quæ de eo ex patria accepi, communicavero, cum idem non ſolum per Hungariam magnis encomiis circumferatur, ſed Viennam usque D. REIMAN deportari ſcribat: Primo itaque

que ab amico D. *Georgio* BUCHOLTZ, Rectore Nagy-Palugyenſi communicata hæc ſunto; (quæ ipſius verba ſunt) Balſamum Hungaricum, vel etiam carpaticum dictum, oleum eſt deſtillatum ex ligno curvo, Germanis *Krumbholz* Schlavis *Kopotrewa* dicto, (de quo inferius plura) cujus rami viridiores præprimis in ſummitate glandulas habentes una cum foliis ſtuſtillatim diſſecantur, dein veſicæ, ſive ollæ deſtillatoriæ injiciuntur, atque aqua ſuperfuſa, oleum modo deſtillatorio extrahitur, quod aquæ ſupernatans ab eadem ſeparatur; aqua vero deſtillata loco balnei uſurpari poteſt, quod multos homines morbis inveteratis laborantes ſanitati priſtinæ certo reſtituit. Inventor olei illius erat Med. Doc. *Chriſtianus Auguſtinus* ab hortis *Ferdinandi III.* Imperatoris Medicus & aulæ familiaris, nec non Regiæ liberæque civit. *Keſmark* Archiater Ordinarius, qui circa annum 1640. Carpatum conſcendens, oleum hocce primus ibidem deſtillavit nemini ante hac cognitum. Idem dominus inventor dominæ novercæ meæ parens exſtitit, & a ſac. Cæſar. Reg. Majeſtate libertate nobilitari Hungarica (ſiquidem *Sileſius* Niſſa oriundus erat) gratioſe donatus eſt. Uſus internus, ſi pro doſi una 7. aut 9 plus minus guttulæ ſumantur pro ratione videlicet perſonæ, ejusque naturæ in liquore aliquo convenienti v. g. vino vel ſpiritu vini, rarius juſculo, mane jejuno ſtomacho, & veſperi 2. ad minimum poſt cœnam horis, eſt ſequens. 1. Obſtructiones hepatis & renum potenter aperit, & hypochondriacum malum arcet. 2. Impuritates ſanguinis ſine moleſtia per copioſas urinas & paucos ſudores e profundo etiam venenoſo genere elicit, alvumque levat. 3. Arenas & renum calculos confringit & pellit. 4. Menſtrua & hæmorrhoides movet. 5. Gonorhæam & catharros frigidos ſiſtit. 6. Dolores capitis inveteratos diſcutit. 7. Tuſſi etiam & inveteratis pectoris morbis, nominatim vero Phtyſi & ulceri pulmonum optime medetur. 8. Punctiones laterum internas ſedat, ſi interne 10. guttæ ſumantur, externe autem 20. gt. latera dolentia inungantur, calidisque linteamentis tegantur. Externus, 1. omnia vulnera recentia, ſi non nimis magna ſunt aut profunda, in ſpatio 24. horarum ſine ulla ſuppuratione & notabili cicatrice ſanat; majora vero vulnera intra triduum aut quatriduum, ſi ſolummodo aliquot guttulæ inſtillentur, debet vero linteum ceratum ad inſtar emplaſtri ſuper inponi, quo vulnus operiatur, alias oleum evaporat, virtutemque amitteret. 2. Scabiem in facie & capite infantum humidam intra triduum funditus exſiccat & tollit nullo relicto veſtigio aut cicatrice; item humiditates aliæ ex quibus proveniunt puſtulæ, ſacer ignis, ſcabies aliaque ulcera in facie, capite, vel pone aures intra 6. vel 7. dies tolluntur & ſanantur, ſi locus affectus oleo illo leniter tingatur. 3. Ulcera antiqua, ſerpentia ulterius & exedentia, qualia plerumque ſunt in cruribus per ſpatium

2. ſeptimanarum, ſi modo illinantur, linteumque ceratum ſuperinponatur ex fundamento ſanat, debent autem inungi loca infecta ter de die, mane videlicet, meridie ac veſperi. 4. Frigidis etiam fluxionibus, ſanguinis concreti retentionibus, tumoribusque, ex quibus plerumque paralyſis aut contracturæ nervorum diuturnæ oriuntur, ad miraculum tollendis efficax eſt, quæ omnia intra 2. plerumque ſeptimanas reſtituit. In ſumma, tam interne, quam externe ſine periculo contra multivarios morbos tanquam Panacea adhiberi poteſt: Unde oleum hoc ab Imper *Ferdinan. III.* qui virtutes ejus medicas, efficaciamque ſentiebat, Balſamis Hungaricus non immerito dictum eſt. Obſervandum autem, ut oleum illud purum aquiratur, nam comuniſſime adulterari ſolet per piceam, præſertim a Turocienſibus oleorum circumforaneis. Si velimus ne deſtillat, oleum cito amareſcat, ſed in ſuavitate ſua recentique ſapore & odore diutius conſervetur, recondendum eſt in locis opacis & frigidioribus, ſiccis tamen & non humidis. Tantum ille. Forte & mihi miſſum ex patria æſtivo tempore in itinere ſuavitatem ſuam exuit, & *Raygerus* ſimile olim deguſtavit, nam odore & ſapore meum (quantum recordor) oleum therebinthinæ æmulabatur, pariterque *D. Raygero* ſimile ſe præbuit, volatilius tamen nonnihil oleum therebinthinæ eſſe videbatur mihi. Præter nunc enarratas vires in alio germanico Mſc. mihi ab amicis tranſmiſſo celebratur ejus virtus etiam interne in ventriculi vitiis & febribus, externe in podagra, paralyticis & ſpaſmodicis affectibus. An vero undique encomiis ſuis par præced. interne virtus ejus deprehendatur, vel non niſi ſub certis conditionibus laudabilem aliquem uſum exhibeat, uti ratione poſterius ſuſpicor, ita ulteriori experientiæ commendo. Hoc ſcio celeb. D. D. *Schlevogt.* Prof. Jenenſem, Patronum Præceptorem & Hoſpitem olim meum debita ſemper obſervantia colendum quondam coram me mentionem injeciſſe, ſe feliciter olim balſamum hoc in exulceratione veſicæ interne fœminæ cuidam propinaſſe. D. *Mollerus* vero teſtatur externe in contractura, paralyſi & nervorum frigidis affectibus laudabilem præſtare efficaciam. Arboris jam ipſius, ex cujus ſummitatibus deſtillari ſolet hoc oleum habitus hic eſt, ex D. D. *Reiman* & *Bucholtzii* deſcriptione. Folia habet tenuia, rigida, gemina ſemper ab una vagina vel theca exeuntia, majora & longiora quam in abiete, incano virore nitentia; conos duriores magnos, ſub quorum ſquammis nuclei bini deliteſcunt; ramos (qui vel minimum læſi, reſinoſum quid plorant) prope terram circumcirca emittit aliquot ulnarum ſpatio protenſos, ita invicem contortos & complicatos, ut ſi accidat equum aut bovem inter eos incidere, non facile inde explicari queant, faciliusve crura frangant: quin & hominem ſupra eos tranſeuntem nimis circumſpectum eſſe oportet ne inter ramos & rupes incidens vel

col-

collum luxet, vel pedes frangat, creſcit in elevatioribus montium carpaticorum jugis inter rupes & ſaxa, omni anni tempore virens, ita ut inanimadvertenter deciduis vetuſtioribus nova protrudantur folia, altitudine ad orgyam, craſſitie vero ad ſesqui alteram ſpitamam teres aſſurgit: Unde quidem facile ſubſcribendum reor D. *Reimano* dicenti, lignum *Krumbholz* nihil aliud eſſe, quam pinum repentem, cam ſc. ſpeciem pini, quæ Mathiolo Mugho dicitur, cum is in herbar. ſuo germanice edito, & a *Joachimo Camerario* Ao. 1586. Francofurti recuſo in fol. non minus in commentario in dioſcorid. lib. VI. p. m. 78 huic ramos circumquaque a radice prodeuntes & humi repentes ſpatio cubitorum 10. 15. tribuat (cujus Dodonæus etiam in ſtirpium Hiſtor. Pemptadis VI. lib. V. cap. XII. meminit) & paulo prolixior hujus deſcriptio in Flora Norinb. a D. D. *Volckammero* tradita in omnibus ſuis circumſtantiis (ſi flores excipias, quorum non meminerunt D. *Reiman* & *Buchholtz*) cum deſcriptione ligni *Krumbholz* coincidat, virtutes etiam oleo pini in Miſcel. Ac. N. C. Ger. D. II. An. III obſ. 32. adſertæ hujus balſami viribus reſpondere videantur. D. *Raygerus* Senior loc. ſupra cit. arbitratur eſſe ſpeciem pinaſtri, quæ a Cluſio in hiſtoria Stirp. rariorum appellatur pinaſter pumilio auſtriacus, cum autem hiſtoria hæc mihi ad manum in præſens non ſit, benev. lectorem eo remitto. Datur & aliud oleum in Hungaria deſtillatum ex alia ſpecie pini, quod *Linbaum Oehl* vocant, ſed cum inſtituti ratio non ferat de eo hic prolixius differere, impræſentiarum tacebo.

14. Hæmorrhoides in Hungaria internæ æque ac externæ, tam fluentes quam cœcæ ſæpe obſervantur, teſte Genſelio, frequentius tamen internæ occurrunt quam externæ ſecundum Mollerum, qui vini generoſi & allii abuſum ſæpe fluxum earum concitare dicit; fluxus earum bene ſuccedentis utilitas & a pluribus morbis vindicatio, non minus ſuppreſſarum confectaria, ſc. diverſorum morborum incrementum vel ortus, eadem ratione ſeſe habent, uti in aliis regionibus teſte *Raygero*, *Mollero*, *Genſelio*. Notandum hic duco in Ephem. N. C. D. I. an. II. obſ. 28. D. *Joh. Paterſon Hain*, morbum quendam Hungaris familiarem tribuere, qui ſtrint ab ipſis vocetur, qui locus non mihi ſolum impoſuit, ut inter alias quæſtiones etiam de morbo ſtrint reſponſum exorarim a D. D. *Mollero*, *Raygero*, *Genſelio*, (neutri tamen horum quidquam ſive de nomine, ſive hiſtoria morbi conſtabat) ſed & viro celeb. D. *Frider.* HOFFMANNO, qui in Dec. ſelectiorum ſuarum Diſſert. Phyſ. Medic. Diſs. III. p. m. 102. Hungaris ex eodem loco morbum ſtrint adſcribit, poſt comparatas tamen ephemerides incidi in An. III. ejusdem Dec. ubi ſub finem annectitur annotatio ad obſ. 117. An. II. atque inter alia ſcribitur, prædictum D. *Hain* animadvertiſſe in

Qqqq 2 ſphal-

ſphalmata quædam ſuis obſervationibus An. II. Eph. Germ. inſertis illapſa, monendo loco *Cremer*, legendum eſſe *Czemer*, & pro ſtrint legendum *Szül*; verum ne ſic quidem ab omni errore Typograph. vindicatæ ſunt hæ voces, nam loco *Czemer*, ſcribendum *Cſemer*, de quo diſſertatio; loco *Szül* vero, süly: Uti autem *Szül* Hungaris, quantum mihi conſtat nullum morbum ſignificat, nec in Diction. Hung. D. *Papai* vocem hanc inveni, ita ex adverſo per ſüly frequenter hæmorrhoides indigitant. Sic D. *Papai* in tract. ſuo medico patria lingua ſcripto & pax corporis intitulato hæmorrhoides externas vocat Rülio Süly: internas Belſo Süly: cæcas, Dagado Süly: fluentes, Folgo Süly.

Tantum, in præſens.

CCLXII.

CCLXII.

MARIANI SEGUER,

SCHEDULA MONITORIA

DE

JUSCULO PULLI LIENTERIÆ SPECIFICO.

Valentiæ.

§. I.

PULLUM eviſcera, ipſique adde roſarum ſiccarum unciam unam, vel ſiccarum, & balauſiarum ana unciam ſemiſſem, in medio roſarum adde pulveris infra notandi, pro adulto tres dragmas, duas pro puero grandiori, infante, vel minoris ætatis etiam: conſuatur ſurſum, & deorſum pullus, ne inter coquendum, roſæ elabantur, quoque pullum in ſcutelis duodecim aquæ ad conſumptionem duarum, vel in ſcutelis quindecim ad eandem conſumptionem, pro adulto in decem & octo, ad decem & ſex ſcutelas, quæ contineant aquæ uncias decem ſingulæ: & conſerva juſculum calidum, ſine ebullitione ulteriori, immitendo ollam in aqua calida igni admota.

§. II.

USUS.

De hoc juſculo capiat æger ſcutelam unam quam primum, ſingulis binis horis repetendam, præmiſſa inunctione ad os ventriculi cum unguento comiteſſæ vel balſamo catholico, aliove roborante, ſuperimpoſito cataplaſmate, ex mica panis facto cum vino, in quo decocta ſint abſinthium, mentha, roſæ ſiccæ, & balauſticæ, eaque repetantur ſingulis binis horis, & juſculum exhibeatur. Si dormiat patiens a ſomno excitetur, & juſculum, inunctio, & cataplaſma repetantur, idque continuetur donec abſumpta ſit tota juſculi quantitas, nullo alio interpoſito juſculo Gallinæ; quod ſi lientericus debilis admodum ſit, prop-

ter prægreſſam nimis evacuationem, nihil impedit, ut in cocleari binc hujus juſculi confectionis alchermes completæ, vel incompletæ, prout neceſſitas urgeat, dragma ſemis propinetur, admotis etiam exterioribus roborantibus naribus, ut in his caſibus fieri ſolet. Quod ſi, aſſumpta tota decocti quantitate, lienteria perſiſtat, repetatur iterum neceſſum eſt, eodem ordine propoſito. Nec mirum videatur, quod æger à ſomno excitetur ſingulis binis horis, pro decocto capiendo; nam ſomnus frequentiſſime decoctum inſequens, non à remedio narcotico, & opiato admixto provenit, ſed a mirabili, naturæque amica juſculi bonitate: unde ſpes conciliandi iterum ſomnum, novo juſculo, provocat, & movet, ut æger à ſomno excitetur novo juſculo conciliaturo. Quamquam fere omnes practici oppoſitum ſentiant, innixi proloquio illo vero: quod ſomnus omnes excretiones moderatur præter ſanguinis, & ſudoris; totum hoc comprobante experientia, quæ optima eſt Magiſtra, & ubique, quavis humana auctoritate ſepoſita, ſequenda.

Hac methodo non tantum fera illa ſitis, qua lienterici torquentur, ſine potus ſolamine mitigatur, ſed ſubſequentibus una, vel altera alvi egeſtione, lienteria ceſſat, ægerque frequentiſſime convaleſcit. Peracto juſculi uſu, ſemel, aut bis, pro ut opus fuerit, juſculum primum Gallinæ capiat.

§. III.

QUIBUS CONVENIAT.

In diarrhœa cruda, & lienteria præcipue, in quibus ventriculi, & inteſtinorum fibræ criſpatæ ſunt, aut levi inflammatione tenentur a catharro: vide Boerhaave *Praxim Medicam*, *part.* 3. *pag.* 350. qui omnium melius de diarrhœa ſcripſit, divinum fere medicamen exiſtit: item quando ab humoribus acribus fibrillas ſtimulantibus ad expulſionem, quod ex ingenti ſiti, & aliquali dolore ventriculi cognoſcitur, ut optime notat Gallorum Hippocrates Duretus ſuper Hollerii Praxim *in adnotatione*, *pag.* 340. editionis in quarto: ſi autem diarrhœa cruda, & lienteria ab humoribus frigidis, ſolaque inteſtinorum laxitate, ſive ab aphtis ventriculi, & inteſtinorum, vel hectica harum partium intemperie proveniat; ſubſequantur ut febrem hecticam confirmatam, vel pthiſim, aliumve immedicabilem morbum. his in caſibus, poterit juſculum pulli evacuationem aliquatenus minorare, inducias ferre, at curationem conciliare nequit: diarrhœis ſeroſis, bilioſis, quoniam his in caſibus acrimonia dominatur, medetur, etiam ſi febris adſit.

§. IV.

Illud ſedulo notandum velim, ne pulli decoctum exhibeatur in dejectionibus liquidis quidem, ſed cinericeis omnino, & crudo lixivio tam germanas, & ſimiles, quam lac lacti; quas ex obſervatione Caroli Piſonis notavimus in declinatione febrium intermittentium, & continuarum; quaſi hæ dejectiones lientericæ ſint, cum ſalutares, & criticæ, & minime cohibendæ haberi debeant. Vide laudatum eximium practicum, *de colluvie ſeroſa*, *pag.* 265. editione Lugduni Batavorum, curante Boerhaave jam denato. Si poſt ſecundum, vel tertium juſculum æger dormiat, ſitis remittat, etiam ſi una, vel altera evacuatio ſubſequatur, continuato juſculi uſu, frequentiſſime convaleſcit æger, ut pluries vidimus.

§. V.

METHODI PROBATIO.

Cum nihil magis ægrotantes diarrhœa, vel lienteria noceat, quam multis ingurgitari cibis, juſculiſque pinguibus, ut ſolide practici docent inſequendo Græcorum dogmata, non timui juſculum pulli ad praxim deducere, ſtipulante experientia; deinde quia Sennertus *tom.* 3. *de Lienteria*, *pag.* 441. ait: *Cibus ſit paucus*, *& æger inediam quantum poteſt ferat.* Paulus Sorbait *cap. de colera*, *& lienteria*, *pag.* 136. ſuæ Praxis, ſecundæ editionis, ait: *Cibus ſit paucus*, *concoctu facilis*, *gratus*, *& aſtringens*, *ne materiæ quantitas gravet*, *& corrumpatur*: *hinc etiam ab Avicena omnino prohibetur*, *& ejus loco rerum fragantium jucundi odores*, *recreandis viribus aptiſſimi*, *ſubſtituuntur.* His innixus rationibus: puellum decem menſium febre, & lienteria laborantem, lac ſine ulla mutatione tandem per alvum vacuantem, ſiti maxima, ut vix mater fœmina robuſta, beneque cibata lactationi ſufficeret, methodo uſitata, ex roborantibus, abſorbentibus, nitroſis, juxta Harris methodum (quæ mihi in morbis puerorum curandis inſtar omnium eſt) nihil præſtare potui; ſed puellum fere funeri deſtinatum jam, decocto pulli ſingulis binis horis, laudata methodo, propinato, quamquam lac ſuggeret, liberavi.

VI.

PULVIS PRO JUSCULO PULLI.

Ad compoſitionem pulveris quod attinet, vere artificioſam eſſe, & indicationes quæ, §. III. recenſentur adimplere experientia conſtat, ipſaque

ipſaque manifeſtabit juſculum pulli, palvere adjuncto, remedium eſſe eximium. Unica eſt ejus præparatio, quæ feliciter adhibetur, non ab extero homine communicata, ſed ex manuſcripto codice *Ludovici Collado* Medici Valentini anno 1570. celeberrimi deſumpta, & noſtris temporibus ad praxim tuto deducta (de cujus erga rempublicam medicam meritis, & practica felicitate vide Mangetum *in Bibl. Ill. Medicorum*, *tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 100. Rodriguezium *in Bibl. Valentina*, *pag.*297. *col.* 1. notitias noſtras Medicorum Hiſpan.in ſupplem. ad Bibl. Manget. edendas) hæc à nobis aliquatenus aucta juxta *Stahlii*; praxim decoctum pulli conſtituit adimplens mentem Hippocratis *6. Aphor. ſent.* 1. & *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 2. *ſent.* 22 & *Valeſii* commentatoris ſententiæ maximi. Sapienti ſat!

VII.

Nec mihi grave foret utramque pulveris compoſitionem manifeſtare, juſtis tamen de cauſis, ſilentio prætereo, contentus unice juſculi pulli efficaciam à priori demonſtraſſe. Si autem lector benevolus velit pulveris, quo ego utor, pro decocto pulli, doſes aliquas petat, remittentur enim continuo. *Troch. Ramich.*

VIII.

Quomodo juſculum pulli operetur, ſive temperando acres humores, ſive roborando ſolida, fugata criſpatura, inductaque blanda laxitate in ventriculo, & inteſtinis, ſive id eveniat ratione juſculi diluentis, ſive ratione pulveris roborantis, & tonum viſceribus reſtituentis, nondum ariolari poſſum? Denique ſi in pueris, aliiſque abdominis intumeſcentiam uſus juſculi pulli creet, aut urina parcè fluat, ſilente alvo, juſculi beneficio: tunc hæ partes oleo abſinthi, & bacarum lauri inungantur, vel oleis ſcorpionum ſimplici, violarum, & lumbricorum, ſic urina provocabitur, & fugabitur abdominis intumeſcentia.

EPILOGUS.

Dixi, Schedula hac, quæ alii ſanctiori ſilentii peplo, & in arcanis involvenda ſenſerent, eoque magis, quod hæc talia, non ludendo, ſed attenta ſagaci, & multiplici obſervatione didici, practicorumque lectione aſſidua. Aſt plus apud nos obtinet Dei Optimi maximi, quam reſpiſcimus, & devote veneramur gloria, praximique ſalus, quam quorundam elumbium numerorum cupiditas. Rogo autem lectorem, ut ſequentia ſerio penſitet, & valeat.

CCLXII.

CCLXII.

MOUNSON SMITH,

DE COLICA

APUD INCOLAS CARIBIENSES ENDEMIA.

Leid. 1717.

QUotidiana rerum experientia abunde confirmatum eſt : pro diverſa civitatum regionumque poſitura , pro variorum motu ventorum , aquarum natura , conſuetudine , proque multiplice annorum indole , ſive propter vapores e terra exhalatos , ſive aſtrorum imperium , ſive tandem propter quamcunque aliam cauſam mortalibus penitus inſcrutabilem , inducta ; abunde , inquimus , confirmatum eſt , morbos quoſdam (juxta divinum ſenem τοὺς ἐπιχωρίους) exoriri , hanc vel illam regionem vel civitatem occupantes , translatos autem in peregrina loca plerumque , pro more plantarum , minus - floreſcere ; vel exoleſcere omnino.

Nemini non innoteſcit , Regiones , Bataviam , Cimbricam Cherſoneſum , Sueciam , Norvegiam ſcorbuto eſſe maxime opportunas ; Indos lue venerea , Poloniam plica , Britannos rachitide , Americanos inter Caribas permanentes colica familiariſſime corripi : de quo morbo diſcertatiunculam hanc, quantum in nobis eſt exaravimus , præ academiæ auctoritate hujuſce , quæ propter ſitum loci , ſtudiis commodiſſimum , & indefeſſos tyronum labores , qui medicinæ diſciplinam perinde ex oraculo quaſi promulgatam ſemper audiunt , ſummo cum fructu & delectamento ad tantæ inſtar magnitudinis emicuit , ut hodie ſit facile princeps omnium ; præ auctoritate , inquimus , academiæ hujuſce , quæ inſtituta conſeruit , ut , qui auguſtum Doctoratus honorem ambiturus ſit , inaugurale opuſculum conſcribat , ut literatis liquido pateat , quantum in Re medicinæ publica ipſe . profecerit.

Morborum inſultu multifariam periclitantur organa τῇ ἐπεργασίᾳ τῆς τροφῆς inſervientia , (quæ apud Hippocratem dicuntur αἱ νηδύες αἱ τὸν σῖτον δεχόμεναι καὶ ἀφιεῖσαι) ſcilicet ventriculus & inteſtinalis fiſtula : quos morbos frequentia & magnitudine τῶν συμπτωμάτων longe exuperat , ſaltem æquat colica.

Morbus hic, ut nobis videtur, eſt ſingularis humorum immutatio, qui per arterias meſaraicas delati, ſecretique ex glandulis, poſtquam eo ferocitatis & pravitatis perventum ſit, ut ideo morbi cujuſdam forma propriis ſymptomatibus inſignita induatur, prædicta organa impete aggrediuntur.

Quoad autem inter ſe diſcrepant cauſæ hujuſce immutationis humorum, acute vel chronice ingruit colica: primo loco ſcilicet, ubi peractis ſummo cum diſcrimine decurſibus ſub breviſſimum temporis intervallum, mors vel vita adjudicatur; altero autem, ubi cauſæ peccanti Πέψις multo tardius nec cum eo periculo, vel nunquam perficitur.

Qui de colico morbo, quoad chronico ſcripſere, eum in plures claſſes, arthriticam, nephriticam, hyſtericam, bilioſam ſcilicet &c. diſcriminavere.

Prætermiſſis hiſce autem, morbum ſuprà propoſitum, qui ſcilicet in florem juventutis Americanorum in novo orbe inter caribas exoriundorum graſſatur maxime, ſolummodo diſcutiemus.

Quapropter τῶν συμπτωμάτων ſeriem, medendique rationem proponere ſtat nobis ſententia.

Morbo incipiente jam, tum demum choream ducunt τὰ συμπτώματα. Virtute ſtomachi pereunte, a cibo cujuſcunque generis abhorret animus; ſuppreſſa alvo per plures dies præegreſſas, laborat ægrotus; ructibus & plerumque inani d a eructandum conatu, eluſa ſpe, infeſtatur Si quid excrementorum prodeat, parcum quid eſt, haud ſine lucta ingente, & inſtar ſtercoris ovini. Umbilicali regioni infixus hæret dolor obtuſus, magis pro conſtantia quam vehementia, id temporis terribilis. Hinc æger, quo melius inquietudinem conſopiat, Compotorum frequentiam anxie conſectatur, verum tamen inter eos, mœſtum, melancholicum, cogitabundumque vultum præ ſe fert, hilaritatem aliquando ſimulat, invita tamen minerva. Domi ſuæ ſemper ſtudet inebriationi, ineffrænata cupiditate præcipitatus; poſthabitis amicorum conſiliis, & ſua ipſius ratione. Et etiam fœminæ (qualis qualis cauſa ſit, ut hunc in morbum incidant) in eodem verſantur errore; quibus uſu poculorum inebriantium interdicunt qua modeſtia, qua calida cœlorum inclementia. Res ita quum ſint, aſtanti medico integrum erit, fœdam malorum tempeſtatem audacter prædicere.

Dum morbus magis magisque gliſcit, mirum in modum torquetur æger, inter reſpirandum ſummo laborans opere, erecto corpore incedere impotens; intumeſcit abdomen; maxime tum, cum veſperaſcit. Nunc obtuſus ille dolor umbilicalem regionem vehementer perterebrat. Quicquid in ventriculum ingeritur cibi, potusve (niſi ſpiritus fortis ſit) extemplo vomitione (quæ alias etiam ſpontanea eſt, nunc pituitoſa, nunc bilioſa, pro peccantis materiei indole) expellitur.

Plerum-

Plerumque Medico ſciſcitanti confitetur æger, ſentire ſe frigus circa ſuperius ventriculi orificium, inter vomendum. Si morbus ab ægro ſæpius toleratus fuerit, & cum eo conſuetudinem quaſi familiariſſime habuerit, tum alvo laxata, viridiſcentes fæces frequenter effluunt, nec proſunt.

Obiter tamen notandum eſt, quoſdam, qui ab hoc malo olim convaluerant, licet prædicta ſymptomata uſitatius tumultuari occupent, ut ſupra dictum eſt, nec opinato opprimi, dum inter ſocios ſub dio pergræcantur, torminibus abdominis ſubito ingruentibus; veriſimiliter hac ratione; quoniam ſcilicet morbificus fomes, in ſanguinis gremio deliteſcens, haud ſatis adhuc copioſus, at tandem ob calidos ſuccos in ſanguinem tranſmiſſos excitatus, accenſis quaſi flammis, ſine mora ad organa τῆ ἐπεργασία τῆς τροφῆς deſtinata determinatur, & imprimis in eam inteſtinalis fiſtulæ portiunculam (cui ab anatomicis nomen Κῶλον inditum fuit) quippe quæ ex textura & officiis magis ſit huic malo opportuna ubi dolor intenditur. Quandoquidem à natura ita comparatum eſt, ut inteſtina neceſſariis chyli ex ventriculò delapſi, non ſatis adhuc comminuti, ulterius comminuendi propellendique per chyliferorum orificia vaſorum, fungantur officiis, & deinde fæces, ſubtilioribus intra lactea vaſa, & lymphatica abſorptis particulis, in craſſiora inteſtina tranſmittantur, contingit, ut Κῶλον acceptas partes ſpiſſiores, ob curvatam ſuam longitudinem, diu moretur, hinc Κῶλον glandulis quaquaverum diſperſis donatur, quæ humorem ſecernant, ad vias humectatas lubricasque reddendas, quo facilius fæces ob molem accumulatam moleſtæ jam, e corpore protrudantur: quod ſi, deficiente hacce humectatione, ob calorem inſitum indureſcant fæces, adeoque ad motum minus aptæ reddantur, ob novum materiei fæculentæ à tergo ſubſequentis appulſum, ſenſiles, vehementer diſtenſæ lancinantur divellunturque membranæ. Quin etiam flatus elaſticus, qui tunc temporis maxime παροξύνει, ob denegatum exitum, malum adauget.

Sed ut ad rem redeamus. Febri aliquoties laborat æger. Pulſus eſt velox & plenus (pro ſanguinis & virium copia) præ ſummo dolore incitatus. Urina eſt ruberrima, ad nigrum uſque colorem fere vergens, lateritio ſedimento in vaſis fundo ſtipata.

Mehercule animadverſo poſtremo hocce ſigno, non modo morbus ὁ ἐπιχώριος eſſe dignoſcitur, ſed diuturnitas etiam τῶν συμπτωμάτων præmonſtratur.

Linguam cruſta obducit ſquallоſa, ſpiſſa & ſubflava, aliquando albida.

Ægrotantis unum vel utrumque teſticulum dolor ſemper adoritur acutiſſimus, contrahitque; id quod divinus ſenex, in libro ſuo de internis affectionibus, ubi ſymptomata craſſis morbis, ita dictis, incidentia eleganter depingit, jam pridem notaverat hiſce verbis, καὶ αἱ σάρκες πάλλοντας ὑπὸ τῆς αλγηδόνος, καὶ οἱ ὄρχεις ἕλκονται.

Quanquam, inter atrociſſimos hujuſce morbi παροξύσμους dolor, qui fortiſſimos ſtoïcorum animos facillime conficeret, adeo ſævit, ut ægrotus per plures dies noctesque incredibiliter invigilarit, intacta tamen vita vires & muſculoſas corporis partes ſolummodo exhaurit.

Hinc licet inter morbum hunc, & bilioſam, hyſtericamque colicam à nunquam ſatis laudando Viro *Sydenhamio* deſcriptam, aliqua intercedat ſimilitudo, hac autem in re diſcrepant potiſſimum, quod colica à nobis depicta τήν μετάστασιν τήν παραλυτικήν facillime patiatur, vel ex ſymptomatum indole, ſponte exacerbeſcentium, vel ex enormi medici opera, vel ex ægrotantis impotentia. Hiſce modis aliæ colicarum ſpecies, quæ in cæteras regiones indiſcriminatim, ſub autumnum, pervagantur, hujuſce naturam & indolem induunt.

Diuturnam colicam excipit ſubflavus cutis color, nec raro podagra optabilior.

Ex quo tempore παράλυσις imminet, brachia, femora & crura ad motum inhabilia ſunt, torpore obſeſſa ſupervenit Raucedo.

Hæc ſymptomata quum indies præ doloris vehementia & virium jactura peſſum eant, tum laxa muſculorum, membris inſervientium, immobilitas derepente obrepit, & ſi malum dudum invaluerit, æger ἀπὸ τῆς διαῤῥοίας tabeſcit; cui demum perit vox. Sic demum truncus corporis in lecto ſupinus procumbit, ad luteæ inſtar maſſæ, in humanam icunculam ſubactæ, cui vitam ineſſe, tantummodo indicant motus thoracis, jactatio oculorum, pulſuſque debiliſſimus.

Forte fortuna contigit, id quod noſtræ obſervationi occurrit, ut, qui motum membrorum, ob damnoſam medici operam olim deperditum recuperaverat, licet præcedente nocte lectum petiiſſet, præterquam quod dolerent teſticuli, cætera ſanus, mane expergefactus in paralyſin nullo modo expugnabilem inciderit.

Si muſculus, qui volam conſtituit, gracilis interea maneat, dum cæteræ partes trunci nutriuntur muſculoſæ, de membrorum ſanitate conclamatum eſt.

Opifices, qui argentum vivum, æs, plumbum, tractant; quique ſunt coctiliarii, prius de alvi duritie per plures dies prægreſſa, de nauſea, de inteſtinorum torminibus, conqueruntur, vomitionibus laborant; & tum demum paralyſi obruuntur membra; hæc ex ipſis operariis, in celeberrimo ſancti *Thomæ Noſocomio* Londinenſi Valetudinariis, non ita pridem noſmet audieramus.

Poſtquam colicæ obſidione liberatus fuiſſet æger, obtuſa tamen gravitas lumbos ventremque occupat, juxta ac ſi fuſti fuiſſet dolatus, ſenſu excoriationis circa cardiacam perſtringitur, ut ne ſorbitiones quidem ſine anxietate quadam deglutire poſſit; paucis autem diebus intervenientibus, pro recuperatæ ſanitatis ratione, labores hi evaneſcunt.

Si

Si quis ſarcinato corpore vel ſanguineo colore, temulentia humores ſuos nimis calefecit, & ideo colica correptus, naturæ debitum derepente reddidit; diſſecto cadavere; inflammationis ſpeciem exhibent inteſtina; hujuſce rei conſcius Medicus, ſi dolore colicæ peſſundato, eo quod pharmaca pertinaciſſime obtruſiſſet, ægrotanti mortem intulerit, intrepide in aſtantium conſpectu, quo melius exiſtimationi ſuæ caveatur, pronunciat inflammatis viſceribus perniciem acceptam referendam eſſe. Sic ſalva res eſt.

Qui rem autem animo accurate contempletur, idem capillo nigriore medicum certe ſignaturus. Quippe ſanguineorum vaſorum diametri tunc temporis vehementer, ob ſummum illum dolorem, contrahuntur, & materies elaſtica in motum excitata ob calorem & denegatum exitum, horum vaſorum latera arctiſſime premit, ideoque curſu ſanguinis clauſo & impedito, viſcera inflammantur. Hinc propter dolorem, minime quidem ob jactatam, neſcio quam, malignitatem inflammationis, quæ anxietatem præeuntem revera conſequitur, enecari videntur ægri.

Quoties hoc modo confecti homines oculis noſtris occurrerunt? Quoties præ hiſce fabulis, medicos impune evaſiſſe cognovimus?

Abdomen, imo perſæpe univerſum corpus eorum, qui ita commoriuntur, incredibiliter intumeſcit, contracta nigredine, nec ſine fœtore.

Affectionibus colicæ accurate perpenſis, nobis viderur aſſignanda τῇ ἀπεψίᾳ culpa. Hinc exoritur chyli ineptitudo in naturalem ſanguinis indolem tranſeundi. Hinc quicquid ex glandulis ſecernitur, depravatur. Τῇ ἀπεψίᾳ anſam præbet nimia ciborum acri materie abundantium ingurgitatio, quæ materies virtute ventriculi non debite ſubacta, ſanguini communicata & per arterias meſeraicas in rigoſas inteſtinorum plicas delata, membranam nervoſam lancinat.

Secundo nimium temulentiæ & pergræcationis etiam. Tertio, ſubita calefacti corporis in frigido aere expoſitio, unde, quæ per cutaneas glandulas tranſpirare debuerant, intra corpus præcluſa, in vaſa lymphatica reſorpta, in maſſa ſanguinea tumultuantur.

Quarto venerei concubitus frequentia.

Quinto continua vel intermittens febris prægreſſa & male tractata.

Omnia hæc, vel quædam conjuncta, in unam eandemque rem conſpirant; unde factum eſt, ut ventriculi virtus debilitetur. Inde pro ſanguinis vitio & proclivitate regionis (quæ eſt cœlorum inclementia) ad procreandum hunc morbum ſingulari, ad organa τῇ πέψει inſervientia cum propriis ſymptomatibus determinatur peccans materies.

Medicus-fidius à veritate haud quaquam abhorret hæc ſententia,

 nimirum

nimirum pergræcari & ultra modum ſcortari, hujuſce morbi cauſas eſſe longe omnium uſitatiores, potentioresque.

Inebriatio enim, aquoſioribus ſanguinis particulis diſſipatis, lentum, viſcidum pituoſumque quid, tunicis ventriculi & inteſtinorum impactum, ad vim inferendam paratum, cauſa emergente, generat.

Sic ampliſſimus Vir SYDENHAMIUS, dum de Podagræ ortu, & multorum aliorum, qui chronice ingruunt, morborum origine eleganter diſputat, τῆ ἀπεψίαν acriter incuſat, ediſſeritque, quibus modis depravata hæcce coctio in homines obrepat, ipſiſſimis verbis: „ neque tamen dicta voracitas & liberalior ciborum ingeſtio ita fre- „ quenter (licet id haud raro contigerit) podagræ via ſtravit, „ ac veſana & immoderatior vini compotatio; unde fermenta „ coctionibus variis dicata penitus proſternuntur, præcipitan- „ tur ipſæ coctiones. Pergit idem, quamvis enim calorem aliqualem in „ tranſitu impertiat, certiſſimum eſt tamen, fermenta corporis ab eo „ ſubjugari, & avocari ſpiritus naturales atque fugari: unde eſt, ſi „ bene conjicio, quod bibaces atque nepotes iſti male feriati, podagra, „ paralyſi, hydrope, aliiſque morbis frigidis fere perimuntur, adde quod „ jugis & immodica vini ingurgitatio corporis ad inſtar corporum fœ- „ minarum emollit laxatque; perſtat idem adhuc nimium veneris u- „ ſum redarguere: in iſtis enim, qui huic morbo ſunt obnoxii, cum „ jam vel ætate fuerint confecti, vel in effrænata morum licentia ſe- „ nectutem accerſſiverint, ſpiritus animales per totum corpus deficiunt, „ immodico functionum in juventutis calore vegetiſſimarum exercitio „ conſumpti, verbi gratia, præpropero nimioque veneris uſu". Hæc ille.

Enimvero ex nimia veneris frequentia coctionem læſam eſſe innuit Hippocrates, hiſce Aphoriſmis. Παῖς οὐ ποδαγρᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ. Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν. Hoc eſt, podagra ſpecies morborum chronicorum cum ſit, quia ἀπὸ τῆς ἀπεψίας dependet, qui venere uſi non ſint, iiſdem nihil eſt ab hoc malo periculi. In uſu veneris, procuidubio & a teneris annis, fit totius naturæ commotio, ut vires tum enerventur potiſſimum, & partes ſanguinis ſubtiliſſimæ & maxime oleoſæ exhauriantur.

Unde morbus hicce, de quo expatiamur, juvenes a vigeſimo primo ad trigeſimum annum natos frequenter opprimit, utpote qui ſanguine vegetiſſimo incaleſcentes, impotentes tamen ferocem animi libidinem cohibere, ſe ipſi penitus dederint coitioni, & præſertim cum fœminis africanis: nec tamen hoc nobis aſſumemus hujuſce affectionis cauſam effluviis relegare, quæ ex earum corporibus exhalata inter coeundum, intra reſorbentes maris venulas excepta, ſanguini Europæorum ſint adeo inimica: de hac re diſputent homines cordati: pro certo autem habendum eſt, juvenes iſtos, qui cum iis fœminis rem habeant, in morbum hunc frequentius incidere.

Quaſi

Quaſi vero lineas curationi præducamus; hæc tria ſub conſiderationem venire debent.

Imprimis dolor impræſentiarum conſopiendus eſt.

Iterum fæces ſunt amoliendæ, glutinoſa materie tunicis ventriculi & inteſtinorum adhæreſente, hoſpitio tanquam ejecta.

Tertio ἡ πέψις adjuvanda, & ſanguis corroborandus eſt, quo melius tranſmiſſum chylum in naturam ſuam ſubigat.

Jam autem, ut primo ſatisfaciamus ſcopo, medicamenta, quæ torporem inducunt, τά ναρκωτικά dicta, & quæ acrimoniam incarcerant, propinamus.

Mehercule, quemodmodum incredibile detrimentum cepiſſet res medicinæ publica, Meconio utendi facultas ſi fuiſſet nulla; quippe quod periculoſiſſima ſymptomata à dolore provenientia adeo efficaciter averruncet, quæ aliter cæteris pharmacis, hodie cognitis, minime ceſſiſſent, ita vis Meconii inconſulto adminiſtrati longe omnium teterrima; adeoque æque hoc in morbo, ac in cæteris, occaſiones meconii propinandi ſunt apprime perpendendæ; quippe non raro contingit, ut ex una parte vehemens doloris tortura, quæ omnem animi conſtantiam ſecus ſuperaret, Meconii exhibitionem enixe efflagitet, ex altera autem parte diſſuadeant & laxatio fibrarum muſculoſarum, imprimis artuum, & facilis παραλύσεως ſucceſſio; adeo ut timiditate fluctuans doſim propinet minorem, quam dolori ſubjugando par ſit; æquo autem largiorem alter medicus, temeritate adactus: unde opera ſua τήν παράλυσιν accerſit, viam adverſæ ſternit valetudini, hujuſce morbi periculo in futurum peropportunæ. In ſcopulum hunc ſanatio fere impingitur. Adeo concinne dixit Poeta:

Incidit in ſyllam, qui vult vitare Charibdin.

Nec cenſorium eorum, qui ægro interſunt, ſupercilium ita facile ſecus evitarent Empirici iſti (qui, digniſſimo medicorum nomine ſibi ipſis vindicato, medicinam quo jure, quave injuria factitant) niſi quod vulgus exiſtimet, omnia mala accepta naturæ morbi eſſe referenda.

Vult populus decipi, decipiatur.

Hi, revera homicidæ, obſtrepunt, qui ſecus ſine Meconio mortalibus divinitus conceſſo, larga doſi repetitaque exhibito, huic morbo obſiſteretur? Quis ægrotantis querelas ſufferret miſerrimas? Nonne nobis arridet maxime Clariſſimus *Sydenhamius?* "Nec unquam, inquit, „ mihi contigit, dolores vehementiores ſedare poſſe, niſi doſi narcotico- „ rum largiori & reiterata; quæ enim alteri malo par eſſet debellando, ab

„ ab hoc vincitur, violentia doloris remedii vires frangente: Tutiſſime „ autem repetuntur narcotica, urgente hujuſmodi dolore. Hæc ille.

Nobis autem affulgeret ſpes, fore, ut horum inſcitia audaciaque refutentur, niſi quod, juxta Poëtam,

. . . Hos
Defendant numeri, junctaque umbone Phalanges.

Operæ quidem pretium eſt, pauliſper animadvertere, prudentem illum virum, aëre Anglicano, de colica bilioſa ſcripſiſſe; ubi id periculi non eſt à Paralyſi, cui ut obviam eat in colica noſtra, enixe laborare debebit medicus ingenio virtuteque pollens. Ea de cauſa ne, qui hunc morbum aggreditur, duplice incommodo opprimatur, ne ſcilicet, minore doſi τῶν ναρκωτικῶν exhibita, quies deſiderata minime concilietur; vel auctiore doſi, ægrotus in τῆς παραλυσεως diſcrimen abducatur, nobismet quidem arbitramur præſtare; doſim uno tempore ſuppeditare eam, cujus vires ſtatim dolori compeſcendo ſint omnino pares, & doſim dimidiatam reiterare eandem, ea intercapedine interjecta; ut alteri jamjam perituræ ſuccurrat: quo facto res pro votis melius ſuccedet, præcipue ſi medicamenta, abſorbentia dicta, quæ, ſpatiis datorum narcoticorum interpoſitis, oportet adminiſtrentur, acrimoniam humorum in primis viis graſſantium interim infringant: & hoc eſt alterum illud remedium, quod ad primum ſcopum attingendum ſatis duximus.

Sed ut, Candide Lector, rem penitius percipias, exemplum in medium proferamus. Si ſub primum introitum videas, ægrotantis vires ſpontanearum vomitionum & doloris paroxyſmo exhauſtas debellataſque eſſe, & omnia tumultuari, æquum eſt, ut æger, interpoſita mora nulla, refocilletur cardiaco, quod explent viginti guttæ alicujus narcotici liquidi, exempli gratia, laudani Sydenhamii, & uncia una & ſemis aquæ cinnamomi fortis cum duabus aut tribus unciis aquæ lactis alexiterii, cum uncia una ſyrupi caryophillorum ſimul commixtis; repetatur dimidiata hæcce doſis alternis horis, vel citius pro re nata; interim tertia quaque hora interjecta, capiat pulveris ſequentis ſcrupulos duos, uſque dum dolores certiſſime comminuantur, id quod plerumque fit cis viginti horas.

℞. *Sal. abſyn. ſperm. ceti ana gr. X.*
Pulv. e chel. cancr. ℈j, *miſceatur.*
Pulvis, ex paucis cocl. juſculi calidi ſumendus.

Quod ſi ſit, cur aſſumpti pulveris expulſionem metuas, ob continuam ad evomendum proclivitatem ſatius ducimus, pulverem eundem cum cardiaco

cardiaco commixtum exhibere. Jam autem ex variis opii præparandi modis, nobis cordi eſt Joneſii Panacea, quæ hunc in modum paratur. Digeratur una opii puriſſimi portiuncula in triplicata aquæ pluvialis diſtillatæ parte per triduum: tum trajiciatur digeſtum per filtrum: quo facto, ab omni vitio efficaciſſimæ virtutes hujuſce remedii defenduntur, cujus maximam doſin nefas eſt quadraginta guttas ſemel datas exuperare: quin etiam, liquida præparatio hæcce cum ſit, cum qualibet compoſitionis formula; cum hauſtu, vel bolo ſcilicet, commiſcetur facilius. Sed ut eo, unde digreſſi ſumus revertamur.

Ni curationem ita moliamur, fieri haud poteſt, quin in malum ante dictum noſmet ipſi impingamur; quippe atrocitas dolorum (ad lacerationis inſtar caninæ) copiam narcoticorum auctiorem, reiteratamque impenſe efflagitat, unde propediem ingens fibrarum laxitas indubitanter ſubſequetur, cum multo ſudore, à quo ut caveatur, præclarius ille *Baglivius*, hiſce verbis utitur; "In colica, inquit, pertinace ſi ſudor copioſus & univerſalis ſuperveniat labefactis & reſolutis viribus, brevi paralyſin expectato; cave igitur ne opiata copioſius in ea exhibeas.

Hanc medendi rationem clare percipiet, qui τῆς Θεραπείας veſtibulum tranſiturus eſt, longe aliis antecellere: nimirum torminum & vomitionum τόν παροξυσμόν præſens in tempus coercere virtute τῶν ναρκοτικῶν interea exhibitorum, dum peccantes humores, qui nervoſas ventriculi inteſtinorumque membranas obſidione cinxerat, abſorbentibus remediis ſubjugantur. Quo fit ut organa τῆ ἐπεργασία τῆ τροφῆς deſtinata, naturalem ſuam vim, calidumque inſitum quadantenus recuperent, hoſtemque efficacius pellere poſſint tum, cum ſubſidio veniunt cathartica, quæ ſub hoc tempus ſunt apprime neceſſaria, nec maturius.

Nunc videamus, quid faciendum ſit, ut alterum expleamus propoſitum, vitiorum humorum primis viis adhæreſcentium, & ſtercorum amotionem ſcilicet, quam effectam reddimus, ſi adminiſtrentur pharmaca, quæ ad fæces ſubmovendas mediocriter fortia ſunt, vel quæ leniter ſtercora ſubducunt, τά ἐκκοπρωτικά dicta; vi periſtaltico inteſtinorum motui haudquaquam inimica. Eſt autem cavendum, ut eo temporis intervallo propinentur, quo ſtupor inteſtinorum inductus ob vim Narcotici noviſſime dati propemodum periit: id quod intra octo vel decem horarum ſpatium fere contingit. Præterea etiam formula ea eſſe debebit, quæ, præ mole, nauſeam quam minime moveat, ne inverſo ventriculi motu omnia ſurſum expellantur, & de novo fremant ſymptomata, prius ſopita. Si hæc incommoda ſubſequantur, quæ interdum, præter voluntatem & operam omnem, obtingunt, opus inteſtinorum expurgandorum interim procraſtinandum eſt, dum tumultus in ordinem vi narcoticorum iterum redacti ſunt, & ſpatium temporis antedictum viam ſcopo attingendo præſtruxit.

Nobis aſſolet, dolore temperato pro norma, de qua jam nunc ſupra memineramus, catharſin inſtituere hunc in modum. Verbi gratia, ſi, octava noctis hora, largam narcotici doſin propinaſſemus, interpoſito decem horarum ſpatio, catharticum imperamus ſequens.

℞. Rad. Jalap. ſubtiliſ. pulv. ℥. ß. merc. d. gr. x. Syr. e ſpina Cerv. q. s. fiat Bol. quem capiat æger, hora præſtituta.

Sin hoc modo alvus minus commoveatur, in ſubſidiis ſint duæ vel tres unciæ mannæ puriſſimæ, cum drachmis tribus cremoris tartari, & ſæpius bibat æger juſculum multo ſale aſperſum; re huc uſque peracta, nihil eſt dubitationis, quin opera poſita ſit ex ſententia ſucceſſura.

Noſmet quidem ſatagimus potius de imperandis pharmacis, quæ τὰ ἐκκοπρωτικὰ dicuntur, ob molem faſtidioſis licet, quam de iis exhibendis, quæ ventrem fortiter purgant, ob formulam compoſitionis concinnioribus, revera tamen longe periculoſioribus, ob rationes tantum non ſtatim proferendas.

Dum munere rite ſuo perfungitur catharticum, pace fruitur ægrotus, ſaltem dolores admodum mitigantur. Mehercule non ſemel nobis obſervatum fuit, aſſumpto cathartico, non ita multo poſt in fugam dolores perinde verti omnes, ac ſi auctior cardiaci doſis fuiſſet exhibita; quo ſigno emergente, licuit nobis certius prævidere, fæces cathartico feliciter ceſſuras eſſe.

Atqui ſymptomata colicæ juxta ac in cæteris chronicis morbis, præſertim exacerbeſcunt, ubi primum nox appetit. Hinc periculum eſt à reſuſcitatis tumultibus, adeo ut præ maxima τῶν ὑποχονδρίων inflatione, parum abſit, quin æger ſumma reſpirandi difficultate penitus opprimatur, niſi ſuppetias peropportune ferant τὰ ναρκωτικὰ hora quaſi quinta pomeridiana, pereunte cathartici vi; imo longe citius, ſi minima de nova inquietudine ſuſpicio nata ſit; quo pacto minor opiatorum doſis rem magis proſpere conficeret, quam auctior, ſerius data.

Fæminarum quidem, (id quod notandum eſt) quæ hyſtericis paroxyſmis vel melancholia, vel febri intermittente, male tractata exagitatæ, colicam contraxiſſent, fæces aquam atramento intinctam cum paucis excrementis referunt, uſque dum humores naturalem ſuam indolem quadantenùs recuperarint.

Eo loci perventum quum ſit non ſine fauſto eventu, defunctos eſſe noſmet ipſi auguramur munere periculoſiſſimo; extra omnem enim dubitandi aleam poſitum eſt, quin, ſi alvus aſtricta maneat, ἡ Θεραπεία morbi ſummo periclitetur opere; eo quod morbi fomes non certe ſubigatur, niſi fæces ſponte, vel coactæ, moveantur. Ex hoc, qui audacter, utcunque

utcunque abſurde, medicinam factitant, illam veritatem præſentientes, hac in re toti fuere, ut inteſtina expurgentur, habita ratione nulla, de viribus ægrotantis, de morbi natura, de occaſione & modo purgativorum adminiſtrandorum: qui oſcitanter opinati ſunt, quo fortius catharticum, eo felicius ſucceſſurum eſſe; ex *Sydenhamii* argumento, in libro ſuo de colica biliofa, pro fortibus catharticis: verum tamen ab experientia liquido patet, morbum hunc, quem ſcribimus, a fortioribus purgativis admodum abhorrere, e contra autem ad fæces abſtergendas certius conducere τὰ ἐκκοπρωτικὰ, quippe quorum exagitatio ſit vermiculari inteſtinorum motui magis amica.

Qua ratione autem homines refutemus iſtos, permanentes in regione, quæ in turpitudine ab imperícis perpetrata connivet; ab impericis, inquimus, perpetrata, qui ignorantia, impotentia, & lucro obcæcati, id nominis ſortiti ſunt, quo quoſdam jam pridem diſtinxerat divinus Senex? Eos, ita redarguit Vir hicce, ὁμοιόστατοι γαρ εἰσιν οἱ τοιόδε τοῖσι παρεισαγομένοισι προσώποισιν ἐν τῆσι τραγωδίησιν. ὡς γαρ ἐκεῖνοι σχῆμα μὲ καὶ στολὴν καὶ πρόσωπον ὑποκριτοῦ ἔχουσιν, οὐκ εἰσί δὲ ὑποκριταὶ, οὕτω καὶ οἱ ἰητροί φήμη μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί. Nonne revera ſunt hiſtrionum ſimiles? Nonne fama magis, quam medicinæ eruditione valent? Quin etiam pergit Vir idem. χρὴ γὰρ ὅστις μέλλει ἰητρικῆς ξύνεσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι, τῶν δέ μιν ἐπίβολον γενέσθαι, φύσιος, διδασκαλίης, τρόπου εὐφυέος, παιδομαθίης, φιλοπονίης, χρόνου, πρῶτον μὲν οὖν δεῖ φύσιος. Anne iſtis facultates hæ expectandæ ſunt? Anne iſti inſtituta medicinæ, à teneris annis, in locis ad hanc rem extructis imbiberunt? Anne id ingenii iſtis largita eſt natura? Utrum iſtorum ſtudia perfecit æque tempus, ac induſtria? Nonne bonis omnibus & amicis deſtituti, lanceolæ uſu, vel Pharmacopolio occupati, in peregrina loca aufugientes, quæſtum ex medicina factitanda accepere? Putantne iſti, cœlo mutato, mutari mores, intellectumque?

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

At Homunculi iſti, populi imperitia, & ſua ipſorum audacia ſuffulti, medicamentis ad alvum ſubducendam utuntur etiam fortiſſimis, quæ, ob parvam molem concinna quidem, ſumma cum violentia corpus exagitant, calefactis humoribus. Iſtis ſolenne eſt, pilulas ex duobus propinare. Quum autem catharticum hocce ex colocynthide & ſcammonio, & oleo caryophyllorum compoſitum ſit, ſanguinem neceſſario incendit, unde tumultuantur omnia. Quod ſi vires alterius cathartici deficiant, altero dato (hoccine flagitium?) adjuvantur. Hinc orbicularibus inteſtinorum fibris ſe contrahentibus, & in eo ſtatu manentibus (quæ aliter pro motus vermicularis lege contrahi & relaxari debuerant) præcipue circa locum, ubi fæces induratæ hærent, ob tormina, quæ morbifica

bifica materies per ſe prius induxerat, adaucta jam adventitiis medicamenti ſtimulis, fæces ſuas dimittere nolunt inteſtina: ex quo fit, ut dolores exacerbeſcant, quanti in homines maximi poſſint incidere.

Unde non raro agmen cogunt convulſiones (quæ quidem frequenter miſerias omnes de medio tollunt) aut oboritur παράλυσις: quippe quæ obtrudendorum catharticorum perinde conſtantiæ, ac liberaliori τῶν ναρκωτικῶν uſui ortum debet ſuum: id quod quidem ex plurimis exemplis intelleximus: ex quo malo tot juvenes, florente ætate, hoc morbo bis terve conflictati, impenſa homunculorum iſtorum opera, luunt peccatum, in poſteram vitam ſemper manci, ad rem nullam apti.

Quin etiam hoc in morbo præmaturæ clyſterum injectiones, ſunt æque criminoſæ. Imprimis enim clyſteres non opus ſunt, ſi ἡ θεραπεία pro ratione a nobis tradita, ſit inſtituta; iterum; ambiguum eſt an ſcopum attingant propoſitum; ſin minus; ſymptomata prius ſopita ad bellum inferendum de novo ſolicitantur. Adeo recte dixit magnus ille Sydenhamius, de clyſterum uſu in colica bilioſa edifferens, cum, inquit „ enemata carminantia, eo fine injecta, ut humores acres exterminent, „ crabrones irritent tantum, & concitato humorum tumultu, diu- „ turniorem reddant morbum.

Nunc reſtat, ut emetica ad trutinas aliquantiſper revocemus. Emeticorum enim exhibitio eſt multiplex ad ſuſpicionem. In hoc quidem morbo fere nihil proſunt; & certe omnibus horis remedium periculoſiſſimum. Nec ſomniatoribus, nec magis opinatoribus, qui in Hypotheſi (ſplendidis quidem nugis) toti ſint, obtemperandum eſt, experientia repugnante. Quicquid enim utilitatis acceptum vomitoriis oportet referatur in cæteris colicis, quæ a ſordibus ſub autumnale tempus collectis producuntur, iis tamen in hoc morbo habenda fides non eſt. Etſi nihil negemus, quin viſcida illa materies, inteſtinis infeſta, ſolidis & fluidis, vomitoriorum vehementer concuſſis, facilius aliquando excutiatur; verum tamen exinde non laxatur alvus; quum fæces, induratæ ſi fuerint, ut ſupra notatum eſt, ſpontè vel coactæ debeant ſecedere: Quin etiam non modo πέψιν non adjuvant, ſanguinem non corroborant, ſed debilitant etiam. Quid? quod periculum eſt, ne dolore ad punctum magis fixo, vires ſpontaneis vomitionibus prius exantlatæ, novis vomitorii concuſſibus oppreſſæ collabantur omnino, & cis paucas horas inter evomendum animam efflet æger, a medico vere jugulatus. Hactenus de vomitoriis.

Expurgatis inteſtinis, & temperatis ſymptomatibus, oportet, in auxilium medicamenta ſolicitentur; quæ τῇ πέψει proſunt, ſanguinemque corroborant. Hoc enim capite præcipuam incendii facem eſtinguimus, unde a novis inſultibus cavetur, & priſtinæ valetudini citius certiusque reſtituitur ægrotus. Quemadmodum enim naturæ vis

(id

(id quod ex prægreſſis affectionibus clare patet) fuit ſubverſa, unde fit, ut morbificæ materiei ſemina in ſanguine pullulantia & collecta, ὄργανα τῇ ἐπεργασίᾳ τῆς τροφῆς deſtinata adoriantur, ita quæcunque naturæ auxiliantur, obtinendo huic propoſito conducunt. Ergo huic rei conferunt, radices gentianæ, ari, chinæ; cortex peruvianus; folia abſinthii, centaurii, dracontii; caſtoreum, viperæ; theriaca andromachi; chalybs; & ſimilia. Sit tibi, benevole lector, ſi placeat, hæc formula.

℞. *Folior. & flor. Betonicæ* ℥iij.
Cort. radic. capparidis, Tamariſci,
Rubi ſylv. Trichomanis. ana ℥ij.
Limat. mart. ℥ſs. *cum vini* ℔. *Viij.*
In frigore infundantur. De colat.
Capt. æger ter de die ℥ij.

Medicato hocce vino plures dies utatur æger; enim vero non raro expectationem fallunt remedia præſtantiora, quippe quæ non ſatis copioſe ſingulis vicibus, nec ſatis diu adminiſtrata fuiſſent.

Ex hujuſce remedii uſu; ſi virtus ſtomachi ad ſe redeat, ſi vires reſtaurentur; ſi lateritium ſedimentum in urina evaneſcat; ſi ſordibus albis, bilioſis, craſſis liberetur lingua; ſi gingivæ & labia rubeſcant; ſi hilaris vultus ſit; ſi fæces pro cibis aſſumptis quotidie exonerentur: hæc ſigna ad ſalutem ſunt omnia.

Ut autem ἡ θεραπεία, medicamentorum ope inchoata, promoveatur, alicui exercicationi ſe ipſe aſſuefaciat æger. Huic rei maxime conducit equitatio; quam quidem in tractatu ſuo de podagra commendat Sydenhamius ipſiſſimis verbis, „ & ſane diu multumque mecum reputavi, „ quod ſi cui innoteſceret medicamentum, quod & celare vellet, æque „ efficax in hoc morbo, & in chronicis pleriſque, ac eſt equitatio „ conſtans & aſſidua, opes ille exinde ampliſſimas facile accumulare „ poſſet." Alibi idem ſic expatiatur. „ Et ut, quod res eſt, loquar, „ non in hoc tantum caſu, ſed in morbis aliis chronicis quam pluribus „ hoc exercitii genus nunquam non cum uberrimo fructu uſurpatum „ memini, modo quis in illo improbius perſeveraret. Si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo diſponuntur organa ſe„ cretoria, hoc maxime exercitio vibrari, eaque ſuccuſſationibus aliquot „ mille uno in die exagitari ſolere, facile credemus, eadem ſuccum quem„ libet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitii poſſe excutere, „ & (quod majoris adhuc eſt momenti) validiore iſtius caloris nativi ex„ citatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in ſan„ guine depurando recte defungantur.

Propterea etiam divinus ſenex exercitia in chronicis morbis, ut in libro de internis affectionibus abunde liquet, ſummo ſuadet opere.

Jam autem obiter notandum eſt, ſi ſymptomata non ita vehementer efferbuiſſent, & morbus recens ſit, e re maxime fore, purgativis prætermiſſis, narcoticis quietem conciliare, & vino medicato præſcripto, vel aliis medicamentis id genus, curationem aggredi; licet enim ad ſeptimam uſque vel ultra diem maneat aſtricta alvus, inteſtina tamen, hiſce modis confirmata, innato reviviſcente calore & etiam vigore, hoſtem à parietibus ſuis tandem per ſe profligabunt. Hanc methodum optato eventu non fruſtratam fuiſſe, frequentius experti ſumus. Mehercule eſt partium medici, bene ante perpendere, quidnam detrimenti ex catharticis expectandum ſit, quam ea adminiſtrentur. Ab ambiguitate enim, an iis retinendis ſuppetat ventriculus, & a periculo, ne ſuum officium non faciant, etſi retineantur, negotium medico faceſſitur difficillimum. Jacta hac alea, adjudicantur exiſtimatio medici & ſanitas ægrotantis.

Si juvenis ſit, multo ſanguine, facie ruberrima, cui dolet caput; ſi metus ſit, ne phrenitis, neve convulſiones ſubſecuturæ ſint: vena tundatur, antequam imperentur opiata vel carthartica; ſecus; curationi inſiſtendum eſt, prout ſupra dictum eſt.

Quod ad diætæ rationem ſpectat, difficilis quæſtio non eſt, quippe morbo adhuc recente, necdum omnino debellato, nil niſi ea, quæ ſunt digeſtionis facilioris, natura duce, appetit ægrotus. Dum convaleſcit: diæta ſit incraſſantior, quales ſunt pulli teneriores, piſces & hujuſmodi. Ab omni ſpirituoſorum liquorum potatione religioſe caveat: liquores enim hi morbum, paulisper conſopitum licet, poſt hac pertinaciorem reddunt. Quin pro potu communi ſequente utatur decocto.

℞. *Cort. Lim. recent.* ℥ſs. *decoque in aq. font.* ℔. *ij.* ſs. *ad* ℔. *ji. cum fruſtulo panis. F. decoc. in uſum præſcriptum.*

Hic potus ſtomacho apprime gratus eſt, ſitimque levat.

Conſulto, non caſu de externis tacuimus remediis, qualia ſunt fomenta, adnodyna emplaſtra ad regionem umbilicalem applicata & ſimilia, utpote quæ nihil adferant emolumenti, quoad percepimus, ſaltem minimum, idque ad aliquod tempus tantum; quandoquidem methodo & remediis prius inſtitutis annititur medela maxime.

An utilis ſit morbo imminenti balneorum uſus, experientiæ relinquendum eſt; pulchre confitemur, noſmet neſcire, quantum poſſit id remedii.

Paralyſis membrorum (niſi jam inveteraſſet morbus) medendi rationi & remediis iiſdem, quæ coctioni & ſanguini proſunt, præſcriptis cedit omnino. Externe adhibeantur, ſi placeat, emplaſtra, quæ corroborantia dicuntur.

Aliis

Alii miſerrime manci, pecunia emuncti; ad quaſdam thermas (quæ peritorum medicorum vice funguntur) ſitas ab orientali parte inſulæ, quæ hodie Jamaica appellatur, ſe ipſi conferunt, haud ſine ſummo emolumento. In has aquas ſemel iterumve in ſingulas dies immerguntur, & iiſdem pro potu communi familiariter utuntur, quo factum eſt ut, ne pluribus quidem diebus interpoſitis, confirmata ſit valetudo ea, quam promittere non auſa ſunt pharmaca; neque vitio ſex rerum non naturalium prompte peſſundatur corpus ita ſanatum. Medius fidius hiſce modis pleraque mala pertinaciora juxta externa, ac interna egregie debellantur. Valetudinariorum autem frequentiam ptohibent & difficultates itineris & incommoditas Hoſpitii. Tanto conſtat divinum illud remedium, e naturæ forte conſilio, ne vivendi pravitas impune graſſetur: alii autem in Boreales regiones demigrando pulcherrime revaleſcunt; eo quod frigus externum debilitatas jam pridem fibras reddit fortiores, & ſuccus ex opimis eduliis expreſſus ventriculi virtute, & in ſanguinem receptus in naturales corporis humores promptius tranſit. Ergo γαλακτοποσία non eſt contemnenda: enimvero audacter conſtanterque aſſeveramus, fomite morbi ſubacto, remedia ad reſtaurandam valetudinem ex chronicis morbis amiſſam non eſſe æque pulchra ac ea, quæ nutritioni & pinguedini corporis favent, imprimis omnium, præſente juventute. Quid? quod ampliſſimus ille Vir *Boerhaave*, cujus gloriam in re medicinali partam æternitas ipſa ſemper intuebitur, ſententiæ huic arridet maxime. " Debilium, inquit, fibrarum curatio obtinebitur nutrimento, ,, in quo materies glutinoſa, tenuiſſima, aquoſa, inpinguiſque abundet, ,, quodque jam fere ita præparatum ſit, ac in corpore ſano & forti ſit. Lac, ,, ova, jura carnium, decocta panis bene fermentati, vina auſtera, primaria ,, ſunt". Hanc igitur medendi rationem ab *Hippocrate* inſtitutam clare videmus, qui ea, quæ nutritioni & pinguedini corporis conducunt, in libro ſuo de internis affectionibus, poſt judicationem morbi, impenſe ſuadet.

Ex experimentis indubitanter elucescit, nervis tribuendum eſſe omnem motum ſenſumque; pertæſum autem eſt explicare, quinam ſingularis ſit ille motus, quo nervi afficiantur, paralyſi cuilibet parti corporis ſuperveniente, vel quo, inteſtinis male affectis, motus membrorum pereat; ne perfugere ad ſacram nervoſi liquidi anchoram videamur; id quod tanquam minus probabile, nobis denegatur a plurimis. Quis naturæ leges, quibus obſecundant origines, augmentum, & declinationes morborum, intelligentia conſecutus fuerit? ,, Quam bellum ,, eſt, inquit, eximius orator ille, pulchre confiteri potius neſcire, quod ,, neſcires, quam iſta effutientem nauſeare, & ipſum tibi diſplicere. , Partium autem inter ſe, (ut nobis videtur) proprio conſenſui releganda eſt παράλυσις, quæ colicam ſubſequitur.

Quis autem proprium conſenſum hunc prorſus negaverit? utrum eundem

eundem vetat ſanguinis circulatio? anne contra noſtram opinionem militant Hippocratis verba? ξύρροια μία. ξύμπνοια μία, ζυμπαθέα πάντα; Nonne videtur potius innuere, inter quasdam partes conſenſum regnare, dum ediſſerit, quo pacto inter Scythas fierent eunuchi; εισι γαρ inquit, παρὰ τά ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τίς ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. Conſulatur etiam Baglivius, qui hanc veritatem exemplis confirmavit plurimis. Ex his colligendum eſt, peculiarem inter hanc & illam partem intercedere conſenſum, quamvis haud liquido hodie conſtiterit, unde num fiat; adeoque inteſtinis male affectis, poſſe motum membris perire.

Nunc tandem terram videmus, diſceptatiunculæ hujuſce vela contracturi. Non poſſumus non cautam mitemque hanc medendi rationem collaudare; quæ felicitatis diuturnitate comprobata floruit. Alia autem remedia, quæ huic morbo nimis præpropere objiciuntur, prout uſus pilarum plumbearum & argenti vivi ad plures uncias, & hujuſmodi. relinquenda ſunt iis, quibus eſt nulla religio, nulla ingenii integritas.

CCLXIII.

CCLXIII.

ANDR. ELIÆ BUCHNER

ET

J. CAR. EHRENFRIED HEBENSTREIT

DE

SCIRRHO MESENTERII EXULCERATO.

Hall 1756.

CASUS.

Nobilis quidam annorum XLIV. temperamenti melancholico-cholerici, habituſque corporis idcirco ſtrictioris, in regione quadam minus ſalubri, ob aërem craſſum, humidum, vaporibusque putridis continuo fere inquinatum eandem ambientem, educatus, cibis craſſioribus & dyſpeptis nutritus, crebrioribusque ac variis corpus admodum defatigantibus laboribus ſemper obnoxius, a primis ſtatim annis ad ultimum usque vitæ terminum variis chronicis, infimi inprimis ventris viſcera adfligentibus, excruciatus fuit morbis. In ætate enim infantili atrophia cum febre lenta laborabat, qui morbi aptis quidem remediis tandem tollebantur, remanente tamen præternaturali quadam expanſione duriori abdominis, circa regionem umbilicalem & lumbarem tam dextram, quam ſiniſtram, inprimis conſpicua, quæ nulla arte penitus auferri, ſed aliquo ſaltem modo diminui poterat. In puerili dein ætate frequentius colica vexabatur bilioſa, conjunctis moleſtis vomendi conatibus & teneſmis, qui, rejecta demum per vomitum ſaburra bilioſo-viſcida, ordinarie iterum ceſſabant. Ab his quoque incommodis liberatus, per aliquot annos tranquilla quadantenus gaudebat ſanitate, donec ſub adoleſcentili ætate febres accederent intermittentes, tam quotidianæ, quam tertianæ, modo regulares, modo anomalæ, mox ceſſantes, mox inopinato redeuntes, ſicque in ætatem usque virilem continuantes, ac tandem in quartanam regularem tranſeuntes, dolore quodam obtuſo comitatam, qui ex regione dextra hypochondriaca ad lumbarem & umbilicalem usque ſeſe diffundebat, eademque ratione continuabat, poſtquam quartana ſimplex regularis in duplicatam mutata erat. Succedebant huic tumores pedum œdematoſi verſus ſuperiora aſcendentes, metumque haud levem ſubſecuturi forſitan hydropis aſcitis incutientes, qui tamen, feliciter ſub-

latis, congrua medendi methodo, tumoribus iſtis & dolore antea memorato, prorſus evaneſcebat, ita ut per unum alterumve annum, præter ſupra dictam abdominis expanſionem, & ſubinde intercurrentes leniores colicos dolores, nihil amplius incommodi ſentiret.

Adpropinquante vero quadrageſimo ætatis anno graviſſima excruciabatur colica ſpaſmodico-convulſiva, lethalem prorſus eventum minitante, qua tandem non ſine multa difficultate mitiguta, ſatis notabile capiebat incrementum ſupra memorata abdominis expanſio & durities, præſertim in ſiniſtro hypochondrio. Superveniebat his incommodis circa medium quadrageſimi tertii anni febris lenta, ordinariis non ſolum ſymptomatibus, ſed inſuper quoque peculiari quodam tumore, prope ſcrobiculum cordis aſſurgente, & primo ovi columbini, poſt duorum vero menſium intervallum anſerini magnitudinem referente, ſtipata. Proinde etiam non ſolum expanſio, durities & inæqualitas abdominis ulterius inſigniter augebatur, ſed etiam ſpaſmi torminaque vaga & flatulentiæ continuo fere ægrum adfligebant, ita ut alimentorum aſſumtio & deglutitio perquam difficilis redderetur. Jungebantur his porro alvi ſegnities, parcior urinæ excretio, reſpirandi anguſtia, ſitis pene inextinguibilis, tumor pedum œdematoſus recurrens, ipſaque febris hectica, cum ſudoribus colliquativis & reliquis eandem comitantibus ſymptomatibus arduis, ſub quibus tandem graviſſima orthopnœa, in catarrhum ſuffocativum tranſiens, miſerrimæ hactenus tranſactæ vitæ finem imponebat.

Inſtituta dein anatomica cadaveris ſectio edocuit nos, cauſſam graviſſimorum iſtorum morborum, dolorumque diriſſimorum, & ſubſecutæ tandem mortis, unice in obſtructione & induratione univerſali, ſeu ingenti Scirrho meſenterii exulcerato, *indeque inſigniter mutato reliquorum abdominis viſcerum ſtatu naturali, poſitam fuiſſe. Summo enim cum ſtupore deprehendimus, partem hanc, alias ex tenerrimis membranis celluloſis, pinguedine refertis, conſtantem, in prægrande, durum & inæquale corpus, undeviginti libras cum dimidia pondere æquans, degeneraſſe, quod in ſuperficie non ſolum, ſed & in interiori ſubſtantia ſubcinerei erat coloris, cum intermixto ſubrubro, factaque diſſectione complures, tam majores, quam minores, monſtrabat cavitates, quarum priores ſaniem putridam & fœtidam, poſteriores autem paulo craſſiorem purulentam continebant materiam. Ingens ergo hæc moles quum per totam ſeſe extenderet abdominis cavitatem, reliqua omnia in eadem contenta viſcera e naturali ſua emoverat ſede, inſimulque ventriculi & inteſtinorum diametrum non ſolum arctiſſimum reddiderat, ſed etiam cum iisdem & reliquis viſceribus, itemque duabus ultimis coſtis ſpuriis & tribus inferioribus lumborum vertebris, ope firmiorum quarundam tunicarum, adeo & firmiter coaluerat, ut ægerrime non niſi ab iisdem ſeparari potuerit.*

§. I.

§. I.

Scirrhus eſt tumor durus, tactui renitens, immobilis, indolens, in partibus mollioribus, vaſculoſis præcipue & glanduloſis, ab humoribus viſcidis & craſſioribus ibidem coacervatis, incarceratis & ſucceſſive coagulatis & induratis, prognatus. Omnes ergo corporis noſtri partes molles, exceptis tendinibus & cerebro, huic malo obnoxiæ ſunt *a*). Cognoſcitur autem ordinarie ex præternaturali talis partis extenſione & elevatione, modo citius, modo tardius incrementa evidentiora capiente, ita ut tumor, magis magisque ſeſe diffundens, majorem tandem & ſæpius quaſi lapideam induat duritiem. In primo ſui initio Scirrhus communiter naturalem retinet colorem partis affectæ, & ſola ſaltem duritie præſentiam ſuam monſtrat; quando autem vel ob alias cauſſas & graviores morbos ſupervenientes major humorum verſus eundem adfluxus concitatur, tunc color naturalis facile in ſpadiceum & durities in mollitiem abit, auctior in humoribus ibidem ſtagnantibus inteſtinus motus concitatur, illique vel in purulentam materiam, vel, quod frequentius contigit, in fœdam & acrem ſaniem degenerant, ulceraque peſſima, plerumque cancroſa, formant.

§. II.

Sedem ſuam utplurimum habet Scirrhus in iis partibus corporis, in quibus copioſa vaſa minora, quæ in ulteriori ſuo progreſſu ſemper anguſtiora evadunt, variasque & innumeras complicationes formant, præſto ſunt. Talis autem ſtructura quum glanduloſis partibus inprimis ſit propria *b*), liquido inde adparet, quod idcirco vel ipſas glandulas, vel viſcera alia, iisdem quoad ſtructuram ſimillima, ut pulmones, hepar, lienem, renes, uterum, occupare ſoleat.

§. III.

Solertiſſimi equidem Anatomici, MALPIGHIUS *c*), RUYSCHIUS *d*), & celeberrimus noſtro ævo LIEBERKÜHNIUS, jam

a) Conf. Diſſ. de *Scirrho*, Præſide Illuſtr. b. m. HAMBERGERO Jenæ 1751. ventilata.

b) Vid. *Jerem.* LOSSII Diſput. de *Glandulis in genere.* Witteml. 1683. & *Guilielm.* MYLII Diſput. de *Glandulis.* Lugd. Bat 1698.

c) Vid. Ejusd. Opera poſthuma p. 100. ſqq. & ſpeciatim Epiſtola de *Structura glandular. conglobat. conſimiliumque partium*, it. *Herm* BOERHAAVE *Epiſtola anatom. ad Frid.* RUYSCHIUM, in ejus Opuſculis, pag. 68. ſqq.

d) Vid. Ejusd. *Hiſt anatom. reſponſoria ad Hermann.* BOERHAAVE, in hujus Opuſculis omnibus, Hag. Comit. 1738. editis, pag. 84. ſqq.

dudum beneficio artificioſarum injectionum & microſcopiorum glanduloſam fabricam ferme in omnibus tenerioribus corporis noſtri partibus obſervarunt, dum ubique inſignes minimorum vaſculorum deprehenderunt complicationes, adeoque facile exinde concludi poſſet, generali ſignificatu glandulas undiquaque in iisdem occurrere & diſperſas eſſe. Aſt in ſtrictiori & proprio ſenſu glandulæ, juxta Illuſtr. Heisteri deſcriptionem *e*), quam pace Tanti Viri meam hic facio, ſunt *partes peculiaris habitus, ex congerie minutiſſimarum arteriarum, venarum, nervorum, & plerumque etiam ductu excretorio, conflatæ, propria membrana cinctæ, variæ figuræ, coloris & conſiſtentiæ, uſibus diverſis, utplurimum tamen ſecretioni alicujus liquidi deſtinatæ.*

§. IV.

Licet etiam porro quamplurimas olim glandularum differentias varii excogitaverint Auctores, diſtinguendo nempe easdem in carneas, veſiculares, conglutinatas, vaſculoſas, molliores, ſolidiores, perpetuas, adventitias, pluresque alias; ſufficit tamen, ſi, ad mentem celeberrimorum noſtri ævi Anatomicorum, in duo ſaltem ſumma genera, ſub quibus omnes & ſingulæ comprehendi poſſunt ſpecies, dividuntur, nempe in *ſimplices*, ſeu *ſolitarias*, quas alii *conglobatas* vocant, ex unico corpuſculo ſphæroideo, diſtincto, ſuaque membranula incluſo, conſtantes; & in *compoſitas* ſeu *connexas*, vulgo *conglomeratas* dictas, quæ ex pluribus minoribus inter ſe conjunctis componuntur, certa membrana inveſtiuntur, unum communem ductum, in peculiarem quandam cavitatem, obtinent, communemque actionem edunt.

§. V.

Ex diverſa hac glandularum ſtructura functio illarum dijudicari poteſt, quam potiſſimum in ſanguinem ad canales illorum advectum exſerunt, argumentando nimirum ex ſtructura detecta ad varias fluidi, per canales iſtos tranſeuntis, mutationes. Variant enim vaſcula, ex quibus hæc organa compoſita ſunt, tam longitudine, copia & amplitudine, quam complicatione, denſitate & fibrillarum nervearum intertextarum majori aut minori quantitate; adeoque majorem omnino mutationem ſanguis ſubit in longius excurrentibus ejusmodi canaliculis, quales in conglobatis & conglomeratis inprimis deprehenduntur, quam ſi breviores illi fuerint, ſicuti in folliculoſis glandulis, quæ ob minorem dictorum vaſculorum copiam non adeo inſignem mutationem in ſanguine ad illas adfluente producere ſolent.

§. VI.

e) Vid. Compend. anatom. p. 10. §. 33. Edit. Norimb. 1727. item Diſſ. Ejusd. *de vera Glandulæ appellatione*, Cap. III. §. V. Helmſtad. 1718.

§. VI.

Patet igitur ex modo adductis, ſanguinem in longa vaſorum ſerie motum valde mutari, illumque lento admodum & debili motu per eadem progredi. Anguſtia enim illorum ſucceſſive magis magisque aucta, & formati ab iis anguli varii, recti & obliqui, obtuſi & acuti, obicem qualemcunque motui fluidorum ponunt, eaque aliquo vigoris gradu reſiſtentia ſua privant. Proinde etiam vires partium corporis noſtri, tam ſolidarum, quam fluidarum, in naturali ſtatu ordinarie in æquilibrio ſunt, ſemperque ea ſolidorum deprehenditur ratio, quæ fluidorum eſt, ita ut, ubi pauciores partes fluidæ moventur, ibi etiam tenniora & anguſtiora ſint vaſa; cumque humores in minimos globulos diviſi exiguam conſtituant maſſam ſi ſeorſim ſpectentur, hinc minorem etiam exſerunt actionem in vaſa minima, horumque pariter debilior erit reactio, ob laxiorem partium fibras conſtituentium cohæſionem.

§. VII.

Vis fluidorum movens & in ſolida agens dependet in corpore noſtro a motu illorum progreſſivo & inteſtino, indeſinenter & æqualiter in illo ſuccedentibus. Progreſſivus motus determinatur per vim ſyſtalticam ſolidorum mollium, inteſtinus vero ſub ipſo progreſſivo ſimul producitur, eſtque cauſſa reſolutionis eorum in minimas particulas. Quando igitur humores per priorem illum, nempe progreſſivum motum, ad minima deferuntur vaſcula, quorum diameter non niſi unicum ſemper admittit globulum, tunc parietes illorum æqualiter in globulos tales, ita ſucceſſive ſe invicem excipientes, agunt *f*), qui dein ſub continuato ulteriori progreſſu fluidi & perſeverante vi ſolidarum partium, in minores dividuntur, eoque ipſo aptiores redduntur, ut in anguſtiores ſubſequentes canales penetrare queant.

§. VIII.

Pro conditione ergo tam ſolidorum, quam fluidorum, variaque illorum ſtructura & horum mixtione ac fluiditate, varius ſemper erit effectus intuitu progreſſivi motus ejusque ſucceſſus tam liberioris, quam impeditioris ac magis retardati. Hinc ſi crebrioribus ſpaſticis & conſtrictoriis motibus adficiuntur ſolida, inſimulque etiam viſcida & ſpiſſiora, quacunque ex cauſſa, redduntur fluida, non ſolum motus horum in majoribus æque ac minimis vaſculis admodum retardatur, ut tandem prorſus

f) Vid. Acta Med. Edimburg. Tom. II. pag. 82. ubi Experim. VII. hæc propoſitio fuſius probatur.

ſus in iisdem ſubſiſtant & obſtructiones producant, ſed ſolidorum etiam fibrillæ teneriores a ſtagnantibus illis fluidis moleſte premuntur, distenduntur & irritantur, variaque hinc ſymptomata & dolorifica pathemata concitantur.

§. IX.

Quoniam ex præmiſſis (§. VIII.) conſtat, quod obſtructiones ordinarie primum ſuum capiant initium in minimis vaſculis, quorum diameter in ulteriori illorum progreſſu ſucceſſive anguſtior evadit; hæc vero ſtructura ultimis arteriis ſanguiferis, ſeu rubris, primisque illis excipientibus ſeroſis & lymphaticis proprie competit, quales maxime ad glandulas conſtituendas & formandas concurrunt: Hinc facile patet, cur partes hæ organicæ, variorum liquidorum ſecretioni inprimis deſtinatæ (§. IV.), obſtructionibus facilius pariter ac frequentius obnoxiæ reddantur.

§. X.

Obſtructionis autem conditio variat, pro diverſitate ſtaſeos humorum, in pluribus vel paucioribus canalibus factæ, cujus indicium præbet varia inde eveniens magnitudo tumoris obſtructionem concomitantis. Vaſa enim obſtructa, ob denegatum progreſſum fluidi ulterius propellendi, & collectionem ac ſtagnationem novi a tergo continuo affluentis, in majus ſubinde ſpatium extenduntur, eoque ipſo, vicinas & proxime adjacentes partes itidem expandendo & elevando, ſuperficiem illarum inæqualem reddunt, quam ita mutatam earum formam *tumorem* vocamus, qui dein, pro cauſſarum & aliarum circumſtantiarum diverſitate, modo magnus, modo parvus, durus aut mollis, doloroſus aut indolens evadit, variasque peculiares denominationes inde obtinet.

§. XI.

Quo diutius durant obſtructiones in canaliculis quibusdam obortæ & productæ, eo magis ipſo tali temporis ſucceſſu invaleſcunt eoque latius ſeſe plerumque diffundunt. Dum enim humores, a tergo ad locum usque obſtructum progredientes, ab ulteriori libero ibidem excluduntur tranſitu, neceſſario ad alia vicina copioſius regurgitant vaſa, & ob copiam magis auctam tardius per illa moventur, unde partes illarum, motu inteſtino debilius agitatæ, ſubinde arctius inter ſe cohærent, fluidum ipſum ſpiſſius evadit lentoremque acquirit, & tandem in his quoque canalibus ſubſiſtit, atque ita majus tumoris incrementum producit.

§. XII.

§. XII.

Quoniam etiam porro omnis nervorum tenſio præternaturalis ingratam infert ſenſationem, ſeu dolorem, hicque tanto gravior eſt, ſi teneriores aut pauciores illorum ramificationes ita moleſte adficiuntur, expanduntur, vel etiam ſtimulantur & irritantur, facile hinc patet ratio, cur utplurimum tumores, tam molliores, quam duriores, inprimis autem a cauſſa ſanguinea inducti & repente invaleſcentes, in initio præſertim & augmento, doloribus ſatis exquiſitis, lancinantibus, prementibus ſpaſticisque ſtipati incedant. Dum enim ſtagnantes in vaſculis minoribus humores, & reliqui a tergo affluentes magisque ob tardiorem progreſſum accumulati, membranas illorum & intertextas iisdem nerveas fibrillas ſucceſſive vehementius diſtendunt, aut etiam acriores illis forte immixtæ particulæ irritando, arrodendo & ſtimulando has ipſas ad vehementiorem conſtrictionem ſollicitant, neceſſario exinde dolorificæ ejusmodi ſenſationes, ab inflammatoriis tamen adhuc diſtinctæ, concitari poſſunt ac debent. Quodſi autem diuturniori temporis mora ejusmodi fluida ſtagnantia magis inſpiſſentur, aut, ſecedentibus & evaporantibus tenuioribus partibus aqueis plane exſiccentur, tunc vel ob nimiam debilitatem, ſub continua expanſione tandem inductam, vel ob rigiditatem fibrillarum ſenſibilium, ex humorum induratione prognatam, naturalis ſentiendi facultas imminuitur aut plane tollitur, indeque eſt, quod Scirrhi ordinarie fere indolentes ſint, antequam ad exulcerationem tendunt, tumores autem ſanguinei fere omnes, non admodum inveterati, manifeſtiores communiter inferant dolores.

§. XIII.

Conſenſus ille ſatis liquidus, qui inter complures corporis noſtri partes notatur, & tam vaſorum, quam nervorum communicatione unice nititur, nullum nobis relinquit dubium, quin etiam obſtructiones & tumores, præcipue grandiores & graviores, ſpecialem quandam partem aut viſcus occupantes, in aliis remotioribus ex hoc fundamento varia ſatis interdum ſontica concitare valeant ſymptomata. Dum enim & vaſorum & nervorum omnium ramificationes ad minimum communem quandam, in truncis variis eminentioribus, agnoſcunt originem, hujusque reſpectu quælibet mutationes inſigniores & graviores, circa ramulorum extremitates contingentes, modo ſubito, modo etiam ſucceſſive ad reliquas partes, nervos & vaſa ſua ex uno eodemque trunco obtinentes, propagantur; facile utique exinde patet, quod & particulares in certo ſaltem loco obortæ obſtructiones, temporis ſucceſſu, dum magis magisque invaleſcunt, & partim nerveæ fibrillæ ad crebriores

briores & auctiores ſpaſmodicas conſtrictiones ſollicitantur, partim quoque progreſſivus humorum motus per vaſa magis retardatur & turbatur, imo & ipſa viſcera vicina, ob molem partis obſtructæ magis auctam, preſſionem moleſtam patiuntur, in remoticribus corporis regionibus non ſolum complura incommoda excitare, ſed etiam variarum functionum turbationes inferre valeant.

§. XIV.

Quum tandem etiam omnem vaſorum obſtructionem ſemper excipiat præternaturalis admodumque ingens ſæpe illorum & partis ipſius adfectæ diſtenſio & expanſio, rupturam quandoque fere minitans, merito adhuc, antequam ad ſpecialiora progrediamur, diſpiciendum nunc erit, qua ratione id ipſum, ſalva adhuc manente partium talium cohæſione, contingere queat. Conſtat jam ex phyſiologicis, quod fibræ ſolidarum partium ex tenerioribus terreis elementis, ſucco aliquo viſcido ſeu glutine animali arctius inter ſe connexis, compoſitæ ſint, roburque illarum phyſicum ſeu naturale a firmiori & intimiori cohæſione dictorum dependeat elementorum, ſub qua ſingulæ illæ tantam exſerunt vim reſiſtentem ſeu reactionem, quantam hæc earum conditio admittit. Quoniam autem hæ ipſæ fibræ inſimul elaſticæ ſunt, & idcirco vi extendenti fluidorum tranſeuntium cedunt; hinc quando ea vim illarum reſiſtentem ſuperat, neceſſario eidem cedere coguntur, ſique diutius in tali ſtatu detinentur, tunc ob imminutam elementorum ſuorum cohæſionem & elongantur & debilitantur. Augetur ergo hac ratione non ſolum capacitas & diameter talium canaliculorum, ſed humores etiam ibidem ſtagnantes magis accumulantur, ſicque vis diſtendens ſubinde majora acquirit incrementa. Quum vero tam fibrillæ, quam membranæ vaſorum ex iisdem contextæ, ex minimis conſtent particulis terreis, quæ plurimis gaudent punctis contactus, adeoque glutinis animalis ope firmius inter ſe connexæ ſint; hinc, ſi aliquo ſaltem modo debilitatæ ſunt, ob imminutam vim reſiſtendi & pluralitatem punctorum contactus, majorem ſemper admittere poſſunt diſtenſionem, citra tamen plenariam cohæſionis diſſolutionem, indeque tumores tales, ex obſtructione prognati, in ingentem & ſæpe ſtupendam expandi poſſunt magnitudinem, absque ulla tamen ſubſequente violenta ruptura vaſorum aut membranarum connexarum.

§. XV.

Tranſitus obſtructionum, in glandulosis partibus factarum, in ſcirrhum, raro ſubitaneus eſſe ſolet, ſed longius plerumque temporis inter-

intervallum requirit. Non ſolum enim ad illum ingenerandum major copia humorum ſpiſſiorum, craſſorum & viſcidorum, in anfractibus & anguſtiis complurium canalium ſubſiſtentium, adeoque perfecta & totalis horum obſtructio, requiritur, ſed neceſſe etiam eſt, ut ab iisdem tenuiores aqueæ partes ſecedant & ſucceſſiva evaporatione per extremos minimos tubulos removeantur, & terreæ ac viſcidæ partes ita quaſi exſiccentur & in duritiem quandam convertantur, cumque id non niſi diuturniori temporis mora fieri poſſit, hinc patet, obſtructiones communiter citius & promtius generari poſſe, quam ſcirrhos. Occurrunt autem hi non tantum in partibus externis, viſui patentibus, veluti collo, labiis, gingivis, lingua, mammis & teſticulis, ſed etiam in abditis corporis noſtri viſceribus, ubi difficilius cognoſcuntur, atque ab aliis morbis internis non, niſi ex circumſtantiis rite ponderatis, dijudicantur. Ex illorum autem viſcerum claſſe frequentius iisdem obnoxia deprehenduntur digeſtoria & depuratoria in abdomine ſita, glandulæ nempe meſenterii & pancreatis, hepar, lien, renes, uterusque, quæ textura vaſculoſa, obſtructionibus maxime favente (§. II.), gaudent.

§. XVI.

Præmiſſis ergo generalioribus hiſce, ad obſtructionum & inde oborientium ſcirrhorum indolem ſpectantibus, ordinis ratio merito poſtulat, ut ad ſpeciem quandam horum ſingularem, *Scirrhum* nempe *meſenterii*, occaſione Caſus ſupra communicati enodandum, nunc progrediamur. Ex ipſa autem hac relatione hiſtorica evidenter primo ſtatim patet intuitu, fundamentum ejusdem in tenera jam poſitum fuiſſe ætate, quum nempe atrophia, lenta febre ſtipata, defunctus noſter laboraret. Illa enim ordinarie modo ex lacte materno nimis craſſo, viſcido & terreis partibus copioſius referto; modo ex alimentis dyſpeptis, mucidis, farinaceis, itemque acidis & auſteris, ſimilibusque, aut etiam vinoſis vel ſpirituoſis potulentis, intempeſtive & præmature tenellis puerulis ingurgitatis; modo ex nimia conſtrictione fibulatoriorum arctiorum, corpora infantum moleſte jamjam comprimentium (g); modo etiam ex prava diatheſi ſanguinis materni in utero communicati, primam ſuam capit originem, aliisque dein ſub ulteriori progreſſu accedentibus cauſſis altiores ponit radices, malumque ſæpe prorſus immedicabile tandem ſiſtit.

(g) Vid. *Gualteri* HARRIS Tractatus *de morbis acutis infantum*, Edit. Genev. 1727. pag. 1. 12.

§. XVII.

Singulæ hæ cauſſæ non alia ratione noxiam ſuam in ejusmodi tenellis, aliisque etiam robuſtioribus, corporibus exſerunt efficaciam, quam chylificationis negotium graviter turbando, multasque cruditates & impuritates, viſcidas, mucoſas, acidas, auſteras aliasque in primis viis progenerando, unde dein neceſſario univerſa humorum maſſa temporis ſucceſſu magis inquinatur, & ob partium heterogenearum & craſſiorum copioſiorem retentionem & accumulationem ſpiſſior redditur, hacque ratione, dum inprimis etiam lympha omnium faciilime viſcido depravatur lentore, tardus non ſolum & difficilis evadit fluidorum per canales præſertim anguſtiores progreſſus, ſed frequentiores etiam ſubſequentibus dein ſtagnationibus illorum, vaſorumque exinde evenientibus obſtructionibus, ſuppeditantur occaſiones, quæ in meſenterio promptius, quam in ulla alia parte, in actum deducuntur, faciliusque tandem in veros degenerant ſcirrhos, quoniam & ſtructura & functio ejusdem naturalis noxio tali effectui accelerando ſingulariter favere videtur.

§. XVIII.

Eſt enim meſenterium pars membranacea, cum interjecta pinguedine, ſitum obtinens medium inter inteſtina, per quod tranſeunt varii generis vaſa, arteriæ, venæ, vaſa lactea & nervi, plurimis glandulis hinc inde præditum ac inteſtinis undique annexum, ut vinculum quaſi illorum conſtituat. Quoniam ergo inteſtinorum duplex ordinarie conſtituitur diviſio, in tenuia nempe & craſſa; hinc etiam totum meſenterium non inepte a compluribus Anatomicorum in duas dividitur partes, *meſaræum* nempe, quod tenuia colligat inteſtina, & *meſocolon*, quod craſſa connectit. Figura meſaræi fere circularis eſt, ita tamen ut in tota ſua circumferentia, verſus inteſtina, in plurimas & fluxuoſas plicas corrugetur, circa centrum vero planum & nullatenus plicatum ſit. Meſocoli autem figura ſemi-circularis & oblongior deprehenditur.

§. XIX.

Ratione ſtructuræ ſuæ compoſitum eſt meſenterium ex *membranis*, quibus in homine ſano magna pinguedinis copia interjecta eſt; ex *vaſis* dein *chyliferis* ſive *lacteis*, *nervis* ſatis copioſis, *glandulis*que plurimis, duabus tandem *arteriis*, totidem *venis*, innumeris ramificationibus per totam hujus partis ſubſtantiam ſeſe diffundentibus. Generalis

ralis ejus uſus in eo conſiſtit, ut, quoniam firmiter lumborum vertebris & oſſi ſacro annectitur, ejus ope omne periculum laxationis & deſcenſus inteſtinorum, præcipue ſub duris laboribus, ſaltu, alvi ſiccioris cum magno conatu depoſitione, & difficili partus enixu, prohibeatur. Speciatim autem *membranæ* non ſolum eundem uſum præſtant, ut nempe pariter vinculum ſint inteſtinorum, ſed inſuper quoque eo inſerviunt, ut in ſpatio intermedio tum vaſa copioſiſſima, tum etiam glandulæ hinc inde diſperſæ, tuto inter easdem decurrant & contineantur, ne in validis motibus rumpantur, aut a circumjacentibus viſceribus comprimantur, quem in finem etiam hæ membranæ copioſa perfunduntur pinguedine, cujus blando inſuper calore hæ partes foventur, ut humores tranſeuntes, ſanguis nempe, chylus & limpha, in debita fluiditate permaneant & conſerventur.

§. XX.

Vaſorum lacteorum uſus eſt, ut chylum ex inteſtinis recipiant, qui per modum tranſcolationis ſeu filtrationis in illa tranſit, relictis in inteſtinis partibus craſſioribus, feculentis & excrementitiis. Hiant vero illa inter ipſas membranas inteſtinorum, ut oſculis ſuis chylum in ſe recipere poſſint, qui dein expeditiſſima via, valvulis recurſum prohibentibus, & nova ſubinde a tergo urgente ejus portione, in proximas meſenterii glandulas promovetur, a quibus dein vaſa lactea ſecundi generis omnem chylum recipiunt & in ciſternam communem devehunt. *Glandularum* itaque verus uſus in eo conſiſtere videtur, ut partim fulcimentum ſiat vaſorum lacteorum, dum rami quidam eorum illas ſupergrediuntur; partim vero chylus, per vaſa lactea advectus, in iisdem tranſcoletur & magis attenuetur.

§. XXI.

Sanguineorum vaſorum, ſeu *arteriarum* & *venarum* meſenterii, quæ inde ad inteſtina progrediuntur, tanta eſt copia, quantam vix ulli alii corporis parti, proportione inſtituta, conceſſam deprehendimus. Sicuti autem *venæ* ſanguinem per arterias advectum recipiunt & revehunt, ut ad hepar deferatur; ita *arterioſa* vaſa partim nutritioni partium membranacearum, partim calori vitali conſervando, partim denique ſeparationi & depoſitioni oleoſarum partium, pinguedinem dein conſtituentium, ſanguiniſque ſimul depurationi a partibus recrementitiis tam ſeroſis, quam craſſioribus feculentis, per alia emunctoria non æque facile eliminandis, inſerviunt, utpote quæ per hos canales ad inteſtina eorumque glandulas devehuntur, ut in iis ſeparatæ tandem

in cavitatem inteſtinorum, tanquam ſentinam totius corporis, deponantur, & cum reliquis chyloſeos partibus excrementitiis exinde proſcribantur. *Nervi* denique non tam ad ſenſum & motum, utpote quibus meſenterium deſtitutum eſt, & qui tanto exquiſitius in inteſtinis præſto ſunt, ſed partim ad robur qualecunque huic parti conciliandum, partim ad liquidum illud ſubtile elaſticum, quod ad alias partes etiam transferunt, glandulis meſenterii ſuppeditandum, deſtinati ſunt, ut chylus eodem magis actuetur & ad ſanguificationem dein ſubeundam aptior reddatur.

§. XXII.

Dum ergo ex compluribus & tam variæ indolis partibus compoſitum eſt meſenterium, dum chylus, lympha ac ſanguis per ejus vaſa continuo vehuntur, horumque humorum progreſſus variis ſonticis expoſitus eſt impedimentis, & perquam facile ab aliis accedentibus cauſſis graviter turbari & retardari poteſt, non immerito hinc exinde adſerere & concludere licebit, mineram multorum morborum gravium & chronicorum, inprimis autem febrium rebellium, in eodem latitare & radices ſuas longe frequentius agere, quam quidem vulgo reputatur. Quum enim ob loci conditionem & ſitum, aliorumque viſcerum viciniam non facile cognoſcatur pars hæc proprie adfecta, hinc obſcuritas iſta multis cauſa fuit ignorantiæ, cur harum meſenterii partium affectus olim inprimis prætermiſſi & veterum ſcriptis minus celebrati fuerint.

§. XXIII.

Ex omnibus autem illis morbis, qui prima ſua in meſenterio ponunt fundamenta, frequentiſſimæ ſolent eſſe *obſtructiones* ejusdem, quæ dein fœcundam aliorum gravium & ſonticorum cauſſam conſtituunt. Quum enim vix in ullo alio abdominis viſcere plures & majores contingere poſſint vitioſorum & impurorum humorum ſtagnationes & collectiones, quam in meſenterio, ubi minora præſto ſunt vaſa, eaque numeroſiſſima, minor ſanguinis impetus, glandulæ copioſæ, chylus ſæpe crudior & viſcidior, obſtructionibus producendis aptiſſimus; merito hinc exinde concludere licebit, quod illi præcipue morbi, qui ex commiſſis in victu erroribus & diæta inſalubri originem ſuam ducunt, & ſub quibus poſtea intemperantiæ pœnas luere coguntur ægrotantes, vix alibi ſedem, quam in meſenterio, figant. Manifeſtiſſimum autem *obſtructionis meſenterii* exemplum præbet nobis illa *atrophiæ* infantum ſpecies, ubi, abdomine in tumorem denſum & tactui renitentem elevato, reliquum totum corpus emarceſcit & lenta tabe conſumitur,

tur, & prout ſingulæ ejus partes macie extenuantur, ut vix cutis tandem oſſibus hæreat, ita tumor abdominis increſcit & invaleſcit, cujus cauſſa, omnium conſenſu, eſt ingreſſus chylo denegatus, ob viarum obſtructionem, dum vel in ipſo aditu chylus orificia vaſorum lacteorum ſubire non poteſt, id quod ex diarrhoea chyloſa tunc conjuncta, una cum continuo cibum aſſumendi deſiderio, hariolari licet; vel chylo tranſitus per meſenterii glandulas præcluditur, quo in caſu ſimul evenit, ut in molem ingentem adaugeantur hæ glandulæ, alias minimæ, indeque abdomen mirum in modum, cum inæquali duritie, expandatur.

§. XXIV.

Præter hanc autem glandularum magnitudinem nimium auctam alii etiam *tumores grandiores ſcirrhoſi*, tam ex coalitu plurium glandularum jam obſtructarum, quam ex tota meſenterii ſtructura & ſubſtantia præternaturaliter imminuta, oriuntur & producuntur, quos Veteres interdum ſteatomatum, atheromatum, aut meliceridum nominibus inſigniebant, prout nimirum ſubſtantia illorum diverſa adparebat, & vel ſebo craſſiori indurato ſimilis, vel interius in materiam pulmentarem, aut melli ſpiſſiori conformem mutata erat. Non lubet hæc latius proſequi & per complura exempla probare, cum ipſe ille Caſus, fundamenti loco in hac Diſſertatione poſitus, ſufficienter triſtiſſimam hanc confirmet veritatem, cui idcirco ſaltem binas obſervationes, ſimilis indolis tumores exhibentes, illuſtrationis æque ac confirmationis gratia ſubjungere licebit, quarum unam TULPIUS (*h*) communicat, qui in juvene quodam, cui abdomen intra biennium in eam excreverat molem, ut pro hydropico fuerit declaratus, ſub ſectione anatomica ingens invenit ſteatoma, quod ex meſenterii glandulis excreſcens, in eam devenerat magnitudinem, ut, bilanci impoſitum, ultra libras octodecim ponderaret; alteram PARAEUS (*i*) ſiſtit, qui in fœmina quadam meſenterium tumore fere incredibili turgens, & compluribus abſceſſibus ſcatens, ſe inveniſſe refert, qui ſinguli peculiaribus incluſi membranis, aliqui eorum oleoſo, alii melleo, alii ſebaceo, alii albugineo, alii vero aquoſo humore referti erant.

§. XXV.

His ergo debite nunc perſpectis & generaliori modo prælibatis, ad ipſam ſpecialiorem Caſus propoſiti enucleationem progrediendum erit,

(*h*) *Obſervation. medic. lib. II. cap.* 32.
(*i*) *Oper. chirurgic. lib. XXII. cap.* 26.

erit, ut demum pateſcat, qua ratione ingens ille ſcirrhus in defuncto obortus, tantamque in molem auctus fuerit, & quænam graviorum illorum eundem in progreſſu ulteriori comitantium morborum cum illo fuerit convenientia, qualisque demum medendi methodus durante hacce tragœdia, irrito licet cum effectu, in auxilium fuerit vocata. Prima ergo ſua fundamenta univerſa illa morborum caterva utique poſuit ſtatim in prima defuncti ætate, quum ſub aëre craſſo, humido, vaporibusque putridis continuo fere inquinato, educatus, cibisque dyſpeptis & crudioribus nutritus, in *atrophiam*, ex cauſſis talibus infantili & puerili ætati præcipue familiarem (§. XVI.), incideret. Hanc autem ex obſtructione quadam glandularum meſenterii non exigua, ſed ſatis diffuſa obortam fuiſſe, tam ex *lenta febre* ſimul concurrente, quam ex *tumore duriori abdominis*, ſublatis hiſce morbis adhuc ſuperſtite, talesque obſtructiones ordinarie concomitante & indicante (§. X.), liquido apparet. Nondum vero tunc temporis obſtructionem illam in ſcirrhoſam inclinaſſe aut degeneraſſe indolem, exinde concludere licet, quoniam partim tranſitus talis vix unquam adeo ſubitaneus eſt, ſed longius communiter temporis intervallum requirit (§. XV.), partim tumida illa abdominis expanſio, licet in totum auferri non potuit, tamen aliquo modo diminuta fuit, quod de vero ſcirrhoſo haud ſperandum eſt tumore, utpote qui, ob ſtagnantes humores craſſos & viſcidos jamjam exſiccatos & quaſi induratos (§. cit.), nullam plane ſui admittit diminutionem, ſed potius ob adfluxum ſimilium fluidorum a tergo continuantem, progreſſum autem plane impeditum, majora ſemper capit incrementa (§. XI.).

§. XXVI.

Quæ in puerili ætate dein priori malo ſucceſſit, *Colica biliosa, moleſtis vomendi conatibus & tenesmis ſtipata*, procul dubio obſtructioni prædictæ magis increbeſcenti adſcribenda fuit. Dum enim partes quælibet obſtructæ temporis progreſſu, ob inductam fibrarum debilitatem & imminutam illarum reſiſtentiam, magis magisque expanduntur (§. XIV.), viſceraque vicina, ob molem partis auctam, preſſionem moleſtam patiuntur (§ XIII.), hæc ipſa circa duodenum præcipue, a magis expanſo tunc meſenterio, procul dubio contigit, bilisque ex ductu choledocho in illud defluentis ulteriorem progreſſum retardavit, unde illa copioſius ibidem collecta & commixtione cum aliis liquoribus, huc confluentibus, moraque diuturniori acrior reddita, ſtimulando & gravius irritando tam hoc ipſum ſatis ſenſibile, quam etiam, ex conſenſu, reliqua connexa tenuia inteſtina, tormina illa ſpaſmodica & colica concitavit, quæ tamen, rejecta per vomitum ſaburra bilioſa-

bilioſo-viſcida, plane iterum conquieverunt, manifeſto ſatis documento, quod cauſſa hæc materialis unice illorum intuitu in culpa fuerit.

§. XXVII.

Febres illæ *intermittentes*, tam *quotidianæ*, quam *tertianæ*, modo regulares, modo anomalæ, ceſſantes æque ac redeuntes, in adoleſcentili ætate occurrentes, & ad virilem usque continuantes, tandemque in *quartanam* degenerantes, primo regularem & ſimplicem, dein duplicatam, non ſolum notabile tunc factum obſtructionis in meſenterio jam præſentis incrementum, ſed inſuper quoque reliquorum viſcerum abdominalium infarctum aliqualem, & functionum iisdem competentium graviorem turbationem, per conſenſum inter has partes vigentem (§. XIII.) potiſſimum inductam, ſatis evidenter indicant, confirmantibus hæc omnia eo magis tam *tumoribus pedum œdematoſis*, quam *dolore obtuſo*, ex dextra hypochondriaca regione ad lumbarem & umbilicalem usque ſeſe diffundente, qui, quoniam tandem una cum illis tumoribus iterum evaneſcebat, hepar inprimis tunc gravius adflictum fuiſſe indicabat.

§. XXVIII.

Ab eo autem tempore gravis illa & magis magisque ſubinde aucta meſenterii obſtructio ſucceſſive in ſcirrhoſam indolem degeneraſſe videtur. Quæ enim adpropinquante quadrageſimo ætatis anno defunctum infeſtabat diriſſima *Colica ſpaſmodico-convulſiva*, a magis nunc impedito progreſſu ſanguinis per ſingula non ſolum abdominis viſcera, ſed præcipue per vaſa meſaraica ad inteſtina excurrentia, deducenda erit, dum complures hinc inde factæ ſanguinis reſtagnationes, vaſa pariter ac inprimis membranas inteſtinorum, itemque nerveas propagines per meſenterium excurrentes & in annexos hoſce canales ex parte abeuntes, diſtendendo, premendo, vellicando & irritando, ad vehementiores criſpaturas & conſtrictiones iſtas ſumme dolorificas, partes has admodum jam ſenſibiles ſollicitarunt. Sub inæquali ergo tunc reddito & vehementer turbato, per ipſum autem induratum & ad ſcirrhoſam indolem nunc vergens meſenterium plane fere intercepto humorum progreſſu, fieri aliter haud potuit, quin internus tumor magis ſeſe diffunderet, adeoque abdominis expanſio, durities & inæqualitas evidentiſſima in dies ſumeret incrementa.

§. XXIX.

Sub his ergo circumſtantiis dum copioſius congeſti & ſtagnantes intra

intra ſcirrhoſum hoc viſcus humores ex parte adhuc fluiditate ſua non prorſus deſtituti erant, ulterius autem propelli non poterant, motus tandem inteſtinus vim ſuam evidentius exſerebat, mixtionem illorum & cohæſionem partium ſuarum naturalem penitus diſſolvendo & ulceroſam corruptionem in interiori ſcirrhi ſubſtantia inferendo. Contigit hoc procul dubio circa finem quadrageſimi ſecundi anni, quoniam paucis abhinc elapſis menſibus *febris* ſuperveniebat *lenta*, manifeſtum de clandeſtina hac ulceratione jam facta teſtimonium ferens, quæ, quoniam nulla hic locum habebat corruptarum partium abſterſio & mundificatio, ſaniesque putrida, ex purulenta materia tandem corrupta genita, pedetentim cum humorum maſſa commiſcebatur, illamque non ſolum inquinabat, ſed & ad ſimilem reſolutionem corruptoriam diſponebat, ultimis denique temporibus in veram *hecticam febrem*, omnibus ſuis ordinariis ac ſonticis ſymptomatibus comitatam, tranſibat, ſub qua dein miſerrime huc usque excruciatus ægrotus e vivis tandem tollebatur, quoniam ſtupenda illa moles ſcirrhi verſus diaphragma magis aſcendens, liberum ejus deſcenſum ſummopere impediebat, ut idcirco graviſſima *orthopnœa*, in lethalem tranſiens *catarrhum ſuffocativum*, triſtiſſimam hancce clauderet tragœdiam.

§. XXX.

Ex his ergo probe inter ſe collatis circumſtantiis manifeſto nunc adparet, quod omnino in ſtatu hocce truculento defuncti noſtri docta plus valuerit arte malum. Licet enim alias quælibet viſcerum obſtructiones non plane ſint immedicabiles, ſed in ſtatu recentiori, & quando humores ſubſiſtentes non omni prorſus deſtituti ſunt motu, medelam non raro adhuc admittant; in hoc tamen ſubjecto a primo initio morborum iſtorum quaſi concatenarorum ſpem talem concipere haud licuit, quoniam atrophia, in prima ætate oborta, febrem ſtatim lentam comitem habuit, cauſſæque tam multiplices intuitu regiminis incongrui & pravæ diætæ, neceſſario ſtatum in dies pejorem reddiderunt, confirmantibus id ipſum morbis ſubinde gravioribus ſe invicem per ſingulas vitæ periodos excipientibus. Ut autem completa tandem evadat ipſa ſuperius adducta hiſtoria, paucis adhuc ea, quæ ſub medendi methodo adhibita fuere, coronidis loco ſubjungere licebit.

§. XXXI.

Quamprimum de obſtructione meſenterii oborta fuit ſuſpicio, ſub atrophia in ætate infantili ſeſe manifeſtante, non ſolum convenientibus, quantum quidem in ſubjectis talibus, medicamenta ſæpius nauſean-

nauſeantibus, fieri potuit, ſtatim eidem occurrebatur remediis, ſed & ſub ulteriorum malorum exinde pullulantium progreſſu efficaciſſima reſolventia, incidentia, attenuantia, demulcentia & roborantia, pro circumſtantiarum & ſymptomatum ratione in uſum vocabantur, veluti gummata, ammoniacum, ſagapenum, galbanum, juniperi, ſapones artificiales, tincturæ alcalinæ, extracta amara, tam vinoſa, quam aquoſa, ſub forma tam pilularum, quam elixiriorum viſceralium, cum alcaliſato menſtruo paratorum; ſucci expreſſi herbarum recentium, acetoſæ, naſturtii, tam hortenſis, quam aquatici, chærefolii, beccabungæ, cochleariæ, endiviæ, trifolii fibrini, &c. cum juſculo carnium, aut ſero lactis exhibiti; juſcula itidem medicata, ex prædictis herbis & radicibus recentibus, cichorei, taraxaci, graminis, petroſelini, paſtinacæ, ſcorzoneræ, fœniculi, &c. parata; porro radices imperator. vincetox. pimpin. albæ. ſerpentar. Virginian. herbæ marrub. albi, fumar. ſaponar. arnicæ cum floribus, cortices Caſcarillæ, Culilaban, Winteranus, aurantior. in infuſis tam theeformibus, quam vinoſis, itemque electuariis: potiones diapnoicæ, pulveres temperantes, digeſtivi, incidentes & reſolventes, non neglecto etiam, convenienti adhuc tempore, aquarum medicatarum, Pyrmontanarum præcipue, Egranarum & Selteranarum uſu.

§. XXXII.

Alterantibus his & corrigentibus ſubjungebantur & interponebantur convenienti tempore evacuantia, tam per alvum, veluti ſalia fontium medicatarum, Sedlicenſe, Epſamenſe, Egranum, de Seignette, Rhabarbarum & radix ac reſina Jalappæ; quam per diaphoreſin & diureſin moderate operantia, non neglectis, pro ratione circumſtantiarum urgentium, antiſpaſmodicis & ſecuris anodynis. His omnibus etiam convenientia jungebantur externa reſolventia, diſcutientia, demulcentia, paregorica & roborantia, in forma ſacculorum, tam ſiccorum, quam vinoſorum, fomentationum, linimentorum & clyſterum; item emplaſtra camphorata, veluti ſaponat. Barbette, diachyl. ſimpl. & compoſ. de gummi ammoniaco, de cicuta, de galbano crocatum, &c. cum oleo tartari fœtido, aliisque deſtillatis in virtute ſua magis exaltata. Tanto vero medicamentorum apparatu gravia illa & adeo complicata mala minime ad votum eradicari & tolli potuerunt, ſed in ſola palliativa acquieſcendum erat curatione, donec hectica tandem febris & aſſiduis Medicorum laboribus vigiliisque, & miſerrimæ tam diu excruciati ægrotantis vitæ, exoptatum imponeret finem.

CCLXIV.

ABRAHAM VATER

ET

JO. FRID. SCHIMMER,

DE

CALCULI IN VESICULA FELLEA GENERATIONE.

Witteberg. 1722.

Concreta illa ſolidiora & duriora, præternaturaliter in corpore humano generata, quæ calculorum nomine veniunt, licet nullibi occurrant frequentius, quam in viis, urinæ ſecretioni dicatis, renibus, ureteribus atque veſica urinaria, tamen etiam in aliis ejusdem partibus ſubinde reperiri ſolent, adeo, ut vix ullum ex noſtris viſceribus, & organis ſit, in quo talia non fuerint obſervata. Etenim calculi originem ſuam trahunt, ex recrementis alimentorum craſſioribus, tartareis, quæ in primis viis a ſucco chyloſo ſeparari, aut, ſi cum eo ad ſanguinem penetrant, in renibus ab eodem cum ſero ſuperfluo ſecerni, atque e corpore educi debebant. Quod ſi vero cruditates iſtæ, ob vitioſam alimentorum digeſtionem in ventriculo & inteſtinis, & labefactatas ſecretiones in viſceribus, in corpore retineantur, iſtæ neceſſario ejusmodi concretionibus, in locis aptis, occaſionem & materiam præbent. Quoniam igitur ad renes, ob arterias inprimis, reſpectu horum viſcerum, præ omnibus inſigniores, ex trunco aortæ egredientes, impuritates iſtæ parum digeſtæ, cum ſanguine largius confluunt, & in iisdem ab ipſo ſeparari, & e corpore expurgari debent, hinc facile patet, quare in viis urinariis calculi frequentius obſerventur. Nihilo tamen ſecius ſanguis, per univerſum corpus circulo vitali circumactus, ſcoriis talibus repletus, illas ubivis ſeponere poteſt, ubicunque in corpore noſtro ſecretio quædam peragitur. Præcipue tamen concretionibus iſtis favent cavitates, atque canalium ſecretoriorum anfractus, in quibus ſucci, e ſanguine ſecreti, moram trahunt,

adeoque

adeoque partes illas craſſiores ſeponunt, & concreta talia firmiora exhibent. Eaque de cauſa veſica fellea, quæ humorem biliofum, partibus ſalinis terreis craſſioribus abundantem, colligit & aſſervat, non raro calculos in ſinu ſuo fovet, unde plurima magna mala oriuntur. Quamvis autem calculi hi, in cyſtide generati, eandem originem & materiam habeant, cum calculis aliarum partium, cauſæ tamen ſpeciales hic concurrentes, calculorum ipſorum diverſitas, ac diſtinctus eorum concreſcendi modus, ſpecialem ſui conſiderationem merentur. Quamobrem in præſenti, calculorum in veſica fellea generationem, cauſas, diverſitates, modumque generandi, examinare conſtituimus, adjuti obſervationibus quibusdam rarioribus, magisque curioſis, calculorum ſingularium, a nobis aliisque in corporibus defunctis repertorum.

Faxit ſummum numen! ut inſtitutum hoc vergat ad ſui gloriam, & ægrotantium ſalutem.

Theſis I.

Quemadmodum calculi aliarum partium, ſigillatim viarum urinariarum, ratione numeri, coloris, conſiſtentiæ, aliarumque circumſtantiarum, innumeris modis inter ſe variant, ita non minus illi, in cyſtide inventi, admodum diverſi obſervantur. Factum non raro eſt, ut tota bilis in veſica contenta, coagulata, unum calculum, totam cyſtidem replentem conſtituerit, qualia exempla *Bonettus* ex *Fernelio*, *Henen*, *Schæfero*, aliisque collecta in anatom. Pract. L. III. S. XVII. p. 324. & 326. recenſet. Imo nullum eſt dubium, bilem concretam, induratione atque exſiccatione findi, & in plura fruſtula, tot calculos conſtituentia diffringi poſſe, uti docet exemplum, a *Boneto* l. c. allatum, ubi in fœmina, ictero defuncta, plures calculi cærulei, ſplendidi, anguloſi, reperti fuerunt, ſuperficiebus ita inter ſe conjuncti, ut unicum calculum, totam veſicam felleam opplentem exhibuerint. Eadem ratione triginta calculos, a nobis quondam ex fœmina, apoplexia defuncta exſectos, generatos eſſe, judico, uti expoſitum eſt in Differt. noſtra de bilis diverticulo.

Theſ. II.

Econtrario ſæpius contingit, ut calculi modo plures, modo pauciores in ipſa bile, in veſica contenta, generentur, quorum numerus nimium quantum variat. Interdum enim tantum unicus, interdum

 vero

vero plures inventi fuerunt, uti docent exempla ab Autoribus enarrata. In Actis Medic. Berolin. Vol. V. p. 90. deſcribuntur & delineantur triginta & ſeptem, ex illuſtri Baroniſſa, a vigeſimo quarto fœtu gravida, poſt abortum mortua, deſumpti, coloris albi, variegati ſplendentis, (*weiſs-marbrirt*) & alii, ad numerum quinquagenarium accedentes, e cadavere matronæ, iliaco morbo defunctæ. *Beckerus* Miſc. Cur. Ao 1676. ſeptuaginta duos, *Cnœfelius* Miſc. Cur. Ao. 1673. nonaginta novem, *Joach. Camerarius* centum & quadraginta tres, referente *Schneidero* Diſſ. de calculo, centum & octuaginta unum in sereniſſima Principiſſa Baruthina *Stein* in Lithographia curioſa, obſervarunt; ex quibus apparet, quanta ſit calculorum horum differentia, ratione numeri.

Thes. III.

Non minor calculorum deprehenditur diverſitas quoad magnitudinem, figuram, colorem, atque conſiſtentiam. Uti enim alii minores, ita tales figuræ rotundæ, ovalis, triangularis, vel polygonæ, piſa, fabas, tribulos aquaticos referentes, obſervati ſunt. In Gazophylazio Regis noſtri Clementiſſimi, aſſervatur calculus veſicæ felleæ, per alvum excretus, corculum referens, inſignis magnitudinis, cujus quinque ſocii minores, in feminæ paulo poſt ejus excretionem defunctæ, cadavere in veſica fellea reperti ſunt, ita figurati, ut videri poſſit, quomodo majori iſti adhæſerint. In eodem pariter Gazophylazio habetur calculus, colore cum chocolata, magnitudine & figura cubica cum teſſera conveniens. Color calculorum cyſticorum communiter obſervatur nigricans, flaveſcens vel virideſcens. Calculos veſicæ felleæ, virideſcentes & maculis nigris interſperſos, in corpore Ziegleri, Clariſſimi quondam hujus Academiæ Jcti. inventos recenſet *celeberrimus Bergerus* de Nat. Hum. C. XIV. p 229. Alium lapidi hæmatiti ſimilem totamque veſicam replentem, ex *Jac. Camenìceno* refert *Sennertus* L. III. P. VI. S. I. C 9. Pr. Duos alios inſignes, figura, colore & magnitudine cum nuce mochata convenientes, ex corpore Hydropici extraxit *celeberrimus Heuchenus*. Interdum tamen cærulei, quorum meminit *Bonettus* l. c. imo, quod rarius, albicantes inventi fuerunt.

Thes. IV.

Inter illos, quos inter curioſa ſervamus, cyſtidis calculos, triginta illi, a nobis ex fœminæ corpore exſecti, quorum ſupra mentio facta eſt, nigricantes & politi, ob bilem autem croceam hinc inde in ſuperficie adhærentem, ex nigro & aureo colore ſunt variegati. Alium, eumque

eumque unicum, ex fœmina, aſcitide defuncta, exſecuimus, obſcure virideſcentem, ac ſubrotundum, ſuperficie admodum aſpera, & quaſi villoſa, præditum. Poſſidemus etiam calculum veſicæ felleæ, ab aliis penitus diverſum, ſubſtantiæ calciformis, albiſſimum, leviſſimumque, ex viro, hydrope defuncto, deſumptum. Sed peculiarem plane, eumque rariſſimum, invenimus nuper in apertione viri, a multis annis affectibus epilepticis & maniacis afflicti, ac apoplexia ſubitanea interempti. In hujus corpore, præter alia, notatu digna, inter quæ tota bilis pericardii cum corde concretio numeranda, veſica fellea bile craſſiſſima & nigricante repleta, continebat calculum candicantem, pellucidum, ac ſtriatim concretum, in cujus ſuperficie ſtriæ ſalinæ tenuiſſimæ, micantes apparebant. Calculi talis cyſtici pellucidi mentionem quoque facit *Blegny Zodiac. Gall.* A. 1. obſ. 8. p. 95.

Thes. V.

Generationem calculorum, adeo diverſorum, bili ipſi, & principiis in ea latentibus, adſcribendam eſſe, quilibet facile videt. Hujus quidem craſſities, viſciditas, atque mucoſitas, concretionibus iſtis admodum favet, uti ex antecedentibus conſtat, notabile tamen eſt, quod in bile craſſa & nigricante calculus albicans, tranſparens, generari potuerit, id quod certe unice principio ſalino adſcribendum videtur. Neque enim ſemper in bile, utut craſſiſſima, calculi reperiuntur, ſicut etiam in hac concreta alia generari poſſunt. Hujus rei exemplum notatu digniſſimum habetur in tranſactionibus Philoſoph. Illuſt. Societ. Reg. Angl. n. 333. p. 426. a *Yungio* relatum. Hic in fœmina aſcitica, e cujus corpore ſucceſſive, a 9. Martii, ad 30. Octobris, per paracenteſin CCXIV. menſuræ aquæ eductæ fuerunt, poſt ejus mortem veſicam felleam, propter obſtructionem ductus excretorii, ſummopere extenſam, tantæ invenit magnitudinis, ut veſicam urinariam maximam bovinam excederet. Pondus hujus veſicæ biliariæ libras decem cum duodecim unciis comprehendit, liquor vero contentus ſeptem menſuras confecit, isque nigricans, & craſſus, inſtar decocti coffee ſaturatiſſimi. In hoc liquore reperti fuere quamplurimæ membranulæ, fruſtula inteſtinorum vel veſicarum diſſectarum referentes. Quamvis autem bilis craſſior ad concretiones tales apta magis ſit, calculi tamen interdum in bile tenuiori, aquoſa, nullatenus colorata, inventi fuerunt. Ita liquidum bilioſum, calculos triginta ſeptem, in actis Medic. Berolin. loc. cit. delineatos, continens, mucum lentum album & transparentem, bilis nomen non merentem retulit. Liquorem ejusmodi aquoſum, nullo modo amarum & bilioſum, in veſica fellea, cum calculo, in ductu cyſtico hærente obſervavit celeb. Ruyſchius, uti refert obſ. LXXXVI.

Theſ. VI.

Ex hactenus enarratis, calculorum tam diverſorum exemplis, ſufficienter apparet, fundamentum eorum non tantum in bile craſſa, mucoſa ac viſcida, quoniam tales etiam in bile tenui & aquoſa inventi ſunt, ſed principio potiſſimum ſalino ac tartareo, in ea hærente, quærendum eſſe. Vidimus quidem ſuperius, bilem ipſam lentam atque tenacem concreſcere, ac exſiccatione in unicum calculum abire, eoque diſrupto, quoque plurima fruſtula calculoſa conſtituere poſſe. Iſta tamen bilis coagulatio ſine principio ſalino & tartareo peragi nequit. Tales impuritates ſalinæ, terreſtres, uti ex alimentis cum chylo ad ſanguinem accedunt, ita ex eodem cum ſuccis corporis noſtri ſecerni ubicunque locum, concretioni aptum, inveniunt, & in coagulum abire poſſunt. Id autem in veſica fellea faciliime contingit, quoniam bilis ex ſanguine venoſo & fœculento, per venam portæ, ex meſenterio & inteſtinis ad hepar allato, ibidem per ductus ſecretorios transcolatur, ac poſtmodum in cyſtide collecta diuturniore ſua ſtagnatione, calculorum generationi occaſionem præbet.

Theſ. VII.

Elementa calculorum, uti reliquorum, ita quoque cyſticorum, ex alimentis inprimis dependere, nemini poteſt eſſe obſcurum, cauſæ vero ad eorum generationem diſponentes, ex reliquis rebus, uti Medicis audiunt, non naturalibus, derivantur. Actum agerem, ſi omnes illas cauſas remotiores, ad productionem calculorum conducentes, enumerare vellem, quia hoc ab Auctoribus, inprimis a B. *Brendelio*, in Lapidicina microcoſmica ſufficienter eſt pertractatum, potiores tamen ſummatim indicandæ erunt. Alimenta quidem præ ceteris cruda, difficulter ſolubilia, ac craſſum chylum generantia, nec non potus talis craſſus, turbidus, & ſtypticus, præcipue huc faciunt, nullum tamen eſt dubium, optima etiam alimenta, per vitioſas digeſtiones, in primis viis, & viſceribus reliquis, degenerare poſſe. Reliquæ vero cauſæ non naturales, motus & quies, ſomnus & vigilia, animi pathemata, excretiones & retêntiones, uti alias ad morbos generandos plûs valent, quam ipſa alimenta, quatenus digeſtiones confundunt, circulum ſanguinis turbant, & ſecretiones vitioſas reddunt, ita etiam plurimum ad calculorum iſtorum productionem faciunt.

Theſ. VIII.

Clarius hoc ipſum patebit, ſi conſideremus, in quibus ſubjectis tales calculi biliarii reperti fuerint. Sæpiſſime certe in veſica fellea

tales obſervati ſunt, in iis, qui calculo ſimul viarum urinariarum laborarunt, ex quo manifeſtum eſt, non tantum cauſas horum eſſe communes, ſed etiam ſcorbuticos, quorum humores ſalibus abundant, inprimis his eſſe ſubjectos. Quoniam vero humores tales ſalini, acres, ſcorbutici, ex primarum viarum impuritatibus dependent, hinc ſuo quoque modo affectus hypochondriacus ad calculum diſponit. Quemadmodum autem vitium primæ digeſtionis non corrigitur in ſecunda, ita quoque chylus craſſus atque viſcidus, cum ſanguine in circulum actus, hinc inde in viſceribus ſubſiſtit, & obſtructiones in extremitatibus generat, ac ſecretiones vitiat. Quod ubi in hepate aliisque partibus, ad ſecretionem bilis facientibus, contingat, hac denegata, bilis in ſanguine retinetur, & icterum efficit. Obſtructionibus vero viſcerum, inprimis hepatis, ſanguinis depurationibus deſtinati, ſucceſſu temporis auctis, & in ſcirrhum abeuntibus, & turbata eo ipſo lymphæ ſecretione, ſerum ſanguinis tandem extra limites tendit & hydropem inducit.

Thes. IX.

Non igitur obſcurum eſſe poteſt, quamobrem calculi biliarii frequentiſſime in iis, qui ictero, eoque inveterato & diuturno deceſſerunt, aut eodem ante hac laborarunt, nec non in corpore hydrope defunctorum aperto, inveniantur. Propterea tamen nullatenus neceſſarium eſt, eos, in quibus veſica biliaria calculos monſtrat, brevi ante obitum ictero aut hydrope laboraſſe, eodemque defunctos eſſe, ſicuti etiam non in omnibus, his morbis extinctis, tales reperiuntur. Matrona illa, in cujus cyſtide triginta calculi, ſupra memorati, a nobis inventi ſunt, in medio quidem ætatis curſu, anno circiter quadrageſimo, ictero atque melancholia hypochondriaca graviter afflicta fuit, haud dubie, ob calculos, eo tempore jam ibidem latentes, poſtea tamen ab iis morbis liberata, ad ſexageſimum ætatis annum integra valetudine uſa eſt, ac præterquam quod phlogoſibus, anxietatibus, ac animi commotionibus fortioribus, obnoxia fuerit, nullo graviori morbo laboravit, & tandem anno ætatis ſexageſimo tertio, apoplexia deceſſit. Ita pariter vir ille, in cujus apertione calculum albicantem, pellucidum, & quaſi cryſtallinum invenimus, per duodecim annos inſultibus epilepticis, & maniacis enormibus, per intervalla afflictus eſt, nunquam tamen ictero, aut hydrope laboravit, ſed accedente apoplexia, ſine dubio ob ſerum intra cranium extravaſatum, ac in cerebri ventriculis & baſi repertum, morte ſubitanea interemptus eſt. Notabile tamen eſt, in ejus corpore, præter calculum iſtum, in cyſtide hærentem, & pericardii totalem cum corde

concre-

concretionem, nullum vitium manifeſtum deprehenſum fuiſſe, cui tot tantaque mala, in vita perpeſſa, adſcribi poſſent. Cordis autem cum pericardio concretioni, anxietates & oppreſſiones cordis, de quibus continuo conqueſtus eſt idem, attribui debent, ob motum cordis liberum, eo ipſo valde impeditum.

Thes. X.

Accedendum autem nobis eſt, ad concretionis hujus præternaturalis cauſam primariam, & efficientem, in cujus expoſitione cardo totius rei verſatur. Non pauci fuerunt, qui comparatione inter macrocoſmum & microcoſmum inſtituta, eandem calculorum in hoc, ac lapidum in illo, generationis cauſam, ſpiritum nimirum gorgonicum & lapidificum eſſe, voluerunt. Sententiæ huic favere videntur, non tantum corporum variorum, in terris & undis petrefactiones, ſed integrorum quoque exercituum, atque gregum, aëris lapidifici perflatione, in ſaxa mutatorum exempla, ab auctoribus allata, ac viſcerum & fœtuum humanorum, & brutorum, in corpore indurationes. Reperiuntur certe fontes, injecta omnia in lapides mutantes, eruuntur quoque e terris ligna, cornua & oſſa animalium, ſaxea duritie prædita, imo, quod magis mirandum, in cryptis ſubterraneis, qualis in Germania eſt celebratiſſima illa Baumanniana, qualesque in Ungaria plures, & inter has Czernavienſis, Benikovenſis, Oknenſis & Stanovenſis, reperiuntur, in quibus, præcipue in Cyernavienſi ampliſſima, antrum nigrum vocata, atque e ſaxo exſudantes, & deſtillantes induratæ, varias figuras, luſu naturæ efformatas, generant. Ex his nuperrime varia ſingularia, & admodum curioſa concreta, & inter ea tubulos teniſſiumos albiſſimosque, cryſtalli inſtar transparentes, magnitudine calamorum ſcriptoriorum, ex his aquis formatorum, benevolentia Doctiſſimi *Buchholzii*, Rectoris Nagypalugienſis meritiſſimi, obtinui. Aquæ iſtæ lapidificæ nihil aliud ſunt, quam liquores minerales ſalini, qui, accedente aeris preſſione coagulantur & indurantur, neque exinde ſpiritum quendam lapidificum in corpore noſtro demonſtrare licet, quoniam concretiones in hoc, per ſuccos ſalinos e ſanguine ſeretos, pecragi poſſunt.

Thes. XI.

Principium igitur ſalinum omnium firmarum concretionum, uti in Macrocoſmo, ita in Microcoſmo, cauſa merito reputatur. Cui vero ex ſummis ſalium generibus; acido, an alcali? negotium hoc in corpore noſtro tribuendum, admodum difficile eſt determinare. Acidum certe omnium firmarum concretionum & cryſtalliſationum funda-

ſundamentum eſſe, experimenta chimica docent, quoniam tantum liquores ſalini, de acido participantes, evaporatione cryſtallos generant, alcalici vero, nonniſi totali humidi abſtractione, exſiccantur. Attamen per experimenta, cum ſuccis animalium ipſisque calculis, in iisdem generatis, a curioſis inſtituta, nullum hactenus acidum ex iisdem elici potuit, tantum abeſt, ut illud in humoribus ſenſibus deprehendatur. Ipſi calculi humani urinarii, deſtillatione ſpiritum volatilem urinoſum præbent, relicta in fundo ſubſtantia levi, calciformi & friabili, cui idem ſpiritus abſtractus, vel alius urinoſus iterum affuſus, lapideam duritiem reddit, uti conſtat experimento Takenii, quod in Hipp. Chym. c. IV. recenſet. Plerique tamen Auctores, ob cauſas graviſſimas, generationem ſolidorum ejusmodi corporum, a ſolo ſale volatili urinoſo, ſine acidi acceſſu, peragi poſſe dubitant, ac propterea acidum peregrinum, ex primis viis accedens, & ad coagulationes diſponens accuſant, licet tale per chimiam demonſtrari nequeat. In ea ſententia tanto magis confirmantur, quoniam, imprimis acida & aceſcentia alimenta calculis occaſionem præbere, obſervatur. Ipſi nos urinas ſcorbuticorum, arthriticorum & calculoſorum, luci oppoſitas inſpicientes, ſæpe atomos micantes & ſplendentes copioſiſſimas conſpeximus, quales lixivia tartari vitriolati, aliorumque ſalium enixorum, in cryſtalliſationis puncto conſtituta, oculis noſtris exhibent. Sunt autem atomi ſcintillantes nihil aliud, quam cryſtalli, incipiente cohæſione ſalium generatæ. Plura eam in rem addere poſſemus, niſi alia negotia hoc impedirent.

Thes. XII.

Reſtat tandem, ut paucis de diagnoſi, prognoſi & cura, calculorum veſicæ felleæ agamus. Calculi iſti, uti difficillime, & non niſi probabiliter cognoſcuntur, niſi tales per alvum ſecernantur, ita eorum æque, ac urinariorum reſolutio vix ſperari poteſt. Quoniam vero omnes calculos, ex alimentorum ſcoriis craſſioribus, in primis viis, uti par erat, non rite digeſtis & ſeparatis, dependere vidimus, quales ad locos minimi motus deponuntur, ut ſcite loquitur *Pitcairnius* in Elementis Phyſico-Mathematicis L. II. cap. 24. ibique gravitate ſua ad concretionem tendunt, cura præſervatoria, in remotione cauſarum occupata, locum invenit. Hæc in eo conſiſtit, ut abuſus alimentorum, ad calculum diſponentium, videtur, rerum, ita dictarum, non naturalium uſus prudenter dirigatur, tonus viſcerum confortetur, & digeſtiones in primis viis, & ipſo ſanguine promoveantur, ventriculus & inteſtina ab impuritatibus liberentur, obſtructiones viſcerum ſecretoriorum præcaveantur, aut tollantur, ac depurationes ſanguinis reſtaurentur. Hoc autem, quibus remediis peragi debeat, prudentis medici eſt judicare.

C C L X V.

ANTONII DE HAEN

HISTORIA ANATOMICO-MEDICA

MORBI MIRI INCURABILIS.

Hagæ 1744.

HAud ita pridem vocatus fui ad fœminam quinquagenariam, ſatis toroſam, ſcorbuto lentiore laborare incipientem, menſtruo fluore à 45 ætatis anno carentem: corripuerat eam aſſiduus, iſque copioſus, albus fluor aliquot abhinc annis: qui ſimul ceſſarat integre ex quo deſcribundus mox morbus oriretur. Quum porro me accerſiret, dolorem totius abdominis conquerebatur, vinculumque ceu toti ventri circumſtrictum, ac proſtratum appetitum. Debile micabant arteriæ, alvuſque ſupra modum ſtiptica erat. Nec ignotus mihi peſſimus fœminæ mos, potibus ſpirituoſioribus abutendi; quum jam tribus abhinc annis per aliquot dies ipſi medicus adfuiſſem; licet quo tunc malo decumberet penitus oblitus ſim. Jam vero & maritus, clam, me monuit, uxorem ſpiritus deſtillatos deteſtantem, ad vini rubri adſtringentis abuſum peſſime deflexiſſe; quam rem & ipſa ulto faſſa eſt.

Occæpi ergo abdominalium obſtructionem viſcerum cogitare, licet qualenam iſtud foret nondum mihi liquido conſtaret. Colon ſaltem ex indicatu narratuque patientis ſuas agebat partes. Dubium etiam numne ſtringens vinum, ſpirituum fermentatione paratorum abuſui ſubeuns, album fluxum penitus cohibuiſſet? Hincque interiora pejus eſſent affecta?

Deoppilanda ergo dum indicarentur viſcera, lenia primo deobſtruentia, lento ſimul ſcorbuto profutura, præſcripſi. Scilicet para pilulas ex ſapone Veneto, Rheo, ſale tartari, polychreſto, & ammoniaco gummi. Quibus lente inciſa & diſcuſſa materies purgante ex rheo, & manna expellebatur.

His equidem tantum de violentia morbi demtum fuit, ut medio Novembri patiens cum marito per binos ſibi ſubſequentes dies publicis ac ſolemnibus epulis interfuerit; licet ſero veſpera pejus haberet.

Verum

Verum paucis poſt diebus lumborum, ac lateralium abdominis partium ſuborti dolores. Urina parcior, ac ſæpe nulla; quæ reddebatur ſubalba fuit, cum albo, tenaci, ac glutinoſo ſedimine. Nauſeæ continuæ vomituſque. Lenta febricula. Nulla alvus. Quare ad colicam nephriticam cum videretur morbus accedere, præſcripſi Petri Foreſti decoctionem cum manna foliiſque Alexandrinis, injecto prius, at fruſtra, enemate uno alterove. Reſolventia quoque emplaſtra dolenti utrinque laterali abdominis parti adhibita ſunt. At ne vix quidquam opitulante decocto, mire poſthoc enemata profuere. Unde largior exinde fluor alvi, lotiumque paulo copioſius, rem ſenſim in melius mutaverunt.

At hæc tantum paucorum induciæ dierum; ſiquidem deinceps etiam cum copioſiſſima alvo omnia exacerbarentur & urina integre fere ſubſiſteret.

Hanc ob cauſam, quum viæ lubricandæ, ac ſimul pellendum lotium indicari mihi viderentur, miſturam præſcripſi ex aq. petroſel. fœnic. ſyr. V. rad. ol. amygd. tinct. ſucc.; enemate ſubinde injecto, ubi alvus deerat. Miſturæ uſui interpolandum ſuaſi ſubinde vini Moſellani vel Rhenani levioris hauſtulum. Levia equidem hæc, at breviſſima, dedere ſolatia.

Quum vero malum continuo recrudeſceret, atque vomitus frequentior, laborioſiorque indies contingeret, ſocius mihi Vir in arte clarus adjunctus eſt. Eo autem prima vice rem mecum examinante, minor ad lumbos, ad hypogaſtrica loca major dolor adfuit; ingensque deprehenſa ſupra pelvim protuberans eminentia. Unde nata ipſi ſuſpicio ne forte urinaria veſica lotium intra ſeſe detinens dyſuriæ cauſa exiſteret. Quæ res cathetere explorata falſos in opinione medicos docuit; paucis vix guttulis ex veſica deciduis.

Porro cum emendanda dyſuria, ac metuenda hinc putredo corrigenda viderentur, præſcriptum fuit apozema ex tamarindis, lapatho acuto, & polychreſto ſale. Inde quotidie, (ſcil. per IV. ſubſequentes dies) urina ad VII. vel VIII. uncias demiſſa, craſſa, cum mucoſo, ſubalbido, inæquali, flocculento, ſedimento. Alvus interim vix ulla; vomitus aſſiduus; & percepta ad VII. Decembris ſicca dolorifica, vexans continuo, tuſſicula. Neque ultra vel hilum ventriculus detinuit; at ejecit quævis alimenta, vina, medicamina, ipſaque etiam opiata. Epithemata ideo applicata ventriculi regioni, cui rubræ Roſæ ac cinamomum incoxerant: ſed vix juverunt.

Interim alia apparuit morbi facies. Tumor namque jam haud ita ſupra oſſa pubis, verum ad binorum digitorum latorum diſtantiam ſupra umbilicum conſpectus, in principio quidem parvus, nec multum diſtinguendus: at ſenſim magis magiſque prominens, ad uſque cartilaginem enſiformem: ita ut quatuor circiter pollices altus, & quinque pollices latus conſpiceretur.

Atque hoc circiter tempore tertius Medicus, ægrotantis Cognatus, conſultandi gratia adfuit, ſæpiuſque nobiſcum, quo toto tempore dein morbus perduravit, ſupra miſerandam ægritudinem contulit.

Itaque rem ſerio volutantibus animo jecinoris affecti nata ſuſpicio; quum & locus quodammodo id indicaret, & preſſis hinc ventriculo Pyloroque, vomitus continuus oriri videretur. At nullus interim icterus; ita ut minus probabilis, hæcce videretur ſententia. Jam iterum in pingue illud, quod circa orificium ventriculi inania opplet loca, fovendoque ac lubricando egregiam eidem opem præſtat), converſi oculi: quippe plurimum eminebat is locus, & tumor per mox deſcripta divagabatur ſpatia. Præſto & exempla aderant famoſorum in hac urbe virorum, quos, (ubi eadem ſymptomatum lerna divexati diu multumque fuerant,) tumor ibidem loci foras apertus ita percuraverat, ut illibata ſanitate deinceps fruerentur.

Conſpicuo ergo tumore, duroque, ac foras magis atque magis eminente, conſtantibus interim patientis viribus, communi conſilio ſancitum fuit ad maturitatem tumorem eſſe perducendum: cui ſcopo cataplaſma profuiſſet, ni reſpuiſſet illud ægra: unde galbanum vitello ovi ſolutum emplaſtri applicitum forma. Obſtinatam alvum eclegma ex oleo amygd. caſſia & manna ſubinde ſolvit. Quum appoſitum galbanum per VI. dies vix quicquam mutaſſet, impoſitum fuit cataplaſma adornatum ex lini & altheæ farina, oleo raparum, & galbano pulv. Hoc porro per ſex alios dies adhibitum, fluctuantis in tumore materiei incrementum videbatur docere. Tumor ſenſim plus circumſcriptos intra terminos definiri viſus; ita ut cyſticum eſſe paſſim affirmaremus omnes. Advocatus quoque dexterrimus Chirurgus noſtro rogatu uno alteroque die nunc jacentem ægram, nunc ſedentem ſedulo examinans, revera cyſticum aſſeruit tumorem; ac qualem intra ſeſe gereret materiem ſe adhucdum ignorare.

Utcumque ergo collabaſcere viribus incipientibus, aperiendi tumoris unanime votum fuit, idque eſſe inſtrumento *Troquar* dicto peragendum; ut poſt eductum inſtrumentum manente cannula commode exiret materies; locum autem eſſe eum qui pluſculum molleſcebat & eminebat, & minus diſcriminis a vaſis hypogaſtricis ad mammas tendentibus dabat: ſcil. ad duos digitos latos a linea alba, & paulo infra ſpurias coſtas in latere dextro.

Quinta Januarii inſtituta operatio fuit, ac mox penetrante inſtrumento rubella aqua vi proſiliit, ultra decem pintas. Flaccidior tunc tumor apparuit, neque tamen diſparuit omnino; eductaque cannula, abdomen lata conſtrictum faſcia fuit. Cur vero educebatur cannula, hæc ratio fuit, quod materies educta haud admodum prognoſi faveret, metumque incuteret ne quid intus monſtri aleretur. Quin & re id poſcente,

cente, facile aperiri denuo poterat locus. Interim lætitia ingens ægram perfuderat, quod multum ſe levari ſentiret.

Redux ego cum Chirurgo octo circiter horis ab inſtituta paracenteſi, lætam ſalutavi ægram, narrantemque audivi ſe jura carnium, ſe vini pauxillum, ſumſiſſe, nec revomuiſſe quicquam. Reddiderat urinam ulla abſque moleſtia ultra ſemipintam, colore citream, minime turbidam: vires multo quam antea majores. Nox quoque ſubſequens ſolito tranquillior fuit: Ut profecto nonnihil ſpei animo reconderem fore ut utcumque convaleſceret; licet aqua fuſca rubella metum penitus haud excluderet.

Præter ſitim paulo intenſiorem die Januarii ſexto omnia æque favebant. Siti moderandæ commendabam vini Rhenani aqua diluti uſum. Madeſcere quoque hac die cœpta lintea atque emplaſtrum, vulneri impoſita; vulneris autem ne minima quidem inflammatio.

At vero ſeptima Januarii alia, eaque triſtiſſima rerum facies. Abdomen æque fere turgidum, quam ante paracenteſin; at intro contenta materies magis inſtar aquæ fluctuans erat. Totus humeſcebat lectus effluente per foramen humore. Vires imbelles admodum, conſtipataque cum teneſmo alvus. Urina parciſſima, craſſa penitus ſubalbidaque. Enormes vomitiones, ſitis ingens. Ejulanti præ dolore teneſmode enemaque rogitanti, illud facile conceſſimus. At jam facile cernebamus omnes effectum quidem mali ſublatum a nobis eſſe, cauſam vero neutiquam; hincque fœminæ ſummopere metuendum eſſe. Nec viribus proſpicere erat, quum vix deglutita guttula mox ore redderetur.

VIII. IX. & X. Januarii, idem rerum ſtatus, majoreſque anguſtiæ. Gelidam ad uſque ſitulas miſerabili voce cum flagitaret, ad minimam guttulam aſſumptam illico rejecit. Vulneris necdum ulla phlogoſis. Ichor tam copioſus adeo hiſce diebus perfluxit, ut vel ſtramen lecto ſuppoſitum madeſceret. Tandem inter inexplicabiles anguſtias, mente præſens, nocte media qua 12. Januarii inchoaret, animam ærumnis defatigatam Creatori reddidit.

Poſtera die nudatum corpus intuitus ſum. Turgidulum erat abdomen, ſpumaque ore aſſiduo projecta faciem totam conſpurcabat.

XIV. Januarii cadaver diſſecuimus: ichore copioſiſſimo per foramen infimo ventri inflictum, prius educto, ne in diſſecando turbaremur. Hujus copioſiſſimi equidem ichoris capere pondus menſuramque nequivimus, quia feſtinatu opus fuit.

Toroſitas, hydropem ἀνασαρκα minimè referens, attamen ſolito flaccidior, toto in corpore deprehenſa. Ad abdomen panniculus adipoſus aliis in locis pollicem, digitum in aliis, craſſus viſus.

Ubi quadrifariam diviſerat abdomen ſectio crucialis, primo equidem intuitu videbamur videre ventriculum ipſum medio in abdomine ad

ad pollicis fere diſtantiam ſupra umbilicum. Verum attentius introſpicientibus, quod ventriculus credebatur eſſe, ipſum eſſe omentum evidenter apparuit. Illud namque ſuo loco hærens in tam compactam vaſtamque molem abiverat, ut duos digitos latos craſſum fere ubique exiſteret, niſi quod in ambitu paululum gracileſceret. Tactus deprehendit nihil, præter vaſtam hanc ac ſemiputridam maſſam. Monſtroſi hujus corporis ope ventriculus, ac colon, duodenum quoque ac jejunum, in unum coaluerant corpus; ut non, niſi deſtruendo, divelli a ſe invicem poſſent. Contractus admodum parvuſque ventriculus. Pancreas ſcirrhoſum. Hepar perquam magnum, ſcirrhoſumque, accretum peritonæo fibris mollibus, facile dilacerandis, cætera durum attactu; ſin vero vix ruditer attingeres, facile dividendum. Veſicula fellea cum plena, tum magna; adeo, ut in fundo pollicem, in collo digitum lata, integrum vero digitum longitudine æquaret. Inteſtina tenuia cum ventriculo, colo, epiploo in unum fere corpus coalita, ſpatium quam minimum occupabant; dum interea tota quanta capacitas peritonæi (præterquam quod cæcum, & colon a liene deſcendens, contineret) inanis erat & vacua: in qua profecto ingens illa aquarum copia hæſerat. Cæcum porro ac colon, haud leviter, ut ſæpe fit, ſed tam firmiſſime erant peritonæo accreta, ut nulla vi, niſi deſtruente, ſeparari poſſent. Fuſcoruber inteſtinorum color: eorundemque durities coriacea, ut vel rudiſſimo attactui reſiſterent. Illud interim mirum quod peritonæum parte anteriore, qua viſcera ſpectat, parvis rotunduliſque ſcirrhulis hirtum inſtar corii *Sagryn* dicti ubique conſpiceretur id autem ſub diaphragmate minime. Mephitis adeo teterrima nares affecerat, ut vix triduo poſthac avolaret. Quæcumque viſcera contrectabamur, muco tenaci, lubrico, putrido, quaſi perlita, deprehendebamus.

Exercitationis gratia quæritur:

1o. Quænam fuerit morbi cauſa remota?

2do - - - proxima?

3io Quæ origo variorum in eodem obſervatorum phænomenorum, nempe,

A. Vomitus?

B. Urinæ ſuppreſſæ vel difficilis?

C. Alvi obſtinatæ?

D. Doloris?

a. In ſuperiore abdomine?

b. Ad lumbos?

c. Ad ilia.

d. Ad medium infimum abdomen ſupra pelvim?

E. In-

E. Inſomnii?
F. Frigoris?
G. Tuſſiculæ?
H. Accretorum ſibi invicem viſcerum?
I. Hirti peritonei?
4to. Cur omnes decepti fuimus?
5to. Quænam ex his in praxi utilitas elicienda?
6to. An errore noſtro citius periit?

Quæ cauſa morbi prædiſponens fuit?

℞. Menſtruorum ceſſatio hic utique non conſideranda erit, ea ſiquidem ad 45. ætatis annum perdurarunt, quo tempore in plurimis innoxie ceſſare conſueverunt. At vero quod iiſdem ceſſantibus nunquam ſibi venam pertundi voluerit, ut ipſa mihi retulit, hoc forſan citra culpam non tulit: ſed de his nil certi ſcimus.

Abuſus autem ſpirituum fermentatione paratorum inter primarias cauſas referendus: hi namque ſpiritus

1° Motum humorum augendo liquidiora diſſipant, figunt craſſiora.
2do. Quum vitæ viribus non ſuperentur ipſos humores acres reddunt.
3^io. Inſinuando ſe inter ſolidarum partium interſtitia, has ſolideſcere faciunt: quo autem ſunt minora vaſa, eo pejus malum; nam omnia rigida fiunt.

Ab omnibus hiſce cauſis ſolida magis magisque rigeſcunt, & ſpiſſeſcunt fluida. Augetur hujus mali gradus, quo ſpirituoſorum abuſus diuturnior ac copioſior ſit. Si ſimul hinc ingens acrimonia oritur, augebitur humorum motus, & tenerrima vaſa facile frangentur. Tum & in vaſis minoribus arterioſis obſtructio fit à craſſo fluido, tranare per vaſis anguſtiam non potente. Liquida quoque denuo ingeſta & vaſis excepta, ſpiſſis & quaſi ſolidis humoribus vix miſcentur, ſed per Rexin, Diapedeſin, &c. teneriorum vaſorum in cava corporis depluunt. Obſtructio porro magis apta nata eſt fieri ſub diaphragmate, quam ſupra illud: quum juxta leges hydraulicas minus mobilia, adeoque vi cordi projectili magis reſiſtentia, in aortam deſcendentem intrent.

Quæ cauſa morbi procatarctica?

℞. Vini rubri adſtringentis creber ac diuturnus abuſus. Ubi enim primo ſpiritibus deſtillatis corpus adeo a ſano degeneravit, vinum (præterquam quod ſat notabili alcoholis copia refertum idem ſegnius faciat,

quod

quod maturius efficiunt ſpiritus) vinum, inquam rubrum partibus ſuis terreis, adſtringentibus dictis, incraſſando humores, obſtruendo vaſa, ipſaque vaſa in ſua ſubſtantia ſolidiora reddendo, forſan effecit ut, præter morbi ipſius incrementum, albus quoque fluor ſubſtiterit. Is enim ceſſavit ex quo morbus, prout a principio depingitur, obortus fuit.

Albus itaque fluor (ut in fœminis ſpirituoſorum uſui deditis obſervatur) in ejuſmodi corporibus oritur, eo quod humores eum in modum craſceſcunt, ut cum iiſdem intime miſceri ultra nequeant alimenta aquoſiora. Ergo vappida, inertia, minimeque globoſa, vi cordis ſyſtolica ad ſuperiora ferri inepta, per aortam deſcendentem, imo & per ejuſdem ramos a centro motus remotiores amandantur, atque ita per uterina vaſa, utpote fluxui humorum cedere apta nata, de corpore eliminantur.

Qui porro vappidorum humorum e corpore ſeceſſus ſæpe hiſce fœminis admodum fortunatus deprehenditnr: quum eo ceſſante, vel infauſto medicamine curato, dirus obſervetur contingere hydrops; materie jam intra corporis depluente cavitatem, vel affuſa viſceribus. Hicque profecto noſtræ fuit ægrotæ ſtatus.

Olei autem a ſanguine ſecretio interim hic videtur expedita fuiſſe: quum corpus externum adhuc ſatis toroſum manſerit, ut ſupra innuimus; & maxime conſtitit in Portentoſo Omento, quod, ut ſui muneris eſt, oleum a ſanguine cæliaco continuo quidem exceperit; verum id obſtructo jecinori tradere impos, in tam immenſam excreverit molem.

Unde vomitus?

℞. A preſſo, adeoque ſe ob enormen hepatis omentique, atque aquarum molem, explicare nequeunte ventriculo.

Cur ſuppreſſa Urina?

℞. Ab ingenti preſſione effuſorum humorum ad renes, pelves, ureteres, imo & in ipſam veſicam.

Cur ſegnis adeo laborioſaque alvus?

℞. 1o Ab eadem cauſa.

2do Ut locus pro locandis hydropicorum aquis ſæpe varius obſervatur, ita hic aqua, maxime hærens ab umbilico ad uſque pelvim, ſurſum truſerat omnia fere inteſtina: quæ ſic exiguo recluſa ſpatio in motu ſuo periſtaltico admodum impedita fuere.

3io Inteſtina diu hærentia in effuſis intra abdomen humoribus, ſæpius

ſæpius obſervavi, nedum flaccida, ſed plane coriacea eſſe; quia & tranſpiratione propria naturali, & incubante rore, qui in cavis corporis ſemper præſens eſt, caruerunt; quod plane hic contigit: itaque ſic ſenſim imminutus fuit, quem periſtalticum vocamus, motus.

Quænam doloris origo in epigaſtrio?

℞. Arctiſſima hepatis, lienis, pancreatis, ventriculi, omenti, horizontalis partis coli, omniumque tenuium inteſtinorum, in ſeſe mutuo appreſſio.

Unde ad lumbos dolor?

℞. A vi ingenti qua moles aquarum in muſculos Pſoas, quadratos lumborum; in nervos lumbares, renes, pelves, ureteres, ac diaphragmatis appendiculos, incubuit.

Cur idem ad ilia?

℞. 1°. Ab eadem cauſa.

2°. Cœcum inteſtinum hinc, illinc colon a liene deſcendens atque in rectum abiturum, lata baſi adeo firmiter peritonæo cohæſerant, ut nulla inde vi avelli poſſent. Vis itaque aquarum peritonæum vehementer extendens, ſimul extendit accreta colon & cæcum: unde profecto ingens, ac fere dilacerans dolor naſceretur oportuit.

At cur jacente ægra, adeoque inferiore abdomine minus extento, ſimilis dolor?

℞. Eo in ſitu humores effuſi inteſtina aliaque abdominis viſcera, una cum diaphragmate, ſurſum truſere: unde colon & cæci ſacculum puncto fixo accreta violente trahi, elongari, ac fere dilacerari, neceſſe fuit.

Quamobrem ſubinde acute doluerit in medio hypogaſtrio ſupra pelvim?

℞. 1°. A pondere incumbentis aquæ in hunc locum.

2°. Aſſumendum hic quidquam videtur, quo hunc nodum extricemus. Etenim ſpaſmodica conſtrictio videtur ſtatuenda eſſe quæ epigaſtrium hoc eodem tempore compreſſerit; nam ipſo tactu epigaſtrium tunc minus turgens apparuit: ſicuti in ſolutione argumentorum p. 15. fere ad finem patebit ejuſmodi

adfuiſſe conſtrictionem in hypogaſtrio, quæ aquam per vulnus determinavit: tunc enim temporis intuebamur abdomen inferiore parte parum admodum tumidum.

Quare vero tunc vix ullus ad ilia dolor?

℞. Moles eadem hoc tempore ſæpe tam fortiter compreſſit ilia, ut ſenſus eorumdem obſcuratus fuerit.

Atqui cur eodem tempore in ſola media parte prominulum hypogaſtrium?

℞. Craſſa inteſtina utrinque accreta & connata peritonæo rigida ita & coriacea fuere, ut impedimento eſſent, ne abdomen iis in partibus tam violenter extenderetur.

Cur fere omnia abdominis viſcera ſibi invicem accreta firmiſſime?

℞. Quia etiam ante hydropem natis ubique obſtructionibus deficere debuit blandus ille ros, quo ſolo impediuntur vicina ſibi viſcera inter ſeſe concreſcere. Id ubique obſervatur in corpore; maxime in pulmonibus: qui utcumque leviter obſtructi, tamen cum membrana ſuccingente coſtas paſſim concreti obſervantur. Verum præterea ipſa viſcera ſeu in ipſa ſua ſubſtantia, ſeu ab acri allabente lympha ichoreve in ſua ſuperficie corrupta ac tabida, quam facillime cum vicinis ſimiliter affectis coaleſcere potuerunt.

Unde perpetua inſomnia?

℞. 1°. Ab acribus humoribus per metaſtaſin ad ſuperiora raptis, adeoque encephali partes tam teneras jugiter irritantibus.
2do. A perpetua jactitatione corporis in alium atque alium ſitum, præ enormibus anxietatibus, vomitibus, &c. &c.

Cur frigus?

℞. A lentore quo humores per vaſa undique preſſa circuierunt, nam a motu calor eſt.

Unde inanis moleſtaque tuſſis?

℞. 1°. A compreſſis thoracis viſceribus præ mole abdomine contentorum.

2do A

2do. A metaſtaſi acris putridæque materiei in pulmones; unde & ſcirrhulos ibidem naſci oportuit.

„ *Quare infinitis refertum ſcirrhulis peritonæum ?*

℞. Ab eadem metaſtaſi.

„ *Quam ob cauſam omnes tantopere allucinati fuimus ?*

℞. Ob tumorem conſpicuum, ſub cartilagine xyphöide eminentem, ac tumorem cyſticum plane referentem. Ut ut enim examinabamus ſemper deprehendebamur

1°. Ipſo adſpectu magis eminens,
2do. Ipſo tactu diſtinctiſſimus.
3io. Lenem ſemper materiæ fluctuationem exhibens.

Atqui tamen ipſum illum tumorem omentum fuiſſe, vero quam ſimillimum fit.

1°. Namque majorem epigaſtrii protuberantiam inteſtina tenuia, ſurſum preſſa, effecerunt.

2°. Epiploon, binos craſſum digitos, his in unum compactis inteſtinis incumbens, protuberantiam vehementer auxit.

3io. Figura hujus craſſiſſimi epiploi in cadavere prorſus eadem deprehenſa eſt, atque tumor, qui falſo credebatur ſaccatus eſſe, in vivente exhibuerat.

Objicies: tunc nunquam fluctuatio conſtans percepta fuiſſet.

℞. Quoad fluctuationem, ſancte teſtor eam ita fuiſſe, ut ſi hodie ad ſimilem caſum vocarer, iterum illico fluctuationem definito coërcitam loco videri affirmarem: attamen impoſuit nobis,

1° Protuberantis enormiter omenti figura.

2do. Ejuſdem lenis ad percutientem manum receſſus verſus latus oppoſitum.

3io. Craſſities panniculi adipoſi eo loci, diſtinctam rei perceptionem præpediens.

4to. Aqua forſan peritonæum inter monſtroſumque omentum, fluctuantis materiei ſimilitudinem augens.

Inſtabis. Si ſic ſe habuiſſet res, utique aqua fuſco-rubella minime tam violenter, tamque copioſe effluxiſſet foramine ſuperiori epigaſtrii loco intruſo.

℞. 1°. Paracenteſis facta eſt ſedente in lecto ægra: atqui tunc inferior abdominis pars ad femora preſſa impediebatur, ne multum promineret: ergo vis tota aquarum verſus ſuperiora determinabatur.

2do. Conſtrictio ſpaſmodica, in his ſæpe obſervanda ærumnis, & de qua pag. 12. ſermo fuit, pro cauſa aſſignari poteſt, cur inferne parum, ſuperne plurimum, abdomen prominuit. Eaque profecto per aperturam aquas determinare debuit.

Inſtabis ſecundo. Longe facilius exponeretur caſus dicendo adfuiſſe omenti hydropa, atque tum paracenteſi facta proſiliiſſe aquas.

℞. 1°. Vulnuſculum nullum in omento obſervatum eſt, quo loco facta paracenteſis fuerat; quod tamen apparuiſſet, ſi hinc dimanaſſet ſcaturigo.

2do. Quum eo uſque cannula infixa haud fuerit, aqua ex vulnerato omento in cavum peritonæi dilapſa fuiſſet; neutiquam vero mox ab inflicto vulnuſculo ita proſiliiſſet. Nullibi enim erat peritonæo accretum epiploon.

3io. Longe anguſtior ex determinata figura erat omenti capacitas quam ut decem integras humorum pintas contineret.

4to. Craſſioris ac ſemicorruptæ pinguedinis ingens adeo maſſa fuit in omento, ut nullum pro locandis aquis ſpatium ſupereſſet.

Undenam proſilienti aquæ rubedo?

℞. A ſanguine ipſo, qui poſtridie manifeſte in urinis deprehenſus eſt. Is enim neutiquam vulnere facto creatus; ſiquidem vulnus neutiquam ad vaſa hypogaſtrica mox ad mammas abitura, pervenerit. Dein æqualis, intimeque permiſtus aquæ ſanguis apparuit, dum exiret. Ergo videntur vaſa viſcerum, præ lymphæ, cui innatabant, acrimonia, eroſa ac ſemilacera ſanguinem profudiſſe.

Cur poſt operationem perenne rubellæ lymphæ ſtillicidium ex loco paracenteſeos? imo & breve ante mortem ingens fluor? tum in cadavere aperiundo tanta denuo ejuſdem copia?

℞. Perpluere pergunt vaſa lymphatica perrupta, eroſaque ſanguinea, ubi ſemel continuitatis eorundem ſolutio facta eſt: idque eo abundantius, quo aquarum moles, quæ viſcera vaſaque corrupta adhuc ſuſtentarat, magis ſublata eſt: ſublata enim ea, flacceſcunt omnia & tabeſcunt. Faſcia quoque lata abdomini circumſtricta collectam materiem verſus aperturam determinavit.

Quænam ex narratis utilitas elicienda pro praxi Medica?

℞. 1o. Ingens improbumque aſſiduo ſtudium operamque navandam eſſe, ne humi unquam corpora mandentur, quos inſoliti vis morbi ſuſtulerit, ni prius probe explorata ſint.

2do Mi-

2[do.] Miros fallendi modos Naturæ eſſe, dum externa ſpecies hunc, internus autem conſpectus omnino alium morbum exhibet.

3[io.] Ridiculas, imo nefandas eſſe Practicorum dire inter ſeſe belligerantium digladiationes: quæ ſæpe tanto crebriores & odioſiores, quo difficilior, ac magis dubia res eſt. Hic etenim obtineat aurea oportet regula Auguſtini.

In certis unitas,
In dubiis libertas,
In omnibus charitas.

An vero patiens errore noſtro citius periit.

℞. Minime, ſaltem non multum. Siquidem nec alimenti, nec potulenti, nec medicamenti titulo aſſumere quicquam valens, nec ſomnum oculis unquam videns, corruptaque tot nobilia viſcera habens, brevi, certo, miſereque interierit, neceſſe fuit.

Non fingendum, aut excogitandum; ſed inveniendum quid natura faciat, aut ferat. Baco Verulam.

CCLXVI.

HENRICI FRIDERICI DELII

ET AUCTORIS

J. GUIL. FRIDER. BOENNEKEN

HYDROPS ASCITES IMPRIMIS PARACENTESI FELICITER CURATUS.

Erlang. 1755.

CASUS MEDICO-PRACTICUS.

Religioſus quidam canonicus regularis ordinis Auguſtini in Monaſterio Heydenfeldenſi, per aliquot annos dicto loco œconomiæ præfectus, ætatis ſuæ annum agens quinquageſimum quartum, temperamenti cholerico ſanguinei, ſanitate, ab incunabulis fere fruens illibata, incidit tempore vernali anni MDCCLIII. in febrem remittentem, ex intermittente & continua ſcilicet compoſitam, quæ tunc temporis in civitate Suinfurtenſi, & circumjacentibus agris, permultos infeſtavit homines. Adhibitis, nonnullis, neſcio quibus, variorum medicorum conſiliis, & remediis, hæc in quartanam, per aliquot menſes durantem, eſt mutata, quæ vero tandem profligabatur. Paulo vero poſt reverendus Dominus canonicus pedes ſuos circa tarſum, metatarſum, malleolumque, veſperi præſertim, intumeſcere, tumoremque de die in dies augeri, & ad genua, femora, imo abdomen denique, aſcendere animadvertit, quo, minus jucundo, adſpectu perterritus, meum adiit venerandum Parentem D. JOANNEM WOLFFGANGUM FRIDERICUM BOENNEKEN, *Sereniſſimi Principis de Lowenſtein Wertheim Conſiliar. aul. & Archiatrum, nec non ſeniorem & Phyſicum ordinarium Civitatis Imperialis Suinfurtenſis*, quem, ut omnem, ne conclamatum ac famoſum medicorum ſcandalum, metuendus ſcilicet hydrops, inde oriretur, impenderet operam, enixe rogavit. Hic, cum exploratu difficillimum ipſi eſſet opus, utrum anceps hoc ſymptoma, a febris perverſa medicatione, ſive a vitiis diætæ & reginimis poſt ſuperatam febrem, plus juſto citius commiſſis, ſuos ceperit natales, aut ipſam revocare febrem, aut incipientes glandularum meſenterii obſtructiones reſerare, medicamentis aperientibus

bus, abſtergentibus & reſolventibus, interpoſitis alvum laxantibus, rite contendit, quam medendi methodum per aliquot menſes, ſed proh dolor in caſſum, continuavit. Tumor enim pedum œdematoſus femorum ac abdominis quotidie gradatim accreſcebat, tantusque ſubſequente menſe Januario ſequentis anni aderat, ut crepaturam infimi ventris Dominus ægrotus metueret. Superiores vero corporis partes, caput, thorax, humeri, brachia & manus ſucceſſive emaciabantur, ſimulque præcordiorum anguſtia, ſpirandi difficultas, tuſſiculoſa commotio, agrypnia & impotentia in lecto cubandi, pulſusque febrilis, ac æſtus in volis manuum, genarumque rubor, præcipue poſt paſtum, hecticæ febris accelerantis prænuntia, præſto erant ſigna. Rebus ſic ſtantibus, & cum omnia hucusque exhibita medicamenta reſolventia, & fortia ſatis diuretica v. g. ex *rad. vincetox. pimp. alb. aron. ſquillæ gent. rubr. herb. abſinth. fumar. trifol. fibr. ſummit. cent. min. bacc. junip. cineribus geniſtæ junip. ſtipit. fabar. tartaro vitriolato* maceratis per aliquot horas in ſ. q. *aquæ bened. Angl.* l. *oſtracodermatum fervida*, affuſo, poſt ejus refrigerationem ſ. q. *vini boni veteris*, porro *ſpiritus tartari*, *pulveresque ex antiſpaſm. arcan. dupl. & coccinell.* compoſiti, interpoſitis ſimul laxantibus, ſperatum non efficerent effectum, hinc mortem certo certius brevi eſſe ſecuturam, quilibet etiam artis haud ignarus cognoſceret, venerandus meus parens de paracenteſi abdominis cogitabat, illamque ut ægrotus, priusquam vires penitus eſſent exhauſtæ, & viſceris cujusdam interni labes irreparabilis oriretur, admitteret, auctor erat. Vitæ prolongandæ ſpes, licet dubia, & deſiderium cunctis mortalibus innatum, noſtrum Dominum ægrotum, adſtipulante ſimul perquam gratioſo & ampliſſimo collegii Heydefeldenſis Domino præpoſito, ceteriſque religioſis confratribus ſuadentibus, dato conſilio obtemperare coëgit. Præparato itaque per ſeptimanam ad operationem futuram corpore, ipſa hac die X. Februarii anni MDCCLIV. ſub Numinis Divini auſpicio, me ipſo præſente & adjuvante, dirigente vero patre, a Suinfurtenſi, in operationibus chirurgicis ſatis exercitato, Chirurgo quodam, in ſiniſtri lateris eo loco, qui medius eſt inter umbilicum & ſpinam ſupremam oſſis ilei, ope ferramenti, fiſtula argentea cincti, quod Galli *Troicar* vocant, ita inſtituebatur, ut, prævio, moderata ambulatione facto, corporis motu, dein domino ægroto in lecti ſpondam, in ſitum fere horizontalem collocato, tumore a dextro verſus ſiniſtrum latus manibus compreſſo, & faſcia ſurſum elevato, inſtrumento in ventrem dimiſſo, acuque extracto, prima vice octo menſuræ, die duodecimo Februarii autem, ex relicta in ventre fiſtula inſtrumenti argentea, & probe munita, iterum aperta, menſuræ quatuor cum dimidia, tandemque tertia & ultima vice tres quadrantes menſuræ, aquæ pellucidæ, citrei coloris, & ſaporis ſalſi urinoſi, detraherentur, cum ſubſequente ſingula vice abdominis tumidi detumeſcentia, ad quam juvandam, nimiumque hepatis & diaphragmatis in abdomen deſcenſum, quo exſpiratio impediri, hinc mors

mors ſubitanea accelerari ſolet, præcavendam, totum Domini ægroti abdomen cingulo molli, ſed ſatis forti, cingebatur, arctiusque de die in diem, pro re nata, conſtringebatur, cum euphoria Rever. ægroti. Hac ratione eductæ ſunt libræ triginta & una aquæ, nec ullo ſymptomate ſub vel poſt operationem ægrotus noſter eſt vexatus. Hoc equidem notandum, quod poſt alteram aquæ emiſſionem aliquoties vomitum cum prægreſſis & concomitatibus ſolitis incommodis expertus ſit: materia autem quam evomuit, erant reliquiæ ovorum duriorum aſſatorum, indigeſtorum, quæ veſperi ante primæ operationis diem, comederat, quibus excretis optime iterum ſe habuit. Interea præſcribebantur Domino ægroto a parente cariſſimo medicamenta refocillantia, analeptica, & reſolventia v. g. potiunculæ, ex *aqua hordei citrat. verben. flor. cordial. cord. temp. tarax. c. vino. cinnam. ſ. v. tinct. flor. bellid. mixt. ſimpl. & ſyrup. rub. id.* cet. compoſitæ, deinde diæta tenuis, cibi molles euchymi, & eupepti, permiſſo pauxillo vini rubri. Poſt hæc per aliquot ſeptimanas *aqua taraxaci vinoſa, tinct. antim. & ſalis tart.* ad lymphæ viſcidæ reſolutionem & urinæ largioris effluxus promotionem, optimo cum effectu uſus eſt ægrotus. Alvus etiam ſui officii interdum pilulis balſamicis, & laxantibus admonebatur, & ad reſtituendum tonum cutis muſculorumque abdominis, intumeſcentia prægreſſa nimis laxatorum, imponebantur ſacculi, ex herbis reſolventibus & tonicis, v. g. RAD. *ſigil. ſalom. bryon. caryophyll. Imperator. irid. flor.* HERBIS *abrotoni. aneth. calaminth. lavendul. major. meliſſ. puleg. ſalv. abſinth. vinc pervinc.* SUMMIT. *origan. flor. balauſt. cheir. calendul. beton. anthoſ. ſem. fœnic. petroſel. dauc. ſiler. mont.* irroratis *cum ſpiritu lavend. anthoſ. lil. conv. maſtichin. matricali, ſambuc. ſerpilli comin. ſpir. vini camph. &c.* compoſiti, & calefacti. Licet vero facta operatione omnis abdominis tumor hydropicus evanuerit, tamen tumor pedum œdematoſus per aliquot temporis ſpatium adhuc pertinax perſiſtebat, usque dum adhibitis balneis vaporoſis, ſpiritu vini accenſo inſtitutis, & impoſito *emplaſtro reſolvente Ruſtingii*, tandem plenarie quoque diſcuteretur, & hic Deo benedicente Rev. Canonicus Regularis priſtinam ſuam ſanitatem recuperaret. qui adhuc, dum hæc ſcribo, non ſolum pancratice vivit, ſed & officio ſuo, quod religioſum decet, nec non muneri œconomico, uti antea, viribus conſtantibus præeſt, & ne veſtigium quidem tanti morbi in ejus corpore animadvertitur, ſed potius jurares, nunquam ejusmodi morbo periculoſo, morti tam propinquo, illum laboraſſe. Cum vero ut teſtis ocularis, operationique & medicamentorum applicationi inſerviens, a perquam gratioſo & ampliſſimo domino præpoſito Canoniæ Regularis Heydenfeldenſis, nec non venerando Parente veniam impetraverim, hoc caſu ſpeciminis inauguralis edendi cauſſa decenter uti, ideo ipſum ex variis aliis elegi, quem jam pro virium meorum tenuitate ſuccincte illuſtrabo.

CCLXVII.

CCLXVII.

FRIDR. GODOFR. BARBECK ET ERH. BRUNNER

DE CORDE OCCULTO,

INDEQUE HYDROPE ASCITE CONSEQUENTE.

Cultro Anatomico in ſubjecto quodam deprehenſo.

Duisburg. 1701.

§. I.

QUondam inter Ethnicorum ſacra, bruta animantia, conſecrando offerebant, quibus tanquam donis Deos ſuos placare ſtudebant, tum quoque ut eorum haruſpices ea viſcerum brutorum inſpectione uti Prophetæ præſagirent, ac pro viſcerum & extorum ſitu vario, defectu aut abſentia, proſpera aut infauſta futura prædicarent, gratam aut ingratam fuiſſe oblationem judicarent, uti in eorum haruſpicina fieri ſolebat: Sic SUETONIUS refert Lib. I. ab haruſpice cordis defectum in bruto inventum fuiſſe, cum inquit, *eo arrogantiæ progreſſus eſt, ut haruſpice triſtia ſine corde exta ſacro quodam nunciante, futura dicere lætiora cum vellet, nec pro oſtento ducendum ſi pecudi cor defuiſſet.* Sic Avicenna pronunciat quandoque animal corde carens compertum, ut teſtatur Cœl. RHODIGINUS Lib. 4. Cap. 16. A. I. PLINIUS hiſt. nat. Lib. II. Cap. 37. recenſet, quod, *Cæſari Dictatori, quo die primum cum veſte purpurea proceſſit atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in brutorum extis cor defuit, inde quæſtio magna de divinatione argumentantibus ſuborta, potueritne ſine ullo viſcere hoſtia vivere an ad tempus amiſerit.* Sic refert *Fabrit.* HILDANUS Centur. 4. Obſerv. 51. quod extenuatum & exſangue aliquando viderit cor. Quod in nonnullo diuturno morbo extincto, nulla prorſus portio cordis ſed ejus tantum tunica reperta fuiſſet, teſtatur TELESIUS rerum natural. Lib. 52. 28. Hæc & ſimilia & impri-

imprimis illa, quæ obſervata ſunt inter Ethnicorum Sacra, dum bruta animantia offerrent num contigerint ex ſacerdotum illorum & haruſpicum, in ſecando ignorantia? aut quod pinguedine tale viſcus tectum aut occultatum fuerit, aut potius quod adfuerit dolus, ego in medio relinquam: Saltem hic obſervationem quandam anatomico - practicam multis doctioribus teſtibus comprobatam proponam, in qua *cor humanum*, *in pectore occultum ac plane abſconditum fuit*. Sequens enim eſt ejus hiſtoria, prout diligenter quantum tunc explorare potui, eam verbis deſignavi.

§. II.

„ Viri cujusdam triginta & aliquot circiter annorum, corpus ex „ hydrope mortuum, & antea variis conflictatum ſymptomatibus, cul„ tello anatomico viſcera viſendi, & cauſam morbi explorandi gratia co„ ram, nonnullis Doctiſſimis Viris & Medicinæ Cultoribus aperuimus. „ Et in pectore a nobis obſervata ſunt ſequentia: Pulmones rudes erant, „ conglobati ac conglutinati, non in partem dextram nec ſiniſtram ne„ que in lobos diſtincti, nec mediaſtini beneficio adhærebant ſterno, ſed „ ei ſua ſubſtantia propria accreverant. Color pulmonum a naturali re„ cedens, ad cineraceum deflectebat. Quocunque modo volveretur pul„ mo, nullum apparebat cor, intra pulmones enim conglobatos, ita „ erat occultum & ſepultum, ut ſine ſectione, nullo modo in conſpe„ ctum veniret, ideo quamprimum pulmones accretos a ſterno ſolvi, „ nec pulmonum in partem dextram & ſiniſtram diviſionem, nec eo„ rum loborum ſeparationem, nec cordis veſtigium reperire potui, do„ nec cultro pulmones diſſecando, in medio eorum, cor latitans mollius, „ tenuius, & flaccidius, nullo pericardio aut ejus humore præditum, „ inventum fuerit, ſed connexum & annatum, tota ſua ſubſtantia intus „ pulmonibus, uti recens nux juglans juncta eſt ubique cortici viridi am„ bienti. Cum itaque pulmones æqualiter in duas partes diviſiſſem, quo„ que in qualibet ejus parte, mediam cordis diſſecti partem, firmiter „ ubique adhærentem conſpeximus, ita enim annatum erat cor pulmo„ num ſubſtantiæ, ut nullibi ab iis divulſum eſſet. In abdomine magna „ aquæ quantitas continebatur, quæ in cochleari ſuper ignem efferveſa„ cta, non ut ſerum ſanguinis, inſtar albuminis ovorum, concreſcebat; „ peritonæum craſſius & durius apparebat & quaſi ex tuberculis granulo„ rum inſtar ibidem exiſtentibus, aſperum erat. Ipſa viſcera abdominis „ uti lien & jecur membranam rugoſam & quaſi elixam nacta erant. „

§. III.

Ut autem concretionis hujus, cordis cum pulmonibus, & ipſorum conglobationis & conglutinationis, tum ipſius hydropis aſcitis cauſam inveſtige-

veſtigemus, primo perpendenda ſunt antecedentia prægreſſa in hoc noſtro ſubjecto tum conſequentia quæ exinde deducta, examinanda ſunt: Dum denique conſiderandum eſt, num iſti affectus tam ventris medii ſeu thoracis, quam infimi ſeu abdominis, tam diverſi, a ſe invicem dependere potuiſſent? Hic vir antequam tali vel ſimili affectu fuit correptus, ſanus extitit ac in tegendis ædibus, tegulis, ſcandularium egit, ad quem laborem ſuſcipiendum non niſi corpora ſana apta ſunt. Sed hic vir in urbis alicujus incendio, quæ propemodum tota conflagraverat, multis laboribus tum ignem exſtinguendo, tum bona civium in locum tutiorem deportando & ex incendio liberando, multum defatigatus fuit, ac tum propter aëris & incendii æſtum inſolitum, plurimum calefactus, dubio procul affatim potum frigidum ubinam nanciſci potuit hauſit. Poſt hoc incendium male habere ſemper cepit, an autem tunc decubuerit me latet, continuo autem conflictatus fuit poſtea variis ſymptomatibus, imprimis pectoris anguſtia.

§. IV.

Ex uno morbo alium naſci ac produci quandoque etiam deteriorem in confeſſo eſt apud omnes Medicos, morbus enim vel terminatur plane in ſanitatem, dum ex malo penitus æger convaleſcit vel morbus ægrum ad vitæ finem & quandoque per plurimos annos comitatur, vel morbus in alium degenerat, uti cum aliquando in leviorem, aliquando in pejorem tranſeat, demum morbus prior alium affectum in ſocium ſibi aſciſcit & in perniciem corporis humani cum eo conſpirat, licet ſæpe loco diſtent, uti hic factum fuit in hoc ſubjecto.

§. V.

Qualis autem hic prior morbus & malorum ſequentium cauſa extiterit, facile palam fieret, ſi omnia ſymptomata quæ in hujus morbi toto decurſu, acciderunt, accurate obſervata fuiſſent, nam cum, per octennium hic æger multis conflictatus ſit malis, nec adeo proſpera uſus ſit, poſt incendium, ſanitate, adſtantes de hujus valetudinis adverſæ conditione, pauca accurate recenſere potuerint. Ad eas tamen aliquantulum vires poſt illud incendium rediit, ut matrimonium iniverit, in quo tamen proſpera ſanitate non gaviſus fuit. Si vero aliquid hic conjecturare, imo certo ſtatuere liceat, judicaremus, præcipuum & primarium hunc affectum pulmonum fuiſſe, dum imprimis circa mediaſtinum, pulmones in dextram & ſiniſtram partem dividens, aut interiorem eorum faciem adfuerit excoriatio, ab humorum ſtagnatione ac eroſione orta, is enim calefactus æſtu & labore, potum frigidum large ſumſit, unde ſanguis alii-

A a a a a 2 que

que humores copioſiores, tum in vaſcula ſanguifera, tum in lymphatica pulmonum ſuperficiem, pericardium & mediaſtinum perreptantia, adducti, ob frigus a potu, vel etiam a pectoris denudatione productum, coagulati & ſtagnantes acriores redditi, cum vel ſine inflammatione, pulmones, imprimis ſuperficiem in media ejus parte, ipſumque mediaſtinum & in eo formatum pericardium ac tandem ipſam cordis ſuperficiem exteriorem corroſerunt. Quæ tandem excoriatio, vi naturæ ſalubris & ad conſolidationem proclivis, dum aliarum partium, tunc temporis, temperie bona exiſtente, concreſceret, ut partes hæ conſolidarentur, ac inter ſe invicem conglutinarentur, dum eroſum pericardium, cor & loborum pulmonum interna ſeu intermedia ſuperficies, unirentur, & pulmones quoque non mediaſtino ut naturaliter, ſed ſua ſubſtantia, præternaturaliter ſterno adhæſerint.

§. VI.

Tales enim pulmonum cum pleura & coſtis, in uno pectoris latere, aliquando in ambobus & toto pectore, accretiones non raro præternaturales, animadvertimus, de naturali & in robuſtis ſæpe ſubjectis reperto, pulmonum per fortiſſimas fibras tanquam totidem ligamenta, cum coſtis connexu, hic nobis ſermo non eſt: Verum advertimus quandoque in ſectione humanorum mortuorum corporum, pulmones totos, ſua externa ſuperficie adhæſiſſe pleuræ & coſtis, uti hic adhærebant ſterno. Sic in corpore alicujus juvenis, qui dudum ante in pectore ſauciatus erat, vulnere tantum ad coſtas usque penetrante, ex alia læſione longe poſt mortuo, pulmonem iſti lateri antea ſauciato firmiter annexum reperi, quamvis hic juvenis ex primo iſto vulnere non decubuerit graviter, nihilominus ſuperficies iſtius pulmonis & pleura concreverunt; juvenis enim is robuſti temperamenti fuit. In alio ſubjecto, pulmones ſolidiores ita adhæſiſſe ubivis pectori ut in avibus, nec ſolubiles nec mobiles animadverti, ſed ſaltem ad pectoris motum in ex- & inſpiratione inflari potuiſſe.

§. VII.

Hoc obſervatione digniſſimum erit in pectoris vulneribus examinandis, num in pectoris cavitatem & pulmones usque penetrent? Solent enim tunc flammulam candelæ cereæ vulneri ſoluto adhibere, ut pulmonum efflatum & aëris in- & egreſſum experiantur, ſeu quod & reſpiratio paululum difficilior fiat, vulnere in pectus penetrante, aperto & diſſoluto, quoniam tunc aër in cavitatem pectoris per vulnus & non ita in pulmones per aſperam arteriam ingrediatur. Verum vero fallax illud

eſt

eſt in his ſæpe ſignum, in quibus pulmonum ſubſtantia vel ſaltem eo in loco ubi vulnus inflictum ſit, coſtis adhæreat, tunc enim aër per vulnus factum, neque in cavitatem pectoris in- & egreditur, neque ex pulmonibus ſolidioribus aër tam copioſus expellitur.

§. VIII.

Uti pulmonum ſuperficies externa, pleuræ accreſcere, ut quod quotidiana experientia docet, poſſit, ſic nonnunquam licet tamen rarius & cum majori periculo, pulmonum partes ſeu lobi dexter & ſiniſter in ſuperficiebus interioribus, quibus ſeſe contingunt, excoriati concreſcere queunt ac conglutinari. Quamvis in uno ſaltem lobo ſeu pulmonum parte, initio fuiſſet illa labes, & excoriatio, nihilominus propter contiguitatem, ut in putrida accidit materia, contagium vicinæ parti, tum pericardio & cordi communicari & aſpergi poterat, dum poſtea, naturæ vi, & in partibus his, exiſtente ac permanente adhuc vi balſamica, conſolidatio & conglutinatio facta fuerit, quod quamvis rariſſime contingat, hic tamen accidiſſe, teſtata fuit ipſa autopſia oculata, & impoſterum ulterius probaturi ſumus. Attamen ex harum partium nobiliſſimarum & principaliorum præternaturali concretione, nonniſi mala conformatio, perverſarum actionum tanquam cauſa certa orta fuit, ut inde nihil niſi miſera vita exoriri potuerit. Cor enim cum pulmonibus fons eſt caloris innati ac laticis omnis nec non ſanguineæ maſſæ receptaculum, officina nutrimenti purpurei pro toto corpore neceſſarii, hinc ſi in tali aliqua parte mala ſit conformatio, mirum quoque non erit, ut illa labes toti afficetur corpori, & quidem multo facilius, circulationis ope.

§. IX.

Verum, opinabitur quis, pericardium & cor ipſum, vita adhuc perſiſtente ac durante, non potuiſſe ita arrodi ac excoriari, quin ſtatim mors fuiſſet inſecuta, hinc GALENUS in Comment. 2. Lib. 6. Epid. cap. 14. ſtatuit quidem cor inflammari poſſe, ſed non niſi morte inſequente, quando inquit, *Cor ſi phlegmone corripiatur lethale*, & ex Aphor. Hipp. 18. Sect. 6. Cordis vulnus abſolute lethale judicatur. Reſpondetur, hanc pulmonum & cordis læſionem non tam certo, inflammationem ſeu phlegmonem fuiſſe declaramus, ſed potius, quod acris materia ex quacunque cauſa orta, vel catharrus acer, aut talis lympha, harum partium ſuperficiaria, externe alias, membranas humectans, ex dietæ vitio, nimioque labore ac calore cum inſequente ſubitaneo & extraordinario frigore ſtagnans, ſine vera inflammatione internam pulmonum ſeu loborum & cordis ſuperficiem & pericardium & mediaſtinum arroſerit, uti

ſæpe advertimus ab acri materia, in partibus externis, ſine inflammatione corroſionem evenire. Sic experimur quoque, pulmones ex catharro acri, continuo, ruente, paulatim ſine inflammatione exulcerari, & phtiſin oriri.

§. X.

Ut enim fiat inflammatio, id eſt calor cum rarefactione & putrefactione in ſanguine ſtagnante, debet ſanguis ille reſolvi in ſua principia ac putrefieri, ut denuo ejus ſal volatile oleoſum, cum acido reſoluto congrediens, calorem excitet & inflammationem producat. Si vero propter auſterum aut acidum copioſum, ſanguis non ſit tam facile reſolubilis, ſed fixior, non tam facile inflammatur ac putreſcit, hinc in ſchirroſis humoribus & ex melancholia oriundis, ſtagnat quidem ſanguis ſed abſque inflammatione. Ideo HIPP. Aphor. 36. Sect. 6. aſſerit, quod *Acidum eructantes non admodum pleuritici fiant*, quandoquidem ob hanc ſanguinis conſtitutionem; is, licet in pleura & pulmonum ſuperficie ſtagnaret, non tamen adeo inflammaretur.

§. XI.

Porro dubium nonnullis apparebit, qui potuiſſet cor, quod continuo in motu eſt, cum pulmonibus, qui itidem continuo agitantur, concreſcere, ut hinc quoque cordis & pulmonum vulnera lethalia, curatu difficilia judicentur. Verum experientia teſtatur, pulmones, licet in inſpiratione continuo commoveantur, coſtis poſſe ſæpe tamen accreſcere, ut modo antea demonſtratum fuit, & eo facilius hoc fiet, ſi vis naturæ, & temperamentum reliquarum partium bonum adſit, ac caro ad conſolidationem valde ſit proclivis, idcirco rarius hoc eſſe exemplum, authopſia inventum, ſtatuimus. Abſque dubio, non aliunde illa peregrina & mala, talium principalium partium, conſtitutio & conformatio evenire potuit, quam ab illa excoriatione & accretione explicata: Non enim congenitum illud malum fuit, tunc non ad tantum robur, ut ſe ad tale opus peragendum, applicaſſet, perveniſſet, quin diu ante valetudinarius aut æger fuiſſet, quid enim, mala figura aut conſtitutio organica in partibus principalioribus mali efficiat, ſatis in capite ſeu cerebro patet, cujus figura ut plurimum in deſipientibus male conformata eſt.

§. XII.

Quod autem pulmones inflammari vel etiam ſaltem excoriari queant, extra dubium poſitum eſt, & docet quotidiana experientia; Quod etiam in intermediis lobis inflammatio illa accidere poſſit, ſeu ſaltem humo-

humoris acris ſtagnatio & membranæ exterioris excoriatio, quoque experientia optima rerum magiſtra confirmat, cum dolor in peripneumonia jam modo magis internus ſit, jam magis verſus ſternum appareat, jam magis verſus partem inferiorem ſentiatur, quod periculoſius, quoniam tunc malum, contactus ope, ad diaphragma ſerpit, & ex hoc, propter ligamenta ad ipſum hepar tendit, pluresque partes ita graviter afficit.

§. XIII.

Sæpenumero, imprimis ex potu frigidiſſimo largiter hauſto, in calefacto corpore, interiores pulmonum partes & ſuperficies affici & infici poſſunt, dum ibidem vaſcula ob calorem externum & laborem, materia copioſiori, eo verſus agitata, turgeant, quæ ob potum frigidiorem, per œſophagum tranſeuntem, ob viciniam coagulatur ac in motu ſuo ſiſtitur atque obſtruitur, unde ſtagnatione acrior reddita materia rodit, ac excoriat ſæpe, cum vel ſine inflammatione, pulmones, nam non raro, ob potum frigidiſſimum aſſumptum, nonnulli absque inflammatione rauci fiunt, difficultate reſpirandi ac quodam pulmonum dolore afficiuntur. Oeſophagus enim, cum tranſeat per pectus, prope ſpinam dorſi, ex neceſſitatis uſu coactus, jam paululum dextrorſum ſiniſtrorſumque flectitur, ac per medios pulmones incumbentes tranſit, adeoque facile frigus potus, propter vicinitatem, dum per œſophagum tranſit, pulmonibus communicatur, ut materia lymphatica aliaque, in membranarum ſuperficie exiſtens, frigore inſolito affecta, ſtagnans, pulmonum, pericardii & cordis arroſionem & excoriationem efficere poſſit. Sic experimur ſæpe, ſi gelidiorem hauriamus potum, frigus inſolitum per totum pectus ſpargi, ipſumque cor quoque occupari, cum alteratione corporis ſumma.

§. XIV.

Pulmones & cor ſic affici & inflammari poſſe, nonnulli veteres ſcriptores, inter quos eſt Princeps Medicorum antiquiſſimus, HIPPOCRATES, aſſerunt, ſic in *coacis prænotionibus ſect* 2. *art*. 4. hic ait ſequenti modo: *Quibus autem una cum corde pulmo totus inflammatur, ita ut in latus incumbat, ii toto corpore nervorum reſolutionem ſentiunt, & ſine ſenſu jacet æger frigidus: ſecundo autem, aut tertio die interit:* Pergit porro; *quod ſi contingat, ut cor nihil tale quicquam, aut etiam minus patiatur, diutius vivunt, nonnulli etiam ſervantur.* Sic Columbo Cremonenſi, anatomico Romano innotuit, *ex anatome abſceſſus, cor ferme putreſcens undique circumplectens*, uti in Lib. XV anatomicor. refert. Quando vero HIPPOCRATES & GALENUS atque veteres medici, pulmonum phlegmonem, judicant lethalem, non abſolute mortem præſa-

præſagiunt, lethalitatis enim dantur gradus, ut primo affectus abſolute lethalis eſt, a quo nullus ſervatur, ſecundo a quo multi moriuntur, nonnulli tamen ſervantur, tertio, inter morbos lethales quoque annumerantur ii, ex quibus promiſcue ſervantur multi, multi etiam moriuntur, & tunc lethale periculoſum eſſe ſignificat.

§. XV.

Quæſtio hic duplex formari poſſet, de aqueo humore in corde exiſtente. Primo: Quod ille liquor cordis gratia, ad ejus fervorem ſeu potius ariditatem temperandam, & fibrarum flexibilitatem conciliandam, ſumme neceſſarius ſit, nihilominus hic defecerit? Reſp. autem, quod is humor abfuerit, vita etiam non integra manente, nam continuo adverſa valetudine variisque ſymptomatibus afflictus fuit, ita Columbus, citatus Italus anatomicus. *In mortui ſui (ſi anatomia Romæ advertit, pericardium defuiſſe, qui antea in vita, ſubinde mortuo ſimilis, in ſyncopen inciderat, quo genere morbi quoque exanimatus fuerit.* Sic humor hic pericardii, ad ſanam vitam ducendam, abſolute neceſſarius eſt, quamvis miſera quandoque ſine eo protrahi poſſit vita. Porro, pulmonum involucro ac connexione, ariditas & ſiccitas cordis paululum in noſtro ſubjecto, temperata fuit, nam alias cor, cum fons caloris ſit, plurimumque caleat, in externa ſuperficie aridiſſimum fieret, niſi humore illo pericardii continuo humectaretur & inungeretur, uti experimur, quod cor animalis alicujus liberatum a pericardio expoſitumque aëri calidiori, ſubito areſcat ac rugoſum fiat.

§. XVI.

Quæri poſſet deinde, ubinam manſerit humor ille pericardii, corroſo pericardio, cur non fluxerit in pectoris cavitatem, ac ibidem continuo exſtillans ac roris inſtar manans, hydropem pectoris effeciſſet? Reſp. Quod quidem pericardii humor peculiaris aliqua lympha ſit, continuo in- & egrediens per vaſcula advehentia & reſorbentia, quod conſtat ex humorum aliorum conditione ac ſimilitudine, nullus enim liquor in corpore humano otioſus ſeu quieſcens exiſtit, quin motu gaudeat progreſſivo & circulari, ſi enim talis humor qualiscunque ſit diu ſtagnaret, a temperie ſua ſolita recedendo, corrumperetur, hoc enim in humoribus cunctis patet, dum nonnulli acidiores acerbioresque fiunt aut acriores, alii nimis ſubtiles, dum motu vario particulæ mutæ ſeſe invicem poliunt ac comminuunt, iſta ſtagnatione, redduntur, in aliis humoribus ſtagnantibus ob figuram particularum ad motum ineptam, & craſſitiem, & ob motum progreſſivum intermiſſum, fit concretio & viſcoſitas, quam aliquando inſequi-

ſequitur nova reſolutio, ac putredinis initium, tum ob poros quosdam anguſtiores ſaltem relictos aut factos, materia ignea, univerſalis rerum corporearum actrix ſeu mundi anima, copioſior accedens, reſolutionem novam, fermentationis aut putredinis adminiculo inducit. Sic videmus aquam fluviatilem ob motum progreſſivum non putreſcere, ſed ſtagnans viſcida ſæpe numero fit, ac poſtea, æſtate imprimis, putrida reddita, multorum ſæpe morborum cauſa exiſtit, dum aër ita inficitur, hinc oppida & urbes circa magnas paludes ſitæ, inſalubres ſunt, & multis morbis ac febribus putridis, æſtu ſummo exiſtente, vexantur. Sic ſi hæc aqua ex cordis ſuperficie & ejus baſi glandulisque minutiſſimis exſtillans, in pectoris cavitatem depluiſſet, illa tamen denuo ab aliis poris, meatibus, ſeu vaſculis in pectore exiſtentibus, reſorberi potuiſſet.

§. XVII.

Nam in ipſa pectoris cavitate pori ſeu vaſcula ſunt reſorbentia; pulmones enim & diaphragma & pleura ut moveri, explicari, complicarique queant, continuo, quoque humore quodam inungi ac humectari debent, qui cum ſemper novus accedat, uti antea probavimus, humores omnes circulare, & tamen humor talis non continuo augeatur, nec prior in nihilum abeat, ergo quantum accedit novi liquoris, tantundem, ut per alia vaſcula regrediatur neceſſe eſt. Niſi hæc fieret pulmonum humectatio atque inunctio externa & interna, ob inſignem pectoris internum calorem, ſubito exareſcerent, ut amplius in ex- & inſpiratione tam commode explicari & complicari nequirent, quod tamen ad vitam ſuſtentandam humanam ſumme neceſſarium eſt. Pulmonum enim ſubſtantia, præter vaſa & membranas, veſicularum minutiſſimarum congregatio & conglomeratio eſt, quæ in reſpiratione, aëris in- & egreſſu expanduntur & contrahuntur, unde non infrequenter *Diſpnœæ* cauſa oritur, dum viæ illæ ſeu meatus exigui, per quos aër in veſiculas has penetrat, ſunt obſtructi, compreſſi aut conſtricti. Sic ad hunc morbum proclives aërem craſſiorem aut atomis tanquam floſculis aut plumulis refertum, ferre non poſſunt, quoniam tunc particulæ hæ craſſiores per anguſtos illos meatus tranſire non poſſunt. Quæ etiam *Dyſpnœæ* cauſæ, ortum ſuum ex veſiculis his non ſatis benigne humectatis & inunctis, & non facile explicabilibus. ducit, qualis *Dyſpnœa*, in valde ſenibus ſæpe accidit. Per hos meatus reducentes & humores in pectore ſuperfluos reſorbentes, hic humor ſi quis exſtillaſſet, potuiſſet quoque reſorberi, alias ſi talis humor pectoralis, pulmones, cæteraſque partes, alias modice inungens atque humectans, majori copia affluat, quam refluendo conſumatur, tunc paulatim accreſcit, & cavitatem illam aqua replet, hydropemque pectoris producit, qui tamen quoque contingere poſſet, ſi vaſcula illa reſorbentia ſint obſtructa,

 aut

aut ſi alia advehentia aut lymphatica, aquam transferentia, exeſa ac diaireſi affecta ſint, ut humorem præternaturaliter in cavitatem exſtillent.

§. XVIII.

Deinde in iſta cordis cum pulmonibus concretione, vaſcula illa lymphatica, per quæ in pericardium humor deſtillabat, conſolidata ſunt, ac uſu ſuo privata, hinc cor in ſtatu ſuo naturali non exiſtens, continuo quoque moleſtiam experiebatur ſummam, ut & reſpiratio ob convolutos, concretos & denſatos pulmones minusque explicabiles, *Dyſpnœæ* cauſa exiſtebat. Sanguis quoque cum pulmonum officio, pro toto alteretur, & in naturali ſtatu hominum extra uterum exiſtentium, omnis ſanguis tranſeat per pulmones; ſic procul dubio etiam ſanguificatio in hoc ægro vitiata fuit, cum illa pulmonum operatio adeo neceſſaria, non rite peracta fuerit. Quemadmodum enim communis fert ſententia, quod primæ concoctionis vitium, non facile emendetur in ſecunda, & hujus labes neque in tertia coctione ita dicta corrigi poſſit; ſic vice verſa, vitium tertiæ concoctionis (liceat ita vocare) facillime communicatur ſecundæ & primæ concoctioni, hinc vitiata illa in corde & pulmonibus ſanguificatione, & motu ſanguinis læſo, procul dubio cæteri humores mali producti ſunt. Quid enim agitatio & motus valeat in rebus & liquoribus multis ſeparandis & mutandis, multæ chymicæ & pharmaceuticæ operationes docent; hic vulgare ſaltem exemplum, butyri ex lactis cremore conquaſſatione confectionem proferam, quæ ſi impetuoſior plus juſto aut lenior ſit, butyrum non bonum, aut non colligitur.

§. XIX.

Quoniam itaque in pulmonibus & præcipue in corde ita ſanguis movetur, commiſcetur, alteratur ac præparatur, ut poſtea aliis in viſceribus facilius ſecrementa & excrementa ſua deponat, procul dubio, ex tali vitio organico, tam cordis quam pulmonum, ſanguificatio adeo vitiata fuit, ut poſtea bilis in hepate, non rite, & lege naturali conveniente modo ſegregaretur, unde duplex fuit natum vitium; primo enim cum bilis tanquam condimentum aromaticum & calidum, per ductum choledochum chylo, in inteſtino duodeno, affundatur, ut naturalis ejus viſcoſitas attenuetur atque tollatur, aciditas nimia infringatur, illud ob bilem non rite præparatam & ſegregatam, quoque non contigit, unde & chyli & humorum reliquorum viſcoſitas & acerbitas aucta fuerit. Deinde cum in hepate non legitime, ſanguis, ſale volatili bilioſo antea ibidem volatiliſato ac dulcificato imbueretur, ſanguis quoque viſcidior & tenacior redditus eſt, nam hujus ſalis volatilis oleoſi blan-

diſſimi,

diſſimi, qui tanquam ſpiritus ſanguini inhæret & hujus reſpectu bilis amara in inteſtina excernenda, excrementum eſt, ſed corpori humano imprimis chylo magnam utilitatem afferat.

§. XX.

Quandoquidem pituita tenax craſſaque materia, in varias corporis partes deducta eſt, etiam variæ obſtructiones, inprimis in hepate exortæ ſunt, quoniam ſaburram ſanguineam ex ventris inferioris partibus ſeu viſceribus pluribus redeuntem recipit. Nihil enim frequentius eſt, quam quod *hydrops* ex hepatis obſtructione ortum ducat, vel ut eam comitem habeat, ſunt enim in hepate, circa venæ portæ ingreſſum, plurima vaſa lymphatica, ligatura circa portam injecta, in brutorum vivorum ſectionibus manifeſta, quæ ſi obſtructa ſint ut turgeant & rumpantur, aut ab acrimonia acri ſtagnante erodantur, aqua contenta in ventrem paulatim exſtillat, unde tum incipit in *aſcite* tumere. Uti enim hydropicorum membra externa fiſſuras aliquando agentia, aquam fundunt, ſicuti vidimus aliquando ſcrotum in hydrope & hydrocele guttatim magnam aquæ copiam ſine ulla aliqua ſolutione continui viſibili, reddidiſſe, ut æger præ madore continuo, decumbere vix auſus fuiſſet, ſic etiam cum viſcera ventris ita aquam fundunt, *aſcites* oritur, ſeu ventris inferioris hydrops.

§. XXI.

Num hepar ex vaſis lymphaticis hic dictis, ex ipſo hepate prodeuntibus, tum ex lymphaticis vaſis, hepatis ſuperficiem ſubtiliter perreptantibus, obſtructis, tantus tumor aquoſus fieri poſſit, ut hepar particulariter. Sicut in hydrocephalia cerebrum tumeſcat, quæri poſſit? ad hanc ſententiam inclinare videtur *Hipp. Aph.* 55. *Sect.* 7. quando ait: *Quibus jecur aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur & moriuntur.* Reſp. Turgere poſſet hepar non ſaltem aqua, ſed ſæpe, hidatides ſeu veſiculæ plurimæ, aqua plenæ, in hepatis ſuperficie exoriri poſſunt, dum nonnulla vaſcula lymphatica ita obſtruuntur, ut turgeant, ac continuo, nova aqua ſuccedens, in tantam molem & capacitatem vaſorum lymphaticorum membranas extendat, ut veſicas repræſentent, & hæc vaſa ſic obſtructa, ſeu tales veſiculæ, ſi rumpantur ad omenti locum, ſeu ejus viciniam, aqua in ventre colligitur ac tumor inde oritur, & tali in caſu ut plurimum moriuntur: Quoniam talis hydrops ex nobili viſcere notabiliter læſo ortus, lethalis eſt, hinc ut plurimum hydrops cum hepatis ſcirrho ſeu obſtructione incurabilis judicatur.

§. XXII.

Non opinamur tamen, ſola ex hac cauſa ſeu vaſis his obſtructis & ruptis oriri hydropem aſcitem; verum, in abdomine cum vaſa lymphatica frequentiſſima ſint, ut & in eo, circa vaſa ſpermatica copioſiſſima, uti ligatura eorum in vivis animalibus clariſſime demonſtrat, reperiuntur, talia quoque in aliis abdominis locis, & utero mulicbri vaſa, lympham vehentia, frequenter ſunt conſpicua. Nam hic eſt confluxus plerorumque rivulorum lymphaticorum, tum copioſi tales rivuli aqua ſplendidiſſima gaudentes, aſcendentesque ex partibus corporis inferioribus & lateralibus, receptaculum commune chyli & lymphæ paululum infra diaphragma ſitum, ingrediuntur. Hæc vaſa quocunque in loco cum obſtruantur, aquam in abdominis cavitatem deſtillando, aſcitem & ventris tumorem producunt. Meſenterium, plenum eſt vaſorum lymphaticorum, & dubio procul, ejus venæ lacteæ, vaſa ſunt lymphatica, quæ aliquando chylum, ſemper autem lympham vehunt chylum diluentem, ut etiam de ductu chylifero certo aſſeritur; is enim non ſaltem lympham ex receptaculo chyli haurit, verum quoque rivuli lymphatici a latere continuo in eum intrant, unde quam facile quoque hydrops pectoris, ex horum vaſorum lateralium in pectore exiſtentium obſtructione & ruptura explicari poteſt.

§. XXIII.

Quod de humectatione & inunctione pectoris benigna diximus, ſimile de ventris cavitate aſſerendum eſt, quod ſcilicet inteſtina cæteraque abdominis viſcera & omentum & diaphragma in parte concava, qua abdomen reſpicit, & peritonæum, humore aliquo benigno inungi debeant, ne calore creſcant; in eſtina enim & cæteræ partes, calore tam interno quam externo aridæ fierent, niſi contigerit talis perpetua blandaque humectatio. Et ut dictum fuit, quod vix humor in corpore humano ſtagnet, quin corruptioni ſit obnoxius, & cum non in nihilum redigatur, tantundem ſemper humoris a vaſculis reſorbetur, aut in auras evaneſcit, quantum de novo accedit. Si vero plus aquæ in ventris cavitatem ingrediatur, quam regrediatur, aut ſi tenacior ſit, aut pori, aut vaſcula obſtructa, ut penetrare ac regredi nequeat, tum aqua hæc paulatim accreſcit, ſtagnatione corrumpitur, ac hydropem *aſcitem* producit. Sic ex plurimis cauſis, propter partium in ventre exiſtentium copiam, *aſcites* ortum ſuum ducere poteſt.

§. XXIV.

Cauſæ tamen omnis aſcitis efficientes ſunt, lymphatica vaſa turgida & lymphæ effuſio: quando enim vaſa lymphatica, vel ex glandulis

dulis conglobatis ortum ducentia, vel tanquam peculiaria vaſcula excernentia, ex glandulis conglomeratis orta, vel propter obſtructionem rumpuntur, aut ab acri materia eroduntur, aqua deſtillat, aut quocunque modo in cavitate illa præternaturaliter cumulatur, eritque hydrops. Adeoque pituita, aliaque craſſa viſcoſa materia, vaſa lymphatica, ſeu talia quæ aquam vehunt, facile obſtruuntur, ut lympha turgeat, ſeu per poros penetrare non poſſit, unde ob ſanguificationis læſæ vitium ſæpe oritur hydrops, hinc *Galenus* in Comm. 31. Aph. 12. Sect. 6. Statuit *hydropem fieri, cum ſanguinis generatio vitietur, ac bona intermittatur præparatio.* Mirum itaque non fuit, in hoc ægro, propter vitium in principaliſſimis partibus organicis exortum, ſanguificationem ita læſam fuiſſe, ut cæteri humores omnes, imprimis lymphatici, viſcoſi ac vitioſi redditi fuerint, qui facile vaſorum imprimis lymphaticorum obſtructionem efficerent; præſertim, cum ſæpe, ob malam diætam, tum ob aëris injuriam, aliasque cauſas procatarcticas, tanquam occaſionales, proegumene, ſeu cauſa antecedens, & mala partium diſpoſitio in actum deducatur: apud hunc enim ægrum, absque dubio, cum propter valetudinem adverſam non continuo laborare ac aliquid ad ſuſtentationem luctare potuerit, res anguſta domii fuit, unde tum mala diæta, tanquam tenaciſſimæ materiæ cauſa ſecuta eſt, unde obſtructiones in vaſculis minutiſſimis, & hydrops ortus fuit.

§. XXV.

Durior erat peritonei membrana, ſicut contingit, ut plurimum in hydrope, ob continum aquæ craſſioris & fæculentæ contactum, idem teſtantur Authores multi, de pleura, quod durior ſoleat eſſe in thoracis hydrope, tam provida videtur eſſe natura, ut partes affectas, adverſus malum intentum muniat. Viſcera abdominis, cum præternaturaliter in aqua ſtagnante & acriori fluctuarent, mutata multum ſunt ac vitiata, præcipue tamen ſecundum ſuam ſuperficiem externam. Sic præter diaphragmatis ſuperficiem abdomen reſpicientem, *peritonæum*, *hepar*, *lien*, *renes*, *pancreas*, *receptaculum chyli*, *meſenterium*, *inteſtina* & quoque in fœminis *uterus & vaſa ſanguifera* in abdomine contenta inficiuntur, ut nemo non videat, quantum mali ex tali copioſa aqua in ventre ſtagnante & putrefacta, vitæ intentetur. Hinc eſt quod paracenteſis, id eſt abdominis per tubulum aculeatum ſiniſtro in latere, una palma ab umbilico, & infra eundem apertio, parum proſit, licet aqua per vices tantum, ſecundum *Hipp.* mandatum *Aphoris.* XXVII. *Sect.* 6. notatum, educatur quoniam ut plurimum, priusquam ad talem operationem accedatur, omnia alia remedia fru-

ſtra tentata, ac ita modo temporis diuturnitate ac immodica illa aquarum ſtagnatione, viſcera corrupta ſint; ſi hæc paracenteſis, quamvis rariſſime feliciter aliquando ſuccedat, dum aqua in illa ſecundum artem paulatim depromatur, malum tamen plerumque poſtea redit, dum iſtius ſalientis aquæ fons præternaturalis non oppreſſus ac obturatus ſit. Illa *paracenteſis* plus utilitatis afferet, ſi aqua illa inter abdominis muſculos, aut inter muſculos illos & peritonæum ſaltem hæreret, ſic enim ſalva manerent abdominis viſcera reliqua, verum tum potius ad anaſarcæ ſpeciem pertineret hic hydrops, quia prudenti medico facile, aliis ſignis adhibitis & quoque tactu dignoſci poteſt, atque tunc ſæpe in umbilico protuberantia eſt, ac ibi exitum quærit aqua, quæ tunc aliquando feliciter, ſi caute fiat apertio, ſic educitur.

§. XXVI.

Hæc hydropicorum aqua non eſt ſerum ſanguinis exſtillans, uti in aliquibus accidit tumoribus, quoniam illa aqua in cochleari cocta, inſtar albuminis ovi non concrevit, quod experimentum ſatis probat, aquam hanc hydropicorum in aſcite, ex vaſis lymphaticis, aut lacteis ruptis manare. Quondam vir quidam doctus, pertinaciſſimo ſcirrho inter muſculos glutæos diu fuit vexatus, ex quo ſcirrho poſtmodum tumor mollis digitis cedens ortus fuit, cum alias durus ubique maneret, ex quo aperto, reliquo remanente, aquæ aliqua quantitas effluxit, quæ a nobis in cochleari efferveſacta, albuminis inſtar coagulabatur, ut fit quoque in ſero ſanguinis, nam ex interna ruptura & fiſſura carnis & venularum in ſcirrho ita indurato, ſtillaverat ſerum a ſanguine coagulato ſecretum. Num autem ſic talis ſpecies hydropis, ex ſcirrho hepatis & quorundam aliorum viſcerum fiſſura, ut veteres aliqui ſtatuerunt, oriri poſſit, aliis dijudicandum relinquam, ego ſaltem hic frequentiſſimam hydropis aſcitis cauſam ſtatuerem, eſſe continuo manalia vaſa lymphatica, rupta aut exeſa, unde quoque ob lymphæ ita emanantis defectum in ſanguine, ut plurimum immodica ſiti tentantur aſcitici, & quamvis tunc plus aqua, ſed extravaſatæ in ventre contineatur, nihilominus, ſic ſanguis ſiccioris temperamenti eſt, ac ſuo naturaliter diluente humore caret, unde quoque reliqua lympha, cæteras cavitates, imprimis os humectans, deficit, ac ſal non ſatis diluitur. Ideo etiam urina multorum hydropicorum rubicundiſſima eſt, quoniam ſal tunc reſpectu lymphæ in ſanguine abundat, nec non effluente & deficiente lympha non ſatis irrigatur atque enervatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Hic quæſtio aliqua enodanda venit de tympania, ſeu hydrope ſicco, an talis ſine ulla aqua in ventre extravaſata, accidere queat? Ad hanc quæſtionem enucleandam notandum, quod in tympanitide, venter, flatibus extravaſatis, immodice turgeat, quos oriri putant, cum in vapores reſolvitur aqua, ac flatus conſtituit, unde *hydrops* ille, uti ventus in macrocosmo *ſiccus* vocatur; ſed hic quoque operæ pretium erit, hujus hydropis ortum & naturam inveſtigare. Flatuum locus naturalis eſt imprimis, ipſa inteſtinalis fiſtula, in qua, naturaliter flatus nonnulli ad juvandum motum periſtalticum & excrementa propellenda continentur, hi flatus, ſi extravaſati in cavitatem ipſam ventris penetrent, tympaniam producerent, ſeu abdominis tumorem tympani inſtar expanſum; ſed non nollem hic judicare, inteſtina in hoc morbo exeſa aut vulnerata eſſe, ut flatus in ventrem penetrent; quoniam tunc non tamdiu morbus ille protraheretur, & non ſolum flatus, ſed chylus & alia liquida in ventris cavitatem intrarent. Tamen videtur cauſa minus eſſe gravis, quoniam materia peccans reſoluta eſt, quod quidem in cura hydropis intenditur, experientia tamen contrarium docet, quod hic hydrops curatu difficillimus ſit, verum cum locum naturalem & ortum flatuum præcipuum, inteſtina ſtatuamus, ſic inde etiam ut plurimum flatus præternaturaliter conſtitutos & extra locum ſuum naturalem, præcipue in abdominis cavitate exiſtentes, deducemus.

§. XXVIII.

Non enim aſſerimus in tympanitide inteſtinalem fiſtulam flatibus ſaltem nimium turgere, tunc enim cura ejus eſſet facilior, cum flatus illi vel per enemata applicata, facile expellerentur, ſed in tympanitide flatus illi in cavitate ventris continentur extravaſati, quod accidit, cum iſti quidem in inteſtinis copioſi generentur, ac ſimul per venas lacteas ruptas ſeu exeſas lente lenteque in ventris cavitatem ingrediantur, adeoque ſæpe eandem cum aſcite cauſam, tympanites agnoſceret, materiaque tantum differret; nihilominus cum præternaturaliter variis in locis flatus aliqui generari queant, ſic per alia vaſa rupta & aperta, flatus, non tamen tanta copia, quam ex inteſtinis per venas lacteas ruptas, prorumpere queunt, ac ita rariſſime tali modo producetur ingens tympanites. Verum notandum hic, quod raro vel nunquam ſola exiſtat tantum a flatibus orta tympania, quin ſimul adſit aqua, cum per eadem vaſa lactea per quæ flatus penetrant, ſimul quoque aqua tranſire poſſit, præſertim ſi venæ lacteæ

ruptæ,

ruptæ, cauſa hujus hydropis ſint, per quas continuo copia lymphæ tendit: hoc docet quoque ut plurimum experientia, & in hoc quidem ægro flatus aliqui aderant cum aqua, ita ut aſcites raro detur ſine aliquibus flatibus, & tympanites rarius ſine aqua, ſed a potiori denominatio deſumenda.

§. XXIX.

Flatus præcipue in inteſtinis generantur, imprimis in inteſtino duodeno, cum ibidem materia viſcida & tenax, ſeu aliquando etiam aquoſa, a bile affluente quidem reſolvatur, ſed non ſatis, quin adhuc flatus conficere queat. Sic æſtate calidiſſima, aqua quidem diſſipatur in vapores, qui tamen ventum non conſtituunt, verum in vere & autumno venti copioſiores & robuſtiores ex vaporibus aqueis non ſufficienter reſolutis, ſed progreſſivo motu plus quam vario agitatis, oriuntur. Hinc etiam eſt, ut tympanites periculoſior & curatu difficilior ſit, nam duplicem materialem cauſam agnoſcit, *aquam* ſc. & *flatus extravaſatos*, deinde flatus illi crudi & tenaces non facile propter expanſionem ſuam in vaſcula regredi, adeoque ſecundum *Hippocratem* ex venis in ventrem confluere queunt. In tympanitide duplex illa cauſa quoque vitiata eſt, unde illa hydropis ſpecies quoque curatu difficilior exiſtit, bilis enim & pituita præternaturaliter ſunt conſtituta, & ſecundum nonnullos una ſuccus melancholicus, adeoque multiplex cauſa ſummopere vitiata, multiplex malum conſtituit.

§. XXX.

Ut ad clariorem aſcitis & hydropis cauſam veniamus, hydrops diſtingui poſſet in particularem & univerſalem: Particularis eſt, quando in aliqua parte ſaltem, vaſa aquam vehentia, vel ſaltem ſint obſtructa ut immodice turgeant, aut exeſa vel rupta ſint ut aqua extravaſetur, uti in capite ſi hoc fiat *hydrocephalia* vocatur, quæ vel extra cranium eſt, atque tunc tumor ſe ſatis manifeſtat vel intra cranium & tunc difficilius niſi ex aliis ſignis cognoſcitur, ſic in ſcroto vocatur *hydrocele*, in utero, *hydrops uteri*, in pectore, *hydrops thoracis*, in alia quacunque parte ſi exiſtat, tumor aquoſus vocatur, ſi ibidem ſaltem aqua ita ſtagnet aut extravaſetur ut tantus fiat confluxus cum partis tumore; adeoque hi humores aquoſi loco ſaltem differunt, tum utrobique vaſa lymphatica, propter obſtructionem aut compreſſionem ita turgeant aqua, ut valde tumeant, rumpuntur vel exedantur, ut in locum affectum, aquam quam vehunt effundant.

§. XXXI.

§. XXXI.

Univerſalis vero dicetur *hydrops*, quando totius corporis habitus, viſcida aqua, ut in *leucophlegmatia*, vel fluidiori, ut in *hydroſarca*, vel *aqua intercute* immodice turget, tum enim vaſa lymphatica cutanea, & alia quæ muſculorum fibras perreptant, ita tument pituita aut aqua, ut inde intumeſcentia oriatur, vel etiam quando loco pinguedinis in cellulis membranaceis, imprimis membranæ adipoſæ, colligitur viſcoſa aqua aut pituita loco adipis, unde quandoque initio pinguedinem mentitur *leucophlegmatia*.

§. XXXII.

Secunda ſpecies hydropis illius eſt, cum venter turgeat aqua, præternaturaliter extravaſata, uti in præcedentibus explicuimus, & quamvis putaret quis, referri debere hanc hydropis ſpeciem ad particularem, cum ſaltem in ventre ſit, multas tamen ob rationes ad univerſalem ſpectat, primo, quoniam in ventre inferiore plurima continentur viſcera, quæ ſimul ab hac extravaſata aqua peſſime multantur, deinde quoniam in abdomine, tanquam in officina communi & univerſali pro toto corpore fit nutrimenti præparatio. Denique, rarius ſolus venter ita aqua turget quin ſimul pedes tumeant, uti recenſet *Galen. Secund. Prognoſt. Cap.* I. Et ſcrotum in viris tunc frequentior vexatur & tumet, quoniam aqua non ſolum deſcendit gravitate deorſum ex ventre, ſed nonnunquam etiam per proceſſum peritonæi tendit, ac occultas vias in ſcrotum usque quærit nec non in pedes translabitur.

§. XXXIII.

Sicuti videmus catharros, inter cutim & muſculos hærentes, ab unaque parte in aliam transgredi, & quemadmodum in praxi ſæpe numero experimur, quod humores in capite ex contuſione, aliaque cauſa exorti, poſtea ſæpe ad genas, collum, & pectus externum delapſi ſint, uti tumor ac color ſatis demonſtraverunt; tum materia extravaſata vias & meatus quærit, inter muſculorum fibras & interſtitia, ſicuti in catharro, cujus natura in lympha acri extravaſata ita ruente exiſtit, contingit; idcirco quoque, in hydropicis pedes circa veſperam plus tument, quam cum æger decubuerit in lecto, quoniam tunc gravitate, materia preſſa, magis deorſum tendit: Porro in aſcite partes inferiores ut plurimum quoque intumeſcunt, quoniam omnis lympha hoc in affectu tenacior ac inertior in motu eſt, idcirco gravior, per vaſa lymphatica ex partibus inferioribus, non tam facili negotio

 aſcendit,

aſcendit, ſed cumulata, tumores in his partibus producit, hinc hydropem, pedum ſæpe inſolita & diutina gravitas & laſſitudo ſpontanea, imprimis cum tumore juncta, prænunciat. Hoc quoque illi mirum non videbitur, qui conſiderat quanta vaſa lymphatica ex ſcroto per proceſſum peritonæi cum vaſis ſpermaticis ingrediantur, ac continuo lympham in chyli & lymphæ commune receptaculum reportent, ut in vivi animalis ſectione, horum vaſorum ligatura demonſtratur. In fœminis quoque ex vaſis lymphaticis ita male affectis ac turgidis, oritur hydrops uteri, qui aſcitem mentitur, ſeu auget.

§. XXXIV.

Quæſtio hic non levis explicationem meretur, quomodo aqua illa in aſcite extravaſata, tanta copia naturæ vi & tanquam criſi, ſeu materiæ peccantis ſubitanea alia excretione per alvum vel veſicam exoneretur? atque ita ſecundum *Hipp. Aphor.* 14. *Sect. 6. e venis in ventrem confluat*, vel quomodo vi ſudoriferorum, purgantium fortiorum & diureticorum, aqua illa vel per ſudorem, alvum vel urinam evacuetur? licet tum tumor ſæpe redeat. Nam ex ſolo *ſucco ireos noſtrat.*, crudo non cocto ad *unc. ſem.* vel *drach. VI. cum melle roſar.* aliquoties aſſumpto & repetito, præmiſſis quibusdam alterantibus, evacuatum vidimus hydropicorum ventrem, imo curatum, ſi viſcera non fuerint plane antea corrupta: ſed poſt evacuationem aliquoties repetitam, denuo medicamentis aptis ac idoneis corrobarandæ ſunt partes & vires, de hoc medicamento adeo gloriatur *Gordonius* in ſuo *lilio medicinæ*, *Part. 6. Cap.* 5. quando inquit: *de iride noſtrat. Proculdubio omnem curat hydropiſin, quæ manu humana ſit curabilis, dum tamen continuetur, educit enim quotidie, tres vel quatuor ſcutellas aquæ citrinæ.* Similem ferme effectum præſtat ſuccus corticis mediani ſambuci, ebuli, & alia quam plurima medicamenta; quaſi ſaltem hic poſſet, per quas vias aqua hæc redeat, vel in fiſtulam inteſtinalem, vel veſicam, cum extravaſata fuerit, atque ſecundum *Hippocratem e venis in ventrem confluat*, uti ait citato *aphoriſmo.*

§. XXXV.

Quamvis non ſemper talis effluxus aquæ, magnus & ſubitaneus in hydropicis ſalutaris ſit, ſum enim expertus in viro hydropico, cujus venter immodice intumuerat, diabetem, ſeu *hydropem ad matulam ortum* fuiſſe; adſtantes enim, ex rei raritate conſternati, me accerſiverunt, ut num quid ſpei ſupereſſet, judicarem, vidi itaque ab immodica urinæ excretione, paucarum horarum ſpacio ventrem detumuiſſe, hinc

hinc parum ſpei, multum periculi ſubeſſe prædixi, quoniam *omnis mutatio ſubitanea periculoſa eſt:* In hydropicis enim cum extravaſata ſit aqua, procul dubio aliquid quamvis non tantundem quantum accedit, per vaſcula reſorbetur. Quæ materia cum ſanguinem ita ingrediatur, quamvis malam conſtituat temperiem, tali tamen imbuit conditione, ut ſi ſubito, hoc temperamento privetur, vitalem quamvis labefactatam in corde efferveſcentiam excitare nequeat; quemadmodum quoque videmus in hominibus ſpiritu vini abutentibus, uſu evenire, quod ii ſubito deſueſcere nequeant, quin ægre ferant, quandoquidem ſanguinis temperamentum vitiatum eſt, ſi vero hæc mutatio lente per vices fiat, ut in excretione per paracenteſin inſtituenda ſuadet *Hipp.* tunc plus adferret utilitatis.

§. XXXVI.

Hic tamen quæri poſſit, qui fiat, quod aqua hæc in locum ſuum naturalem redeat? Notandum eſt primo, quod ſi in tali hydrope aqua adhuc in venis ſeu in vaſis obſtructis & expanſis contineatur neque extravaſata ſit, uti in hydatidibus multis, in abdomine ſæpe excitatis, contineatur, quod tunc facile, tranſitus aquæ iſtius ſecundum venas ſeu vaſa, in ventrem tanquam humorum metatheſis & criſis fiat. Sic forſan intelligendus erit *Aphoris.* 14. *Sect. 6.* quando ab *Hippocrate* aſſeritur. *Quod ab hydrope detento, ſi aqua ſecundum venas in alvum fluxerit, ſolutio fiat,* ſeu ille morbus deſinat; quo autem modo, in dubio relinquitur. Gravior autem quæſtio de aqua oritur extravaſata, & in ventris cavitate fluctuante, quomodo tunc vi purgantium, vel naturæ, vel morbi, talem metatheſin ſeu tranſpoſitionem admittat? quam confirmare videntur purgantia fortiora in hydrope tali, adhibita, ſi enim ullibi convenirent purgantia, prodeſſent, præmiſſis alterantibus, omnino in hydrope, fortiora; quoniam materia turget, ut *Hipp. Aphoris.* 22. *Sect.* 2. & hinc eſt, ſi hydropici tales, dicta conditione purgentur, *facile ferant*, ſecundum *Aphoris.* 25. *Sect.* 2. *Si qualia purgare oportet, purgentur, confert & facile ferunt.* Sic in hydrope ſeu aſcite vehemente, cum tumore ſcroti ampliſſimo, proculdubio ab aqua extravaſata orto, præmiſſis attenuantibus & diureticis aliquoties repetitis, per repetita purgantia, venter evacuatus eſt ac decrevit, & ſcrotum plane detumuit. Statuendns itaque eſt tranſitus, & quidem ille facilius concedi poteſt, ſi ſecundum §. 16. & *ſeqq.* putemus, in ſingulis corporis humani cavitatibus, non ſaltem humorem humectantem, per peculiaria vaſcula, affluentem, verum quoque meatus in his dari reſorbentes humorem, ſi functus fuerit ſuo officio, ni ſtagnaret, affirmemus, unde quoque, ſi hi meatus

 obſtructi

obſtructi ſint, & plus aquæ affluat quam refluat, uti antea quoque in fine §. 23. aſcitem efficere poſſe, ſtatuimus.

§. XXXVII.

Quamvis ad ſenſum difficulter viæ demonſtrari poſſint, ratio tamen ſæpe a nobis allata tales perſuadet, uti enim in inteſtinis venæ lacteæ non hiare videntur, quum ipſa inflata, ſeu alio quovis modo tractata, non foraminulenta, ſed integra appareant, nihilominus, magna copia liquorum ex inteſtinis in venas lacteas tranſit, imprimis in illis, qui ingentem copiam potus diuretici hauriunt: Talis enim vaſorum multorum conditio, & humorum tranſitus, in corpore neceſſarius, quando enim per medicamenta, tum alterantia, tum imprimis purgantia acriora, pori illi ſeu meatus aperiuntur ac ſollicitantur, ut motu quaſi periſtaltico potentiori, illa vaſcula agitata, non ſaltem in inteſtinorum fiſtulam per peculiaria vaſcula humorem emittant, ſed quoque alia ſint, quæ iterum plus liquoris extravaſati ex ventre exhauriant. aut abſorbeant. Ita enim corporis habitus externus in cutaneis vitiis, per alvum evacuatur, uti ex gr. in ſcabie fœda, aut pſora & cæteris his vitiis externis, a melancholico ſucco craſſo oriundis, per purgantia fortiora, dum materia vitioſa ſtagnans & quaſi extravaſata revocatur & per inteſtina evacuatur: Sic enim vel criſi, vel arte, vel alio modo, materia illa in aſcite, per hæc vaſcula ſeu meatus in venas reverſa, atque hinc ex ſanguine, peculiaris fermentationis, vel effervefcentiæ. vel criſeos ope, tanquam fæx, per loca excretoria, maxime ſolicitata excernitur, quæ prout ſunt purgantia vel diuretica, vel ſudorifera, vel per alvum ducentia, ſic pro qualitate ſua, materiam peccantem ſimul alterant & vaſa excretoria, certis & ſingulis excretionibus dicata irritant. Simile videmus in naribus, per quas non tantum materia excernitur, verum quoque ut in odoriferis & balſamis aliisque errhinis ſubtilioribus & bene olentibus apparet, vires ſed vacillantes, ſæpe ſubito reſtaurantur, quod non aliter fieri poſſet, quam quod aliquid ex balſamis in narium vaſcula peculiaria penetret ac multæ balſamorum odoriferorum gratorum particulæ immediate ingrediantur ſanguinem.

Reſpondentis Exercitatio Anatomica, de Villis Inteſtinorum.

§. I.

QUam plurimi licet eruditorum in vaſto anatomes pelàgo accurata indagine microcoſmi partes inter cæteras eminentiores non tantum, verum

verum & exiliores exploraturi velificaverint; imo hujus ſcientiæ portum jam tenuiſſe ſibi imaginati fuerint; nullum tamen, teſte SENECA, *vel poſt mille annos natum, occaſio diſcendi & novi quid adjiciendi deſtituet.*

§. II.

Villi inteſtinorum tunicam interiorem; ſicuti animantium nonnullorum pellem unde nomen traxiſſe videntur) obtegentes, pars nauci olim nulliusque apud anatomicos uſûs, projecta alga viliores habiti, ſi intimis inſpiciantur, ſtructuram continent plane admirandam; unde magni quid in receſſu habere, & indagine noſtra & admiratione vel omnium digniſſimos eſſe, cuivis æquo operum DEI contemplatori ſubolet, eoque magis, quia exiguis machinis natura, quæ delectatur minimis, magna plerunque molitur opera

§. III.

Tunica villoſa Lindano crudior tantum eſt & limoſa chyli pars, ut ſit veluti lorica contra offenſas: Rugoſum aut ſpongioſum molliſſimæ ſubſtantiæ *periſtoma* (forſan περίστρωμα) vocat PECQUETUS, ut alimentorum aſperitas innoxie tranſeat, & qui ſubtilior ſuccus eſt, ex fæcibus in venas lacteas tranſcolatur: BILSIUS muſcum villoſum vocat, per quem vaporis ſpecie tranſeat chylus: *Joh. van* HORNE in tenuibus cruſtam ſimilem eſſe quoad uſum, *filtro pharmacopolarum laneo* aſſerit; quoad ſubſtantiam velamentum *bombycinum*: WILLISIO inteſtina ejusmodi *cruſta villoſa*, qua ventriculus obducitur, incruſtari videntur, & propter eosdem uſus, videlicet ut vaſorum ora obtegat & chyli aliorumque contentorum appulſus ſuſtineat: PECHLINUS curioſius in tubulos ſerum in inteſtina ſtillantes inquirens, non minimam purgationis partem ex inteſtinorum villis fluere perſuaſum habet: nos ſuo quemvis ſinimus abundare genio; quid autem circa hæc occupati accurato ſcrutinio obſervaverimus, ne lateant diutius, hic exponere opportunum duximus.

§. IV.

In canis anatome in contemplatione *tunicæ internæ* ſeu *bombycinæ* incidimus (calentibus adhuc inteſtinis) in *capillamenta albicantia*, inter cæteros inteſtinorum *villos* prominentia, hinc inde fluctuantia, vaſis lacteis, quæ tranſparebant per tunicam inteſtinorum extimam, continua & annexa.

§. V.

Quod ut iterato tentamine nobis certius conſtaret, canem bene paſtum, quinque abhinc horis vivum cultello ſubjicientes anatomico, curioſius in *vaſcula* prædicta inquiſivimus; eadem ſpecie *capillamenta albicantia* nobis obtigerunt, ceu productiones vaſorum lacteorum, fluctuantes inter cæteros inteſtinorum *villos*, quas quidem productiones radices & origines vaſorum lacteorum eſſe non dubitavimus.

§. VI.

Nec ſpecie veri carere videbatur hocce inventum: Etenim cum chylus oſcillis vaſorum lacteorum ex fæcibus alvinis elicitus (non ſecus ac terræ ſuccus ab arborum radicibus) vel ſemel receptus, uniformis ſit & ſimplex humor, nec ulteriori ſecretione aut ſegregatione opus habeat, quin, ad maſſam ſanguinis ut feratur, ſcopus unicus ſit & intentio naturæ, non opus eſſe videtur ſtructura glanduloſa, qua humores commixti, diverſa qui a ſe invicem inſtituunt itinera, commode ſegregantur, & per diverſa vaſa derivantur facilius: nempe poris & vaſorum oſculis vel ſemel ſuſceptus, recta & plana via ad ſanguinis maſſam pergeret, quam per glandularum mæandros traduceretur, non citra obſtructionis periculum. Quæ in itinere occurrunt glandulæ meſenterii globoſæ, tantum abeſt, ut chylo ſint impedimento, ut vel potius motum ejus & progreſſum, laticem dum affundunt, promoveant, & ad commune chyli receptaculum accelerent.

§. VII.

Nec ſane forte perſuaſum habuimus, radiculas memoratas motu eſſe præditas, quo mechanice ad occurſum particularum & amicarum nutritiarum hient (*nam & hic Dii ſunt*) & oſcilla pandant, horreantque & obſerent eadem ad minus acceptarum occurſum. Etenim cum fluctuare viderentur, vi atque conſtrictione fibrarum inteſtinorum circularium coarctarentur prædicta capillamenta, relaxatione potius, dum hiant oſculaque pandunt, chylum abligurire, & quaſi pitiſando transmittere veriſimile videbatur; motum autem inteſtinorum periſtalticum id facere, ut abligurientibus apte offerantur devolutæ hinc inde particulæ chyloſæ.

§. VIII.

Et hæc ratio videbatur, quod ex demortuorum inteſtinis humor nullus nec flatus in vaſa lactea propelli poſſit, quem tamen toto die ſponte ſua perfluere videre eſt in vivis.

§. IX.

§. IX.

Luſtravimus alio tempore percolationis chyli organa; tunc autem non tantum excidimus opinione noſtra; usque adeo verum eſt, uni vel alteri experimento fidendum non eſſe; obſervavimus enim in alio cane dicta *capillamenta albicantia* tunicæ intimæ, ceu cruſtæ inteſtinorum adhæreſcere quidem & fluctuare, ſicut in prioribus canibus; facta autem lotione, conſtitit eorum nonnulla dilui & abſcedere; unde tantum non in eam devenimus ſententiam, non eſſe niſi filamenta chyli muco permixti.

§. X.

In alio cane calentibus adhuc inteſtinis contemplati ope microſcopii tunicam inteſtinorum internam, in confiniis jejuni. obſervavimus eam referre *textum quoddam turbulatum*, ex innumeris corpuſculis coagmentatum, quorum in apicibus apparuerunt *foraminula concava*, quæ frigeſcentibus abhinc inteſtinis ſenſim obliterata fuerunt; tandem ex accuratiore indagine ipſos inteſtinorum villos eſſe conſtitit.

§. XI.

Nec in his tantum experimentis acquievimus, verum rei hujus veritatem penitius indagare conati fuimus, in anſere flatum per ramum venæ portæ in cavum inteſtini penetrare alias jam certiores facti, per eundem ductum atramentum ſiphone injecimus; id quod vaſcula vel minima, citra valvulæ ullius remoram pervaſit, & in ipſum quoque inteſtini cavum penetravit; Inciſo hinc inteſtinulo, innumera in tunica intima conſpicati fuimus *puncta nigricantia*, quæ in aqua limpida fluctuarunt & in *filamenta nigra* explicita fuerunt. Rei novitate allecti microſcopium, egregium anatomicorum adminiculum, adhibuimus: Tunc demum eleganti ſpecie apparuerunt; non tantum capillamenta humore nigro diſtincta, ſed & in unoquoque eorum vaſculorum exiliſſimorum ramificationes pampiniformes, elegantiſſimæ; adeo, ut ex uno ſtamine plures prodierint ſurculi, villis inteſtinalibus ceu vaginulis reconditi, nec ullus mihi viſus fuit villorum, quem ad extremas usque oras ſimilia non perreptarint vaſcicula exiliſſima, tanto evidentiora, quanto penitior humor injectus penetraverat, qui in ipſum quoque inteſtini cavum alicubi excidit.

§. XII.

Similes in caninis inteſtinis liquorum *injectiones* tentavimus, quibus totus inteſtini ambitus nigricans evaſit: Eodem inciſo contentisque ſcalpello remotis, guttulas injecti atramenti hinc inde obſervavimus: abhinc portio-

portionem ejus microſcopio ſubjecimus, & ſimilia, uti in anſeris inteſtinulis, *capillamenta nigrantia* deprehendimus, quæ ſimilia perreptarunt *vaſcula tenerrima*, in ſummitate præſertim conſpicua, in nonnullis *bifida*, ad inſtar linguæ ſerpentis, alibi *orbicularia* inſtar coronæ, evidentiora tamen in anſeris, quam caninis villis fuerunt.

§. XIII.

Ex his obſervationibus & experimentis anatomicis, imprimis ex ſubtili & elegantiſſima *villorum inteſtinalium* ſtructura, eluceſcit actio & uſus illorum, quis autem æquus naturæ contemplator, perſpecta ſubtili hac villorum fabrica, tunicam villoſam cum LINDANO, crudiorem tantum & limoſam chyli partem ſtatuat? Quis cum PECQUETO περίσσωμα? Quis cum HORNIO filtri lanei pharmacopolarum uſum attribuat? aut cum WILLISIO, qui inteſtina, cruſta ejusmodi villoſa, qua ventriculum obduci, perſuaſum habet (cum tamen facilius nodos in ſcirpo, quam in illo villos, quæſiveris) id uſus aſſignet, ut vaſorum ora obtegat, & chyli aliorumque contentorum impulſus ſuſtineat? PECHLINUS eximium quidem uſum villis attribuit, at, quod fieri amat, plus nimis ſuæ ſententiæ addictus, dum fontes colluviei a purgantibus perquirit, perperam forte villos ad horum numerum revocat: Etenim organa excretoria innumera eaque ſpecioſiſſima tanto glandularum, partiumque hydraulicarum apparatu per totum inteſtinorum tractum occurrunt, ut fruſtra futurus ſit, qui poſt vaſtum hepar, pancreas eximium, glandulasque ventriculi & inteſtinorum numeroſiſſimas alia organa excretiora in his locis quæſiverit.

§. XIV.

Aliud reſtat, ſi non æquale, certe majus naturæ opus, quod in his locis peragitur, quodque ſine peculiaribus organis perfici naturæ ordini adverſatur; *Percolatio* ſcilicet *chyli*. Cum vaſorum excretoriorum tantum videamus numerum & apparatum, incerniculorum certo haud minor erit pro tanto naturæ opere neceſſitas, id quod natura vel digito nobis monſtrare videtur: Etenim in nullo non animantium genere inveniuntur *villi*, & ita diſponuntur, ut in ventriculo, nulli, neque vaſa lactea, abhinc autem infinita ſeries villorum, præſertim per jejuni tractum, ubi lacteorum magna occurrit frequentia, inveniantur; adeo ut *hirſutum hoc*, *Ileon* autem *magis glabrum* conſpiciatur: In craſſis canis cujusdam inteſtinis nullos obſervavimus villos, adeo ut *vaſa lactea* & *villi* inteſtinorum undique ſeſe comitari videantur: quod quidem luculentum eſt τεκμήριον, *villos* chylum ex alvinis fæcibus abſorbere, continuisque ac ſociis *lacteis* committere abſorptum, id quod ſtructura, quam ſupra ob oculos poſuimus, plane perſuadere videtur.

§. XV.

§. XV.

Neque enim tantum propagines meſaraicarum unumquemque villorum eleganti ramificatione ſubeunt, ſed & vaſcula earum verſus inteſtina hiant, ita ut non tantum flatus per ramum meſaraicum penetraverit in inteſtinum illudque inflaverit, quin ipſe humor atratus per eundem canalem injectus in inteſtinum guttatim exciderit, per nulla alia, quam quæ in villorum cacuminibus conſpicati ſumus ope microſcopii orificia; ſed & viceverſa inteſtino, parte inferiore ligato, flatus ſuperius immiſſus per eosdem canales meſaraicos penetraverit, id quod commeatus viam latis ſuperque monſtrat experimentum: Tum vel illud quoque innuere videtur, quod vaſcula tenerrima recondantur villis, ſeu thecul'is pulpoſis, ut citra offenſam prætereuntium vim ſuſtinere poſſint, & *villis* ceu totidem *ſpongiolis* obvoluta imbiberent chylum, inter denſam eorum congeriem ſtagnantem, quibus abſorptus facile vaſculis contentis traderetur, & abhinc ulterius ad ſanguinis maſſam derivaretur.

§. XVI.

Cæterum non eſt dubium, quin ea animalia, quibus *lacteorum apparatum* largitus eſt ſummus rerum conditor (quæ in volatilibus, quantum quidem nobis conſtat, deſiderantur) chylum hauriant, & a fæcibus alvinis delibent per lacteorum extrema, villis inteſtinorum forte ſimili modo implantata, quo in volatilibus ſanguifera ſolere experimentis conſtat: Pateret autem clarius, ſi experimentum, quo valvulas lacteorum ſuperare poſſet *mercurius*, in antlia pneumatica, *methodo Nuckiana*, proſpere ſuccederet.

§. XVII.

Exinde quoque colligere licet, legibus naturæ atque organi colatorii ſtructuræ non repugnare, ſiquidem chylus per venas quoque meſaraicas dicatur ad ſanguinis maſſam vehi. Id quod vel illa *obſervatio anatomica* indigitare videtur, quod propagines *meſaraicarum* majori numero & ſpecie appareant in villis volatilium, quam illorum animalium, quæ lacteis natura inſtruxit. Ὁμοφηφον his vid BOHN. Diſſertat. Phyſiolog. 5. §. 18. & 22. Diverſitas nempe animalium, quam inſtituit ſummus rerum conditor, diverſa ſibi voluit organa, ita fabrefacta, ut cuivis illorum congrua forent in ſuo genere & convenientia.

Sic tentaſſe vadum, ſatis; iſthic, dum datur ultra.

CCLXVIII.

JOH. DE BUCHWALD,

DE DIABETIS CURATIONE

Cum primis per Rhabarbarum

RESPONDENTE NICOLAO RYBERG.

Hafniæ 1733.

§. I.

DIABETES, quam lienteriam ſeu diarrhæam quoque nephriticam vocant, ſive hydropem ad matulam, Aur. Cornel. Celſo dicitur urinæ nimia profuſio, pag. 234. editionis Almelovecanæ. Morbus autem rariſſimus eſt; id quod & antiquiſſimi, & remotioris pariter, ac noſtri temporis Practici Medici, ad unum omnes teſtantur. Siquidem Viris etiam, ampliſſimæ praxis claris, per longam annorum ſeriem haud obvenire ſolet. Galenus, ſe duos tantum vidiſſe, qui diabete laborarint, ſuis ſcriptis teſtatur. Guilielmus vero Fabricius Hildanus Centuria V. obſervat. 53. ſcribit: ſe modo in unum incidiſſe, hoc morbo afflictum. Is puer fuit ſeptem annorum, qui poſtea facta jam ſanatione, iterum decumbens, vitam poſuit. Nec plures Hildano obtulit vaſta diuturnaque praxis Medico-Chirurgica.

§. II.

Raro itaque diabetes obvia, ſed acutus eſt morbus, ac periculoſiſſimus, qui mortem affert niſi primo ſtatim principio remediis optimis, multoque uſu probatis, levetur. Ejus tamen curationem plane omiſerunt medicinæ quidam ſcriptores, alias haud parum celebres: quod in *Stahlii* quoque praxi, tam in priori editione 1728, quam in poſteriori

poſteriori 1732. à Pelargo edita, factum eſt. Et idem præterea multis aliis, tum veteribus, tum recentioribus, contigit, quorum medica ſcripta extant. Imo vero hinc inde medici longe experientiſſimi ſunt, qui per multos quidem annos feliciſſimo ſucceſſu, medicinam exercuerunt, ſed diabetis curationem nunquam ſuſcepere.

§. III.

Eſt autem diabetes, frequens, velox, cruda atque copioſa urinæ excretio, cum doloribus hinc inde in ægrotantis corpore vagis, (quales in febri hectica dolores jugiter fere obſervantur) ſitique inexplebili, neque minus univerſi corporis tabitudine. Tanta lotii copia reddi ſolet, ut aſſumptorum fluidorum omnium proportionem valde ſuperet. Atque hæc ad veram pertinent diabetem; quæ multum a ſpuria, ut vocant, ſeu notha differt. Etenim hæc interdum ſimul eos affligit, qui variolis, morbillis, aliisque febribus exanthematis ægrotant. Tum vero vix aliud quam ſymptoma eſſe deprehenditur; & una cum primario, quem tantum comitatur, morbo, tolli ſolet. Idque paucis, aut interdum nullis potius medicaminibus, ſed temperata victus ratione atque genuina diæta, ſæpius efficitur.

§. IV.

Per genuinam vero diætam id intelligo, ut præter alia aër ſit temperatus, nulliſque exhalationibus fætidis &c. infectus. Nimius enim calor, tum cubiculorum, tum lectorum, in febribus exanthematicis, aliiſque acutis, non minus nocet, quam vis major frigoris.

Præterea huc potus pertinet ſufficiens, at aquoſus, cum fruſtulo panis primarii, vel alio modo leniter coctus, & iteratis quidem ſed leviſſimis hauſtibus tepide propinatus. Utiliſſimum etiam ſerum lactis eſt, quod vim temperandi atque abſtergendi habet; ac, præter alias virtutes, alvum quoque apertum cum euphoria ſervat. Id quod veteres ſcientiæ medendi principes, non celebrarunt tantum, ſed in febribus etiam calidioribus, cumprimis in billioſa, frequenter commendarunt. Nec omnino utilitatis expers iſte potus hodie adhuc foret, ſi modo frequentius ægris, inprimis bilioſa febri laborantibus daretur: quod mea me docuit experientia, cum & antea haud raro, & nuperrime, paucas ante hebdomades, in epidemica febri catharrhali, cum ingenti ſiti, haud ſine emolumento, illum adhibuerim. Facili autem negotio æſtivo tempore parari & haberi poteſt, cum lac tum ſponte aceſcat, quod ſerum lactis naturale vocatur, artificiale contra fit omni tempore; ſi lacti dulci ebullienti paululum ſucci citri, aliave ſubacida, pro

morborum, ætatis; ſexus, temperamentorum &c. diſcrimine, admiſceantur, quo facto, particulæ butyri & caſei coeunt, & ſerum percolari queat, ac bibi.

§. V.

Sed de ſpuria diabete, cujus acta medicorum Berolinenſium Decade 1ma vol. V. pag. 34. exemplum habent, non eſt in præſenti agendum, quare eam fuſius perſequi ſuperſedeo.

Ex allata veræ diabetis deſcriptione, ea illuceſcunt ſigna, quæ hoc mali genus indicant. Lotium quippe, quod abundanter effunditur, tenue, crudumque, ac ſedimento nullo permixtum, ſubdulci autem ſapore præditum eſt. Ad colorem quod attinet, eundem ſæpe urina refert, quo infecti fuerunt liquores hauſti: lac enim dulce & emulſiones amygdalar: dulcium &c. à diabeticis haud raro albidi coloris (id quod *Hildanus*, *Tulpius*, *Dolæus*, aliique mecum obſervarunt) iterum eminguntur, facta aut nulla, aut exigua tantum mutatione.

VI.

In cauſis hujus morbi præcipue commemoranda eſt laxitas partium, ventriculi, inteſtinorum, maxime autem renum. Ea enim efficit, ut ingurgitata fluida retineri nequeant, ſed viam mox inveniant, qua illico transmittantur. Atque hoc imprimis accidit, ſi renes nimium debilitati fuerint ac remiſſi, ut effuſionem illam retardare non valeant: cujus rei exemplum videre licet, in *Friderici Hoffmanni* Medicin. conſultatoriæ partis 1mæ decuria V. pag. 219. ſub titulo: diabetes ex hæſione calculi, in uretere dextro, orta.

Si quoque largius, quam par eſt, diuretica adhibeantur medicamina, hæc non parum interdum ad excitandam diabetem afferre poſſunt. Neque minus ad hujus cauſas accedit immodicus uſus alimentorum, quæ urinam pellunt. Sed alia tamen, ut puto, ratio ſubeſt, cur molles noſtri corporis partes cunctæ, in hocce morbo, diffluant; ideoque etiam pinguedo omnis, membrana adipoſa (quæ pro ſecundo univerſali integumento haud immerito hodie habetur) omentum, adeps quæ circa meſenterium, renes, aliaſque partes, invenitur, velut colliqueſcant: quanquam ad cauſas hujus mali etiam referri poſſit febris hectica, cum doloribus iſtis vagis juncta, quam huic malo adeſſe, non à me tantum, ſed & multis aliis medicis practicis obſervatum eſt. Illa enim febris pinguedinem, mollesque noſtri corporis partes ceteras liquefaciendo, in lympham ſerumque convertit.

Nec licet tamen temere hac de re ſtatuere aut conjecturis audacter nimium indulgere. Si quid certi afferendum, decet ea circumſpecte ſequi

ſequi veſtigia, quæ ipſa rerum magiſtra experientia commonſtrat. Rarius autem ille morbus incidit, eoque minus mirandum, non certo ſatis uſu conſtare de omnibus quæ ad diabetem ſpectant. Ego enim ingenue confiteor, me non penitus exploratam habere cauſam proximam quæ molles noſtri corporis partes in lotium convertat. Ideoque illius indagationem, curioſius inſtituendam, ingenioſioribus phyſicis relinquam.

§. VII.

Joh. Dolæus in encyclopædia ſua medica, pag. mihi 327. peculiarem diabetis cauſam quoque nobis tradidit. Tubulos, inquit, iſtos per omentum ex fundo ſtomachi prodeuntes nimis laxatos culpo: per hos enim patentiores ductus, ſine mora pergit ad renes vel veſicam, quicquid eſt potulenti. Huc ſpectant etiam pori veſicæ nimis aperti; hinc nobis placet cauſa de hoc affectu, Carteſianis adſcripta: ad cor enim potus in diabete non poteſt deferri. Huc uſque *Dolæus.*

Sed ea opinio non levibus premitur difficultatibus: cum de tubulis iſtis, ſive ductibus, non ſatis conſtet. Impervii enim ad hunc uſque diem celeberrimis fuerunt anatomicis, de quorum cura in illis perſcrutandis dubitare non licet. Appello tantum præclariſſimum, nunc beatum *Ruyſchium*; *Winslowium*, *Heiſterum*, *Morgagnum*, aliosque, qui hodie adhuc ſuperſtites, ſumma nominis claritate florent, hi nulli pepercerunt labori, ut eos reperirent tubulos; at conatu irrito, minime illis contigit in eos incidere. Ex quo vero quam ſimillimum eſt, penitus non exiſtere tubulos, qui tantorum anatomicorum induſtria indagari non potuerunt.

§. VIII.

Ad hæcce magis confirmanda ex *Gothofredi Bergeri* Phyſiologia medica pag. 197. ſubſequentia tradam. Ut minus, inquit, adeo ſit neceſſarium, id quod a quibusdam inter urinam potus & cruoris diſcrimen affertur, quando illam ex primis ſtatim viis, per vias hactenus incognitas, & per peculiares ductus excretorios, ad renes vel veſicam, devehi opinantur, eamque ſententiam ex aquoſa urinæ facie, & rapido, properoque exitu approbare ſtudent, ſed falso, pergit *Bergerus* ſuppoſiti & commentitii ſunt ductus illi aquoſi, atque a nemine unquam, poſt tot in ſcholis totius Europæ facta repetitaque pericula, cogniti, aut oculo certe vacillante viſi, quando nonnulli vaſa lymphatica pro tubulis fruſtra habuerunt &c.

Atque ideo *Dolæus* hypotheſin (quæ olim *Lutetiæ* Pariſiorum anno 1687. me præſente, jam apud quosdam celebrata fuit) tantum tradidiſſe.

diſſe videtur, cui tamen fundamentum experientia haud ſubſternit. Hinc iſta etiam cauſa diabetis ſponte ruat, neceſſe eſt. Sed ejusdem alia per ſæpe cauſa eſt, juxta quotidianam in medica praxi experientiam, aut medicaminum, aut alimentorum diureticorum abuſus: ut videre licet in *Hildani* obſervatione 53. pagina 442. de diabete ex nimio acidularum Griesbachenſium uſu orta, qua valde diureticæ ſunt. Item in Epiſtola Gualteri Harris ad *Baglivum*, vid. ejusdem opera pag. 717. ubi excitata fuit diabetes tam ab internis, quam externis medicamentis diureticis. Id quod etiam meæ tres de diabete obſervationes, mox adducendæ, confirmant ac demonſtrant. Quia enim non ita frequens id morbi genus eſſe ſolet, nec chriſtiano convenit, abſcondere ea, quæ aliis poſſint eſſe ſalutaria, ac Æſculapii ſcientiæ forte incremento: in tyronum, juniorumque medicorum gratiam, tres obſervationes de diabete, memoratu dignas, in medium afferam.

§. IX.

Anno 1695. menſe Auguſto juvenem ſtudioſum, qui oleo ſuccini abuſus erat, diabete vera laborantem nactus, quintoque morbi die vocatus, præſcripſi:

℞. *Pulver. ſubtil. rhabarbari optimi ſcrupul. I.*
Folior. ſennæ elect.
Tartari ſolubilis a a. ſemiſcrup.
Nuc. moſchatæ grana. IV.
Aquæ roſarum ſemiunciam.
Syrupi de roſis ſiccis drachmas duas.

Mixta ſig. pro una doſi, mane tepide ſumenda. Hac itaque potiuncula uſus, ſepties alvum depoſuit: & quidem cum diabetis allevatione. Pro potu ordinario, ad ſitim, quæ admodum erat ingens, temperandam, ſubſequens illi propinabam lene decoctum.

℞. *Foliorum millefolii, calaminthæ.*
Florum millefolii.
Radicum glycyrrhicæ decort. atque raſ. a a. drachm. II.
Nitri puriſſimi ſesqui drachmam.
Aquæ fontanæ libras IX. ponderis civilis.

Coquantur per quadrantis horæ ſpatium, colentur, & ſic hauriantur.

Juſculis carnis vitulinæ, agninæ, pullaſtrorum &c. cum nitro,

loco ſalis communis, coctis, & cum vitellis ovorum conditis, ter quovis die; nec non lacte dulci, in quo ferrum candens ter extinctum fuit, cum pane biſcocto veſcebatur. Notandum autem, me propter morbi pertinaciam obſtrictum fuiſſe, ad rhabarbarinam potiunculam illi adhuc bis propinandam. Et his paucis medicamentis, alimentis, atque bono regimine, convaluit quidem æger, ſed paulo poſt, me inſcio, lares ſuos in Jutia, repetiit, ubi ſedecim poſt dies, diabete recidiva denuo afflictus, mortem oppetiit.

§. X.

Secundus, qui meæ ſe curæ tradidit, diabete laborans, haunienſis civis fuit, zythepſa ſeu cereviſiarius, quadraginta ſex annorum. Hic namque menſe Septemb. 1690. levi dyſuria tentatus, balſamum ſulphuris terebinthinatum ad guttulas 12. per aliquot dies, ſingulis octo horis, ſuaſore circumforaneo quodam, inauſpicato ſumſerat. Sed per iſtud calidum diureticum, urinæ nimia profuſio, comitantibus omnibus veræ diabetis ſymptomatibus, cum inopinato ſuperveniſſet, meum auxilium implorabat. Itaque hance illi infuſionem commendavi:

℞. *Rhabarbari optimæ notæ craſſe contus. Drach. I.*
Pulver macis ſemi ſcrupulum.
Tartari tartariſati ſemidrachm.
Sacchari alb. drachm. II. *ſemis.*
Aquæ coctæ ferventisque unc. I. Sem.

Miſta, ſtent loco calido, in digeſtione, per noctem, colentur per expreſſionem, dividantur in æquales partes duas, quarum altera mane, altera vero ſubſequente die, vel etiam, pro re nata, tardius hauriatur.

Potum etiam, loco cereviſiæ bibendum, hunc in modum præſcripſi:

℞. *Raſuræ Cornu C. unc. I.*
Aqu. font. libr. X. p. c.

Coquantur per horam integram, tunc addantur:

Radicum malvæ, glycyrrizæ raſæ.
Herbar. malvæ, millefolii, aa. drachm. II.
Menthæ arvenſis drachm. I.
Nitri puri Drachm. I, & ſem.

Coquan-

Coquantur adhuc per quadrantis horæ ſpatium, atque percolata uſui dentur.

Pulte ex lacte dulci, amylo, interdum vero ex oriza recenti parata, ſingulis diebus bis, vel ter utebatur. Sed cum ægrotans de nimia urinæ profuſione graviter conquereretur, de novo conſultum duxi, illi lene rhabarbarinum, ut hoc in malo ſpecificum, & revulſionis gratia, iterum ſuppeditare, ut a renibus ad inteſtina & ſerum & lympha derivaretur.

℞. *Pulv. ſubt. rhei optimi ſcrup. I.*
Cremoris tartari ſcrup. ſem.
Aquæ florum tiliæ unc. ſem.
Syrupi de ſpina cervina drachm. I. ſem.
Miſceantur.

A cujus uſu ſemper ſe melius habuit ægrotus: & per hæcce pauca, tribus hebdomadibus, ſanitatem penitus recepit: ita ut ultra viginti, & quod excurrit, annos poſt, ſecunda valetudine perfrui ei contigerit.

§. XI.

Tertius, qui diabetis remedia a me petiit, eſt Dominus *Krolau*, Regius Belli Fiſcalis, vir integerrimus & doctus, qui anno ætatis ſuæ octogeſimo tertio, anno 1727. die 13. Martii me arceſſi ad ſe curavit. Debilem ego inveni, ac ſæpe lotium reddentem, & febri, ſitique ardentiſſima adflictum. Medicaminibus vero non uti ſolet, niſi maxima cogat neceſſitas. Quæ igitur alimenta reperit, cum inquirerem; ſe proxima die, 12. quippe martii, reſpondit, & meridie, & veſperi comediſſe juſculum, chærefolio largiter conditum, adhibito viro moſellano novo, & aquæ vitæ aniſatæ perexigua quantitate. Cum hæc mane, audita ſexta & dimidia hora, agerentur citra cunctationem ullam remedia ſuaſi.

℞. *Aquæ cichorei unc. ſem.*
Syrupi de cichoreo cum rhabarbaro drach. II.
Pulveris ſubt. rhabarbari electi ſcr. I.
Cremor. tartari ſcr. ſem.
Miſta indantur vitro.
Sig. pro una doſi tepide ſumenda.

Illo die pro potu ordinario zythogalam commendavi, hoc eſt lac vaccinum dulce cum tenui cereviſia, lege artis, coctione coagulatum; indeque

indeque modice bibere juſſi. A laxante rhabarbarina potione ſexies leniter ac cum euphoria alvum depoſuit. Febrim ſitimque leviori in gradu animadvertebam, ac veſperi ejuſdem diei urinæ profluvium non tam celeriter, ſed remiſſius ruebat, colore lotii non nihil etiam mutato.

§. XII.

Hæc vero obſervare & ægrotanti & mihi admodum fuit jucundum: tum etiam placuit rhei virtutes ſane optimas, atque polychreſtas, ſpecificaſque in diabete, ulterius experiri. Ideoque iterum præſcripſi:

℞. *Decocti C. cervi, cum paſſulis minoribus parati, unc. VIII.*
Vini Hiſpanici optimæ notæ. Unc. VI.
Pulveris ſubt. rhabarbari optimi unc. ſemi.
Santali rubri drachm. III.
Nucum moſchatæ drachm. II.
Nitri regenerati drachm. I.

Miſta reponantur loco tepido per ſex horarum ſpatium. Hacce de mixtura, ſingulis trium horarum intervallis, ægro danda fuerunt cochlearia duo. Inde in dies melius ſe habuit; ut quarta & viceſima martii, quæ dies morbi erat undecima, aliquo modo reſtitutus videretur. Adeoque paucos poſt dies, recuperata ſecunda valetudine ſanus in publicum prodiit. Durante adversa valetudine potu ordinario utebatur decocto cornu c. cum modica paſſularum corinthiacarum copia. Interdum etiam emulſionem amygdalarum dulcium, eodem decocto c. cervi paratam, bibit. Pulte, vaccino lacte recenti, oriza, dulcibuſque amygdalis cocta, ut libitum erat, veſcebatur; nec non interdum juſculis carnis vitulinæ, cum vitellis ovorum paratis.

§. XIII.

Poſtea vero accidit poſt dies fere quindecim, ut vir eruditiſſimus, neglecta victus ratione, in eundem morbum denuo incideret. Multo tamen remiſſior fuit diabetis gravitas, ut propemodum ipſe poſſet ſibi medicari. Me namque inſcio, iterum adhibuit primam formulam laxantem & portionis ſecundæ quartam partem; atque hoc jam facto, poſtero die me advocari curavit. Cum vero utroque remedio, quod ipſi in prima præſcripſeram diabete, opportune jam eſſet uſus, parum mihi reliquum fuit; ſcilicet proſpiciendum modo, pro rerum circumſtantium diverſitate, quam victus rationem decumbens ſervaret. Sic altera quoque vice paucis diebus ea diabete, feliciter pulſa, prorſus convaluit idem

venerandus Senex. Id quod contra effatum magni Hippocratis Coi contigit. Is enim aphoriſmo ſexto ſectionis VI. renum, inquit, affectiones, & quæ circa veſicam conſiſtunt, operoſe ſanantur in ſenibus.

§. XIV.

Hoc igitur modo ſimpliciſſimo (undecim tantum diebus) ſi recidivi morbi moleſtiam excipias) medicamina pauca quædam, inprimis rhabarbarina exquiſita, diabetem veram, Dei beneficio, profligarunt. Eidem malo alii, & alias exercitatiſſimi medici & adſtringentia & opiata ſolent obvertere. At ab hiſce potius abſtinendum duxi. Namque ſi adſtringentia, ad cohibendum diabetis fluxum, adhibeantur; vaſa, viſcera, parteſque corporis noſtri cæteras, conſtringunt vehementius. Id quod machinæ humanæ viventi maxime nocet, ac graviter ſanitati eſt adverſum. Et idem fere ſtatuendum eſt de opiatorum abuſu, qui etiam longe periculoſiſſimus eſt.

§. XV.

Methodum medendi Anglorum Æſculapii, Thomæ Sydenhamii, hic ſubnectam; ut differentia inter ejus curationem diabetis ac meam, in primis per rhabarbarum, obſervetur. In praxi itaque ſua experimentali pag. 388. ita ſcribit: nonnunquam accidit, etſi perquam raro, ut qui febribus intermittentibus antea laborarunt, ac interea venæ ſectionibus, & catharticis imperite fuerunt multati, in diabetem incidant, etiam febre jam perfecte fugata. Etenim cum ſanguis eorum abhinc debilitatus aſſimilandis ſuccis, ei allatis, prorſus impar reddatur, iidem per vias urinarias crudi adhuc & inconcocti exitum ſibi quærunt: proindeque præ ingenti urinæ copia, quoties eam reddunt, excreta, ſenſim vires labefactantur, & quaſi ſubſtantia corporis per hanc cloacam exinanitur. In hoc affectu, uti in omni diabete, ex quacunque cauſa originem ducat, curativæ indicationes, ad ſanguinem corroborandum, & pariter ad fluxum urinæ præternaturalem reſtringendum, omnino dirigenda ſunt:

Ut: ℞. Theriacæ Andromachi Unc. I. & ſem.
Conſervæ flored. aurantiorum Unc. I.
Diaſcordii Unc ſem.
Zinziberis conditi & nuc. moſchatæ aa drach. III.
Pulver. e chelis cancror. compos. dr. & ſem.
Cort. exterior: granator.
Rad. angelicæ hiſpan.
Corallior. rubror. præparat.

Et

Et Trochiſc. de terra lemnia ad drachm. I.
Boli arm. ſcrupp. II.
Gum. arab. drachm, ſem.
Cum q. ſ. ſyrup. de roſis ſiccis.

Fiat electuarium, de quo ſumat ad magnitud. nucis moſchat. maj. mane hora quinta, pomeridiana, & nocte, per menſem integrum: ſuperbibendo ſequentis infuſionis cochlearia VI.

℞. *Rad. Enul campan. Imperator, angelicæ gentian: aa. unc. ſem.*
Fol. abſinthii Rom.
Manub. alb.
Cent. minor.
Calaminthæ aa. m. I.
Baccar. juniperi unc. I.

Incidantur minutim, infundantur in vini Canarin. lib. V. ſtent ſimul in infuſione frigida. Coletur tantummodo tempore uſus. Veſcatur cibis facilioris digeſtionis: videlicet carne vitulina, vervecina &c. abſtineat ab eſu olerum, & fructuum qualiumcunque, & ſingulis paſtubus bibat vinum hiſpanicum.

§. XVI.

Placuit ea hanc potiſſimum ob cauſam in medium quoque afferre, quia tanta inter medicos auctoritas eſt *Sydenhamii*, cujus rei gravem, habemus teſtem, *Georgium Baglivum*. Is operum ſuorum libro I. capit. 12. §. 3. pag. 129. Febris inquit, adhuc ardet; adhuc, inquam, & in ſcholis, & in ægrotantium laribus: ejuſque incendia latius propagata ingemuiſſet orbis, niſi inter tot ſcriptores unus hoc ævo præluxiſſet *Thomas Sydenhamius*, artis noſtræ ornator & ornamentum; qui, ſepoſitis opinionum commentis, ad obſervationes prorſus ſe dedit, & a prima ætate ad extremum uſque ſenium cum natura cohabitavit. Qua ratione demum probabiliorem de febrium indole hypotheſin, curationemque patefecit; tantaque ingenii & doctrinæ laude iiſdem curandis excelluit, ut a conterraneis ſuis medicus febrium vulgo eſſet nuncupatus: prout ab Anglis peregrinantibus pluries per Italiam audivi. Porro idem *Baglivus* libro II. cap. X. §. V. p. 222. Praxis igitur, dicit, curandorum morborum per praxin ipſam promovenda eſt; cujus rei teſtis eſt nobis diligentiſſimus, poſt Hippocratem, obſervator, *Thomas Sydenhamius*; qui ſect. I. c. II. pag. mihi 43. & 44. de occultis febrium cauſis diſcurrens, ait: hoc pro comperto habeo ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, prædictas morborum ſpe-

cies, præſertim continuas, ita toto cœlo differre, ut, qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa, anno jam vertente, ipſos forſan e medio tollas. Hucuſque *Baglivus*.

§. XVII.

Nec facile quiſquam, niſi hiſtoriæ medicæ rudis, eſt, quem lateat, quanta ſint merita *Sydenhamii*, quanti fuerit ſcientia, quamque inſignis medendi uſus. Incomparabilem, conſtat, indagatorem fuiſſe morborum, qui ea in re multos poſt ſe reliquit, paucos habuit pares. Sed mirum tamen, eundem virum celeberrimum tam parum tribuiſſe ſcrutationi adverſæ valetudinis cauſarum, cujus potius indolem, & incommoda obſervaſſe ipſi ſufficiebat. Siquidem illam philoſophiæ, neſcio cui, propriam putabat; quam effeciſſe, ſcribit, ut quæ medica appellatur, revera confabulandi, garriendique potius ars ſit, quam medendi. Præterea negari nequit, *Sydenhamium* frequentius forte, quam par fuit, opiatis, uti conſueviſſe. Hoc tamen viro experientiſſimo conſultius potuit videri, & felicius quoque cedere, in ea cœli temperie & climate Anglicano. Quare non ideo tuto ſatis eadem medicamina in aliis terris æque copioſe adhiberi poſſunt. Verum tamen accidere interdum ſolet, ut opiata, pro ſua virtute, aut impediant naturæ effectus aut ſaltem non parum mutent. Ideoque dubium haud leve naſcitur, utrum obſervationes *Sydenhamii* ubique tantum ea exhibeant, quæ ad naturam pertinent; an vero, quæ tradidit, ex opiatorum efficacia interdum fuerint profecta. Certe in unico hocce electuario, quod diabeti oppoſuit, theriacæ unc. j ſem. & diaſcordii ſemiunc. ergo juxta calculum meum quindecim opii grana, reperiuntur: quod quidem remedii genus, tam abundanter ægro oblatum, nocuum potius, quam ſalutare puto. Eoque minus ſuffragari poſſum *Sydenhamio*, exiſtimanti, unicum illud electuarium diabeti poſſe obverti.

§. XVIII.

Ita tulit propoſiti noſtri ratio, ut in præſenti ea potiſſimum proferrentur, quæ experientia noſtra nos de diabete edocuit. Siquidem medicina pene tota conſtat experientia, ut bene ſtatuit *Leibnitius*: haud ſecus ac medicorum *Cicero*, verum eſt, inquit, ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam. Uſu vero rhabarbarum ſuam nobis virtutem probavit in diabete profliganda. Id quod ipſis, quæ allata ſunt, exemplis demonſtrare, ſatius viſum fuit, quam longa ratiocinationum ſerie evincere, aut colligere conjecturis. Neque tamen deſunt rationes, cur iſti morbo rheum maxime videatur obvertendum,

tendum; ſi indoles ejus rite percipiatur. Rhabarbarum quippe verum ex principiis conſtat ſalino-ſulphureis, quibus admixtæ ſunt limoſæ, terreæque & auſteræ particulæ. Hinc non ſolum abſtergendi pollet facultate, ſed involvens quoque eſt; & ventrem elicit. Si vero rhabarbarum vetuſtate fuerit particulis ſubtilioribus orbatum, vel igne toſtum; lenius alvum movet, eandemque magis ſiſtit. Namque cum aere calidiore, tum igne, ſulphureæ & volatiliores partes abiguntur; ut remaneant tantum craſſiores.

§. XIX.

Atque ſic rheum non ea ſecum conjuncta habet incommoda, quæ aliorum medicaminum uſum diſſuadent. Ita ad nimiam urinæ profuſionem cohibendam adſtringentia minus commode adhibentur, quamvis utilia poſſint alias putari. Namque, dum vim naturæ inferunt, vires ejus laceſſunt vehementius, ac penitus proſternunt. Nec præſidium, arbitror, in opiatis ponendum; quia brevi tantum tempore medelam afferunt; morbum vero non tollunt prorsus, ſed naturæ potius motus perturbant. Præterea quædam remedia alvum quidem, haud ſecus ac rhabarbarum, ſolvunt; ſed ob alias diabetis moleſtias tuto non admittenda ſunt. Sic utilitatem pariunt haud contemnendam ſenna, ſyrupus rhamni cathartici, mercurius dulcis, manna &c. atque in morbis infantum ventrem quidem molliunt, ſi febris abſint commotiones. At febris cum diabetem comitetur, tutius eſt uti rhabarbarinis, & quidem in forma potionis, vel tincturæ; præcipue ſi hæc cum liquore nitri antimoniati paretur, quale fere quotidie utor. Et ejus quoque tincturæ cum liquore nitri antimoniati virtutes eximias ſæpe ſum expertus in dyſenteria tum benigna, quam vocant, tum etiam maligna. Tam enim abſtergit, quam relinquit nonnihil, quod ſit adſtringens: ac præterea dyſenteriam imperite, antequam decebat, ſuppreſſam, revocat.

Iis, qui vehementiore impetu & affectu iræ abripi ſolent, ut noceant ſanitati, rhabarbarum apprime convenit; ad corpus præmuniendum, ſi in potionibus, & forma tincturæ vel alio modo capiatur. Pereximie quoque ſublevat, alvumque ducit, ubi turgentium hæmorrhoidum moleſtiis æger excrucietur. Quæ quidem omnia virtutes rhei, vimque medendi ſaluberrimam, ipſa experientia frequentiſſima confirmatam, luculenter comprobant. Nec mihi perſpectum eſt de alio medicamine, quod tam prompte feliciterque opem ferat, ad valetudinem ex diabete recipiendam. Myrobalanis quidem uti haud omnino abs re foret; niſi forte alia intercederet ratio, quæ, tuto minus id fieri, arguit. Ob rariorem enim uſum hodiernum rarius quandoque incidere licet in myrobalanos recentes, ac virtute ſua nondum exhauſtas. Quare

certiora videntur commoda ex rhabarbaro ſperanda, quod nullus dubito, quin ſpecificum habeam in diabetis curatione.

§. XX.

Sufficiant hæcce ad expedienda ea, quæ de diabete maxime per rheum ſananda differere nobis conſtitutum fuit. Eo brevius rem licuit perſtringere; quod nec fuſe morbi indolem perſequi ſumus adgreſſi, nec omnia examinanda fuerunt aut attingenda ejus remedia. Id ſcopi exegit ratio, ut potiſſimum exponeretur, quantum utilitatis rhabarbaro ineſſe experientia doceat, ſi ad coercendum urinæ largius effluentis impetum adhibeatur. Neque inficiamur, ut in multis aliis, ſic etiam in diabete, tam raro morbo, ea eſſe obvia, quæ penitus perſpicere non medicis fuit conceſſum. Hinc probabile quoque, providam naturam plura adhuc remedia, quam quæ nota ſunt, eidem morbo oppoſuiſſe. Interea vero, de quibus conſtat, cum nullius præſtantia ſe tantam nobis probaverit, quantam rhabarbari virtutem ſumus experti; hoc, ubi inciderit diabetes, maxime commendamus.

CCLXIX.

GEORG. CHRIST. DETHARDING ET FRANC. PHILIPPI KNAUDT

DE

HÆMORRHOIDIBUS VESICÆ MUCOSIS.

Roſtoch 1754.

PROOEMIUM.

Quando Collegium Londinenſe, in perpetuam gloriam, & memoriam immortalem, Guilielmo HARVÆO, Anglo, ſtatuam erexit, quod eousque vel omnino incognitam, vel in puteo Democriti latentem de circulo ſanguinis in animalibus doctrinam, cum magno artis medicæ incremento, in ſalutem tot ægrotantium, in lucem produxerit; non omnino minor debetur gloria STAHLIO, Germano, quod plethoræ negotium trutinando, inſimul inciderit in pathologiam hæmorrhoides concernentem, & in lucem protulerit ætiologiam & explicationem morborum abſconditorum, ex hoc fonte ortum trahentium, hisque medendi methodum tot ſcriptis commendaverit. Non majus meriti inde fluentis allegare poſſum teſtimonium, ac quod dedit ejus Collega HOFFMANNUS, itidem magni nominis Medicus. Hic etenim, licet quoad theoriam medicam admodum ab eo diſſentiat, nihilo tamen ſecius in Commentario de differentia inter utriusque doctrinam p. 33. hæc in laudem ejus profert verba: „Nemo ex recentioribus fuit, qui veterum „ſententiam de noxa plethoræ, de hæmorrhoidum fluxu ſuppreſſo, quantas „moleſtias & incommoda procreet, penitus fere extinctam & neglectam, in „uſum & lucem revocaverit, præter Illuſtrem Stahlium.„ Hujus ergo induſtriæ, & arti medicæ inſerviendi ſtudio dandum eſt, quod hodie omnes Medici rationales, nec allegato HOFFMANNO excepto, adtenta mente, ſe- & excretionis hæmorrhoidalis fata, ſive dextra, ſive ſiniſtra reſpexerint, & indicationes formaverint, tam conſervationem ſanitatis hæmorrhoidariorum, quam reſtitutionem ab anomaliis hæmorrhoidalibus læſæ valetudinis;

dine, reſpicientes. Quantus vero ſemitam memoratam calcantium numerus, quanta inde in morbis, præſertim diuturnis, lux affuſa, quot hinc inde exſtent monita ſaluberrima, tantum tamen abeſt, ut negotium hoc tam proficuum penitus fuerit exhauſtum, ut varia adhuc reſtent, ulteriorem, eandemque dilucidiorem expoſitionem deſiderantia. Huc, me quidem judice, pertinet pathologia hæmorrhoidum, ſub forma muci e veſica urinaria prodeuntium, cujus deſcriptionem & explicationem ſpecialem in monumentis Medicorum invenire nondum licuit. Operæ proinde pretium futurum eſſe judicavi, illam ſpeciminis inauguralis loco, enodatius paulo, quousque experientia progredi permiſit, commemorare, & aliis occaſionem ſubminiſtrare, ulteriores, tam in cognoſcendo, quam debellando hocce morbo, qui ſane Medicis clinicis multum negotii faceſſit, faciendi progreſſus. Faxit ſummum Numen, ut hic labor feliciter ſuccedat!

---

§. I.

HÆmorrhoidum fluxum legitimum variis individuis ſalutarem eſſe, & refractarios quandoque morbos, nullis remediis, cedentes, vel averruncare, vel tollere poſſe, experientia dudum confirmavit. Ex quo eſt, quod Medici omni ſtudio inculcare ſoleant, illum non tantum patienter ferendum, ſed & eo allaborandum, ut nullo artificio, vel incongrua diæta turbetur, imminuatur vel ſufflaminetur.

Scholion.

Non nimio in hæmorrhoides amore capti, plus hiſce tribuimus, quam ab illis jure meritoque exſpectari poteſt. Ad ſtatum ſiquidem permanent præternaturalem, hinc hæmorrhoidarios, adcurate loquendo, ſanis adcenſere nequaquam poſſumus. Sed prouti e duobus malis minus eſt eligendum, ita & fluxus hic præferendus eſt moleſtiis aliis gravioribus, quæ ab arte medica non vincuntur, hæmorrhoidibus autem ſurgentibus haud raro obſecundant. Quorſum referendi adfectus arthritici, malum iſchiadicum, affectio hypochondriaca, melancholia, mania &c. Vel ſicubi in ſanis contigerint hæmorrhoides, tolerandæ ſunt, ut prophylaxeos loco morbos fortaſſis futuros præcaveant, neque intempeſtive ſuppreſſæ, variis, iisdemque mirificis ſubinde ægritudinibus anſam præbeant. Confer. HOFFMANNI Diſputat. *de Salubritate fluxus hæmorrhoidalis.* ALBERTI *de hæmorrhoidibus longævitatis cauſa*; de PRE, *de hæmorrhoidali fluxu, magno ad vitam ſanam & longam remedio.*

§. II.

§. II.

Quanta etenim commoda*, ex legitimo hocce fluxu, in œconomiam animalem redundant, tantæ certe ſunt ægritudines atque moleſtiæ, quæ vel molimina ſaltem hæmorrhoidalia, vel imperfectam, vel nimiam hæmorrhoidum excluſionem comitari, aut preſſo pede ſequi, atque ſub vario quandoque ſchemate incedere ſolent, ita ut niſi rite examinentur, Medicos in devia deducere valeant.

SCHOLION.

Anomaliæ & metaſchematiſmi, negotium menſium illegitimum ſtipantes, tot viciſſitudinibus vix deprehenduntur obnoxii, quot hæmorrhoidum motus irregulares Clinicis ſubinde offerunt. Enodatam ſingulorum phœnomenorum recenſionem & inſtituti ratio, & pagellarum anguſtia prohibet. Sufficiat proinde eandem in breve coëgiſſe. Quando nunquam ſinceri ſanguinis ex vaſis hæmorrhoidalibus excluſio contingit, ſola verſus eadem congeſtio cauſatur dolores plus minus vehementes, os ſacrum atque lumbos occupantes, teneſmum, borborygmos, dolores colicos, & catervam ſymptomatum malum hypochondriacum comitantium. Si quando fluxus hæmorrhoidalis olim cum euphoria ſucceſſit, aſt ex malo regimine, vel incongrua medicatione fuit imminutus aut plane ſuppreſſus, moleſtiæ modo recenſitæ non parum exacerbantur; adcedunt ſpaſtici motus vehementiores, colica hæmorrhoidalis, adfectus inflammatorii; nonnunquam ſanguis in viſceribus venæ portæ adnexis ſtagnans, horundem infarctuum & ſcirrhorum exiſtit author, hi cachexiam, œdemata & hydropem poſt ſe trahere potis ſunt. In aliis ſanguis verſus ſuperiores corporis partes retropellitur, unde aſthmatici inſultus, tuſſis ſicca, palpitationes cordis, & ex ruptura quandoque vaſorum, vomitus cruentus, hæmoptyſis, apoplexia & hæmiplexia: In nimia quantitate ſi hæmorrhoides profundantur, hæ tantum non ſemper præternaturalem viſceris cujusdam nobilioris in abdomine innuunt conditionem, vires depauperant, habitum corporis cachecticum inducunt, tandemque, irrita ſi fuerit medela, febri hecticæ lethali viam pandunt. Haud ita raro, loco ſanguinis ſinceri, mucoſa excernuntur, quæ parum ſolatii, potius haud leves moleſtias adferre ſolent, cum ſupra recenſitis coincidentes, & ſi diutius perſtiterint, tabem dorſalem, atque inprimis in ſenibus maraſmum inducunt. Anomaliis porro hæmorrhoidalibus jure adcenſendæ hæmorrhoides externæ, ex rara ab illis proveniente ſanguinis profuſione, cæcæ dictæ, utpote quæ ſuppreſſas quandoque veras hæmorrhoides excipiunt, furenti dolore & inflammatione ægrotos excruciant, & ex mala imprimis medicatione, adfectus arthriticos, nephriti-

 cos,

cos, pruritus ani ſerpiginoſos, imo fiſtulas ani conciliare valent. In feminis ſi obtigerint motus hæmorrhoidales, menſium negotium ut plurimum turbatur, vel ſi alternis temporibus ſe exſerunt, ex continua fere ſanguinis profuſione vivida olim indoles deſtruitur, vires atteruntur, & leucophlegmatiæ atque cachexiæ aperiuntur fores. Hæmorrhoidalium tandem motuum cum aliis morbis complicatorum ſymptomata proteiformia quod concernit, hæc incautos facile fallere poſſunt, ut, niſi ab invicem probe diſtinguantur, & indicantium atque contraindicantium juſta habeatur ratio, non ſine inſigni ægrorum detrimento, hallucinari queant. Plura quidem momenta huc ſpectantia in medium proferre poſſem, eſt brevitatis; ergo ſaltem provoco ad ſcripta Medicorum v. g. HOFFMANNI, STAHLII, JUNCKERI, BERGERI, EYSELII *aliorumque*; in ſpecie conſulendæ *Diſſertationes academicæ* Dn. *Michaelis* ALBERTI de *hæmorrhoidibus*, quippe qui, in explicando negotii hæmorrhoidalis toto ambitu, ſingularem operam poſuit.

§. III.

Inter inſolitas vias, quas hæmorrhoides ſuppreſſæ vel anomalæ quandoque petere ſolent, veſica urinaria itidem referenda, ex cujus vaſis, a ſanguine illuc congeſto nimium repletis, tandem dehiſcentibus, vel ruptis, ſanguis vel ſincerus, vel grumoſus, vel muco commixtus, haud raro inſigni cum cruciatu, in cavitatem veſicæ defluit, & cum urina, ſub forma mictus cruenti evacuatur.

SCHOLION.

Poſſibilitatem hujus fluxus neminem crediderim negaturum fore cui ex anatomicis notum, veſicæ vaſa ſanguifera, præſertim circa collum ejusdem reperibilia, cum hæmorrhoidalibus externis, hæc cum internis, interventu minutiſſimorum ſurculorum connecti (a) Quando ergo ſanguinis per vaſa ſedalia egreſſus ſufflaminatur, ſub impulſu continuo, & denegato liberiori per venas regreſſu, vaſa vicina connexa inſimul diſtendantur neceſſe eſt, diſtenſio hæcce excitat ſenſationem dolorificam, ſpaſmos, & interdum ruptis, vel ampliatis vaſorum extremitatibus, ſinceri ſanguinis profuſionem. Ex hac immediata veſicæ urinariæ cum inteſtino

(a) In Annalibus Vratislavienſibus Anni 1720. Menſe Majo p. 516. refertur, mediante injectione materiæ ceraceæ in venam portæ, detectum fuiſſe, ramum hæmorrhoidalem internum, circa collum veſicæ, ubi ureteres ſe inſerunt, abiiſſe, cui adſtipulari videntur VERHEYEN in *Anatom. Tract. II. c.* 10. HOECHSTETERUS *Dec. I. Schol. ad caſ.* 2 & *Caſp.* BAUHINUS *Anat. L. I. c.* 20.

ſtino recto in viris connexione, ratio inſimul petenda, cur vix unquam hæmorrhoides veſicæ in feminis deprehendantur, quippe quarum vagina uteri locum inter bina hæcce viſcera occupat. Ab hæmorrhagiis, hiſce analogis, haud tamen immunes exiſtunt, quæ autem catameniis magis, quam hæmorrhoidibus ſuppreſſis tribuendæ. Quandoquidem vero ſtatus hicce præternaturalis inter rariores collocandus, (*b*) Medici paſſim ſeducti ſunt, ut haud adcurate obſervatis phœnomenis, veſicæ hæmorrhoides vel antecedentibus vel comitantibus, has pro vero mictu cruento venditaverint; operæ pretium proinde futurum arbitror, ſi, qualis ſit differentia utriusque fluxus, ſigillatim expoſuerim, ne error in medendo, cum præjudicio ægrotantis committatur.

(1.) Mictus cruentus ſimplex & verus, e renibus ortum trahens, ob minorem renum ſenſibilitatem, utplurimum nulla ſingulari, vel ad ſummum, leni quadam ſpaſtica ſenſatione ſtipatus deprehenditur, ita, ut eo correpti præſentiam hujus hæmorrhagiæ prius non intelligant, quam in matula urinam ſanguine commixtam obſervent; Hæmorrhoides autem veſicæ tantum non ſemper comitem habent continuum fere ad mingendum ſtimulum, & dolorem ſpaſticum evidentem circa regionem pubis, verſus hypogaſtrium, perinæum, & inteſtinum rectum ſe extendentem; ſubſtantia etenim veſicæ, ejusque colli membranaceo muſculoſa, multisque nervis referta irritabilitati & ſenſibili ſpaſticæ ſtricturæ magis exiſtit obnoxia.

(2.) Mictus cruentus haud tam facile ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus præſertim internis ortum trahit, ſed ut plurimum pro cauſa agnoſcit diuretica fortiora, abuſum veneris, diætam ſpirituoſam & aromaticam, motum corporis ſuccuſſatorium, calculum, externas læſiones violentas &c. Hæmorrhoides veſicæ econtra, prævias ſemper agnoſcunt vel veras, vel cæcas hæmorrhoides, vel ad minimum, molimina hæmorrhoidalia, ſinceri ſanguinis evacuationem non obtinentia.

(3.) Mictus cruentus magnam utplurimum ſanguinis puri quantitatem involvit, ut urinam commixtam interdum ſuperet, & quando in matula, ob gravitatem ſpecificam, ſubſidet, ab hac facile diſcerni poſſit. Hæmorrhoides autem veſicæ plerumque minorem copiam ſanguinis fun-

 dunt,

(*b*) Obſervationes hæmorrhoidum per veſicam excluſarum deprehenduntur in *Herculis* SAXONIA *Pantheo Medecinæ ſelect. Libr. III. C.* 40. *Ephem. A. N. C. Decur. I. A. VIII. Obſerv.* 23. *p.* 42. & *Dec. III. A. IX.* & *X. Obſ.* 119. *p.* 212. ROLFINCKII *Diſſert. Anat. L. V. c.* 26. *Act. Berolinenſ. Dec. II. Vol. VI. p.* 47. BARTHOLIN *Hiſt. Anat. Cent. V. obſ.* 54. HOECHSTETTER *Dec.* I. *Schol. in caſ. II.* HOFFMANNI *med. rat. ſyſtem. Tom. IV. P. II. Sect. I. C. VI. obſerv.* 5.

dunt, nunc urinam loturæ carnium ſimilem reddunt, nunc filamenta rubicunda mucida exhibent, nunc in grumos compactæ, diametrum urethræ ſuperantes, ingenti cum cruciatu quandoque excernuntur.

(4.) Mictus cruentus vix unquam periculo vacat, & præſertim in ſenibus tabem & hecticam poſt ſe trahit; Hæmorrhoides autem veſicæ plus moleſtiarum, quam periculi ſecum ferunt, niſi intempeſtive datis medicamentis vel mala diæta pervertantur.

(5.) Hæmorrhoides veſicæ, porro, diſtinguendæ facile ſunt ab hæmorrhagia ureterum, quam calculorum tranſeuntium aſperitas, vaſcula ſanguinea dilacerando, contrahere ſolet; dolores etenim exquiſitiſſimi inde oriundi locum læſum facile detegunt, & ſanguis, e venulis dilaceratis profluens, raro alicujus momenti deprehenditur. Quod

(6.) Hæmorrhagia penis ab hæmorrhoidibus veſicæ differat, non eſt ut multis exponam. Illa enim ex urethræ & proſtatarum læſione oriunda, ſpontaneo ſanguinis, absque urina, ex urethra ſtillicidio dignoſcitur; licet non negandum, & ſuppreſſas hæmorrhoides, ob nexum cum urethra, beneficio vaſorum hypogaſtricorum, hæmorrhagiæ penis fontem eſſe poſſe.

§. IV.

Prouti vero hæmorrhoides, ſi quando in fluxu turbantur, nonnunquam loco ſanguinis ſinceri, mucum ſaltem fundunt, nomine hæmorrhoidum albarum vel mucoſarum venientem, ita non tantum veroſimile eſt, verum & obſervationibus certis evictum, hæmorrhoidibus veſicæ ſimile quid contingere poſſe, ut in mucoſas convertantur.

Scholion.

Hæmorrhoides veſicæ mucoſas jam ab omni ævo exſtitiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur, ad anomalicas enim excretiones pertinent, quibus olim æque, ac hodiernis temporibus obnoxii fuerunt hæmorrhoidarii. Nec deſunt obſervationes priſcorum Medicorum, qui eas ſcriptis ſuis concredidere, licet mucoſitatem talem cum urina excretam, vel pro pure, vel pro chylo non rite elaborato venditaverint. Jamdum magnus HIPPOCRATES *mictionis ſanguinis & puris* mentionem fecit Sect. IV. aphoriſm. 75. ſed cauſam ejusdem in *exulceratione renum & veſicæ* collocavit. Penes TIMÆUM in *caſ. medicin.* lib. *III. p.* 182. & ſq. refertur morbus viri cujusdam illuſtris, qui *ultra biennium urinas minxit turbulentas, & quidem lacteas, quæ ubi aliquamdiu in matula ſtetiſſent, materia quædam alba, pultis inſtar, fundum petiit,* tanta

tanta copia, ut dimidium urinalis repleverit. Pariter SENNERTUS in *praxi Lib. III. part. VIII. p.* 881. *ſæpe etiam* inquit, *materia alba & lactea quaſi, cum urina copioſe emittitur; & quidem ſæpe tanta copia, ut ubi ſubſidet, dimidia pars matulæ repleatur, & talis urinæ mictio ſæpe ſatis diu continuatur.* Imo HOFFMANNUS in med. *rat. ſyſtemat. Tom. IV. P. II. Sec. I. C. VI. p.* 142. mentionem injicit *mucoſi & glutinoſi, quod in urina ſubcruenta ſubinde conſpicitur, ſedimenti, cujus ſæpe tanta ſit copia, ut ſi a renum exulceratione eſſet, jam centies abſumpti iſti fuiſſent.* Hoc viſcidum itaque non pro pure habet, ſed pro *mucoſitate, quæ ex nimis relaxata glanduloſa veſicæ & urethræ tunica, aut ex proſtatis læſis exſtillat & urinæ permiſcetur.* Facillimo negotio plura exempla iſtiusmodi fluxus mucoſi ex monumentis Medicorum, & ex propria praxi proferre poſſem, niſi de certitudine ejusdem modo adlata teſtimonia ſufficerent. (*c*) Quæſtio ſaltem foret, unde tanta quantitas mucoſi hujus cramatis derivanda? A renibus, & ab exulceratione eorumdem defluere illud non poſſe, jam modo laudatus HOFFMANNUS l. c. evictum dedit, multo minus ureteres, &, me quidem judice, proſtatæ hanc copiam ſuppeditare valent, dum inter exiguam harum partium molem, & ingentem ſecreti muci vim nulla intercedit proportio; neceſſario proinde originem in ipſa veſica, ejusque collo collocandam eſſe cenſeo. Nec ſtructura veſicæ urinariæ huic evacuationi deprehenditur inepta; tunica ſiquidem ejus interior, quæ nervea audit, tomentoſam poſſidet ſuperficiem, in qua nonnulli anatomici, præſertim circa ejus collum, glandulas detexiſſe perhibent, hæc in ſtatu naturali mucum ſecernit, pro defenſione veſicæ contra acrimoniam urinæ, quæ alias ſenſibiles veſicæ parietes, haud absque perceptione moleſta vellicare poſſet. Quando itaque ex ſtagnante in vaſis veſicæ ſanguine, tonus horundem debilitatur, ſubſtan-

Fffff 3 tia

(*c*) Non dubito fore nonnullos, qui pultem illam, cum urina in tanta quantitate excluſam, non pro hæmorrhoidibus veſicæ mucoſis, ſed pro heterogeneitatibus, cacochyliæ, ſcorbuto, aliisque morbis adcenſendis, & per metaſtaſin e renibus & veſica proſcriptis ſint habituri. Verum, ſi perpendamus, iſtis temporibus, ſymptomata ſingula, excluſionem hanc vel antecedentia vel ſtipantia, ex præjudicio præconceptæ opinionis, & ignorantia negotii hæmorrhoidalis, eo, quo decuiſſet ſtudio, non examinata, potius cauſis quibusdam remotis adſcripta, hinc in debito nexu non recenſita fuiſſe, ambiguitas denominationis hujus morbi fortaſſis ceſſabit. Cui adcedit, quod ægroti tales de nulla alia moleſtia fuerint conqueſti, ſed valetudine ceteroquin integra gaviſi, quod contingere non potuiſſet, ſi dyſcraſia tanta humorum laboraſſent. Nec obſtat quantitas muci rejecti dum unicuique notum, ſerum ſub forma mucida non minimam partem ſanguinis conſtituere, & per varia corporis emunctoria proſcribi, hoc proinde cum lymphæ quadam portione, aliisque inpuritatibus commixtum, haud exiguam molem viſcidi ſuppeditare valet, cui hæmorrhoides per veſicam viam patefecere.

tia ſanguinis gelatinoſa ex mora lenteſens, per orificia, ex quibus mucus ordinarie exſudat, exitum ſibi majori quantitate parat, parili fere modo, prouti obſervamus, fluorem album benignum ex vagina uteri, & hæmorrhoides albas, vel mucoſas ex inteſtino recto prorumpere.

§. V.

Hæmorrhoidum proinde veſicæ mucoſarum nomine venit lenta illa & gelatinoſa quaſi mucilago, quæ, præviis tantum non ſemper motibus hæmorrhoidalibus, ex veſica, una cum urina excluditur, nunc albicantis coloris, nunc ſanguine quodammodo remixta, omnis ut plurimum odoris expers, & quantitatis diverſæ.

SCHOLION.

Facies hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum in ſcholio antecedenti, adlatis quibusdam exemplis, quodammodo fuit delineata. Juvabit tamen, melioris intellectus ergo, ſi qualitates earundem ſpecificas & ſymptomata comitantia adumbraverim: Vix unquam ſe exſerere ſolent, niſi motus hæmorrhoidales præceſſerint, ſive ſanguinis ſinceri, ſive muci ſaltem excluſio contigerit, ſive in ſolis, ſed irritis naturæ conaminibus huc reſpicientibus ſubſtiterint. Sæpius tamen ab hæmorrhoidibus externis cæcis, quam internis ſuppreſſis, hanc evacuationem ſubortam eſſe, fuit deprehenſum, cujus ætiologia in immediata vaſorum colli veſicæ cum hæmorrhoidalibus externis connexione eſt repoſita. Mucilago hæc, quando cum urina evacuatur, huic eſt intermixta, ſimulac autem in matula refrixerit, particulæ ejus gelatinoſæ ſibi magis cohærentes, & ſpecifice graviores redditæ, pedetentim fundum petunt, ut ab urina facile dignoſci poſſint. Interdum tamen tantam ejus tenacitatem deprehendere licuit, ut miſcelam cum lotio calido intimiorem recuſaverit, & poſt hujus excluſionem nonniſi moleſte per urethram exprimi potuerit.

Quantitas muci hujus excreti, ratione individuorum admodum differt, ſunt, licet raro, qui ingentem ejus vim reddere ſolent, ut molem urinæ ſuperet, in aliis unciam vix ſuperat. Color itidem variat, ut plurimum mucilagini ſeminis cydoniorum vel pſillii non abſimilis, interdum magis obſcurus, imo brunneus, & quando excluſio multis moleſtiis ſtipata, ſanguinolentus exiſtit, nonnunquam ſtriæ ſanguineæ muco intermixtæ deprehenduntur. Odorem ut plurimum nullum exhibet, & qui naribus objicitur, urinæ magis tribuendus. Aſt in cacochymicis & ſcorbuticis, imprimis ætate provectis, nonnunquam ſpecifice acris & ſalſuginoſus quaſi deprehenditur, quem noſtrates *einen ſtrengen Geruch* appelli-

pellitare ſolent, ut, niſi matulæ ſæpius repurgentur, vel mutentur, totum conclave ægroti cum faſtidio adſtantium repleat; ad putridum tamen vel purulentum nunquam adcedit. Aetas huic adfectui obnoxia ſemper fere eſt ſenilis, ut ante annum quinquageſimum vix unquam obſervaverim.

Statas raro ſervat periodos, ſed irregulari typo incedere ſolet, in quibusdam ſine intermiſſione continuat, plurimam tamen partem ſua admittit temporum intervalla. Haud itidem ſub unaquaque urinæ excluſione obſervatur, quin hæc quandoque limpida exſtat, tempore tamen matutino, ſomno nocturno exantlato, præſertim viſui ſeſe exhibere ſolet.

Symptomata hanc evacuationem ſtipantia variant admodum, pro modulo diætæ, temperamenti, conſtitutionis individualis, & medendi methodi. In nonnullis veræ veſicæ hæmorrhoides præceſſere, in mucoſas tandem ſe mutantes, in aliis absque prævio ſanguinis proventu oritur. Aliquando clandeſtine procedit, nullas moleſtias ſecum ferens, raro autem contingit hoc morbo correptis felicitas iſta, quin varia experiantur ſymptomata plus minus acuta.

Hæc inter præcipuum eſſe ſolet, ſpaſmodica, collum imprimis veſicæ, & ſphincterem tangens conſtrictio, ingentibus ſubinde doloribus conjuncta, & non raro per urethram ſe diffundens. Sub his circumſtantiis parva ſatis muci quantitas profluere ſolet, dum orificia vaſorum coarctantur, & criſpaturam quaſi induunt.

Spaſmi hi ad inteſtinum rectum ſæpe ſe diffundunt, ut vel alvi obſtipatio ſatis pertinax, & vix ab enemate ſolvenda, vel moleſtiſſimus ſubſequatur teneſmus. Halcyonia interim admittit hic affectus, nunc breviora, nunc diutius protracta, imprimis ſi juſta medicatio & diæta conveniens adceſſerit. Sicubi vero vitium circa res non naturales obrepſerit, imprimis æger animo commoveatur, tarditatem gravitate compenſare conſuevit.

§. VI.

Diſtinguantur ergo, neceſſe eſt, hæmorrhoides veſicæ mucoſæ ab urina lactea, purulenta, exulceratione renum & veſicæ, muco a calculo veſicæ oriundo, ſpaſmo veſicæ, gonorrhœa benigna & maligna.

SCHOLION.

Signis pathognomicis hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum potioribus expoſitis, ordo poſtulat, ut affectus hiſce quodammodo analogos recenſeam,

ſeam, quo collatis ſingulorum phœnomenis, eo magis eluceſcat differentia unius cujusque ægritudinis ſpecifica.

I. Urinas albas, quorſum referenda nivea, lactea, glauca, charopa, ſubjugalis, jam veteres medici inter ſigna cruditatis & cacochyliæ, non ſine fundamento collocarunt. Experientia ſiquidem docuit, chylum non rite elaboratum multas ſecum in ſanguinem vehere impuritates, œconomiam animalem quovis modo turbantes, quarum haud exigua portio cum urina eliminatur, ſub ſpecie lactis intermixti, vel pultaceæ materiæ adparens. Hocce crama autem præternaturale ab hæmorrhoidibus veſicæ mucoſis dignoſci poterit, modo adtendatur

(a) urinas tales lacteas & pultaceas ſæpe claras emitti, ſed temporis tractu, quando refrixere, habitum iſtum ſpiſſiorem induere: mucum e contra hæmorrhoidalem ſtatim ſub ſua excluſione viſui ſeſe ſiſtere

(b) urinas iſtas albas conjunctas eſſe cum vermibus, ventriculi, & ejus contentorum perverſa conditione, ex ſignis pathognomicis facile detegenda, cachexia, leucophlegmatia, aliisque, morbos chronicos parturientibus heterogeneitatibus; Hæmorrhoides e contra veſicæ mucoſas in ceteroquin ſanis oriri poſſe, in quibus nullum notabile vitium jam in partibus corporis ſolidis, quam fluidis deprehenditur, quale exemplum affert RAYGER *Eph. G. Ann. III. Obſ.* 284. de Pædagogo, qui per decem menſes urinam albam, craſſam & viſcidam, ſine intermiſſione, abſque corporis extenuatione, aut alia moleſtia, præter dolorem inter mingendum excluſit, quodque malum nullis remediis ulceri renum opponi ſolitis, non vino malvatico, ſtomachicis vel antiſcorbuticis fuit debellandum.

(c) urinas albas tenerioris utplurimum indolis eſſe, mucoſas vero hæmorrhoides viſcoſitate & tenacitate magis ſe prodere, ut levis agitatio urinalis haud ſufficiat ad eandem elevandam, & ſub quiete ſtatim iterum fundum occupet.

(d) Urinas albas, vel ſine aliquali ſenſatione dolorifica, vel ſaltem abſque moleſtiis cum negotio hæmorrhoidali combinatis excludi, hæmorrhoides autem mucoſas raro omnis doloris & perceptionis alicujus ſenſibilis expertes eſſe.

II. Urinam pure commixtam quod concernit, qualem excernere ſolent, qui inflammatione viſceris cujusdam nobilioris, abſceſſibus internis, imprimis exulceratione vel vulnere renum, ureterum & veſicæ laborarunt,

rarunt, hæc odore, conſiſtentia, & ſymptomatibus individuis ab hæmorrhoidibus veſicæ differt.

(a) Pus cum urina commixtum, ſpecificum emittit odorem putridum, plus minus nares ferientem; mucus hæmorrhoidalis e contrario tali odore deſtituitur.

(b) Purulenta materia ſub agitatione matulæ, levi opera, cum urina iterum commiſcetur; mucus hæmorrhoidalis fortiorem requirit motum, nec ab hoc ex tenacitate tam prompte reſolvitur.

(c) Excluſio puris vix unquam abſque præviis motibus febrilibus, & doloribus fontem ejusdem indigitantibus contingit, & ſi continuaverit, febris lenta ſe ſociare ſolet, tanquam teſtis notabilis viſceris interni læſionis; ex renibus exulceratis ſi defluxerit, haud ita raro calculi, carunculæ, filamenta pilorum ad inſtar, immo moleculæ parvæ pingues, tanquam partes a parenchymate renum avulſæ, puri vel urinæ intermixtæ deprehenduntur. Hæmorrhoides veſicæ mucoſæ ab iſtis heterogeneitatibus ſunt liberæ, ſymptomaticam ſenſibilem febrim non habent comitem, vel ſi hæc adfuerit, conditioni veſicæ extraordinariæ, aut cauſæ cuidam remotæ adſcribenda eſt; dolores ab illis quando perſentiſcunt ægri, hi veſicam & loca vicina ſaltem tangunt.

III. Nonnunquam mucus cum urina excluditur, non hæmorrhoidibus ſed calculo imprimis veſicæ tribuendus, quippe qui ex moleſtia, & continua preſſione vel vellicatione, majorem humorum, veſicam verſus, excitat congeſtionem; ex præſentia horundem copioſiori, ſecernitur per interiorem veſicæ tunicam major mucidi quantitas, quæ abhinc cum lotio excluditur. Aſt enim vero, præter quod præſentia calculi cathetere detegenda, originem hujus mali facile indigitet, non parvum inter hæmorrhoides veſicæ mucoſas, & viſcidum a calculo veſicæ derivandum, intercedit diſcrimen. Hoc etenim non ita cohæret, ſed argilloſæ, vel furfuraceæ quaſi eſt indolis, aliquando ſabulo intermixtum; mucus vero hæmorrhoidalis conſiſtentiam exhibet contiguam viſcidiorem, nec divulſas ita particulas in ſe continet.

IV. Hæmorrhoides veſicæ mucoſas cum ſpaſmo veſicæ haud raro conjunctas eſſe, adeoque mucum per tunicam ejus villoſam exprimi, ex antecedentibus jam patet. Haud tamen omnis mucus cum ſpaſtico veſicæ motu rejectus, hæmorrhoidibus tribuendus, cum experientia doceat, a catameniis ſuppreſſis, retropulſa arthritide, dyſcraſia ſcor-

 butica,

butica, exulceratione veſicæ &c. ſimile quid contingere poſſe, cujus cauſas remotas ſigna anamneſtica & diagnoſtica rite penſitata facile ſuppeditant. Confer. HOFFM. *med. rat. ſyſtem. Tom. IV. P. II. Sect. II. C. VII.*

V. Diſcrimen, quod gonorrhœam tam benignam, quam virulentam inter, & mucum veſicæ hæmorrhoidalem intercedit, non eſt ut multis recenſeam, adeo etenim manifeſta ſunt indicia gonorrhœæ propria, & levi opera, a quavis alia muci ex urethra excluſione diſcernibilia. Sub gonorrhœa benigna, ex laxitate organorum ſpermaticorum oriunda, materia quædam ſeminalis, absque ulla ſenſatione moleſta, ſine miſcela cum urina effluit, vel, quando cum urina excluſa in tranſitu commiſcetur, filamentis ſaltem exiguis albicantibus urinæ innatantibus, viſui ſeſe offert; mucus autem hæmorrhoidalis ſemper cum urina propellitur, moleſta ut plurimum cum ſenſatione, quantitate majori, & conſiſtentia ſpiſſiori. Eadem valent circa gonorrhœam virulentam, utpote quæ contagium venereum agnoſcit, materia purulenta ex urethra, ſine lotio deſtillante facile ſe prodit, & ſatellitibus moleſtiſſimis circumſepta quandoque deprehenditur, a quibus mucus hæmorrhoidalis plane immunis exiſtit.

§. VII.

Refractariis morbis adfectus hicce adnumerandus. Si recens adhuc fuerit, remediis convenientibus, & ſurgentibus imprimis hæmorrhoidibus veris, aliquando obſecundat; habitualis vero redditus, omnem fere ſpem perfectæ reſtitutionis præcidit. Quando absque ſingulari moleſtia mucus iſte evacuatur, tantum periculi non involvit, febriles autem motus ſi adceſſerint, doloribus atrocibus & ſpasmis circa veſicam ſtipati, hi inflammationi veſicæ, exulcerationi, & necroſi anſam ſuppeditare valent.

SCHOLION.

Adumbrata facie hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum, addenda adhuc, quæ prognoſin earundem concernunt. Quod de hæmorrhoidibus albis, & fluore albo mulierum, tanquam adfectibus analogis, experientia docet, hos ſubinde exquiſitiſſima illudere adminicula, idem de muco hæmorrhoidali per veſicam egrediente adſerendum. Haud deſunt tamen exempla reſtitutorum, in quibus fluxus iſte præternaturalis ad exiguum ſaltem tempus duravit, quorum vires adhuc ſuppetunt, & ætas nondum exiſtit præcepta. His enim ſuppoſitis, imprimis,

mis, quando nunquam ſinceri ſanguinis hæmorrhoidales olim cum pertinacia continuarunt, ſed ſola verſus confinia veſicæ congeſtio mucaginem hanc extorſit, debitis in ſubſidium vocatis remediis, ita profligari ægritudo hæcce poteſt, ut absque metu alicujus metaſchematiſmi plane conquieſcat. Quinimo diu continuare poteſt hæc excluſio muci, absque ſingulari ſanitatis detrimento, modo moleſtiæ alioquin familiares abſfuerint. Talem ægrotum octogenario majorem ſiſtit BONETUS in *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 28. *Obſ.* 18. *p.* 1286. qui *urinas ſemper profudit copioſas, pituitæ viſcidiſſimæ immixtas ad libram circiter, tenaciter adeo adhærentes fundo matulæ, ut & ea inverſa, effuſa urina, ab illius fundo penderet: cum tamen nullæ unquam fuerunt de calculo quærelæ, toto decem annorum, & quod excedit ſpatio.*

Optimum quidem præſidium in hæmorrhoidibus rite fluentibus eſſet collocandum, modo eventus remediis, hunc in finem adhibitis, ſemper ſubſcriberet; notum etenim, quantis difficultatibus ſit obſtructum hocce negotium, ut autocratiæ magis naturæ, quam arti competat. Etiam ſi fluxus hæmorrhoidalis hanc muci excluſionem excipiat, attamen interpellari quandoque ab eadem poteſt, ſicubi ex mora invaluit, & hæmorrhoides per breve tempus continuaverint, „ Sic relatum mihi a Dn. Præſide, eidem obtigiſſe caſum, in ægroto ſexagenario, qui olim hæmorrhoides cum euphoria expertus, abhinc ex vita ſedentaria & mœrore gravi, ultra annum, nil harum, præter moleſtam preſſionem quandam circa os ſacrum, & veſicam, cum leni ſtranguria ſenſerat. Hic, prævio dolore obtuſo circa confinia veſicæ urinariæ, tandem cum lotio emittebat mucum gelatinoſum urina albidiorem, & poſt quietem fundum petentem, quod vero ab hac excluſione ſe aliquomodo levatum percipiebat, illam ſibi ſalutarem ratus, monita & remedia a Dn. Præſide ipſi propoſita aſpernabatur ſtrenue, donec gliſcente pedetentim malo adcedente veſicæ ſpaſmo, ſtranguria, & intercurſantibus motibus febrilibus, opem medicam efflagitaret. Nec irrita eadem videbatur, debitis etenim adhibitis auxiliis e fonte chirurgico, pharmaceutico & diætetico petitis, hæmorrhoides denuo adparebant, cum ſenſibili muci ex veſica profluentis, & ſymptomatum eundem comitantium imminutione, huc vero negotium redigi non poterat, ut plane ceſſaverit, ut potius, ſilentibus per intervalla hæmorrhoidibus, manifeſto recruduerit proventus mucoſitatis. Tandem æger diuturnitatis morbi pertæſus, amplectendo curationes empiricas, iſchuria & caro ſuccubuit. „ Hæc enim fata vix non ſemper ſubire tenentur, per aliquot jamdum annos hunc fluxum perpeſſi, imprimis ætate graves omni ſpe reſtitutionis carere deprehenduntur, ut ſatis habeant, quando

 ferocia

ferocia morbi palliativis quodammodo mitigetur remediis; aſt & hæc temporis tractu decipiunt exſpectationem medentis, ut omnem operam ſe contriviſſe obſervet. „ Se noviſſe quendam virum illuſtrem, mihi „ narravit Dn. Præſes, hæmorrhoidibus cæcis quondam obnoxium, „ his vero deficientibus, ſpaſmum veſicæ cum excluſione muci ex- „ pertum, ſub principio per vices inſultantem, demum habitualem „ ita redditum, ut continuus ad mingendum ſtimulus ingenti dolore „ circa collum veſicæ ſtipatus, omnem conſuetudinem cum amicis in- „ terdixerit; hunc celeberrimos Germaniæ Medicos, non ſine magnis „ ſumptibus, in conſilium vocandos curaſſe, & quantumvis a non- „ nullis arcana, aliaque non contemnenda, cum voto & promiſſione „ felicis ſucceſſus, obtinuerit remedia, tantum tamen abfuiſſe, ut „ allevamentum cruciatuum, nedum perfectam reſtitutionem ſenſerit, „ ut potius, indies fere ingraveſcente malo, tandem in febrim hec- „ ticam inciderit, &, improviſo, ceſſantibus omnibus doloribus, „ juncto rigore, per totum corpus ſe diffundente, ſphaceli teſte, ex- „ tremum vitæ ſpiritum ediderit. „ Ratio difficilis, & irritæ quandoque medelæ, in atonia potiſſimum, & relaxatione partium affectarum videtur eſſe collocanda. Major ſiquidem, & tantum non continua ſanguinis copioſioris ad veſicam congeſtio, vaſa ejusdem & fibras ultra debitum tonum diſtendit, ex diſtenſione diutius durante, inducitur pedetentim impotentia debite repellendi humores inibi cumulatos. Sicubi ob ſenſibilitatem veſicæ adceſſerint ſpaſticæ tunicarum ejusdem, & ſpincteris ſtricturæ mediantibus hiſce parum expelluntur humores coacervati, potius progreſſus eorundem ſufflaminatur, & licet propelierentur, tamen remittente ſpaſmo, libertas conceditur ſanguini, fortius irruendi in debilitatas a ſpaſmis fibras, ex quo eſt, quod poſt mortem hocce morbo peremptorum, veſica urinaria admodum craſſa, & non raro circa collum varicoſa deprehendatur. Pertinaciam invincibilem hujus mali auget adhuc conſuetudo habitum inducens, quippe quæ ſola, morbos in herba facile ſuffocandos, demum rebelles admodum reddere ſolet, licet cauſa atque fomes eorundem dudum fuerit ſublatus, quale quid in epilepſia habituali, cephalæa, ſpaſticis motibus, febri quartana, fluore albo, hæmorrhagia uteri &c. toto die, non ſine tædio obſervare licet.

Inter ſigna mala referendi motus febriles ex hoc fonte oriundi, qui, ſi fuerint leviores, ſub primis inſultibus domari quandoque poterunt, ſin autem per longas invaluere moras, dyſuriæ, inflammationi veſicæ profundiori, exulcerationi, & re infeliciter geſta, necroſi funeſtæ anſam ſuppeditare valent. Qualia exempla ſuppeditant *Eph. Acad. N. C. Dec. II. A. VIII. Obſerv.* 143. *p.* 282. HOFMANN. *Med.*

Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. P. II. Sect. VI. Cap. 7. *p.* 416. BONETI *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 28. *Obſerv.* 15. *p.* 1284.

§. VIII.

Curationis hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum fundamentum collocandum, in removendis earundem cauſis, demulcendis ſymptomatibus, roborando tono veſicæ, & præcavendis recidivis.

SCHOLION.

Staturiginem fontici hujus mali in ſanguinis a vaſis hæmorrhoidalibus in vaſa veſicæ propulſione fortiori quærendam eſſe, præmiſſa hiſtoria medico-clinica docuit. Curationem proinde aggreſſurus, ante omnia reſpiciat, ut urgentem ſanguinem a veſica urinaria derivet, id quod ventilatione per venæſectionem optime perficitur. Si quando nunquam veræ hæmorrhoides adparuerint, ſed in ſolis ſaltem ſubſtiterint motibus eo tendentibus, vel hæmorrhoidibus cæcis fuerit infeſtatus æger, juvabit venam in brachio tundendam curare, habito ſaltem reſpectu virium & conſtitutionis individualis, alvo exiſtente obſtipata, hæc ante phlebotomiam, vel enemate, vel leni eccoprotico reſeranda. Sin autem veræ hæmorrhoides cum ſucceſſu olim contigerint, vena pedis eligenda, atque eo adlaborandum, ut illæ reſuſcitentur, modo ætas & vires ægroti, aliæque cauſæ procatarcticæ haud obſtiterint. Huic ſcopo præſertim inſerviunt hirudines vaſis ſedalibus adplicandæ, quæ operatio repeti poterit, quando abhinc imminutus mucoſitatis fluxus, & ſymptomatum obſervatur mitigatio. Præſentaneam efficaciam ſubductione hac ſanguinis particulari, prævia venæſectione in brachio, ſe aliquando vidiſſe retulit Dn. Præſes, in ægroto a ſuppreſſis hæmorrhoidibus cæcis, mucoſis veſicæ correpto, utpote qui ab iterata, poſt menſis ſpatium, hirudinum admotione, junctis remediis internis, perfecte convaluit. Si maxime contigerit hæmorrhoidario, non eſſe tam felici, ut poſt ſanguiſugarum admotionem, hæmorrhoides in ordinem reducantur; attamen hoc remedium tentaſſe, nunquam quicquam nocebit, potius depletis, a ſuctione harundem, vaſis ſanguiferis, interpoſita medicamina citius ferent ſuppetias. Hæc inter eminent per epicraſin laxantia, quibus mediantibus humores a veſica blande deducuntur, imprimis multiplici experientia, pillulæ ſic dictæ balſamicæ, ex extractis amaris, & aloë gummoſa paratæ, ita ſe commendarunt, ut in quibuscunque fere anomaliis hæmorrhoidalibus, non ſine fructu adhiberi ſoleant. Non tantum enim gaudent virtute alvum movendi, verum & tonum roborant,

& vaſis fibrisque relaxatis robur debitum conciliant. Sicubi pillulæ non arriſerint, hæ ſolvi poſſunt liquore terræ foliatæ tartari, eoque ipſo virtus aperitiva magis acuabitur. In quibus ſpiſſitudo humorum liberiori progreſſui ſanguinis in vaſis hypogaſtricis & hæmorrhoidalibus injicit remoram, his conveniunt diluentia & reſolventia mitiora, ſub forma infuſi theiformis propinanda, a quibus calide hauſtis, æqualis inſimul promovetur ſanguinis per totum corpus diſtributio. Seligi hunc in finem poterunt radices Sarſaparillæ, Chinæ, Bardanæ, Taraxaci, Scorzoneræ, herba Betonicæ, Capill. ♀. Veronicæ, Meliſſæ, Bellidis c. tot. Stœchad. arabic. &c. Magno itidem uſui eſſe ſolent aquæ Selteranæ, ſive puræ, ſive lacte aſinino, ſi ejus copia haberi poteſt, aut in ejus defectu, vaccino commixtæ, quæ combinatio iſtis imprimis conducit, quorum ſanguis ſcorbuto vel acribus particulis eſt inquinatus.

His remediis, ſi auſcultaverit morbus, ſymptomata obvia ſponte ſua ceſſabunt; ſin minus, & æger, durante adhuc methodo recenſita, iisdem divexetur, horum itidem ratio habenda. Spaſmorum ſævitiam demulcent ⦶ ata cum ⊖ digeſtivo & abſorbente citrato, debita proportione conjuncta, vel ſub forma pulveris, vel, quod præſtat, emulſionum exhibita, quibus, pro gradu vehementiæ crocus, tanquam mitiſſimum anodynum, in refracta doſi addere licebit. In magis ſucculentis conveniunt Eſſentia Caſcarillæ, addito Vitellum ovi ⦶ dulci, ex Vitello ovi fumante parato. Nec minus egregiam opem ferent enemata ex ſemine lini præparata, & tantillo ⦶, & Saccharo Thomæo acuata. Cui formulæ magis artificioſæ perplacuerint, adjungat ſemen Fœnugræci, radicem Altheæ, Verbaſcum & Oleum lini ſ. △ recenter expreſſum. Regioni pectinis imponi poterit veſica bubula, lacte, cum Hyſſopo, Chamomilla, Meliloto, & radice Ireos Florentinæ decocto, repleta, modo caveatur, ne nimis calida exiſtat.

Febriles motus debellantur iisdem remediis ⦶ is & abſorbentibus, ut & tincturis acidiuſculis, cum phlegmate vitrioli paratis, abſtinendo a carnibus, earumque juſculis, & horum loco, concedendo potulenta aquea, liberaliori manu propinanda.

Sub metu inflammationis veſicæ, imo hac vere exiſtente, interdum repetenda ſanguinis ventilatio, ⦶ in largiori doſi porrigendum, tantillo camphoræ maritatum. Salutaris quoque efficaciæ eſſe ſolet Album græcum cum Radice Scorzoneræ & C. C. raſpato decoctum, quod remedium, licet videatur eſſe ſordidum, attamen in quibusvis inflammationibus internis, tanquam ſpecificum deprehendit Dn. Præſes.

Superato

Superato morbo, tonum veſicæ, hujusdemque vaſorum ſanguiferorum relaxatum roborare valent Tincturæ alcalinæ cum vitello ovi C. C. rectificatiſſimo, vel vitello ovi bezoardico Buſſi commixtæ, ut & Tinctura vitrioli ♂ Tartari ſata Ludovici, ſi nihil contraindicaverit. Non minorem laudem hic merentur pillulæ ſupra recenſitæ balſamicæ, cum limatura ♂ conjunctæ, ſegnitie alvi laborantibus imprimis conducibiles.

Recidivæ arceri poſſunt tempeſtivis venæſectionibus, imo & ſcarificationibus, ſi adſueti illis fuerint ægroti. Maximo tamen præſidio erit diæta rite obſervata. Caveant proinde hoc morbo infeſtati ab aëre frigido & humido, atque quovis modo tranſpirationem inſenſibilem conſervent illibatam. Cibos eligant molles, & facile concoquendos, evitent legumina, & quæ flatus excitare valent, carnes muriaticas, ſuillas, fumo induratas, aromatibus, aceto, vel cepis conditas, placentas pingues butyro, vel adipe frixas &c. Pro potu eligatur aqua ſimplex & pura, vel cum hordeo decorticato, cruſta panis, paſſulis minoribus, raſura C. C. radice Scorzoneræ &c. decocta, cui ſuccus citri ad gratam aciditatem addi poterit. Vel ſi a cereviſia abſtinere non poſſit ægrotus, hæc ſit tenuis, probe defæcata, nec fortiter lupulata. Vinum ſit meracum, oligophorum, quale eſt rhenanum, moſellanum, & gallicum, cui parum ætatis acceſſit, & parce ſulphuratum. Si hæmorrhoidibus mucoſis ſe ſociaverit ſpaſmus veſicæ, & hæc vina vitanda, horumque loco, malvaticum avara manu porrigendum. Corpus cum moderamine moveatur, abſtinendo ab omni equitatione, & ſuccuſſationibus vehementioribus. Exulent vigilatæ noctes, alvus ſingulis diebus reſpondeat, ſi fuerit immorigera, enematibus blandis, eccoproticis, & diæta humectante, officii ſui admonenda. Venus cane & angue pejus fugiatur. Nil tamen recidivas excitare magis potis eſt, quam exceſſus circa animi pathemata, quæ inter mœror diuturnus, terror, & ira, præſertim non ſatiata, principatum obtinent, his ſiquidem præter opinionem facile diruuntur, quæ Medicus multo ſtudio & cautione in ordinem reduxit.

§. IX.

Si his remediis morbus cedere recuſat, hicque habitualis redditus, altiſſimas egit radices, vel ætas ægroti grandis, viresque attritæ energiæ artis medicæ ſuppetias ferre non valent, curæ tantummodo palliativæ locus relictus, quæ in temperanda mucoſitatis ſecretione, & molliendis ſymptomatibus eſt repoſita.

SCHOLION.

Stranguriam ſenum jam veteres medici malum nuncuparunt immedicabile, experientia edocti, vitia organorum, ſecret excretioni

miure

urinæ dicatorum, imprimis veſicæ, in ſenibus vix ac ne vix quidem aliquam admittere medelam. Ad curam proinde adcerſitus Medicus ſub his circumſtantiis, prognoſi ſe muniat, nec vanis pollicitationibus brevi ſubſecuturæ reſtitutionis, ſe ſuamque artem comtemtui exponat. Sub moderata muci ſecretione, vires non ita conſumente, ſpectatorem magis agat, inculcando ſaltem convenientem diætam, ſuadendo tempeſtivas ſanguinis ventilationes, ſi illis ſit adſuetus æger, & curando, ut alvus ſingulis diebus reſpondeat. Si vero modum excedens, languorem & atrophiam poſt ſe traxerit, derivatio horum humorum laxantibus tentanda, quibus tonica vel interponi vel jungi poterunt. Ad hunc finem conducunt pilulæ balſamicæ martialibus combinatæ, nec infructuoſus erit uſus corticis peruviani ſelecti, cum pauxillo rhabarbari acuatus, quod remedium, laxante, & inſimul tonica virtute multiplici experientia dudum ſe commendavit. Abſente ebullitione febrili, tinctura tonico nervina Stahlii, quæ æqualem ſanguinis per totum corpus circulum promovet, uſum haud contemnendum adferre ſolet.

Quod adtinet ad ſymptomata, nullum truculentum magis deprehenditur ſpaſmo veſicæ, cum ſtranguria & iſchuria copulato, quibus ſomnus arcetur, adpetitus deſtruitur & vires adteruntur inſigniter. Optandum eſſet, ut domitorem hujus mali habitualis redditi, præſertim in ſenibus, noſſet ars ſalutaris, aſt, quod dolendum, vix palliativa ſubminiſtrare valet remedia. Aliquam opem ſpondent venæſectiones & ſcarificationes extra paroxyſmum inſtitutæ, modo ætas decrepita, & vires penitus amiſſæ non contraindicent, item enemata ex emollientibus & oleoſis parata. Externe imponi poterunt veſicæ bubulæ ſupra laudatæ, nec non ſp. vini camphoratus, vel camphora ſacculis interpaſſata aliquando lenimentum conciliare potis ſunt. Interne ☉ cum abſorbentibus & antiſpaſmodicis emulſionibus addendum, quas inter, ex oleo amigdalarum dulcium cum vitello ovi commixto paratæ, ſedativa vi eminent. Haud proletariam aliquando opem ab infuſo quinque herbarum emollientium Theiformi obſervavit Dn. Præſes, quippe quæ inſimul paregoricam & eccoproticam virtutem poſſident. Tentandæ itidem injectiones in veſicam, ex decocto ſeminis lini & papaveris albi, addito tantillo croci paratæ; nec infructuoſa penitus erunt ſemicupia tepida, cum herbis emollientibus & furfure triticeo concinnanda, ſi tantummodo vires & ætas ægroti id remedii genus permiſerint.

§. X.

Cautio denique ſit Medico circa curationem hæmorrhoidum veſicæ

ſicæ mucoſarum, ne promiſcue fontes medicatos commendet, purgantia præſcribat, ad opiata confugiat, & medicamenta, ſine neceſſitate, tam crebro variet.

SCHOLION.

Hactenus hiſtoriam hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum medicam, & methodum iisdem medendi expoſui, tandem cautelas quasdam ſubjungere licebit:

I. Aquas Selteranas vel puras, vel cum lacte commiſcendas pro ſcopo ſanguinem attenuandi, cacochymiam ſcorbuticam corrigendi, & circulum humorum promovendi, experientia duce, commendavi quidem, hac tamen mente, ut prius indicantia & contraindicantia provide examinentur, quam in uſum trahi poſſint, ne ægrotus, loco ſperatæ ſalutis, in majora damna præcipitetur. Licet enim aquæ hæ, omnes inter fontes medicatos, tutiſſimæ, & mitiſſimæ deprehendantur, ut & phthiſicis exiſtant ſolatio, haud tamen ſuaſor & auctor forem, ut ſcirrho hepatis & lienis aliorumque viſcerum laborantes, item atonia ventriculi, tympanite, aſcite, & œdematoſis tumoribus correpti easdem uſurpent. Major adhuc circumſpectio adhibenda, circa fontes Selteranis validiores, quales ſunt aquæ Carolinæ, Aquisgranenſes, Egranæ, Pyrmontanæ &c. Priores quidem laudavit ETMULLERUS in Diſput. de *Spaſmo veſicæ* §. XXIV. p. 34. noxium tamen earundem effectum deprehendit HOFFMANNUS l. c. ſub copioſo viſcidæ materiæ ſedimento, & exiſtente jamjam febre, vires & carnem depaſcente. Poſteriores admittendæ in ætate media, quando viribus & viſceribus adhuc ſalvis, hæmorrhoides ſuppreſſæ mucoſis veſicæ anſam ſuppeditarunt.

II. Purgantia validiora, præſertim reſinoſa, evidentes adferre noxas, vel me tacente, conſtabit; parietibus etenim inteſtinorum adhærendo, inducunt ſpaſmos, per conſenſum ad veſicam ſe extendentes, cogunt humores ad partes, a quibus derivandi, & motibus veliſicantur febrilibus, ex quo eſt, quod aloes reſinoſa pillulis balſamicis non ſit admiſcenda, nec famoſum Elixir proprietatis Paracelſi, multo minus pillulæ Francofurtenſes, aliæque cum aloe non depurata paratæ, ægrotis conducant. Imo ⊖ Sedlicenſe, vel Anglicum ſpaſmo inſimul veſicæ, vel ſtranguria correptis ſubinde nocuiſſe obſervavit Dn. Præſes. Eligenda igitur pro ſcopo laxandi, mannata, rhabarbarina, & ſennata debite correcta.

III. Si quid eſt, quod circumſpectum uſum ſub curatione hujus mali expoſcit, ſane ſic dicta anodyna, vel potius opiata huc referri merentur; latet etenim anguis in herba, & licet imminutis exinde doloribus ægri magnopere gaudeant, atque remedium propinatum mirificis efferant laudibus, nuncium tamen hunc exoptatum, acerbus, brevi tempore, excipit, & recrudeſcentes cruciatus, conſopitos ſævitia repenſabunt. Si Medicus perſeveraverit in electa hac methodo, augendo pro modulo dolorum, opiatorum doſin, tandem paralyticos adfectus, iſchuriam, lethargum vel carum, tanquam inconſideratiſſimæ temeritatis ſuæ teſtes excitabit certiſſime. Imprimis ſenibus effetis, & hectica febri laborantibus mortem narcoticis hiſce accelerari, conſtans docuit experientia. Non quidem negaverim, urgente ſumma neceſſitate, ſub exquiſitiſſimis ſcilicet doloribus, ægroti animum frangentibus, & irrito cum ſucceſſu adhibitis aliis remediis, ad opiata demum confugiendum eſſe Medico, ſint tamen hæc correcta, & laxantibus vel maritata, vel interpoſita, quæ methodus deleteriam eorundem vim averruncare optime poteſt; nec non ſeponantur, ſimulac aliqualis fuerit ſubſecuta paroxyſmi mitigatio.

IV. Prouti morbi chronici expoſcunt chronica remedia, ita & in curatione hæmorrhoidum veſicæ mucoſarum, methodo, prævia deliberatione, electæ inſiſtendum, nec hæc absque neceſſitate, tam facile mutanda, licet vis morbi non ſtatim remiſerit. Crebræ ſiquidem remediorum mutationes naturam perturbant, & pluribus anomaliis occaſionem offerre potis ſunt.

Supereſſent adhuc varia huc pertinentia v. g. uſum ſuffumigiorum, & fonticulorum concernentia, aſt temporis penuria atque anguſtia pagellarum expoſitionem illorundem prohibent; ſufficiat proinde brevibus indigitaſſe, a binis his remediis parum vel nihil levaminis exſpectari, in ſpecie a ſuffumigiis ſuppreſſionem hæmorrhoidum mucoſarum intempeſtivam metuendam eſſe.

TANTUM.

CCLXX.

CCLXX.

JAC. HENR. CHRISTIANI ADAMI,

DE MATERIA CALCARIA

Poſt diuturnam arthritidem per vias urinarias educta

OBSERVATIO SINGULARIS.

Luben 1740.

§. I.

Quando nunc de materia calcaria poſt diuturnam arthritidem per vias urinarias educta, exponere ingredior, eo ordine procedam, ut primo morbi hiſtoriam accurate diligenterque, quoad inſtituti mei ratio exigit, enarrem, deinde vero, quæ cum ad explicandam eam, tum ad veritates quaſdam medicas inde illuſtrandas confirmandaſque pertinent, ſtrictim breviterque expromam. Materiam iſtam cum urina ſuperiori anno reddidit vir tunc ſexaginta, unumque annum natus, carne graciliori, habituque corporis magis adſtricto præditus; atque ut de victu vivendique genere hoc unum attingam, rebus dulcibus ſaccharo eduliiſque ex eo paratis, neque minus lacte & cibis ex illo confectis mirum quantum ab ineunte ætate delectatus. Ante hos viginti & quod excurrit, annos, contigit, ut arthriticis doloribus mox in pede mox in manu identidem & per intervalla tentaretur, qui tamen radices deinde egerunt altius, & inprimis poſtquam is ſaltatione continenti per aliquot dies pedes vehementer exercuerat, confirmati fuerunt, ut ab eo tempore articularis ille morbus & crebrius inciderit, & plures ſemper pluresque articulationes, imo & tandem, ut mox dicetur, interiores partes pervaſerit, longiuſque non modo perduraverit, verum aliquot etiam annis ad paucas tantum hebdomades ſubinde receſſerit, atque adeo nunc, podagræ, quam vocant, irregularis genium duodecim prope annos præ ſe ferre videatur. Novem jam interceſſerunt anni, quod is poſtquam ad mulcendos dolores emplaſtrum ex theriaca confectum iterum iterumque admoverat, materia arthritica intus conver-

ſa, graviter periculoſeque ægrotavit, donec excitato inſigni tenſionis ardoriſque ſenſu in ſiniſtra parte dorſi & lumborum, multæ veſiculæ ſero limpidiori turgidæ elevarentur, pluresque earum in unam non mediocris magnitudinis coaleſcerent, quæ pariter ac reliquæ minores cultello diſciſſæ, tanquam a cantharidibus factæ eſſent, ſerum acre copioſumque profuderunt. Sæpius poſthæc materia iſta arthritica partes uſu inſigniores petiit, & nunc in capite, nunc pectore, nunc abdomine, non ſine graviorum malorum, ut facile exiſtimare licet, confluxu ſedem ſuam poſuit, præcipue, quod vires vitæ minui pedetentim, nec infeſto humori extus propellendo, pares eſſe amplius videbantur. Etſi vero medii & annularis in ſiniſtra manu digiti oſſa, eaque ſecundæ phalangis ita diſtorſit vis morbi, ut, ubi cum oſſibus primæ phalangis connectuntur, e loco ſuo motæ, atque interius verſus volam manus protruſæ fuerint, nullæ tamen concretiones tophaceæ ullo in loco in conſpectum prodierunt. Quinque abhinc annis acutiſſimo veſicæ dolori primum fuit obnoxius, ita, ut præter qualemcunque in veſica preſſionem, urinam ſæpius quidem, at parciſſime nec ſine incommodo redderet, & mox ab ea reddita, in regione pubis dolore per urethram ad glandem etiam eunte, atque hinc ad veſicam redeunte, ſimulque perinæum ad anum uſque ſe extendente cum graviſſimis diſtorſionibus, diſtenſionibusque, ad quas perpetuo flatuum incommoda cum alvo adſtrictiori accedere ſolebant, vehementer exerceretur. Dolores hi progreſſu temporis iterum iterumque eodem modo ſe exacerbarunt, & quando arthriticus morbus deſiit, illico, quaſi ita lege ſancitum eſſet, exoriri, multoque atrocius, quam ipſa podagra furere conſueverunt. Subinde etiam chirurgus, quando pro re nata clyſteribus alvum ſubduxit, in exitu inteſtini recti hæmorrhoides cæcas animadvertit. Anno MDCCXXXVIII. menſe Julio ex improviſo, & præter omnem ſpem opinionemque cum ſalvus incolumiſque in horto deambularet, violentiſſimo in pubis regione dolore correptus, una cum urina reddita, ſibi quidquam corporis durioris egredi ex urethra perſenſit, neque tamen id humi, quoniam haud dubie terra obvolutum ſtatim tectumque fuit, reperit, paulo tamen poſt, & deinceps procedente tempore, per intervalla complures concretiones calculoſas, quæ tamen tantum grandioris fragmenta eſſe videntur, albi maximam partem interdum & flavi coloris, magnitudinis & craſſitiei variæ, ex quibus maximæ poſt diuturnam exſiccationem ſex grana, omnes autem ſimul ad libram expenſæ tres circiter drachmas pondere exæquant. Fragmenta hæc ſuperficiem ſatis æqualem, extus convexam, & intus concavam corticique duriori nucis juglandis aut amygdalæ in partes diffracto ſimilem, circumcirca vero & in ora minus planam, ſed manifeſtis fracturæ notis inſignitam oſtentant, præter duos minores lapillos, quorum unus figuram accurate ovalem, alter autem granum tritici refert. Tandem

&

& hic calculorum partus exquiſitique cruciatus ceſſaverunt, & conſpectus poſthæc ſuperiori anno ab ægroto noſtro fuit in fundo matulæ maſſa quædam mucoſa & tenax, albi coloris, argillæ adhuc tenuiori, aut calci recens extinctæ ſimilis, quæ an ante ſe inſcio jam prodierit, ipſe quidem ignorat, deinceps autem rei admiratione permotus diligentius ſemper & curioſius obſervavit, viditque, per plures menſes, in urina, quæ clara initio excernitur, illico ſabulum tenuius ſubſediſſe, non ita multo poſt autem, quando illa refrixit, materiam jam commemoratam fundo inhæſiſſe, quam profuſo lotio ex matula ope inſtrumenti ſollicite exemtam; in minora fruſta varie effícta, divulſam, in aere exſiccatam, calculoſiſque illis concretionibus omni ex parte, vel etiam argillæ exſiccatæ ſimilem perduramque in fractu difficillimam ſicut & ipſa calculorum fragmenta aſſervavit, majorem ejus copiam pedetentim collecturus, ſi initio ea experimentis chemicis tentare, & ſingulari commentatione perſequi mihi animus fuiſſet. Quando interdum ex incuria guttæ quædam lotii liquidiori ejus materiæ portione adhuc aliquantum infecti in terram delapſæ fuerunt, maculam ſub exſiccatione reliquerant, quaſi a calce profuſa. Quo loco nec hoc ſilentio prætereundum eſſe arbitror, quod tria vaſa ex vitro eoque ſolidiori confecta, quibus urinam diu excepit, nec tamen a ſordibus adjectis unquam penitus repurgavit, longo uſu a lotii acrimonia ſine ulla caloris aut alia externa vi, quod certiſſime compertum habet ægrotus, rimas in fundo atque lateribus perpeſſa, adeoque continendo humori ſordido minus impoſterum idonea, quin imo leviſſimo tandem attactu fractæ fuerint. Sanguis alias e vena eductus, in cruſtam admodum tenacem, flavo ſæpius aut viridi colore imbutam, pauciſſimumque in fundo cruorem atri coloris complexam, concrevit, aut in aquam miſſus in ſola propemodum concrementa mucoſa abiit. Quorum tamen neutrum ſuperiori anno, quo materia iſta cum urina ſeceſſit, amplius obſervatum fuit. Quamvis vero interdum ſalvus videatur & incolumis, quarta tamen poſt ſumtum in prandio cibum, leviſſimo velut horrore percelli, & languere aliquantum per horam ſolet. Præter hæc, quando valetudine non adeo adverſa utitur, puſtulæ etiam exiguæ & velut miliares, aliquando tamen etiam minores, ſero liquidiori repletæ in ſcapulis prodierunt, quarum tamen ſub ingreſſu podagræ nec vola nec veſtigium ſupereſt. Inſtante nuper ſolſtitio hiberno, denuo recruduit podagra, & ſub finem ejus, materia illa tenaci non amplius cum lotio exterminata, dolor veſicæ atrox, a quo diu jam immunis fuerat, rediit, isque graviori fere, quam antea unquam inceſſens vehementia, & licet poſthæc per aliquot hebdomades ſiluerit iterum, ante paucos tamen dies renovavit inſultus, & quanquam expulſis maximos inter cruciatus quinque fragmentis calculoſis, illis, quæ ſuperius enarravi, omni ex parte ſimillimis, quorum unum novem grana, alterum octo, tertium ſeptem,

 quartum

quartum quinque, & quintum tria pondere exæquat, aliquot tamen dies deſæviit, hoc ipſo tamen die, quo hæc præſcribo, penitus remiſit.

§. II.

Quamvis vero multa eſſent in hac morbi hiſtoria, de quibus data opera diſquirere non inutile nec injucundum foret: mihi tamen materia illa per vias urinarias eliminata, digna præ reliquis accuratiori examine videtur. Quod ſi enim multi doctiſſimi viri obſervationes de materia quadam ſolidiori, & facile in coagulum abeunte, quas infra in medium adducam, curioſiſſimas & ad explicandam præcipue calculi generationem maxime accommodatas appellarunt: ſane & ego operæ me facturum eſſe pretium arbitror, ſi de materia illa calcaria quædam exponam. Ut igitur, ex quibus velut conſtaret elementis, eo clarius cognoſceretur, eam variis experimentis ſollicitandam putavi. Quo quidem labore perſpexi, fruſtum ejus integrum aquæ forti injectum, poſt 12. horas emollitum, & in minores partes mucidas cum bullulis ad latera vaſculi vitrei in ſuperficiem liquoris elevatis, diviſum, nondum vero tunc, neque poſt 24 horas ſolutum fuiſſe; maſſam vero in pulverem redactam cum eadem aqua forti vehementer nondum circumacta dimidiæ horæ ſpatio ebulliviſſe, ut a ſcrupulo uno pulveris & drachmis duabus aquæ fortis inter ſe commixtis, in lagenula vitrea longiori, unciam unam cum ſemiſſe capiente maſſa cum larga ſpuma ad ejus oſculum elata, in alio autem minori vitro, cum experimentum iterarem, plane in menſam maxima ex parte effuſa fuerit, poſthæc autem iterum poſt qualemcunque potiſſimum agitationem ſubſediſſe omnia, totumque pulverem a liquore fuiſſe diſſolutum. Solutioni huic turbidæ & ſubflavæ quum oleum tartari per deliquium inſtillaretur, ea illico & vehementer in fervorem agebatur, ut ſpuma quædam viſcoſa diuque durans oſculum lagenulæ duarum unciarum attingeret, & ſaturatione demum peracta, mixtura magis magisque flava, & tandem rubicunda inſtar tincturæ tartari evadebat, manumque colore ſed magis diluto inquinabat. Sapor ejus erat acris, ſalſus & velut lixivioſus, & poſt horæ circiter intervallum materiem ſolidiorem ad fundum dimittebat, quæ per leniorem exſiccationem in pulverem rubicundum convertebatur. Pulvis hic tritura flavum magis colorem nactus, ſapore acri & irritante præditus, nec cum aqua forti congrediebatur, nec in aqua ſimplici totus diſſolvebatur, ſed maximam partem in fundo remanebat. Liquor autem ille rubicundus in lagenula ſervatus atque in feneſtra poſitus nocte inter diem Februarii 18. & 19. media a frigore ſatis quidem vehementi, non tamen acutiſſimo, in conclavi, quod calefieri quotidie ſolet, congelabat, leni tamen manus calore poſt breve temporis ſpatium diſſolvebatur. A ſpiritu nitri, ſpiritu vitrioli, & ſpiritu ſali

lis materiæ calcariæ, de qua hic ago, affuſis, neque fervorem nec ſolutionem fieri, poſt duodecim horas bullulas quaſdam in ſuperficiem liquoris circumcirca ad latera vaſculi vitrei quidem exſurrexiſſe, neque vero poſtea ſolutionem factam eſſe obſervavi. Syrupi violarum colorem eadem materia non permutabat. Fruſta integra prunis candentibus flatuque animatis injecta, ſine notabili denſiori fumo odorem perquam volatilem urinoſum exhalabant, reſtantibus demum reliquiis quibusdam nigri coloris, ſicut & idem cum concretione illa calculoſa contigit. Quando autem in pulverem materia comminuebatur, non ſolum exinde ſtatim odor urinoſus ad nares ferebatur, verum ipſe eo magis pulvis carbonibus ignitis adſperſus, odorem maxime volatilem urinoſum ſimulque ad extremum cornubus animalium concrematis ſimilem per totam domum exſpirabat, relicta itidem pauca materia, velut concremata. A decoctione ejusdem materiæ ad ſcrupulum unum cum aquæ puræ uncia una, aqua hæc turbida & ſubalba evadebat, in fundo vaſis autem maſſa quædam albicans relinquebatur, cui cum iterum unciam unam aquæ adfudiſſem, coctione inſtituta, & aqua, quæ eundem colorem adſciverat, profuſa, aliqua in fundo materiæ portio adhuc remanebat. Utraque aqua inter ſe commixta, atque leni calore inſpiſſata, materiam paucam albam & teneram fundo vaſculi adfixam ſuggeſſiſſe cernebatur, quæ tamen carbonibus injecta, eundem adhuc odorem urinoſum exhalabat, atque cum aqua forti etiam ad effervescendum commovebatur, id vero, quod ab altera coctione reſiduum erat, & fœdum odorem urinoſum emittebat, & cum aqua forti itidem pugnam inibat. Quum igne chemico exploraretur materia, ex drachmis, tribus, & quod excedebat, per deſtillationem ex retorta minima prolectus fuit initio ſpiritus volatilis urinoſus ad grana 7. odoris admodum fortis, qui tamen pauco adhuc phlegmate dilutus videbatur, ceterum ſyrupi violarum in viridem commutabat & cum ſpiritu nitri, vitrioli, ſalis & aqua forti, promte effervescebat; poſthæc ejusmodi ſpiritus ad grana 5. odoris penetrantiſſimi, acerrimique ſaporis, qui itidem ſyrupi violarum colorem in viridem convertebat, & longe promtius quam prior ſpiritus cum modo dictis ſpiritibus acidis conflictum aggrediebatur; neque minus ſal volatile ſiccum ad grana viginti novem, penetrantiſſimi pariter odoris, a quo in pauca aqua ſoluto itidem ſyrupi violarum coloris mutatio in viridem, atque ebullitio cum ſpiritibus iſtis acidis accidebat; tandemque igne ad ſummum gradum aucto pauciſſimum oleum fœtidum, craſſum, fuſcumque ab oleo tartari, nec colore, nec odore, nec conſiſtentia adeo diverſum, quod paucis guttis tum purum, tum cum ſale volatili per retortam atque cucurbitam adhuc diſperſo, lateribus vaſorum adhæſit; in fundo autem retortæ drachma una capitis mortui, aterrimo colore, inſtar carbonum in pulverem redactorum, ſed aliquo adhuc odore fœtido præditi remanſit. Reſidua hæc

hæc maſſa per tres horas & amplius igne fortiori continuo in crucibulo minori calcinata, colorem non mutavit, ponderis autem dimidiam partem haud dubie particulis ſalinis, oleoſisque, quæ adhuc reſtabant, in auram abactis, amiſit, cum affuſis autem ſpiritibus acidis mox aliquem conflictum obortis bullulis copioſis iniit, perfecta etiam ſolutione in aquam fortem ſe recepit, ut liquor atramenti colorem æmularetur, ab inſtillato denique oleo tartari per deliquium, poſt aliquod tempus pars lateribus adhæſit, pars in fundum ſeceſſit, reliquo liquore ejusdem frigoris, quod ſuperius jam argui, injuria, in glaciem prorſus condenſato. Quæ omnia experimenta hucusque a me enumerata ſi inter ſe comparantur, ſatis quidem elucet, atque a rerum chemicarum peritis ſine longa illorum explicatione, hic brevitatis cauſa, ne libellus ultra modum augeatur, omittenda, facile intelligitur, ineſſe materiæ huic pauciſſimum & vix diſtinguendum phlegma, parteſque mucoſas & glutinoſas, quæ igne conbuſtæ cum odore ſalis volatilis avolant, ſal alcalinum ignis vi exſolvendum, paucum oleum, & denique terram alcalinam calcariam, quæ diverſa proportione inter ſe commiſcentur, meque nunc eo deducunt, ut ante omnia primas illius origines perquirere contendam.

§. III.

Et mihi quidem veri admodum videtur ſimile, ortum ejus a materia iſta, quæ in articulis hominum diuturna arthritide divexatorum calcis inſtar extruditur, tophoſque conſtituit, eſſe arceſſendam, quæ in hoc viro copioſe ad renes delata, atque cum urinæ recrementis mixta primum in calculoſas concretiones abiit, deinceps vero magis ſoluta per vias urinarias ſibi exitum paravit. Quum vero quod in articulis ſubinde concreſcit, calcis nomine appellatur, hanc potiſſimum ob cauſam, non vero, ob aliquam, quam admixtam habet, terram alcalinam, multo minus ob creditam quandam cum calce viva convenientiam materiam iſtam per vias urinarias exterminatam, calcariam cognominavi. Ut vero ejus origines ad calcem articulorum referam, non una me cauſa adducit. Utramque enim externo habitu ſibi non admodum eſſe diſſimilem video; nec elementa, ex quibus conſtant, igne in conſpectum producta multum a ſe invicem diſcrepant; præterea dolores veſicæ a materiæ hujus colluvie & decubitu excitatæ, podagra demum ad finem contendente, ſe prodere inceperunt; denique vero facile admodum fieri ſolet, ut materies ejusmodi arthritica ad internas partes propellatur, atque in durum etiam corpus variis in locis pedetentim mutetur; de quibus nunc paulo fuſius diſceptabo.

§. IV.

§. IV.

Id ſatis opinor, conſtat in iis, qui arthritide diu jam laborarunt, ſæpius vel ex morbi diuturnitate, vel ex incuria, vel ex abuſu remediorum externorum ad ſopiendos dolores admotorum, frigidorum ſcilicet, exſiccantium, conſtringentium, coagulantium, ex mercurio confectorum, aliorumque, vel aliis etiam ex cauſis, concretiones quasdam nunc molles adhuc, nunc vero & quidem utplurimum adeo duras, ut externo attactu duritiem calci vel lapidi ſimilem referant, vel in ipſa articulorum cavitate, vel eorum ligamentis, oſſium quoque proceſſibus, reliquisque partibus vicinis (*a*) enaſci, quas pervulgato vocabulo tophos appellant. Materia hæc initio ſemper fuiſſe videtur mollis, qualem adhuc glutinoſam ac velut gelatinoſam maſſam in nodis circa hominis arthritici articulos natis & poſt mortem apertis, literatiſſimus quondam medicus Brendelius (*b*) reperit; quemadmodum acta etiam medicorum Berolinenſium (*c*) referunt, ex nodis ad manuum pedumque digitos, non tantum in articulis ſed etiam oſſium apicibus obortis, & initio rubentibus, mox vero albeſcentem colorem nactis, quando diſrumpebantur, vel aperiebantur, molle & album mucidum terreumque coagulum, quod ad ignem obrigeſcebat, deinceps vero in tophum convertebatur, exiiſſe. Plerumque autem procedente tempore, dum ea materies induratur, in maſſam nunc friabilem, nunc calcariam & gypſeam, nunc plane calculoſam concreſcit. Ita Blegnus (*d*) in articulis cujusdam arthritici hominis maſſæ albæ craſſæ, atque terreſtris inſignem copiam *Schenckius* (*e*) & *Braſſavola* (*f*) calcem vel gypſeam maſſam, quæ etiam ad unciam unam cum aqua ſubacta, parietique cum lapide aliquo illita, lapidem tenaciſſime ſuſtinuit, & mox ipſa in lapideam duritiem abiit, præſtantiſſimus ille *Britannorum* medicus, isque accuratiſſime de podagra, qua ipſe affectus fuit, commentatus, *Sydenhamius* (*g*) maſſam inſtar oculorum cancrorum, vel cretæ, *Schenkius* (*h*) vero lapillos duriſſimos, colore cinereo nigriores, grano piperis majores, *Schneiderus* (*i*) aliique (*k*) calculos veros annotarunt. Magnitudo

(*a*) *In rhachitide, quam nonnulli pro ſpecie arthritidis habent, interdum tophos ſub perioſtio naſci obſervat. cel. Hahnſius vid. ejus Schedia Cyrtonoſi.*
(*b*) *Obſerv. Anat. Dec III. obſ. 12. p. 9.*
(*c*) *Dec. II. vol. 11.*
(*d*) *Zod. Med. Gall. Ann. I. m. Nov. p. 174.*
(*e*) *Obſ. Med. Lib. V. de arthritid. p. 691.*
(*f*) *Vid. Ephem. Nat. Cur. Dec. I. ann. II. p. 395.*
(*g*) *Tr. de Podagra p. 13. & 98. edit. Lond.*
(*h*) *l. c. p. 218.*
(*i*) *De catarrhis p. 608.*
(*k*) *Eph. N. C. Dec. I. An. II. p. 121.*

etiam atque multitudo tophorum admodum variat, illique commemorabiles maxime videntur, quos *Severinus* (*l*) ad ovi magnitudinem accedentes extraxit, & quos etiam plures quam bis mille in duriſſimos lapides illico concreſcentes, in arthritico quodam animadvertiſſe P. *Sanchius* commemoratur (*m*). Etſi vero calx ea in omnibus articulis, atque ipſis etiam vertebris (*n*) oritur, imo & in dentium alveolis genita ejusmodi gypſea pituita dentes extrudit: (*o*) maxime tamen manus pedesque infeſtat. Ita perilluſtris quidam vir diu arthritide excruciatus, ut manibus pedibusque contractus evaſerit, aperto cadavere, omnes earum partium juncturas calce repletas habuit, & tanta quidem copia, ut ipſis oſſiculis loco ſuo naturali cedere neceſſe fuerit (*p*). Et mulier quædam Helvetica e nodoſo pollice pedis ſiniſtri pugni magnitudinem excedente, calculos tophaceos, quorum minimus piſo major erat, pluresque quam viginti, ſuppuratione facta, cum maximo dolore pedetentim reddidit (*q*). Et *Bohemus* quidam aliquot per annos, ſingulis menſibus ex utriusque manus articulis, interdum unius digiti, interdum plurium, ſcalpello lapillos eruit, nonnullos minores, aliquos fabæ magnitudinem exæquantes, eosque valde duros, ſed in principio poroſiores (*r*). Quemadmodum vero aliquando contingit, ut poſt luxationem oſſium copioſa glandularum mucilago variis ex cauſis ſeparetur, eaque per moram in calloſam duritiem, imo tophaceam materiam convertatur: (*s*) ita non minus ejusmodi tophi antea jam geniti ad luxationes a cauſa interna, tum in aliis, tum præcipue in arthriticis multum tribuunt, ut oſſibus e naturali ſua ſede emotis, pars penitus diſtorqueatur, vel alio modo ad motum inepta evadat. Quod præter alia exempla notabilis quædam radii circa utriusque manus carpum, & digitorum ex oſſe metacarpi luxatio a cel. *Schapero* (*t*) recenſita ſatis confirmat. Tophaceam ejusmodi materiam ex aperto pedis calcaneo expreſſam, ſub examen microſcopii ſui vocavit *Leeuwenhoeck* (*u*) reperitque, ſicciſſimam & albiſſimam conſiſtere ex parvis irregularibus partibus, quaſi multæ arenulæ eſſent congeſtæ; quamlibet harum partium conſtare ex magno

(*l*) *Chirurg. effic. P. II p.* 152.
(*m*) *Vid. Emmengeri Cent. I. obſ. Med.* 31. *p.* 33.
(*n*) *Illuſtris. Boerhaav. Prax. S. Comment. in Aphoriſm. ſuos P. V. p.* 19.. *edit. Londin.*
(*o*) *Schenck. l. c. lib. I. p.* 200.
(*p*) *Eph. N. C Dec. I. An I. obſ.* 65.
(*q*) *Platerus obſerv. Lib. II. p.* 498.
(*r*) *Kozack de ſale, C. VI. ſect. VI. p.* 242.
(*s*) *Dolæus Encyclop. chir. p.* 1503.
(*t*) *In Progr. ſingulari Roſtochii p.* 1598. *edito.*
(*u*) *Vid. ejus Anatomia & contemplatio nonnullorum naturæ mirabilium ſecretorum Epiſt. II. quæ Epiſtola nunc etiam extat in anat. detecta.*

magno numero oblongarum & pellucidarum figurularum ; quæ cum nulla re melius comparari queant , quam cum pilis equinis in fruſtula conciſis , quorum utraque extremitas in acumen terminetur , & quidem tam admirabili cum tenuitate , ut plura eorum millia ne quidem pilum capitis noſtri efficiant. Quod vero ad interiorem ejus mixtionem attinet, ut plurimum illa ex particulis aqueis , quæ tamen poſtea ſub induratione diſſipantur , item mucidis & glutinoſis , ſalinis , paucis forte oleoſis , potiſſimum vero terreſtribus componi videtur. Celeb. *Brendelius* (*x*) ma etiam illam glutinoſam , quam ſuperius jam commemoravi , ab affuſa aqua dilutam , & in locum repoſitam frigidum , per filtrumque trajectam , multum materiæ gryſeæ vel tophaceæ in eo reliquiſſe , ipſam autem aquam ad dimidium exhalatione abſumtam , & in locum frigidum repoſitam , particulas ſalinas cum multis terreſtribus ad fundum demiſiſſe, nonnullas autem earum ad latera vaſis elatas illis adhæſiſſe , & ſub forma ſpiculorum ſalinorum conſpectas eſſe animadvertit. Alcalinæ indolis eſſe materiam ex nodis extractam contendit ingenioſiſſimus *Britannorum* medicus Colbatch (*y*) adeo , ut ſyrupi quoque violarum colorem in viridem mutet. Neque tamen ſemper hanc mutationem eſſe factam , candide fatetur , idemque ſibi ipſi hoc experimentum repetenti , aliquoties accidiſſe refert ~~celeb.~~ *Schacherus* , (*z*) cujus manes pio in præceptorem affectu adhuc veneror. *Kerkringius* (*a*) denique igne chemico ejuſmodi tophos exploravit , & facta deſtillatione ſpiritum quendam inter ſpir. tartari , & ſalis armoniaci quodammodo medium , hoc ſcilicet magis acidum , illo autem mitiorem , & oleum oleo tartari fœtido , colore , odore & conſiſtentia prorſus ſimile , itemque ſal , quod ex capite mortuo extraxit , ab eodem ſale tartari non adeo diverſum , & ſolo ſapore peregrino , ingratoque & nauſeo infeſtum , prodiiſſe cognovit.

§. V.

Tophos hos materiæ arthriticæ , a qua & reliqua morbi ſymptomata proficiſci ſolent , deberi , per ſe quidem patet. Quænam vero ea ſit materia, id explicatu videtur perarduum atque difficile, ut hinc in diverſiſſimas ſententias medici diſcedant, & alius humorem acidum, alius alcalinum, alius acrem & auſterum , alius bilem , alius ſanguinem præcipue hæmorrhoidalem , alius materiam ſeminalem , alius pituitam tartaream , alius colluviem

(*x*) *l. c.*
(*y*) *In libro : A Treatiſe of the Gout. itemque in alio. A Phiſico-Medical eſſay concerning a caly & acid.*
(*z*) *Diſſ. de Therm. Carol. uſu in arthritide.*
(*a*) *Spicil. anatom. obſ.* 28.

colluviem ſeroſam, alius mucilaginem juncturas irrigantem, alius materiam flatulentam, alius ſuccum fermentantem non facile miſcibilem, alius humorem ſpecificum podagricum ex varia miſcela natum, & quis omnes opiniones enumeret, in jus vocet & criminis arguat? Quin imo Alruzius quidam de humanæ mentis viribus deſperans, ſuperos adiit, exoptavitque, ut ſublimia Angelorum ingenia mali podagrici cauſas perveſtigare, hominibusque harum rerum cupidis detegere non detrectarent (*b*). Ego quidem quoniam precibus his datum fuiſſe locum nondum comperi, litibus vero doctiſſimorum virorum percenſendis componendisque, me nec parem, nec pro inſtituti ratione obſtrictum eſſe arbitror, ſatis jam habeo, paucis monere, materiam iſtam in omnibus non ſemper eſſe eandem, ſed pro varia corporis conditione & habitudine victus vivendique ratione, aliis quoque cauſis, & omnibus, quæ circumſtant rebus diverſam, ut alia atque alia morbi indoles in diverſis hominibus ſatis teſtatur, ut plurimum tamen ex particulis viſcidis, glutinoſis, ſalinis, ſulphureis, bilioſis, terreſtribusque conſtare, quarum aliæ plures, aliæ pauciores lympham inquinant. Quod ad viſcidas particulas attinet, medici pragmatici ſæpius obſervarunt, ægrotique etiam, de quo jam ago, exemplo conſtitit, in ſanguine arthriticorum per venam educto ejusque ſuperficie cruſtam chyloſam ſatis craſſam & tenacem coaluiſſe, quæ inſtar tunicæ ſolidæ reliquum cruorem obſcuriorem obtexit. De ſalis vero genere atque genio non omnes inter ſe auctores conveniunt. Quandoquidem vero ſal acidum purum ſibique relictum in corporis noſtri ſuccis non exiſtere plures jamdudum evicerunt: probabilis admodum videtur eorum ſententia, qui materiam arthriticam ſalis tartarei plenam eſſe exiſtimant, ita tamen, ut & hic acidum, quemadmodum in tartaro ipſo reliquis partibus antecellat. Id quod ex cognatione morbi articulis cum calculo renum & veſicæ, affectu quippe tartareo, de qua affinitate infra pluribus diſputabo, ex eroſione ligamentorum circa articulos, quam teſtibus obſervationibus anatomicis in conſummata podagra vel iſchiade ſabulum tartareum ibi ſubſiſtens effecit; porro e ſale tophaceæ materiæ in articulis genitæ, quod ad naturam tartarei ſalis proxime accedit, ut ex ſuperiori tractatione jam liquet; neque minus e materia candeſcente, & in tartari conſiſtentiam concreſcente quæ a variis podagricorum humoribus poſt evaporationem relinquitur; ex vinis etiam tartareis, quæ ejusmodi ſucco abundant, & podagram facile pariunt; e nimia denique ciborum appetentia & voracitate, maxime ante tempus invaſionis, quæ ſine dubio a lympha acida copioſa in ſalivali & gaſtrico liquore fit, ſatis confirmatur: (*c*) Verum & interdum

(*b*) *In ſpecimine fatorum medicinæ ratione podagræ Hafniæ edito.*

(*c*) *Videantur hæc fuſius deducta in Illuſtr. Hoffmanni med. ſyſtem. tom. IV. P. II. p. 505. ſq.*

dum humores arthriticorum hominum alcalinam naturam adſciſcere omnino videntur. Certe BORRICHIUS ſudorem Podagrici cujusdam cum ſpiritu nitri efferveſcentem vidit. (*d*) Atque Cl. COLBATCH (*e*) per analyſin chemicam reperit, ſal alcalinum, quod in ſanguine Podagricorum invenitur, ſæpius ſe habere ad alcalinum ſal ex hominum perfecte ſanorum ſanguine prolectum, ut 6. ad 4. aut quoque ut 5. cum dimidio ad 4. Idem a ſero arthriticorum colorem ſyrupi violarum in viridem mutari, non ſecus, quam a calce articulorum obſervavit, hincque præcipuam doloris podagrici cauſam ſali alcalino adſcribit. Quam ſententiam ſuam variis poſtea libellis ornavit, atque ab objectionibus etiam TUTHILII medici itidem apud Britannos vindicavit. (*f*) Eadem de cauſa podagræ alcalina doctrinam nuper admodum apud Italos Cl. PINELLI incruſtavit, multumque ſe ſalis alcalini volatilis fixique ſanguine hominis eo morbo affecti, conſecutum eſſe retulit. (*g*) Sulphurearum biliosarumque particularum præſentiam præter alia inflammatio ardoresque interdum declarant. De terreſtribus autem eo planius clariusque conſtabit, quando inferius a me ſuo loco erit commonſtratum, eam in arthriticis totum ſæpe corpus circumire, atque nunc varios exitus quærere, nunc in ſedibus commodis cohærere atque indurari. Verumenimvero quamdiu vitioſa hæc materia æquali ſemper flumine ac reliquis ſuccis permixta circumagitur, & libero itu redituque per tubulos patulos, & nativo robore inſtructos, procedit, vel e corpore prorſus eliminatur, non adeo grave detrimentum in corpus redundabit. Quapropter & cauſis ſociis opus habet, illis nimirum, quæ nativum articulorum robur admodum frangere, tonumque naturalem diminuere valent, ut adeo ſine illorum reniſu decumbere ibidem, & vim ſuam exercere queant. Quæcunque igitur efficiunt, ut læſa ciborum concoctione cruditates acidæ, viſcidæ aliæque in primis viis cumulentur, ut chylus ob vitia bilis, & ſucci pancreatici non rite elaboretur, ut in ſuo per venas lacteas itinere contaminetur, ut in viſceribus nativi ſui roboris jam expertibus, chylus in ſanguinem non rite mutetur, ſed ejus crudiores partes juſto diutius in eo remaneant, & neque in ſanguinem convertantur, neque a ſanguine ſeparentur, ut denique articuli naturalem ſuum tonum amittant, ea merito numero cauſarum, quæ ſenſim ſenſimque & ſine ſenſu arthritidem excludunt, adſcribuntur. Neque tamen ea prius inceſſit, & artus pervagatur, quam materia illa, cujuscunque tandem naturæ fuerit, ſubtiliori atque profundiori corruptione inquinata per intervallorum periodos, vel ſua ſponte ſine culpa ægrotantis,

 tantis,

(*d*) *Act medic. Hafnienſ. Vol IV. p. 163.*
(*e*) *In libellis jam allegatis.*
(*f*) *Prodierunt hi præter jam indicatos An. 1696. & 1698.*
(*g*) *Vid. ejus nuovo ſiſtema dell' origine e principio della podagra.*

tantis, vel ſub variarum externarum cauſarum, commotionumque acceſſione, indolem magis elaſti[illegible]am, quod optime χαρıεςατος noſtræ ætatis medicus WERLHOFIUS, (*h*) monuit, calidioremque & graviorem adſciſcat, atque ſic per arterias etiam minimas cum lympha in vaſcula illa exigua, quæ nullum amplius globulum admittunt, atque ex his per interjectas haud dubie ſibique ſub ordinatas vaſorum pedetentim gradatimque exiliorum & anguſtiorum ſeries (*i*) tandem in omnium ſubtiliſſimos [illegible] q[illegible]pariter atque illa jam dicta vaſcu[illegible] tenui[illegible] [illegible] penitus ſubducuntur, ceterum vero perioſtia, pericho[illegible]dria, ligamenta, tendines, aponeuroſes, glandulas mucilaginoſas, aliasque partes exquiſitiſſimo ſenſu, & albo, ſi a paucis diſceſſeris, fereque niveo colore præditas, arthritidis autem furori præ ceteris obnoxias, maximam partem conſtituunt, propulſetur. Quando igitur materia illa, a qua arthritis oritur, cum lympha mixta, magisque adhuc in itinere inquinata, ad minima ejusmodi vaſcula nervoſa, in quibus cum Illuſtri BOERHAAVIO (*k*) atque Cliftono WINTRINGHAMIO (*l*) propriam arthritidis ſedem colloco, vehitur, eorumque oſcula ob laxitatem, & diametrum ampliorem ingreditur, propter vim autem illorum elaſticam imminutam, debilitatemque propelli amplius nequit, atque hinc conceſſa quiete ſubſiſtit; vel quando lentore ſuo tenaci & ſpiſſitudine tranſire nequit, & viam ſibi obſtruit; vel quando acres acutæque particulæ mole & figura ſua lateribus vaſculorum adhærent, & cumulantur; vel quando denique vaſculum aut ex hac irritante aut alia etiam cauſa rigidius evadit, magisque coarctatur (quam rigiditatem circa articulos factu faciliorem eſſe, vaſculis hiſce ibidem maxime compreſſis, ſine ullo negotio intelligitur) adeoque materiam progreſſu ſuo magis intercludit; vel ſi hæc omnia conjunctim agunt, cæterum vero eædem jam incluſæ particulæ acceſſu atque impetu liquidi a tergo venientis urgentur, compelluntur que, profecto ab illarum inteſtina commotione, mutuoque attritu, tandem vehemens ille ſpaſmus, in fibrillis, vaſculis membranisque nerveis dictarum partium, quo vehementer lancinantur, divelluntur, diſtrahuntur, aliove modo infeſtantur, uno verbo omne dolorum genus, & reliqua ſymptomata concitari ſolent. De quibus tamen copioſius dicere brevitatis & inſtituti ratio vetat. Neque enim hæc attuli, ut abſtruſam morbi indolem penitus explanarem, ſed quod

(*h*) *Cantion. medic. p.* 25.

(*i*) *De quibus ſeriebus videatur Bœrhaave Inſtit. med.* §. 132. & *Burggraſ Lexic. medic. univerſal. Tom. I. (cui reliquos nondum ſucceſſiſſe merito dolemus) p.* 1017.

(*k*) *Vid. prax. P. V. p.* 198.

(*l*) *Vid. ejusdem tractatus de Podagra Eboraci editus, ubi de hoc argumento pluribus diſputat.*

quod ſine iis antea qualitercunque explicatis vix ortum calcis arthriticæ commode exponi intelligique poſſe videretur.

§. VI.

Quando igitur ad rationem, qua tophi generantur, propius enucleandam progredior, duplici via eos fieri obſervo, ita, ut vel liquor mucoſus glandularum mucilaginoſarum a materia arthritica coaguletur, & in ſpiſſum hoc concrementum abeat, vel particulæ ejusdem materiæ ſalinæ & terreſtres viſcidis permixtæ, diſrupto minimo quodam vaſculo cohæreſcant, & temporis progreſſu in durum corpus coagmententur. Quippe in oſſium articulis, membranisque horum muſculorum interſtitiis, & circa tendines glandulæ extant mucilaginoſæ quædam, eæque teneræ admodum & molles, ex genere conglomeratarum, ſingulari ſtructura præditæ, tum membranæ tenues & pellucidæ, ex quibus conſtruuntur, in ſubrotundas cellulas complicantur, adeoque veſiculas referunt, earundemque aliæ majores, vel in magnis articulorum cavitatibus, ut acetabulo coxendicis, in cavitate genu, circa patellam, ſeparatim ſpectandæ, & rubicundo utplurimum colore diſtinctæ, vel in pinguedine inibi abſconditæ; aliæ autem minores, & vix armato oculo detegendæ, per tunicam mere glanduloſam & veſiculoſam, ſub membranoſo quo articuli continentur, confirmanturque, ligamento ſitam, & ad oſſa conjungenda propter laxitatem ſuam minime idoneam, per tendinum quoque ſuperficies, aliasque ſedes hinc inde diſperſæ, quarum omnium glandularum ſitum, ſtructuram & genera Clopton HAVERS, *(m)* Anglus, ſi non primus invenit, præ omnibus tamen diligentiſſime, vel Cel. MORGAGNI *(n)* teſte, eoque harum rerum ſcientiſſimo, perluſtravit, & literarum monumentis prodidit. In his glandulis copioſiſſima vaſcula ſanguinea nactis, liquor quidam mucilaginoſus, quem ſynoviam vulgo vocant, inſtar ovi albuminis viſcidus pellucidusque, quanquam non in omnibus adeo clarus & limpidus ſecernitur, qui tanquam linimentum oſſium articulos & cartilagines perpetim irrigat, atque lubricat, ne frequentiori ſuo & vehementiori motu penitus exareſcant, atque ſic illorum actiones variè turbentur, ſed potius, ut omnes motus libere atque expedite ſine attritu & fervore earum partium fieri queant. Quemadmodum vero albumen ovi ab acido minerali ſigillatim aluminoſo vel vitriolico illico condenſari & velut ad calcis formam ſolideſcere conſuevit: *(o)* ita & Clopton HA-

(m) *Tr. de oſſibus Sem. IV. c. I. p. 209. ſq. conf. & ſumma anatomici Winslow Expoſition Anatomique de la ſtructure du corps humain Tom. I. p. 276. & alib. edit. Amſtæl.*

(n) *Adverſ. anat. III. anim. 23.*

(o) *Teichmeieri diſſ. de calculo veſicæ exulcerata adhærente p.* [illegible]

HAVERS experimentis varie inſtitutis, animadvertit, mucilaginem hanc a ſale acido magis minusque pro conditione liquoris adfuſi coagulari, idque eo magis, ſi illa adhuc calet; ut proinde in maſſam ſæpius ſpiſſam atque albam ad modum caſei recens formati cogatur, quæ a leni exſiccatione in unum fruſtum exareſcit, ſed admodum friabile, facileque in pulverem tenuiſſimum, & calci ſimilem convertendum. (*p*) Multo tamen promtius copioſiusque ab acido ſimul auſtero, atque adſtringente, & tartarei ſalis non experte, ut aceto vini, vino albo, magis autem rubro, item decoct. Fl. Balauſt. cort. granat. roſar. rubr. &c. una cum acido, coagulum hoc albi coloris generari, idque longe ſpiſſius, nec in aqua pura diſſolvendum, ut acidum fortiſſimum, e. g. ol. Vitriol. non ita mutet condenſetque mucilaginem, quam vini acetum. Neque minus & Celeb. TEICHMEIERUS (*q*) experimenta hæc repetens, cognovit, mucilaginem illam ab affuſis acidis album colorem adſciſcere, coagulari, in ſpiſſam maſſam mutari, & tandem notabilem ſoliditatem fere cum calculorum forma convenientem nanciſci. Enimvero non ſolum ab acidis, verum alcalinis quoque ſalibus fieri ejusmodi coagulationem, experimentorum uſu itidem obſervavit *Cajetanus* TACCONUS (*r*) medicus Italus, de qua cogendi vi in alcalino ſale eo minus dubitandum eſſe arbitror, quando cogito, ſerum ſanguinis, quod ſummus ille BOYLEUS (*s*) refert, ab oleo tartari per deliquium inſtillato, non ſecus ac a ſpiritu nitri condenſati, & liquorem volatilem atque urinoſum ex calculo humano deſtillatum, hujusque capiti mortuo ſeu fruſtis friabilibus denuo quantum ſatis fuit, affuſum, eidem ſi TACHENIO (*t*) fides eſt habenda, priſtinam ſoliditatem reddidiſſe. Videamus nunc, annon in corpore humano ejusmodi coagulatio ab iis ſalibus fieri queat. Et glandulas quidem ipſas identidem adfectas eſſe, obſervatione aliorum jam conſtitit. Ita SCHAPERUS (*u*) glandulam in femoris luxati acetabulo fere totam tophaceam reperit. Atque BRENDELIUS (*x*) in viro illo arthritico tophis obſeſſo, glandulas eas mucoſas admodum tumentes vidit, & ſigillatim in genibus, ex quibus leni digitorum vi preſſis materiam mucoſam atque minimis moleculis ſabuloſis remixtam expreſſit, quasdam vero duras ſiccasque invenit, ut nil plane humidi preſſione extrudere valuerit. Neque vero

(*p*) *Havers l. c. c.* 13. *p.* 242.
(*q*) *Diſſ. de arthritide p.* 10. 12.
(*r*) *Vid. commentar. Bononienſis, ſcientiar. & artium inſtituti & Academ. Tom. I. in claſſe Medica. obſ.* 2. *de arthritide. Comparentur & ea, quæ cl. Gmelinus monuit in commerc. liter. Norimb. Anni M. DCC. XXXIII. p.* 68.
(*s*) *In hiſtoria ſanguinis humani P. III. Exp.* 6. *p.* 59.
(*t*) *In Hippocr. chemico c.* 14. *Comparetur & de ſalium alcalinorum coagulandi vi Boerhaave Tom. I. chem. p.* 613.
(*u*) *In progr. ſupra allegato.*
(*x*) *l. c.*

vero a vitioſa arthritidis materia, ſal ſive tartareum, multoque acido imbutum, ſive alcalinum abeſſe ex ſuperioribus liquet. Quando igitur progreſſu temporis frequenti materiæ ejus appulſu, pori vaſculorum, quæ mucilaginoſum humorem in glandulis ſeparant, magis magisque relaxantur, ut particulas quoque ſalinas & terreſtres admittant, ex harum commixtione mucilago coagulatur, quæ nec reſolvi ſe & attenuari facile ſinit, ſed potius magis magisque ſpiſſa evadit, donec tandem in corpus calci vel cretæ aut gypſo ſimile, quod ratione albi etiam coloris, cum coagulo mucilaginis extra corpus genito, non parum congruit, convertatur. Sed alia etiam via patet, per quam materia topho conglutinando inidonea & in ipſo ſanguine jam præparata advehatur. Quemadmodum enim per ſe ſanguis etiam ſanus particulis terreſtribus abundat: ita multo magis eorum ramentorum crudorum inutiliumque moles in corpore arthritico a vitiata ventriculi reliquorumque viſcerum digeſtione, inteſtino cruoris attritu, aliisque ex cauſis augetur. Quæ in ſanguine jam ineſſe & contineri, antequam ad articulos pervenerunt, neque in his demum generari, vel exinde planum fit manifeſtumque, quod in corporibus arthriticorum tophacea materia extra articulos variis locis ſe prodere, & ſui veſtigia relinquere ſoleat, quam nemo prudens, & corporis noſtri gnarus dixerit ex iis tophis, qui ex coagulato glandularum muco coaluerunt, abraſam, atque ex articulis ad majora vaſa reductam, ſanguinique intimius redditam fuiſſe. Ita vero comperimus, materiam ejusmodi cum ſanguine & reliquis humoribus, ſæpenumero per totum corpus circumagi, ut pro vario cruoris & laborantis naturæ vigore & impetu, vel per capillares arteriolarum tubulos fuſa & disjecta, ſubſtantiam viſcerum ſubeat, & obſtructiones, ſcirrhos, vel ſicut alias in articulis, tophos calculosque efficiat, vel etiam aliqua parte eliminetur, & cum ſputo, urinis, ſudore, excrementis, aliisque liquoribus exeat, & confeſtim ab exſiccatione in calcis formam commutetur. Ne multa hic præter neceſſitatem exempla accerſam, KERKRINGIUS (*y*) podagrico alicui materiam calci ſimilem, undique e corpore effluxiſſe, atque ſputa etiam in calcis conſiſtentiam redacta eſſe, HORSTIUS (*z*) autem ſe arenulas in ejusdem generis hominibus in vola manuum, & aliis partibus obſervaſſe, atque eleganțiſſime doctus PECHLINUS (*a*) puerum quendam 14. annorum, & a teneris arthriticum, poſt toleratos aliquot annorum dolores, ex immenſo, qui in ſiniſtri cubiti articulo natus erat, tumore aperto, liquorem ſalſum, ſtatimque ex auræ acceſſu in albam calcem concreſcentem profudiſſe; SCHNEIDERUS (*b*) in corde MAXIMILIANI II. Impera-

(*y*) *Spicil. anatom. obſ.* 28.
(*z*) *Manud. ad medic. P. I. p.* 191.
(*a*) *Lib. II. obſ.* 25.
(*b*) *l. c.*

toris cum podagra graviter conflictati, calculos poſt mortem eſſe repertos teſtatur. Quum itaque in arthritide tonum articulorum admodum infringi ex ſuperioribus jam liqueat, crebro & perenni materiæ vitioſæ adfluxu vaſcula minima magis magisque relaxantur, ut hinc etiam eorum oſcula amplius, & ultra naturalem diametrum dilatentur. Quod vel PLATERI (*c*) fides confirmat, qui in ſectionibus arthriticorum membra diuturnitate morbi adeo ductibus ſinibusque oblongis & anguſtis intrinſecus perforari perſpexit, ac ſi tineis vel xylocampis exeſa eſſent. Quando igitur ab arthritide inveterata, in qua potiſſimum tophi connaſcuntur, ita ſe habent oſcula exiliſſimorum vaſculorum, ut cum materia arthritica partes quævis crudiores ſalinæ atque terreſtres, ipſorum diametrum ſubeant, ibi ſubſiſtentes diſruptis vaſculis nodos conſtituunt, diſſipatisque liquidioribus particulis propius ſibi accedunt, mutuoque contactu & quiete, cohæreſcunt, arctiusque, fortaſſis etiam aliqua aëris externi membro læſo proxime incumbentis vi, aut medicatione intempeſtiva concreſcunt, & tandem in ejusmodi materiam, quam calcem vel tophos vocant, convertuntur; quamvis aliquando & oſſeam materiam accedere LISTERO (*d*) facile concedam; Habeo autem, quod ad hunc tophorum ortum, ex appulſu materiæ ſalinæ atque terreſtris attinet, conſentientes Medicos plerosque, ut partes etiam chyli nondum cum ſanguine miſti, in loco affecto reſidui, a quibus Medicus quidam Gallicus (*e*) nodos derivat, nihil omnino aliud eſſe videantur, atque ſæpius memoratus COLBATCH (*f*) quando nodos ori i ſibi perſuadet, ſi ſpiritus vinoſus cum volatili alcalino ſanguinis ſale congreſſus in offam coaguletur, eam tamen non niſi accedentibus particulis terreis in cretaceam ſubſtantiam indurari putet, WILHELMUS etiam ten Rhyne (*g*) licet omnium fere morborum cauſam a flatu deducat, atque arthritidem quoque ex flatu ſicco atque maligno quaſi afflari opinetur, tumorem tamen externum, atque immedicabile nodorum tophorumque malum ab humorum atque particularum ejusmodi affluxu derivet. Neque hanc corporis durioris generationem quis mirabitur, qui meminerit, eodem particularum terreſtrium interdum & ſalinarum contactu ac quiete, quando non amplius moventur & ſubſident, ex fluidis materiam perquam ſolidam, duramque coagmentari. Aquæ puteanæ, maxime pigræ, & quæ crebro hauſtu non exercentur, itemque etiam ex fluvio, qui non adeo veloci flumine fertur, deductæ, crebra ad uſus domeſticos decoctione, vaſa craſſiori materia inſtar

(*c*) *Obſ. lib. II. p.* 510.

(*d*) *Exercit. de morbis quibusdam chronicis p. m.* 105.

(*e*) *Vid. ejus diſſertation ſur la goutte tant la chaude, que la froide Paris* 1689.

(*f*) *In libro ſupra allegato: A phlogiſto - m[illegible] &c.*

(*g*) *Diſſert. de arthritide Lond.* 1683.

ſtar tartari incruſtant, vel etiam materiam denſam compactamque in alveo ſuo depoſitam relinquunt, ut LISTERUS (*h*) referat, fiſtulas, quibus Pariſiis aqua Sequana erigitur, & per urbem tribuitur, ejusmodi cruſta obduci, ut eam ſæpius refricare opus habeant. In Thermis Carolinis materies flava & fixa parietibus canalium, per quos perfluunt hæ aquæ, celeriter copioſeque ſe adfigit, ita, ut etiam ligna vel argillacea vaſa hiſce aquis injecta flava calcaria cruſta brevi tempore obvolvantur. Tophum ex aliquibus aquis circa Jenam generari SCHÜTTEUS (*i*) refert. Quid? quod omnes partes corporis noſtri ſolidæ fluidis debeant ſuum ortum atque incrementum, atque inter alia, quæ reliquis firmitate antecedunt, oſſa, itidem ex gelatinoſis ſalinis atque terreſtribus particulis conflata, mollia admodum initio fuerint, ſenſimque in fibras membranaceas, & dehinc cartilagines abeant, & demum oſſeam duritiem conſequantur, (*k*) ſicut & aliæ partes teneræ & molles progreſſu temporis præpoſtero naturæ ordine in oſſeam ſubſtantiam obrigeſcunt. Quidni igitur ſi iidem ſucci, ex quibus hoc naturaliter fit, ſuis canalibus non amplius continentur, ſed profuſi exra eosdem, alienis ſedibus cohæreſcunt, ibique commorantur, particulis aqueis per calorem diſſipatis, ſolidæ eæque viſcoſæ ſalinæ & terreſtres coëant, conglutinentur, & indureſcant? Quando itaque materia illa, quæ alias in articulis in tophos concreſcit, totumque antea per corpus oberrat, ad renes veſicamque amandatur, facile fit, ut ibi ſecreta & cum reliquis fæcibus lotii commixta vel in calculum condenſetur, vel bono omine liquidior exterminetur. Quod in viro illo arthritico, cujus hiſtoriam adhuc illuſtravi, factum eſſe denuo nunc aſſevero, idque etiam propterea, quod poſtquam jam aliquoties ea converſo itinere ad interiores partes receſſerat, tandem etiam eo ipſo tempore, quo podagræ paroxyſmus, utplurimum maturius deſiit, nec vis vitæ imminuta reſiduo adhuc humori noxio tam longe in articulos propellendo par fuit, in veſicam decubuit, ibidemque renovata velut tragœdia, atroces dolores excitavit, retentaque per aliquod tempus in corpus durum calculoſum abiit, tandem vero hoc expulſo, & via commoda ſemel aperta, ſine cruciatu cum urina, neque ſine omni incurſionum podagricarum levamento, eliminata fuit.

§. VII.

Urinarias vero vias ſuſcipiendis ejusmodi recrementis peroportunas, atque frequentius forte, quam plerique hominum arthriticorum ex incuria

 animad-

(*h*) *Iourney tho Paris in the ſear MDCXCVI. p. 133.*

(*i*) *In Ορυκτογραφίᾳ Jenenſi, p. 51.*

(*k*) *Vid. Clopt. Haverſii libellus de oſſibus ſupra allegatus, item Hoyze Tentamen chirurgico-medicum, de præcipuis oſſium morbis; & præ aliis Cel. [illegible] Albini recentiſſimi Icones oſſium fœtus humani cum oſteogenia brevi hiſtoria*

animadvertunt, expoſitos eſſe, vel exinde facile intelligitur, quod naturaliter in iis ſanguis a variis ſordibus & inquinamentis repurgatur, tum & ordinarie fere ſub arthritide graviori aliquid materiæ morboſæ cum urina proſcribi e corpore, & quamvis clara exierit, poſt aliquot tamen horas a refrigeratione, ſedimentum arenoſum ſabuloſum, multas ſiccas acutas cryſtallinas particulas arenæ non diſſimiles complexum, lateribus & fundo vaſis adhæreſcere, tum ſuſpenſum natansque ſuſtineri (*l*) videtur. Quemadmodum enim recte obſervat *Nicolaus* LACYNI (*m*) inter quatuor modos ſolutionis podagræ & hunc eſſe, ut humor vitioſus aliorſum feratur: ita & partem ejus ad renes deduci, atque ſub variis mutationibus ſecedere medici obſervarunt. Ut in re tam nota alios taceam, Cl. WINTERUS (*n*) quando probatum it, arti non omnia in ſanandis morbis chronicis tribuenda, ſed naturæ etiam aliquod in eos jus eſſe, quæ ſæpius motus excitet criticos, per quos mederi conetur morbis, quamvis imperfecta haud raro criſis exiſtat, in hanc claſſem podagram refert, ſub qua poſt æſtum febrilem urina craſſa vel turbida cum ſedimento farinaceo e corpore excernatur, præcipuæ vitalesque corporis partes a periculoſis inſultibus liberentur. Propius vero adhuc ad hanc accedere ſententiam videtur Cel. DETHARDINGIUS, (*o*) quando urinam paroxyſmo podagrico declinante contendit pallidam ſubſpiceam & ſpumoſam, ſed ſine ſedimento atque nubecula, ſpumamque illam, ſi prout tenax eſt, exſiccetur, tophaceæ indolis eſſe, ex lotio autem, ſi aliquamdiu quietum perſtiterit, ſecedentem limum unctuoſum latera vitri obducere, qui incaſſum frigida eluatur, neque minus etiam, id quod obſervationem meam ſuperius in morbi hiſtoria traditam non ludicram eſſe, vel fictioni deberi teſtatur, a ſalinis ſordibus matulam fieri opacam, & niſi cineribus vel lixivio alternis eluatur, tum fragile, ut vel leviſſima alliſione fiſſuris diſcindatur, aut in fragmenta concidat.

§. VIII.

Requirenti autem mihi ſimilia urinæ cum ſedimento craſſo & facile concreſcente redditæ exempla, in obſervationum medicarum commentariis eorum aliquot occurrerunt, ut non opus fuerit, illam de lyncis urinæ fabulam, quam Ovidius (*p*) recitat, quaſi quicquid lynx urina remiſit, vertatur in lapides, & aëre tacto congelet, quamque Plinius (*q*) etiam repetit, in ſubſidium vocare, poſtquam eam Antonius

(*l*) *Vid. Illuſtr. Stablii Colleg. pract. maj. a Cl. Storchio editum.*
(*m*) *Tr. de Podagra Venet.* 1691.
(*n*) *Vid. ejus Cyclus metaſyncriticus, or an eſſay on chronical diſeaſes c.* 7.
(*o*) *Diſſ. ſup. alleg. p.* 29.
(*p*) *Metamorph. lib. XV. v.* 413.
(*q*) *Hiſt. nat. lib. VIII. c.* 37.

nius Muſa Braſſavolanus (*r*) & Joannes Bradæus (*s*) ſatis refutarunt. Neque etiam urina alba cum ſedimento inſtar cretæ albo, huc pertinet, quæ chylo debetur. (*t*) Omnes vero illæ obſervationes commode in tres claſſes dividuntur. Primo enim urina ex ipſo corpore mucidæ viſcidæque ejusmodi maſſæ permixta; & utplurimum quidem difficulter admodum exiit. Senex quidam octogenario major, apud Silvaticum (*u*) isque nunquam de calculi doloribus queſtus urinas ſemper reddidit copioſæ pituitæ viſcidiſſimæ immixtas, easque adeo pertinaciter inhærentes fundo matulæ, ut ea inverſa atque urina effuſa, ab eo fundo tamen non receſſerit. In femina quadam nobili, ut Sachſius (*x*) refert, doloribus nephriticis per plures annos agitata, urina ſub ipſa emiſſione & ſtillicidio ſæpius adeo ſpiſſa fuit, ut facile in fila diduceretur. Ingruit ſubinde frigus nephriticis conſuetum, ut lumbos fere nudos admovere fornaci coacta fuerit, ſine tamen frigoris levamento notabili, tandemque cum miſeriis hiſce ſatis colluctata, diem ſuum obiit, cauſa tanti mali in renibus, qui utrique in alabaſtrinam duritiem obriguerant, reperta. In hiſtoria famoſi illius morbi veſicalis, quo ὁ πάνυ πειρoχος Caſaubonus miſerrime aliquamdiu laboravit, tandemque morti occubuit, commemoratur, ſimul mucum admodum craſſum, qui dimidiam lotii partem conſtituerit, aliquando autem nihil niſi mucum tenaciſſime cohærentem redditum fuiſſe, qui vix vi quadam divellendus, ex matula in pavimentum lubrico & continuo contextu profluxit. Magna ejus materiæ copia ejecta, per duos vel tres dies interceſſerunt quaſi induciæ, tumque nova accumulatione facta, denuo mucus ſe protruſit. Inciſo cadavere veſicam mirifice conſtructam, contractam ſcilicet & ſpiſſam, eique perforatæ additam ἔκφυσιν & velut cellam quandam ipſa veſica majorem in eaque ingentem ſaburram putris & olidi muci invenerunt (*y*) Porro Drelincurtius (*z*) maxima cum admiratione morbum cujusdam ediſſerit, qui urinas omphacium colore referentes, vel inſtar albuminis ovi viſcidas, reddidit, in cujus cadavere nullum puris veſtigium, ſed præter carunculas calloſque, & qui vivo jam exemtus erat, calculum, inſignes cumulos materiæ cujusdam albæ grumulis refertæ, ſolidæ, & more tartari albi

(*r*) *Lib. X. de Natur. Simpl.*

(*s*) *Lib. III Miſcell. C X. in Gruteri P. I. Theſaur. Critic. p.* 494.

(*t*) *Vid. Ephem. N. C. Dec. I. Ann. I. p.* 206.

(*u*) *Cent III Conſ.* 66.

(*x*) *Ephem N. C. Dec. I. Ann. I. p.* 95.

(*y*) *Vide copioſiſſimum morbi & Anatomes hujus plane ſingularis deſcriptionem, a Thoma de Meyerne exaratam, in Boneti Anatom Pract. Tom. II Lib. III. Sect. XXII. p.* 644. *Extat etiam hæc veſicæ morboſæ hiſtoria in Mangetti Bibliothec. Anatom. Tom. I. p.* 387. *ſeqq. Vid. & Morgagni Adverſ. Anatom. III. Animadv.* 36.

(*z*) *Epiſtola ejus extat in Mangetti Biblioth. anatom. T. I. p.* 392.

friabilis repererunt, quæ inſtar tartari ſcirrhoſæ veſicæ ſubſtantiæ non modo aggeſta, ſed etiam cum ea velut ferruminata fuit, ut verus tartarus cum dolii veteris aſſeribus non arctius cohæreat, quam mucilago ea in lapidem converſa cum veſicæ callis, ut eam ſine multa dexteritate & violentia divellere non licuerit. Tota veſica ſpecum ſeu fodinam, e qua lapides aut mineralia eruuntur, repræſentavit. Et revera fœcunda fuit fodina, quæ novos lapides perpetuo produxit, & quod recens in horrida illa rupe cæſum fuit, illico reddidit atque indies auxit. Hunc Wolffius (*a*) urinam ſenis cujusdam adeo viſcidam enarrat, ut illam ex uno cameræ angulo in alterum, reſticulæ inſtar ſine labore trahere perfacile fuerit. Alius poſt uſum pilularum ex terebinthina confectarum materiam albam mucilaginoſam cum urina emiſit, quæ ſubito ab aëre externo, in ſubflavum calculum obriguit. (*b*) Brechtfeldius (*c*) commemorat, Nicopiæ in Falſtria filiolam bimulam civis & coriarii cujusdam, quum poſt aliquot dies peſſime ſe habuiſſet, doloremque ejulando prodidiſſet, cum urina eminxiſſe materiam albam mucilaginoſam, quæ ſtatim ab aëre externo in oblongum concrevit calculum, Klaunigius (*d*) cum lotio prodidit materiam albicantem & mucilaginoſam in quodam ſatis copioſe profluxiſſe, quam glutinis inſtar ex matula longe protraxerunt; ſanguinem e vena miſſum inſtar ceræ flavæ fuiſſe, & urinam poſtea non multum diſſimilem huic ſanguini, eamque parciorem & maximo cum cruciatu ſecutam eſſe. Viro cuidam in Anglia, in quo poſt mortem renes ſanos, veſicam vero triplicem repererunt, mucus cum urina permultus ſeceſſit, qui vehementes circa veſicæ collum dolores inter meiendum concitavit. (*e*) Similem fere Brechtfeldiano exemplo hiſtoriam Cel. Behrenſius (*f*) ex ſchedis avi ſui expoſuit, de viro militaris ordinis, cum calculo per multos annos conflictato, qui quum aliquando ſolitis ſuis doloribus per totum diem fuiſſet adflictus, tandem cum urina in fine mictionis albicantem & viſcidam materiam excrevit, quæ ab externo aëre riguit in calculum album & oblongum. Deinde vero etiam urina clara interdum atque tenuis prodiit, poſt aliquam vero moram ſedimentum admodum tenax, craſſum, & facile indureſcens reliquit. Generatim in iis, qui a nephritide male ſe habent, nunc citius nunc tardius mucum ſæpe

(*a*) *Ephem. Nat Cur. Dec. II. Ann. IX. p.* 173.
(*b*) *Ibid. Ann. X.* p. 207.
(*c*) *Act. Medic. Hafnienſ. Vol. III. Obſ.* 70. *p.* 116.
(*d*) *In noſocomio charitatis p.* 84.
(*e*) *Vid. Epiſtol. Buſſierii ad Editorem Tranſact. Anglic. ſcripta de triplici veſica, quæ tota etiam latine verſa, cum Icone triplicis veſicæ extat in Act. Eruditor. Ao.* 1702. *pag.* 27.
(*f*) *Breſslauiſche Natur- Medicin- und Kunſt- Geſchichte XXIII Verſuch p.* 36.

ſæpe copioſum, imo interdum pultaceum fere, eumque vel ſolum urinæ largius admixtum, atque inſtar ſedimenti delabens, vel cum arenulis unitum, excerni, interdum ſub paroxiſmo præcipue ac ſub impetu dolorum, ex urina tenui, limpida & aquoſa ſedimentum mucilaginoſo farinaceum, aut ſabuloſum, vel tartareum, nunc album magis, nunc flaveſcens, nunc lateritium coagulari, doctiſſimus Camerarius (*g*) annotavit. Idem confirmat Illuſtr. Stahlius, (*h*) quando ex hominibus calculo vexatis, ſæpius materiam viſcoſam inſtar viſci avium, atque tenaciſſimam in fundo matulæ conſpici contendit. Neque minus Cel. Meibomius (*i*) ejusmodi viſcidum humorem illico interdum *in* materiam ſquamoſam obdureſcere, odoremque lixivii, & conſiſtentiam ejus ad ſpiſſitudinem evaporati adſciſcere, cujus ſcilicet liquor craſſior factus & frigori expoſitus, protinus etiam in duritiem ſalinam obrigeſcat; atque Cel. item Waldſchmidius (*k*) materiam ejusmodi lentam & tenacem calculoſorum interdum linteo exceptam in lapidem concreſcere obſervat. Ut vero ſingularia etiam exempla recitem, femina quædam Harveio (*l*) teſte ex mucilaginoſa materia, quæ in ſua urina copioſe ſubſedit, pilulas concinnare propriis manibus conſuevit, easque in ſcatula aſſervatas, ſua ſponte in calculos abiiſſe oſtendit. Prævotius (*m*) in cujusdam presbyteri iſchuriam graviſſimam cum lotii ardore experti urina, ſedimentum mucoſum vidit, adeo tenax, ut effuſum a feneſtris cubiculi in alto ſiti, ad terram continuo pertingeret, quod ad tres libras quotidie ſeceſſit. Neque tamen præter ejusmodi mucum in renibus, uretheribus atque veſica poſt mortem quicquam vitii detectum fuit. In hypochondriaco, quum urina ante ſuppreſſa paulatim rediiſſet, poſt noctis unius intervallum in ſal lixiviale, idque cultro non diſcindendum concrevit. (*n*) Aliquando urinam ita incraſſatam obſervavit Cnœffelius (*o*) ut manibus eam inſtar filamentorum extrahere opus eſſet, & maſſa in fundo coagulata, niſi aqua infuſa, non profunderetur. Acoluthus (*p*) refert urinam inter mille gemitus & parturientium ſimiles conatus a quodam excretam fuiſſe, adeo lentam & viſcidam, ut quam primum in urinali refrixiſſet, immiſſo baculo inſtar alicujus muci per magna ſpatia fuerit deductus. Quidam ſacri ordinis vir difficillime, & non niſi ſub emulgendo,

(*g*) *In Diſſ. de vitiis urinæ vias & vicinias illarum affligentibus* p. 14.
(*h*) *L. C. p.* 451. & 466.
(*i*) *Diſſ. de ſuppreſſione urinæ.*
(*k*) *Diſſ. de calculo renum p.* 20. *ex Cap.* 2. *Auctarii Sennerti Phyſicæ additi.*
(*l*) *In Epiſtol. ad Beverovicium. in hujus Spicil de calculo p.* 193.
(*m*) Vide *Boneti Anat. Pract. l. c.*
(*n*) *Eph. N. C. Dec. I. Ann. I. p.* 162.
(*o*) *L. C. Ann.* 4. & 5. *p.* 45.
(*p*) *L. C. Dec. II. Ann.* 9. *p.* 173.

gendo, urinam reddidit, quæ miſſa in matulam cruſta tartarea obductam, itidem mox viſcida, craſſa & ductilis, non vero etiam in puro vaſe talis evaſit. (*q*) Cardanus (*r*) toto decenni intervallo ex urina ſua multum albæ arenæ adhærere matulæ parietibus conſpexit, adeo concreſcentis, ut matula intra 15. dies non eluta tota intus lapideſcere videretur. In urina etiam jam emiſſa veros lapides concreviſſe Schulzius (*s*) refert. Tertiæ denique claſſi reſervavi urinas hominum arthriticorum, quibus ejusmodi mutatio atque coagulum obtigit, adeoque propinquior adhuc cum hiſtoria morbi, quam hucusque enarravi, affinitas intercedit. Quam in rem Benedictus Silvaticus (*t*) valetudinem nobilis Veneti exponit, qui poſtquam dolor ceſſaverat articularis, in ſtranguriam incidit, cujus in urina materia craſſa, viſcida & tartarea ad fundum depoſita fuit. Et præſtantiſſimus ille Romanorum medicus Baglivus (*u*) animadvertit, ab arthritico miſſam eſſe urinam craſſam & copioſam, eamque paulo poſt in conſiſtentiam gelatinæ coagulatam, atque ita illum ab arthritide liberum evaſiſſe. Simillimum meo exemplum Cel. Teichmeyero (*x*) debeo, juvenis nimirum literarum ſtudiis debiti, qui ſuperata arthritide, incredibilem copiam materiæ cretaceæ, & poſt exſiccationem cum creta poroſa exacte convenientis, ut etiam ad literas figurasque tabulæ inſcribendas eſſet idonea, reddidit, quæ vitrum etiam urinale unius hebdomadis intervallo, cruſta inſigni ad craſſitiem digiti minoris obduxit.

§. IX.

Unum adhuc reſtat, quod de materia iſta calcaria nunc etiam perſequar, ut ſcilicet rationem arctiſſimæ, quæ inter arthritidem atque calculoſos dolores intercedit, cognationis declarem. Teſtatiſſima enim medicorum ex omnibus ſæculis experientia notius fere eſt, quam ut multis exponi debeat, morbum arthriticum atque podagricum facillime mutari in calculoſum adfectum, atque hunc viciſſim frequentius in arthritidem converti, adeo, ut qui diu ab arthritide fuerunt liberi, calculi tandem doloribus divexentur, & qui ſe omnem tandem emoviſſe calculum, hisque laboribus feliciter ſe defunctos eſſe, credunt, tandem eas dolorum faces articulis eſſe admotas, perſentiſcant. Imo nonnulli ab utroque morbo vel ſimul vel per vices torqueri adfligique

(*q*) *L. C. Dec. II Ann.* 10. *p.* 207.
(*r*) *Comment. in Aphor. Hipp. p.* 459.
(*s*) *Eph. N. C Dec I. Ann.* 4. *p.* 135.
(*t*) *In Epiſt. ad Beverovicium in hujus Exerc. de Calculo.*
(*u*) *Oper. p.* 117. *edit. Antuerp.*
(*x*) *Diſſ. de arthritide p.* 15.

que conſueverunt. (z) Ut proinde ille apud Beverovicium (*a*) literatus vir calculoſo morbo laborans, ad amicum ſcribens podagra tentari ſolitum, hunc non illepide cognatum ſuum cognominet, ob connubium duabus ſororibus podagra atque calculo initum, ſimul tamen interdum fieri jocetur, ut uxor unius ad alterum, ſine adulterii ſuſpicione accedat. Sydenhamius, quem ſuperius jam dilaudavi, cauſam illius nexus, & quare in arthriticis adeo facile calculus generetur, vix definire audet, & culpam vel in ægrotantis decubitum ſupinum, vel in organa ſecernendis repurgandisque humoribus deſtinata, quæ otio velut conceſſo, functiones ſuas rite non peragant, vel in materiam morbiferam, cujus fortitan portio quædam eſſet calculus, conferendam arbitratur. (*b*) Mihi quidem in poſtrema cauſa magnum omnino momentum eſſe poſitum videtur, quando materiam arthriticam tam facile ad vias urinarias amandari, atque pro indole atque mixtione ſuorum elementorum, prompte admodum in corpus durum atque calculum coagulari, ex iis, quæ ſuperius jam diſputavi, recordor. Longum foret, atque ab inſtituti ratione prorſus alienum, varias Auctorum de calculorum ortu ſententias percenſere, aut diſceptare. Quamobrem pauca tantum, quoad ea neceſſitas poſtulat, de eorum originibus adferam. Ad eruenda calculi elementa Illuſtris Hoffmannus (*c*) varia experimenta inſtituit, permulti vero alii deſtillationes ejus ſuſceperunt, inter quos noviſſime Cel. Hillcherus (*d*) ex calculo ſpiritum urinoſum volatilem cum ſpiritu cornu cervi ratione odoris ſaporisque congruentem, & initio cum phlegmate commixtum, ſal volatile multo oleo craſſo inquinatum, multas miculas oleoſas craſſas & fuſcas in collo. Retortæ ſuperſtites, caput mortuum coloris ex fuſco nigri, odoris quodammodo adhuc fœtidi, ſaporis oleoſo-empyreumatici, cujus maxima fuit copia, ſe impetraſſe aſſeverat. Ex quibus experimentis compertum habemus exploratumque, calculum, diverſa tamen proportione, quæ etiam in ſingulis fere variare videtur, conflari ex particulis ſalinis oleoſis, atque præcipue etiam terreſtribus, quas vel ſolas in calculo feminæ octogenariæ fuiſſe, per chemica experimenta Chomelius (*e*) cognovit, fortaſſis interdum etiam

 metalli-

(z) *De hac cognatione utriusque morbi imprimis agunt Musgrave de arthritide anomala c. 9. item Cel. Ramazzini de principum valetudine tuenda opp. pag.* 448.
(*a*) *Exerc. de calc. ren & veſic.*
(*b*) *L. C. pag.* 12.
(*c*) *In Diſſ. de Cautioribus practicis in curatione calculi p.* 5. *quæ experimenta etiam in Obſerv. Phyſico-Chymicis extant. lib. II. obſ.* 25. *pag.* 229.
(*d*) *Diſſ. de Calculo renum. pag* 8.
(*e*) *Vid. Hiſtoire de l' Academie Roy. des Sciences, A. MDCCX.*

metallicis ferreis, quas Liſterus (*f*) præter ſal & lapidem calcarium ex calculis uſtis coram ſocietate Regia Londinenſi, ope magnetis a ſe extractas demonſtratasque eſſe contendit, denique tenacibus, & mucoſis, quæ glutinis vices ſuſtinent, ut reliquæ particulæ arctius inter ſe conjunctæ in firmum corpus coaleſcant & coagmententur. Quamvis enim partes ſalinæ poſt ſolutionem poros particularum terrearum penitius ſubire, partes autem oleoſæ ſeu ſulphureæ firmiorem cohæſionem inter reliquas jam præſtare videantur: ſine viſcido tamen & glutinoſo ſucco nunquam in tam tenacem, atque ægerrime ſolubilem maſſam, multo minus in lapidem concreſcent. Contra ea domeſticis præcipue eorum, qui chemicas operas tractant, experimentis ſatis conſtat, ex glutinoſis animalium partibus, ut caſeo, albumine ovi cum calce viva mixtis, optima atque firmiſſima luta, ad ſciſſuras fiſſurasque vaſorum occludendas præparari. Quandoquidem vero particulæ ſalinæ oleoſæ, terreſtres atque gelatinoſæ in omni inſunt ſanguine, atque magna eorum ramentorum pars ad renes veſicamque vehitur, ut per eas vias e corpore proſcribatur, quilibet certe homo etiam ſaniſſimus, quamcunque vitæ vivendique rationem ſectetur, materiam componendis calculis idoneam alit in venis ſuis, eamque ipſemet inſcius, ſecum circumfert. Quod vel cruſta illa calculoſa ſatis oſtendit, quæ brevi tempore induci, atque novis indies incrementis augeri ſub forma cryſtallorum ſubrubrarum ſolet, quando urina ſaniſſimi etiam hominis, inprimis ultima ea, quæ poſt duodecim horas a ſumto cibo redditur, etiamſi per ſpiſſum admodum linteum trajecta & ab omnibus ſordibus purgata fuerit, in matula aliquamdiu relinquitur, novaque non eloto vaſe iterum iterumque immittitur, præcipue ſi lotium ab acceſſu aeris maxime calidi, diuturno, computreſcat. (*g*) Concretionem hanc inde a Paracelſi temporibus ob elementorum fere convenientiam, (*h*) & ſingularem ad latera vaſorum concreſcendi niſum, cum vini tartaro comparant, eodemque etiam nomine appellant. Neque tamen hunc tartarum eſſe exiſtimemus licet, ex quo ſolo & per ſe calculus coaleſcat (*i*) ſed ut plurimum humores digeſtione ventriculi viſcerumque, & nervorum virtute magis minusve deſtructa, mutantur, (*k*) & vitium capiunt, ut hinc feculentæ illæ portiones, quæ alias per urinam ſece-

(*f*) *In Diſſ. de calculo humano conchyliorum bivalvium utriusque aquæ Exerc. III. adject. conf. ejusd. Exerc. med. de morb. chron. p.* 129.

(*g*) *Comp. Boerhaave chem. Tom. II. pag.* 28.

(*h*) *Utrumque enim ex ſale, multo tenaciori oleo, & terræ aliqua parte conſtat: vid. de vinoſi tartari elementis Cel. Neumanni Lection. Publ. Von gemeinem Saltze, Weinſtein, Salmiac und der Ameiſe p.* 99.

(*i*) *Diſſ. Alleg. pag.* 10.

(*k*) *Compar. hic Blackmore diſſertations on a Dropſy, a Tympany, the Jaundice, the Stone, and a Diabetes.*

ſecedere ſolent, vel augeantur, vel ad concretionem in loco commodo aptiores evadant. Verum ne ſic quidem fit calculus, niſi vel renum vel veſicæ morboſa conditio permittat, ut partes illæ limoſæ cum ſanguine advectæ, ibi conquieſcere, & mora ſua in denſum durumque corpus coagmentari queant. Etenim ex eo potuum genere, quod tophacea materia manifeſte abundat, non facile oritur calculus, quamdiu urina prompte celeriterque procedit, ut exemplo hominum, qui ejusmodi potu quotidie utuntur, facile elucefcit. Non una autem læſio renum, ut ab his ordiar, contingit. Aliquando enim ſi a nimis vehementi ſanguinis ad renes appulſu, ejusque per venas reditu impeditiori vaſcula ſanguinea nimium diſtenduntur, facile fit, ut tubuli uriniferi Belliniani corrodantur exedanturque, atque ſic [illegible] ceratis fibrillis continuo exſtillet, atque exſudet humor glutinoſus atque ichoroſus, qui cum arenoſis & tartareis urinæ moleculis facile in calculoſam materiam conglutinetur, & quoniam illæ ex allapſu humoris ſalſi & acris conſolidationem difficulter admodum admittunt, proinde calculi non modo promte enaſcantur, ſed malum quoque diutius trahatur, & ægre admodum perſanetur. Neque minus etiam aliquando ob ejusmodi difficiliori ſanguinis per vaſcula renum progreſſu accidit, ut aperto diſruptoque exiguo quodam canaliculo, ab humore extra ſua vaſa profuſo, & conſiſtente, nunc in tubulis minimis, nunc in papillulis parvi abſceſſus atque ulcuſcula oriantur, & pedetentim latius proſerpant, cum quibus urinæ craſſiores gravioresque partes tanquam cum glutine commiſcentur, atque ſenſim in materiam primo rudiorem & ſabuloſam, deinde etiam grana ſolidiora concreſcant, quæ ſi in finibus papillarum non procul a pelvi continentur, ſæpius beneficio urinæ copioſius ſecretæ eluuntur, & cum eadem, neque tamen ſine dolore exterminantur; ubi vero acini hi calculoſi ulceroſæ renum ſubſtantiæ arctius inhæreſcunt, ſenſim ſenſimque incrementa capiunt, & indurantur, ut deinceps haud ſine exquiſitiſſimo cruciatu gravioribusque ſymptomatibus per ureteres teneriimo ſenſu præditos iter ſuum verſus veſicam proſequi, & cum hac demum ex corpore proſcribi queant. Aliquando autem profundius in vaſculoſa renum ſubſtantia, & procul a pelvi ejusmodi abſceſſus generantur, & ſuppuratio, indies cum ipſius calculi incremento augetur, quum calculo jam inchoato via ad pelvim & ureterem non ita pateat, neque is deinceps ob molem ſuam per ureteres amplius deduci queat, ſed in renibus pelvique remanens tum ipſe ſuppurationis progreſſum adjuvet, tum vero etiam ab hoc magis magisque increſcat. Porro etiam ab inflammatione in renum vaſculis vehementiori, apoſtema grandius vel ulcus fit, quo renes pedetentim exeduntur, & tabe conſumuntur, permixtisque urinæ inquinamentis, toti non raro in duros ſolidosque ramos obrigeſcunt.

cunt. (*l*) Quanquam vero hic calculorum ortus vel Cel. Anatomici Ruyſvii experimento ſatis illuſtratur, quo is filamenta ex linteo carpo pure inuncta, matulæque injecta, ab urinis aliquamdiu in hanc redditis, poſt aliquod tempus calculoſa materia circumdata, atque incruſtata fuiſſe annotavit: (*m*) obſervationes tamen anatomicæ ſatis teſtantur, multos repertos eſſe calculos ſine ejusmodi exulcerationis vel prægreſſæ vel conjunctæ veſtigiis, prout multi etiam nunc calculi ſine ejusmodi ſignorum præſentia excluduntur. Ut proinde pro unica calculorum cauſa exulceratio minus accurate habita a nonnullis videatur. Quid? quod a calculo majori exulceratio demum aliquando proficiſcatur, quando is tubulos & vaſcula renum hinc inde comprimit, facileque ſtaſin aliquam humorum in his locis, atque ita exulcerationem efficere valet, quemadmodum & calculo jam adulto diuque infeſtante, ſigna demum qualiscunque renum exulcerationis accedere obſervantur. Idcirco ſine ejusmodi læſione interdum a ſola tubulorum Bellinianorum & pelvis laxitate atque atonia nimia ortum habet calculus, quando nimirum ſanguis quibuscunque ex cauſis copioſius in vaſculoſa renum ſubſtantia accumulatus, ſub difficiliori progreſſu vaſa nimium diſtendit, eorum tonum naturalem & robur ad propellendos humores neceſſarium infirmat, ipſosque adeo tubulos relaxat & reſolvit. Quo facto per poros eorum præter naturam extenſos dilatatosque craſſiſſimæ quævis & glutinoſæ particulæ ingrediuntur, ſimul vero, quum ſub retardato ſanguinis per renes motu, nec urina tam prompte ſecernatur, nec tam celeriter, imminuta tubulorum vi, per pelvim & ureteres procedat, ex lotio in ductibus ſuis tubulisque membranaceis, conſiſtente, partes illæ, quæ calculum componunt, a fluidis exſolutæ, gravitate ſua facile delabuntur, inhæreſcunt, coagulantur, atque eadem ratione, quam ſuperius in explicanda tophorum generatione attigi, tandem concreſcit, & magis magisque augetur. Liceat tamen & quartum modum his addere, eumque, reliquis non minus probabilem, quamvis adhuc parum diſtincte explicitum, qui in nimia minimorum tubulorum anguſtia, per quam craſſiorum urinæ particularum colluvies commode vehi nequit, poſitus eſſe videtur. Ea vero nunc in ipſis tubulis Bellinianis fit, tonum nimis arctum adſtrictumque vel a natura nactis, vel demum ob quaſcunque rationes, ſicut & in aliis partibus evenire ſolet, ſpaſmo nimium conſtrictis, contractisque. Nunc vero culpa magis in urina ſecernenda eſt, quæ pauciſſimis particulis aqueis & liquidis diluta, compluribus oleoſis viſcoſis & gluti-

(*l*) *Hanc ex ulceroſa & ichoroſa renum materia calculorum generationem præ aliis maxime tuetur Ill. Stahlius in Theoria Med. p. 560. & in diſſ. de nova calculi pathologia.*

(*m*) *Vid. Denys Obſ. Chirurg. de calculo renum p. 1*[illegible]

glutinoſis ſalinis atque terreſtribus abundat, ut proinde eædem ob molem ſuam vix ac ne vix quidem per naturales tubulorum vias tranſire queant, ſed obſtructis iis, ſe exitu ipſæ intercludant. Ex qua cauſa etiam homines hypochondriaci atque ſcorbutici crebrius calculo tentari videntur. Atque ad ejusmodi craſſiorem urinam fortaſſis Hippocrates reſpexit, quando calculum ὑπὸ τοῦ οὔρου ξυγκαιομένου, ab urina aduſta oriri contendit. (*n*) A quacunque autem cauſa ille infarctus proficiſcatur, dum in iis tubulis, ubi contingit, ſerum urinoſum tardius movetur, & particulæ tenues tantum, valdeque fluxiles tranſitum inveniunt, id vero, quod craſſum eſt & turbidum, magna ex parte remanet, ſub lento progreſſu promtius conſidit, ſibi adhæret, & cum aliis concreſcit. Quod ſi etiam ab obſtructione horum tubulorum fieret, ut humor ille, quo pelvis interne ad concretiones prohibendas irrigatur, non ubique exſtillaret, adeoque interna pelvis ſuperficies variis locis ſiccior evaderet, iſtis ſedibus, utpote minus lævibus atque lubricis ramenta ad quietem & conglutinationem perquam idonea facile adhæreſcunt, arctiusque coëunt non minus, quam aliarum ſibi ſimilium acceſſione augentur. Ita enim in omnibus, a quacunque cauſa ortum habeant, calculis uſu venit, ut ſimul atque illorum poſita fuerunt rudimenta, neque hæc, dum laxius adhuc cohærent, ab urina copioſius affluente diſſolvuntur, eluunturque, aut medicinis etiam expelluntur, mora ſua alias quotidie particulas ob ſimilem habitudinem facile adhærentes in ſui ſocietatem trahant, & propter gluten admixtum promte cum iis conjungantur, humidis per calorem abactis magis exſiccentur, & coaleſcant, hocque modo incrementa capiant indies, atque magis magisque indurentur. Quam accreſcendi rationem Cel. Nuckius (*o*) eleganti experimento comprobavit, quando is globulum ligneum in veſicam vivi canis caute immiſſum, ibidemque glutinato vulnere relictum aliquamdiu, inciſo poſt aliquot hebdomadas cane undiquaque exiguis calculis ſ. cryſtallis obſeſſum extraxit. Neque minus id caſu aliquando obſervatum fuit, quando nonnulli varias & peregrinas res, per naturales urinæ vias, vel alia ratione ad veſicam delatas, ibidemque per aliquod tempus commoratas, e. g. cereum minorem, fiſtulum rad. Petroſelini, turundam, acum &c. calculoſa cruſta obductas, ſeu calculum adnatum obſervarunt. (*p*) Magnitudo autem calculorum, figura, color & durities, aliaque variant, pro diverſitate materiæ, ex qua coaleſcunt, vitæ etiam vivendique rationis, qua ægrotans utitur, moræ, conceptaculi, in quo formantur,

(*n*) *Libr. de aëre, aquis & locis* § 21.

(*o*) *Adenograph* C VII p 78.

(*p*) *Plura eaque ſelectiſſima exempla ejusmodi obſervationum collegit Cel. Platnerus Præceptor quondam & adhuc Patronus pie coſendus Diſſ. de calculo ad veſicam adhæreſcente* §. X pag 17.

tur, caloris, aliarumque rerum, ut alii majores, alii minores, alii pallidi, alii cinerei, alii rubicundi, vel alio colore infecti, alii admodum anguloſi & aſperi, alii friabiles & male compacti, alii perduri & prorſus ſaxei, nulla prorſus ratione, nec iis etiam liquoribus, qui metalla alias diſſolvere valent, ſubigendi, (*q*) atque mallei etiam ictibus plane reſiſtentes, (*r*) enaſcantur. Quando nunc ad origines calculorum veſicæ paucis indicandas progredior, mihi quidem eo magis brevi eſſe licebit, quod illi ex renum calculis concreſcere utplurimum conſueverunt. Id enim duriores illi nuclei, qui in medio ejusmodi calculorum veſicæ exemtorum reperiuntur, ſatis declarant. Acini enim ſabuloſi vel lapilli ex renibus per ureteres in veſicam deducti quando cum urina non exeunt, ſed retinentur, a muco veſicæ ſub jugi & libera volutatione magis magisque involvuntur, & cum novo ſolidarum urinæ particularum commeatu increſcunt, atque indurantur, vel ſi ad veſicam quocunque modo adhæreſcant quoque, atque adeo libero motu non utantur, perpetua tamen fecum urinoſarum acceſſione magis augentur, cum iisdem conglutinantur, cruſtisque ſuper cruſtas inductis, in grandem ſæpius molem coagmentantur. Neque enim ſolum hæc incrementorum ratio experimento Nuckii, rebusque peregrinis calculoſa cruſta obductis, paullo ante jam in medium adductis, abunde liquet, verum lamellis etiam colore & diverſitate variis, quæ in diffractis veſicæ calculis notantur, & ceparum inſtar ſibi incumbunt, eo magis comprobatur. At non omnes veſicæ calculi ex renibus primam habent originem, ſed in ipſo etiam veſicæ cavo adoleſcunt, quando interdum peregrinæ res eo delatæ, ut jam nunc attigi, calculoſa materia incruſtantur, & progreſſu temporis alio atque alio cortice augentur; interdum vero etiam ſine ejusmodi nucleis, calculoſa materia, quæ urinæ adhuc bene permixta per renes atque ureteres ad veſicam pervenit, diuturniori forſan lotii commoratione, vel alia ex cauſa gravitate ſua delabitur, cohæreſcit, & deinde in ejusmodi durum corpus conglutinatur. (*s*) Quot enim veſicæ calculis adfliguntur, qui

(*q*) *Hanc duritiem calculorum variis experimentis confirmant Slarius in The Philoſophical Tranſactions abridg. Vol. III p. 178. atque Haleſius in The Statical Eſſays, inprimis Vol. II. containing Hæmaſtaticks in the Account of ſome Experiments on Stones in the Kidneys and Bladders. Ut proinde mirum, [illegible] quod ad vires in ejusmodi calculis attinet, omnes earum rerum* [illegible] *tenax novillimum illud* [illegible] *decantatum Virginis Anglicanæ* [illegible]*, quod Cel. Schulzius docta* [illegible] *nuper etiam Germanice* [illegible]*.*

(*r*) [illegible] *Lithographia curioſa p. 1. ſeqq.*

(*s*) [illegible] *excrementitium* [illegible] *carunculas vel ſub* [illegible] *etiam intus* [illegible] *tranſcolatur, atque in* [illegible] *deprehendiſſe ſibi* [illegible] *variisque figuris* [illegible] *illuſtravit Jo. Baptiſta Contoli in libro Italico* [illegible] *etiam* [illegible] *extant ann.* [illegible] *VIII. p. 137.*

qui nec dolores a renum calculo interdum minimo, genitos, perſentiſcunt unquam, nec poſt mortem aliquod eorum veſtigium in renibus oſtendunt? Quæ cum ita ſe habeant, atque materia illa calcaria poſt diuturnam arthritidem per vias urinarias educta, ut ad hanc redeam, cum ipſis calculis admodum conveniat, & ſub deſtillatione, eadem fere elementa, quam illi, ſuggerat, tum aliis ſub experimentis, non longe diverſas mutationes ſubeat, ut ex utrorumque inſtituta comparatione facile liquet; eadem vero etiam materia ad urinarias vias facile admodum amandetur, ibidemque cum lotii quiſquiliis arctius ſimul connubium ineat; calculi præterea arthriticorum ex iisdem, ex quibus non arthriticorum calculi conſtant, componantur; (*t*) renes denique & reliquæ viæ urinariæ a plerisque cauſis, ut in medicorum ſcholis vocantur, antecedentibus, quæ arthritidem generant, male utplurimum affecti infirmatique, eo facilius quacunque ratione locum eidem relinquant, ut ſub quiete conglutinetur, & concreſcat: ex his quidem momentis facile cogitatione aſſequi licet, quare arthritis & dolor ex calculo tam arcto inter ſe nexu & cognatione continentur.

§. X.

Id vero ipſum in vero arthritico, cujus morbum qualicunque hac commentatione potiſſimum perſequor, experientia comprobavit, utpote qui complures concretiones ex eadem materia genitas, ſenſim ſenſimque excrevit. Vix illæ mihi in renibus coaluiſſe videntur, quoniam nec lumborum dolor, nec alia, ex quibus renum calculus movens ſeſe, diſtinguitur, ſigna præſto unquam fuerunt. Equidem non ignoro, in rene ſæpius & veſica ſitum eſſe calculum, nec tamen eidem ullum incommodum adferre, quoad ille in ſede ſua adhuc immotus continetur, nec exitum molitur, ut adeo plures ingrati hujus hoſpitis præſentiam ad vitæ uſque terminum non reſciſcant. Ut alia exempla ſileam Cel. Vaterus (*u*) a viro quodam calculi dolores nunquam experto, & alias perfecte ſano, uſu aquarum pyrmontanarum ultra quadraginta calculos præter alios minores, quatuor vel quinque dierum ſpatio inter mingendum fuiſſe ejectos, refert, atque Alghiſius (*x*) magnatem quendam alias arthriticum commemorat, qui quamvis nullas unquam calculi moleſtias percepiſſet, in ejus tamen veſica calculus fuit repertus. At vero in ejusmodi hominibus calculus nun-

(*t*) *Vid. Muſgrave de arthritide anomala C. 9. p. 75.*
(*u*) *Vid. Philoſophical Tranſactions Vol. XXXIII. No. 377.*
(*x*) *Vid. ejus Trattato di Litotomia p. 16.*

nunquam e ſede ſua emotus fuit. Quis vero crederet unquam, a viro arthritico, de quo in præſenti ago, calculos vel minores, ſine renum & ureterum moleſto ſenſu in veſicam delapſos eſſe, vel inter tot dolorum tormenta, quibus veſica identidem excruciata fuit, renes ſalvos immunesque ab omnibus malis permanſiſſe, ſi non a calculorum proventu liberi hucusque fuiſſent? Itaque potius materia eà adhuc liquidior commode per renes & ureteres iter ſuum emenſa, ubi in veſicam venit, inter doloroſos conatus exitum quidem quæſivit, ſed non invenit, hincque tandem eo modo, ut ſupra indicavi, firmius coivit. Qua autem forma & quo loco id factum fuerit, determinatu mihi perarduum & perdifficile videtur. Forſan in unum calculum, eumque prægrandem coaluit, quod tamen ut credam, vix mutua convexæ fragmentorum figuræ inter ſe proportio permittit. Forſan vero etiam ex eadem plures pedetentim calculi, iidemque non procul ab ureterum ingreſſu in veſicam, intra tunicam concreverunt. Ita enim Deus immortalis, ureteres, qui lotium ex renibus in veſicam devehunt, ad prohibendum hujus regreſſum, ſapientiſſime fabricavit, ut non recta in veſicæ cavum ferantur, ſed oblique procedant, & aliqua eorum pars ſub tunicis veſicæ muſculoſa & nervoſa, protendatur. Hic ſæpe calculi naſcuntur, (y) dum deſidentes ex urina particulæ ſolidiores intra illas tunicas obhæreſcunt, & novo ex lotii adfluxu incremento augentur, tandemque membranas diducunt, atque exitum moliuntur. Quidni igitur credibile eſſet, etiam hoc in loco materiam iſtam in varios calculos tunica incluſos, coiiſſe, præcipue, quum admodum probabilis videatur Celeberrimi, quem ſæpius jam honoris cauſa appellavi, Platneri (z) conjectura, qui quando interdum repente & brevi tempore magna calculorum vis ſine magnis doloribus excernitur, tales calculos vix in veſica ſine noxa & dolore tamdiu contineri potuiſſe, ſed eos intra membranam concluſos, dehinc vero rupta illa diductaque tunica, exſolutos, & in veſicam prolapſos, tandemque urina eos promovente, excidiſſe contendit. Hac ratione etiam facilius intelligitur, quare iidem calculi in lamellas & minora fruſta ſoluti cum urina ſe protruſerunt. Quum enim non duriſſimi & profus ſaxei fuerint, & præterea urinæ perpetim affluentis appulſui patuerint, ea forſan ſi non ubique, tamen uno loco laxiores calculi poros ſubiit, & alluendo humectavit, emollivitque, quin imo forſitan particulis acrioribus, quæ tantam vim in vitra exercuerunt, etiam corroſit, ut lamellæ hinc ſenſim ſenſimque laxiores redditæ in varia fragmenta tandem ſeceſſiſſe videantur. Quæ tamen calculorum reſo-

(y) *Vid. Cel. Platneri diſſ. cit. p.* 23.

(z) *In eadem elegantiſſima Diſſertatione p.* 27.

reſolutio eodem modo locum habuit, ſi vel in ipſo veſicæ cavo ſiti, & non procul ab ureterum ingreſſu, atque urinæ ſtillicidio remoti fuerunt. Ceterum exemplo non prorſus novo atque inaudito contigit, calculos veſicæ confractos cum urina ſeceſſiſſe. Olim jam Borrichius (*a*) puerum quendam in medium produxit, qui poſt diuturnum remediorum diureticorum uſum calculum prope ſiliceum magnitudine nucis juglandis minoris, in fruſta fabis æqualia, confractum, certasque fracturæ notas ſecum adferentem excluſit. Noſtris vero temporibus Cel. Dethardingius (*b*) exemplum viri ſeptuagenarii proponit, qui plures laminas calculoſas variæ magnitudinis, coloris externe albicantis, interne flaveſcentis non ſine doloribus excrevit, quarum etiam alias, pluribus licet poſt aliquot dies ejusdem conditionis iterum ſubſecutis, ſupereſſe tum in veſica perſenſit. Neque minus Cl. Goërizius (*c*) tanquam rem ſingularem & ſibi incognitam memorat, a viro quodam Aulico Ratisbonæ tunc commorante, quinquaginta annorum, qui aliquot annos renum calculo laboraverat, variosque lapillos rubros ſub lumborum doloribus, vomituque vehementiori reddiderat, tunc vero atroces a veſicæ calculo dolores cum urinæ ſuppreſſione & ardore expertus erat, poſt uſum idoneorum remediorum, inprimisque etiam opobalſami veri, cum oleo amygdalarum dulcium, linimentorum quoque & cataplaſmatum, indeque revocatum urinæ profluxum, intra tres hebdomades ſine ſingulari dolore, & cum priſtina potius redeunte valetudine, plures quam centum albas lamellas calculoſas ejectas fuiſſe, quarum permultæ magnitudinem ſeminis cucurbitæ, craſſitiem vero corticis avellanæ adæquarint, concava autem interna figura alium adhuc incluſum fuiſſe calculum, integramque adeo molem ad magnitudinem nucis moſchatæ acceſſiſſe prodiderit, lamellæ autem eminentiis acutis inſtructæ non aliter in oculos inciderint, quam ſi valido mallei ictu percuſſæ & in fragmenta disjectæ fuiſſent. Denique, qui primo loco appellandus mihi fuiſſet, Cel. Heiſterus (*d*) Patronus meus pie obſervandus, itidem ut rem rariſſimam de viro quodam ſexagenario, cœnobio Mariævallenſi præfecto, procero, robuſto, & quadrato, duroque vitæ generi adſueto, refert, illum, poſtquam plures annos cum calculo renum & veſicæ miſere conflictatus, magnam lapillorum copiam emiſerat, aliquando, quum negotiorum cauſa multum in horto cœnobii iſtius obambulaſſet, ſubito ingentibus calculi veſicæ doloribus, interque eos vehementiſſima veſicæ conſtrictione,

(*a*) *Act. Med. Hafniens. Vol I. Obſ.* 77. *p.* 147.
(*b*) *Diſſ. de calculo veſicæ friabili.*
(*c*) *Breſs auiſche Natur-Kunſt-und Medecin-Geſchichte XXIII. Verſuch p.* 35.
(*d*) *In Diſſert. Obſervationes Medicas miſcellaneas complexa p.* 35.

ſive ſpaſmo correptum, & brevi poſt ſingulari quodam ſenſu perculſum, quo calculum in veſica eodem modo frangi percepit, ac ſi nuces a manu robuſti cujusdam viri, forti compreſſione, confringerentur, incertumque, cui cauſæ hunc effectum adſcribat, paullo poſt quinquaginta circiter fruſta ejusmodi calculi, ex iisque nonnulla ad magnitudinem avellanæ minoris, per urethram ſenſim & ſine enormi dolore excreviſſe, quæ fragmenta ante aliquot annos in muſeo Heiſteriano meis me uſurpare oculis memini. Quibus exemplis admodum notabilibus meum hoc adjungi omnino meretur, quum præter perdita aut alio modo ademta calculorum fragmenta, eorum plura, quam centum adhuc & triginta numerentur, quorum multa magnitudinem phaſeoli, craſſitiem vero ſeminis cucurbitæ, putaminibus ſuis adhuc incluſi, ſi non ſuperant, ſaltim exæquant. Verum fortaſſe in hoc ipſo viro nullus plane fuit calculus in globoſam vel aliam figuram coactus, ſed cruſta tantum calculoſa, quæ intus aliqua parte, veſicæ cavo, ad hujus figuram efficta adhæſit, atque eodem modo, ut ſuperius tradidi, ab urinis emollita & corroſa ſeceſſit. Quamvis enim nonnulli (*e*) de ejusmodi cruſta adhuc dubitent, quod veſicæ tanquam muſculi excavati motus ſyſtalticus atque diaſtalticus conſtanter perennet, & detruſor urinæ muſculus nunquam conquieſcat, atque vix eam permittat; ſatis tamen illam experientia comprobavit. Atque ſi rationes etiam requiras, facile fieri poſſe videtur, ſi abraſo remotoque, qui veſicæ latera irrigat, muco, materia ad concreſcendum apta nudis membranis adhæreſcit, vel ex alio & jam veſicæ vitio, in latera ejus, velut in matulam conſidit, idque multo magis, ſi muco rurſus obducto, firmius deinceps conglutinetur. Quod ad experientiam attinet, ſane quemadmodum renes interdum in pelvi a materia quadam calculoſa & velut gypſea circum circa incruſtantur, (*f*) atque aliquando a calculis atque cretacea materia tanquam cellulæ efformatæ videntur, (*g*) ureteres etiam lenta gypſeaque materia obducuntur: (*h*) ita in veſicæ cavo etiam nonnunquam cruſta adhæreſcit. Exemplum a Drelincurtio enarratum ſuperius jam adtuli. Vidit præter hunc aliquando Cel. Scheidius (*i*) cavitatem lapideam infantis veſicæ accreviſſe in qua commode calculus vivo infanti extractus locabatur. Neque minus ab immortalium meritorum Anatomico Ruyſchio (*k*) ejus-

(*e*) *Diſſ. de calculo p.* 9.
(*f*) *Ephem. N. C. Dec. I. Ann. IV. Obſ.* 64.
(*g*) *Vid. ejusmodi figuram in libro: Some obſervations on the everal methods of Lithotomy.*
(*h*) *Zac. Luſitanus Lib. II. c.* 16. *Obſ.* 5.
(*i*) *Roſa. Diſſ. de calculo veſicæ pag.* 14.
(*k*) *Vid. Theſaur. Anatom. IV. Tab. II. Conſ p.* 23. *No.* 51. & *p.* 30. *No.* 78.

ejusmodi veſicam calculoſa materia intus incruſtatam, in qua & ipſi calculi fuerunt, ex vacca delineatam habemus. Verum cauſam hanc, & utrum unus aut plures calculi, vel cruſta potius calculoſa veſicæ in ægrotante iſto, fuerint, nunc ego quidem non amplius diſcepto, ut potius cuivis libere ea de re ſentiendi facultatem libens meritoque relinquam. Illud vero externo loco addendum adhuc arbitror, denuo ab eodem Viro fruſtum calculoſum, idque ingens admodum & craſſum fuiſſe excretum, neque minus etiam aliquem materiæ calcariæ cum urina profluxum his ipſis diebus rediiſſe, quibus in iſta explicanda hanc qualemcunque operam collocavi.

AD TOMUM V.

DE FEBRIBUS.

CCLXXI.

PHILIPPI GOBBI,

DISSERTATIO

AMPLECTENS HISTORIAM ET CURAM
EPIDEMICÆ FEBRIS,
quæ, finiente anno 1752, & incipiente 1753.
TERGESTES INCOLAS VEXAVIT.
Vienn. 1754.

NIl unquam ad artem medicam promovendam, ac illuſtrandam aptius viſum fuit, quam fidelis obſervationum hiſtoria, hæc etenim principium medicinæ fecit, hæc ipſa incrementum addidit; ſcimus enim antiquis illis temporibus ægros in foris, plateiſque expoſitos ad petenda ea tranſeuntibus, quæ præcipua ad morbos debellandos remedia reperta eſſent, tum eoſmetipſos columnis publiciſque fanis ſalutaria hæc præſidia inſcripſiſſe, ut edocemur ab Herodoto, & Strabone, nil ergo ratiocinio phyſico indagabant ſola naturæ, morborum, variorumque a remediis aſſumptis phænomenon obſervatione contenti, hæc vero obſervata omnia compilans, & digerens divinus Hippocrates per tot ſæcula conſtantem exhibuit nobis ideam veræ medicinæ, ejus nimirum, quæ haudquaquam a jocoſis quæſtionibus & futilibus commentis, ſed natura ipſa lucem præferente emanat.

Sapientiſſimi proinde hujuſce viri veſtigia calcare utiliſſimum cen-

ſetur iis, qui ſe in medicina facienda profuturos reipublicæ putant, quod nobis clariſſimus Boerhaavius indicat in peculiari oratione de commendando ſtudio Hippocratico.

Tale ſtudii genus anniſus ſum ab adoleſcentia inchoare, ſingula etenim, quæ in praxi ſub celeberrimo Macope Profeſſore Patavino, vel mihi ipſi in medicina facienda particulariora evenerant, indies annotavi, & unoquoque menſe notata compilavi, ut congruum exinde ratiocinium, mihique aptam, ſtabilemque medendi methodum efformarem Cornelii Celſi monitis adhærens, qui in ſua præfatione inquit: non poſt rationem inventa eſt medicina, ſed poſt medicinam ratio eſt quæſita.

Luculentum autem obſervationum campum ſuppeditavit mihi febris epidemica, quæ in fine anni 1752, & principio 1753. Tergeſti incolas vexavit, qua ſufficiens materia, & diſſertationi huic ſat idonea eruitur.

Sed cum muneris mei ratio poſtulet, ut citiſſime me expediam, ea quæ fuſius collegi ad duo potiſſimum infeſtantis morbi tempora redegi, ea nimirum, quæ per menſem 7*bris* 8*bris* 9*bris* obſervatu digniora evenere, tum ea quæ X*bris* Januar. & Februar. ſequentis anni ſuccincte, fideliterque exponendo.

Menſe itaque 7*bris* & 8*bris* anno 1752 cœperunt ægritudines multæ in civitate exurgere, quæ febrium, remittentium, & intermittentium ſpecie, abſque frigore tamen invadebant, ſique cauta, prudentique manu tractabantur, abſque ulla malignitatis nota non diſcedebant; æſtas calidiſſima, & pluvioſa præceſſerat, annus erat ſteriliſſimus, ſumma vexavit plebem inopia, unde peſſimo nutriebatur alimento, præcipue ex fructibus horreis maturis, & immaturis deprompto; calidiſſimæ æſtati autumnus pluvioſus, & auſtralis ſucceſſit; bonarumque aquarum egeſtas in uſus publicos, (anteqnam Auguſtiſſimæ Imperatricis noſtræ munificentia aquæ in urbem traducerentur) quæ omnia epidemiæ orienti ſuum addiderunt ſymbolum.

Quamvis autem nulla malignitatis nota appareret in eorundem morborum initio, accidit tamen, quod dum imprudenter, & negligenter tractati fuerant ægri, in febres continuas & continentes præcipiti paſſu irruerent, hinc funeſto in pluribus ægrotis edoctus eventu, ſtatim ubi illos accedebam, emeticum ex apta doſi hypecuacanæ, vel tartari emetici exhibebam, vel alvum ſubducebam laxativo aliquo pharmaco, prout vires, & ægri conditio poſtulabat, inde ad corticem Peruvianum tamquam ad ſacram anchoram confugi, qua methodo debellatas, ſuffocataſque, ut ajunt, in ovo febres illas conſpexi.

Sed cum in regione illa neſcio an aliquorum medicorum ignorantia, an malitia factum ſit, ut ſaluberrimus hic cortex veluti venenum reſpuatur, quod contingere videtur eo, quod recidivæ frequentiſſime poſt

poſt aſſumptum corticem emergant, (in qua quidem re medici ipſi inculpandi veniunt promiſcuo uſu Peruvianum corticem præcipientes) evenit exinde, ut ægri in morbis illis, quamvis præſentanea urgeret indicatio, ſalutare hoc præſidium a cauto etiam probatoque medico præſcriptum rejicerent.

Contigit hinc ut plurimum funeſta intermittentium, & remittentium febrium in continuas continentes transmigratio, in quo morbi ſtadio inutilis, quandoque damnoſus corticis uſus fuit, nil pejus hinc hoc tempore medicorum politica indulgentia viſum; medici erga ipſi ſaginatis cæmeteriis conſpectis in erroris pœnam propria redarguebantur conſcientia.

Phlebotomia in morbi principio inſtituta poſt ſtomachi, alvique depletionem pluribus profuit, aliquibus obfuit, profuit iis, qui plethoricum ſortiti erant temperamentum, obfuit aliis, qui virium vitæ inertia, & fluidorum viſciditate, cum lentore donabantur.

Dum febris a remittente ad continentis gradum evehebatur, utilia viſa ſunt diluentia, nitroſa, antiphlogiſtica, emulſiones ex ſeminibus frigidis cum additione nitri ſtibiati, ptiſanæ avenaceæ, & hordeaceæ, juſcula ex pullis, vituloque parata, quæ diluentem, & temperantem haberent vim, ſummum attulerunt ægrotis levamen.

Diffuſior methodus, quæ mihi uſuvenit in his morbis tractandis, apparebit, dum tractatum de aere, aquis, & Tergeſtini cœli indole typis edam, quod nunc, ſi mihi tempus voluntati par relinqueretur, libenter facerem) ad cujus operis calcem deſcripta eſt hujus morbi, & progreſſus hiſtoria, cum obſervationibus e cadaveribus diſſectis erutis.

Ne vero magis immorer pretioſum tempus inſumendo, ad ea, quæ in progreſſu febris epidemicæ contigerunt, tranſeo, quæ cum luctu digna eſſent, non defuerunt ii, qui pravam aeris cœlique qualitatem inculparent, aliique, qui ſcaturigines aquæ noviter advectas inſalubres declamarent, quos id proclamaſſe maligno potius, & contumelioſo inſpirante ſpiritu, quam veritate manifeſtum faciam in adducto meo tractatu non adhuc typis edito.

Febris Epidemicæ progreſſus per 9brem Xbrem & Januarium anni 1753. ad Martium uſque perdurans.

Febris, quæ elapſis menſibus larvata facie medentes fallebat, disjecto jam velo Tergeſti incolis infenſa fuit nec tertianæ ſimplicis modo, aut duplicis intermittentia aut remiſſione ægros aggrediebatur, ſed atrociſſima violentiorum ſymptomatum turba languentes, medentes, & aſſidentes terrebat; uno enim alterove a decubitu ægri die petechiæ, vel maculæ purpureæ in corporis peripheria emerſere, delirio, ac

ac plurimorum funeſtorum ſymptomatum caterva ſtipatæ, hinc occulatior medicus eſſe debebat, niſi expectatam mortem perhorreſcere maluerit.

Cauſæ prædiſponentes ſuperius adductæ perenni durantes conſtantia, putrida de languentium corporibus exhalantia miaſmata, cæmeteria haud bene Tergeſtinorum incuria munita, platearum immunditiæ indies increbreſcentes inchoatam labem perfecere, eouſque etenim aerem inquinaverunt, ut in homines horrore necis perterritos adactus, eorum corpora ita valuerit immutare, ut ad vehementiores morbos proniora evaſerint.

Statim enim ac æger decumbebat aggreſſus febri de artuum quaſi defatigatorum, & contuſorum ſenſu conquerebatur, de proſtrato appetitu, de nauſea, ac vomendi proclivitate, idcirco febrim illam de malignarum indole pronunciare haud ambigebam, ſtatimque vomitum ciere moderata doſi radicis hipecuacanæ cum refracta portione tartari emetici remixtæ, vel ſi vomendi cupiditas deerat alvum ſubducere leni aliquo cathartico opportunum cenſebam, quod ut plurimum ex ſenna, & rhabarbaro conficiebatur, & in delicatioribus ſola emulſione laxativa Minſicht uſus ſum, finito autem ſeu emetici ſeu cathartici opere accurate corporis ſuperficiem perluſtravi, ſique petechiis, vel rubicundis maculis conſpexiſſem reſperſam, cucurbitulas ſcarificatas cervici & dorſo applicandas ſuaſi, & in fluidorum violento ad ſuperiora raptu femoribus quoque easdem commiſi optimo cum ſucceſſu.

Non comparentibus autem adhuc in cute maculis phlebotomia tam in brachio, quam in pede inſtituta optimum promiſit ægro ſubſidium, hanc tamen juſſi inſtitui circumſpecte, tempus, ægrorumque temperamentum introſpiciendo, nec non naturæ & morbi tendentias; liberrime interim fateor venæ ſectione in aliquibus fatalem periodum arceſſiſſe, nec me pudet hoc fateri, ſi in methodi curativæ ſelectu immortalis famæ virum Sidenhamum in quadam conſtitutione epidemica Londinenſi verba hæc proferre haud puduit, *vix ac nec vix quidem potui efficere, ne unus, aut alter meorum ægrorum, qui primi ſe meæ curæ commiſerunt de medio tollerentur, donec perſpecta mihi fieret morbi indoles* &c. in noſtra quod attinet conſtitutione paucis phlebotomia obfuit, pluribus profuit imo præſentaneum auxilium ſuppeditavit.

Evenit tamen aliquando quamvis adducta ſalutaria præſidia & naturæ norma, & artis lege debitoque tempore præpoſita fuerint, quod morbus diei unius alteriusque ſpatio eousque increverit ut linguæ ariditatem cum viſcerum æſtu ſummo, pulſum citatiorem, & inexplebilem ſitim præ ſe ferret, quo in caſu vix remedia aptiora judicavi aqua Nuceriæ largis hauſtibus cum nitro ſtibiato in eadem ſoluto, ſumpta aqua eadem ſyrupo limoniorum, vel ribium condita, hisque ſolis gratiſſimis remediis

remediis, & ſimpliciſſimis contigit id videre, quod medici noſtri cordialibus, & alexipharmacis ad cœlum uſque elatis puta ex iis qui lapide Bezoar, de Goa, & perlis parantur haud aſſecuti ſunt, ſique fato contigit, me ægrotos acceſſiſſe, quos alii medici tractabant, cardiacis, & alexipharmacis fortioribus languentium fatum deflevi, ignoſcatque mihi DEUS, ſi aliqua ex his remediis, quæ minus nocentia cenſebam, ab aliis medicis propoſita probavi, ne ſemper contradictorie loqui viderer, ne magis magisve ſemper ſcopus odii, & invidiæ fierem medicis noſtratibus, qui ſat ſuperque ſinceritatem meam, liberumque dicendi modum reſpuunt.

Verum quidem eſt in hujuſcemodi caſibus dum neque linguæ ariditas, nec æſtus vehementior, nec hypochondriorum fortes tenſiones adſunt, languidiorque fibrarum motricum characteris comitatur, cardiacis volatilibus, & ſpirituoſis debellari poſſe, & debere, inter quæ familiariora ſunt aqua theriacalis, cordialis Saxoniæ, radix contrajervæ, ſerpentariæ Virginianæ, cortex caſcarillæ, cortex Winteranus, Theriaca Veneta, Diaſcordium Fracaſtorii, liquor cornu cervi ſuccinatus, & ſalia volatilia nonnunquam ex cornu cervi, ſuccino, & ſale armoniaco deprompta, præcipue dum phantaſiæ turbatio adfuerit a fluidorum inertia, & torpore oriunda, quæ tamen accuratiſſima cum cautela uſuveniunt non niſi refractis, repetitisque potius doſibus exhibenda.

His ipſis in circumſtantiis laudanda quoque veniunt emplaſtra veſicatoria cantharidibus parata, quæ ad fluidorum lentorem, & inertiam tollendam erigendamque ſolidorum eutoniam mirifice conducunt,

Id quod funeſtius, & majori dignum attentione in noſtris languentibus erat, quod tribus, vel quatuor ante mortem diebus convulſionibus corripiebantur, & hoc quandoque febre miteſcente contingebat, quodque nobis præcipue indicabat malignæ febris putredine nervorum lympham coinquinatam, unde novo, & irregulari tubulis nerveis ſupperaddito ſtimulo, vi antecedentis morbi confecti ægri penitus opprimebantur; prognoſis exinde ſecuri lethi eliciebatur, quæ in quadraginta, & ultra ægrotis una, alterave vice me fefellit, ſique contigit aliquos in adducto ſtatu neci vicinæ eripere, id cinnabari nativæ, pulveri abſorbenti Wedelii cum opio, opii ipſius morigerato uſui me debere putabam.

Plena verſa vice in morbo ſecuritas pollicebatur, dum circa ſeptimum morbi diem miteſcebat febris, cum cutis madore, ſomnoque ſolamen viribus afferente, cum hypoſtatica urina, mentisque ſerenitate, appetitus etenim ſenſim redibat, & indies magis vigebat, pulſus æqualior fiebat, & maculæ cuticulares diſſipabantur, ſtabiliſſima hinc ſanitas emergebat, quem ut attingeremus ſcopum accuratiſſimam diætam, & alimentorum ſelectam rerumque (quas appellant) non naturalium aptam moderationem morbus exegit.

Particulariter vero tradere quantitatem, qualitatem, ſtabilemque exhibendi alimenti normam in hujuscemodi morbis arduum foret, & longum, attamen hæc perſpicaciter noſſe maxime neceſſarium eſt, ſic nos admonente Hippocrate Lib. VI. Epid. Cap. VIII. *Victus rationes in acutis quantum fieri poteſt cognoſcendæ, nam non noſſe multarum calamitatum res eſt.* Fateor interim hoc potius ſedulæ praxi, exactoque ratiocinio quam lectioni medentes debere, cum ad quaslibet, & morbi, & temperamenti, & ætatis differentias victus quoque ratio immutari debeat, eodem ipſo ſapientiſſimo Hippocrate docente Lect. 1. aph. 17. *Et quibus ſemel aut bis, & plura, vel pauciora, & per partes offerri conducat, videndum, concedendum autem aliquid, & conſuetudni, & tempeſtati, & regioni, & ætati*, hæc de victus quantitate, & exhibendi norma, quæ autem de qualitate, & ſelectu, legatur liber ejusdem de victus ratione in acutis, vereor enim, ne prolixior ſim, quam meum exigit inſtitutum.

Quæ itaque ego ipſe in conſtitutione hac Epidemica generaliori uſu, & plauſu probatiora (ad victum quod attinet) invenerim, breviter perſtringam, victus ægrotantibus erat me ſuadente tenuiſſimus, quantus ſcilicet ad vires ſuſtinendas neceſſarius foret, & ſemel aut bis per diem exhibebatur, dum nimirum febrilia ſymptomata remittebant, aut remittere videbantur, laudabiliora præ ceteris erant juſcula avenacea, & hordeacea pulli, aut vituli leniſſimo juſculo parata, ſale, aliove condimento nullatenus reſperſa, item idipſum vituli, aut pulli juſculum cum cicorii, borraginis, & cardui benedicti foliis ebullitum, quandoque cum radicibus aperitivis languentibus exhiberi juſſi, qui tenuiſſimus victus ad fomitem febrilem compeſcendum idoneus judicabatur, indulſi quoque ad gratiam cibo conciliandam ægrotis ſi maturis piris, aut pomis igne ſubactis veſcerentur, hocque in principio, augmento & ſtatu morbi ſtatutum erat, valde parum immutata ratione, eodem vero miteſcente ſenſim ſine ſenſu alimenti doſis aucta fuit, ad priſtinam autem vivendi normam perventum non eſt, niſi morbo, malignisque veſtigiis integre deletis, quod circa decimam quartam morbi diem contingebat, & aliquando ſed raro ad vigeſimam primam, & vigeſimam ſeptimam potrahebatur.

Regimen vero ulterius, quod circa exteriora verſatur, ſic inſtitutum volui, languentes in lecto aſſiduo detineri ſuaſi, capiti ſuppoſitis pulvinaribus altioribus quantum poterat, & conſuetudo permiſerat, elevato, ut non tam facilis per amplas arterias carotides, & cervicales aſcenſus, pronior vero per jugulares venas deſcenſus aptetur circumeunti cruori, neque ſtragulis opprimi ægrotum cupio, quamvis plurimi hoc ſatagant inſano niſu ad ſudores, & petechias eliciendas, verum ne quid aſſidentium conſilio fiat, quod ægro moleſtum ſit ſedulus cavi.

Ambientem aerem temperatum quæſivi, hinc ſuffumigia myrrha, benzo-

benzoino, & ſtorace concinnata aliquando, præſcripſi in frigida nimirum, & humida aeris conſtitutione, & ubi mihi frigidiora, & laxiora corpora tractanda erant, at quando calida, & ſicca aeris diatheſis aderat, & cum temperamentis æſtuantibus, nimisque elaſticis agendum erat, malebam cubiculum aqua, & aceto conſpergi, & feneſtras quandoque aperiri, ut liber aeri circumludenti fieret acceſſus, ſtudioſe quoque cavi, ne amici, & conſanguinei aſſiduis viſitationibus, & moleſto, diuturnoque diſcurſu ægrotantibus infenſi eſſent, non tamen viſitationes eouſque interdixi, ut æger in fatalem exinde delabi poſſet melancholiam, animus enim in hilaritate, ſi fieri poterat, detinendus erat, ſic etenim ſpiritus animales excitati, diſtracti neutiquam, muniis ſuis exequendis, viribus erigendis, materiæque morbificæ excludendæ idonei reddebantur.

COROLLARIUM I.

QUAMVIS medicus optime noſcat ſecundum meliores medicinæ leges febres intermittentes protrahi aliquando debere, quod quidem a clariſſimis auctoribus confirmatum eſt, nihilominus tamen dum videt, præcipiti curſu eas delabi in continuas, & continentes, ad corticem Peruvianum recurrere neceſſe ei eſt.

COROLLARIUM II.

Cortex Peruvianus optimum remedium eſt inter omnia quæ ex triplici deſumuntur regno, in febribus etiam non intermittentibus, dummodo inflammatoriæ non ſint convenientiſſimum.

COROLLARIUM III.

Phlebotomia in principio morborum acutorum amplectenda eſt; in progreſſu damnoſa cenſetur, præcipue dum petechiarum vel purpuræ eruptio fit, vel facta eſt, hinc theſis hæc cum Cornelii Celſi opinione convenit, qui de his febribus diſſerens, inquit, venæ ſectio poſt quartam morbi diem imbecillum reddere corpus poteſt, non poteſt integrum.

COROLLARIUM IV.

Victus ratio in acutis primus eſſe debet medicinæ cardo.

COROLLARIUM V.

Ex fonte pharmaceutico in acutis pauciſſima ſumenda ſunt, & ex iis ea ſolummodo quæ a natura præmonſtrante indicantur; ideo me-

dicus ſollicite naturæ greſſus in morbis iis inſpicere debet, ut apta morbo remedia ſuppeditet.

COROLLARIUM VI.

Bezoardica, & cordialia, ex lapidibus pretioſis parata in morbis acutis pernicioſa plerumque ſunt, ſique in aliquibus perniciem non adferant, damnum crumenæ inferunt, nullamque in morbis utilitatem.

COROLLARIUM VII.

Sic etiam remedia, quæ abundanti ſpiritu, & ſale volatili pollent, plerumque damnoſa in morbis acutis cenſentur, præcipue tamen in iis, ubi febris magna delirio, & ariditate linguæ ſtipata adeſt, veneni loco ſunt habenda.

COROLLARIUM VIII.

Uſus vero in his morbis diluentium, emollientium, antiphlogiſticorum, ut ſunt nitrum, ſpiritus vitrioli dilutus, ſyrupus limon. rib. efficaciſſima ſunt, minus tamen laudata, quia pharmacopæi hæc non laudant.

COROLLARIUM IX.

Epidemico aliquo morbo ſæviente, extrinſecas inſpicere debet medicus cauſas, præcipue vero aeris dyſcraſiam, anni tempeſtates, aquas uſui publico inſervientes, & alimenta, quibus præſertim populares veſcuntur, quod fuſius Hippocrates docuit, in libro de aere, aquis, & locis.

COROLLARIUM X.

Cauſas febris illius epidemicæ nullatenus a nativis Tergeſtini aeris qualitatibus, quæ optimæ ſunt, ſed potius ab adventitiis atmoſphæram inficientibus, nec non a pravis incolarum alimentis; & peſſimo vivendi regimine eſſe repetendas.

CCLXXII.

CCLXXII.

BURC. DAV. MAUCHART

DE

LUE VACCARUM TUBINGENSI

DISPUTATIO PRIOR.

Tubing. 1745.

§. I.

SApientioribus crucem hucusque fixit non tam quæſtio *an*, ſed potius *quomodo liceat Medicis curam brutorum agere* medicam? Talpa ſane cæciorem oportet eſſe, qui non clare perſpiciat ſtrages integrorum armentorum, unde tot incommoda, quin & pericula vitæ redundant in univerſum genus humanum, ad eos quoque cives ſpectare, imo ceu ſpecialius objectum artis reſtringi, quibus alias vitæ ac ſanitatis curam demandavit Reſpublica.

Quid, quod infinita etiam medicinæ commoda, a primis inde hujus incunabulis, attulerunt obſervationes & morborum in variis brutorum ſpeciebus, & remediorum tam noxiorum, quam utilium, & experimentorum anatomicorum, phyſiologicorum, therapeuticorum e pharmacia atque chirurgia adminiſtratorum? Heic enim impune & legitime per mortes experimenta facere licet, intra ſuos tamen limites!

Sed *quomodo* Medicus, quibus mediis atque remediis, *mediate* an *immediate*, in morbis externis & internis brutorum, conſilia ſuppeditare, remedia applicare, manus admovere, operationes adminiſtrare chirurgicas, vel citra ignominiam poſſit, vel ſine opprobrio non debeat? id quidem in utramque partem ſatis diſputatum eſt a plurimis. De auxilio mediato, de conſiliis largiendis in confeſſo res eſt, vel ex ſupra allatis. De opera immediate præſtanda, nobis videtur, juſtum debere pecoris miſereri hac etiam occaſione, neque neceſſitatem hic quoque legem habere.

§. II.

Nemo itaque vitio nobis vertat, quod veterinariæ artis objectum a potiori, pro themate præſentis diſſertatiunculæ admittamus, atque calamitatem publicam, qua civitas noſtra graviſſime cœpit quatuor abhinc menſibus premi, curæ cordique habeamus. *Luis* autem hujus *vaccarum* primo *hiſtoriam* dabimus per phænomena antecedentia, conſtituentia atque conſequentia. Deinde *pathologiam* atque *therapiam* ſubnectemus, diviſuri hanc opellam in duas Diſputationes, quarum poſterior primam hancce brevi excipiet, ut ſcil. Dominorum Candidatorum ſumptibus parcamus.

PHÆNOMENA ANTECEDANEA.

§. III.

E rebus, quas Medici vocant, naturalibus, non naturalibus atque præternaturalibus. *Ætas* hujus ſpeciei brutorum promiſcue omnis perinde ſe habuit ad luis ſuſceptionem. Vituli quorum quidem pauci tum in urbe fuerunt, pariter illi, qui lac matrum ægrarum adhuc ſugebant, ac qui jam erant ablactati, lue ſunt correpti. *Sexus* femininus, *vaccarum* ſcil. *a potiori* ſubfuit, imo ſubeſſe debuit lui, quod pauciſſimos noſtra civitas alit boves caſtratos, eosque ſaginationi potius & macello deſtinatos, quam labori: in vicinis tamen noſtris pagis non ſolum ipſiſſima hæc lues perinde graſſata eſt in boves mares, ac feminas, ſed in ipſa etiam urbe noſtra *tres admiſſarios* corripuit *tauros*, horum quidem duos, ſingulari ſtabulo a vaccis remotos, nullumque cum his, niſi ſubinde ad imprægnandum adductis, commercium habentes, tertium vero cum grege vaccarum Nicarino, in monte noſtro anatolico dies noctesque paſcentem & converſatum.

§. IV.

Nuper elapſis hyeme ac vere, antequam cœpiſſet lues, vaccarum multæ, tauro ſemel iterumque admiſſæ, judicabantur, e ſignis conſuetis, impraegnatæ, diuque *pro gravidis habebantur*, quales *tamen non fuiſſe* docuit eventus. Aſt *non paucæ*, revera gravidæ, *abortiverunt*, *ſie haben vertragen*, tam in principio graviditatis, quam in progreſſu, imo paucis ante legitimum pariendi tempus hebdomadibus. *Vaccas* quasdam œſtro percitas venereo, *taurique appetentes*, ſed non admiſſas reputarunt aliqui ſub initium conceptæ jam veræ luis alio laborare morbo, vel ſaltem ob illam cauſam lue citius graviusque adfectas fuiſſe. Perinde vero ſe res habuit cum vaccis, brevi ante luis ſuſceptionem tauro junctis, quæ pari lue, parique gradu & eventu funeſto fuerunt exceptæ. Status *gravidita-tis*,

tis, *puerperii*, *lactationis* nullam ab invaſione præſtiterunt vaccis immunitatem, quin imo ſive partus præmatura, ſive legitima periodo acciderit, ipſæ tales vaccæ puerperæ, lue correptæ, gravius decubuere, & maximam partem ſuccubuere.

§. V.

Aeris atque *tempeſtatis* antecedentium hæc fuit conditio: Præterito anno verſus autumnum terribili exundatione Nicer atque Steinlachia, ille radices noſtrorum murorum verſus auſtralem plagam alluens, hæc, rivulus alias mediocris, ab auſtro verſus borealem plagam urbi appropinquans atque in Nicrum, prope urbem, derivatus, totam vallem, quaqua patet, ampliſſimam repleverunt, ac poſt tardiorem diffluxum ac ſubſidentiam, hic ibi paludes ſtagnantesque reliquerunt aquas, atque ſic ipſa paſcua, in quæ grex vaccarum Nicarinus quotidie ſolet educi, limoſo turbidoque ſuo diluvio, ſabulo, ſilicibusque defœdaverunt.

Hiems nobis obtigit ſatis & gelida & longa. *Aprilis* hoc anno morem ſervavit ſuum, tempeſtate mox pluvioſa, mox gelida ac nivoſa, mox ſerena temperatiore varium. *Circa finem Aprilis* autem *lues primum aggreſſa* eſt vaccas civis cujusdam Tubingenſis, in foro habitantis.

Menſibus tribus *vernalibus* ſubinde *ſpiſſiores* atque *fœtentes nebulæ*, ad nonam usque, decimamque, aliquando longius mane durantes, veſperique ſubinde repetentes cito, non modo Tubingenſem noſtram obtenebrarunt atmoſphæram, ſed longe etiam lateque ſe diffuderunt. Sub finem vero Maji *ros* quidam *animatus* copioſis quaſi telis aranearum inquinavit ſepes, agros, arbores atque paſcua, unde infeſta aranearum ſoboles propullulavit & frondeſcentes atque florentes ceraſorum, pomorum, pyrorum prunorumque arbores corrupit, omnemque horum fructuum meſſem in univerſo Tubingenſi agro peſſundedit. A Scarabæis majalibus quidem, frigore pluviaque præcluſis, frondes parum ſunt paſſæ, ſed numeroſa *cochlearum* turba, nec paucæ hic ibi *erucæ* tanto minus illis pepercere.

§. VI.

Fœni ſuppellex vertente vere curta cœpit eſſe, ob equitatum in vicinia noſtra hiemantium militum; Tantum vero non defecit, ut eo penitus noſtræ privatæ fuerint vaccæ. *Paſcua* publica videbantur per nivem, pluvias ſolisque radios abunde repurgata ab omni, ſi quod antea contraxerint, inquinamento: alias etiam ratione ſitus, primi quidem in valle Nicarina, alterius in Ammerana, tertii in monte verſus boream, quin & reſpe-

reſpectu plantarum, quas alunt, ſic comparata, ut nulla hinc luis cauſa ſit derivanda.

Quamvis enim paſſim in illis vallibus haud infrequens ſit *ranunculus acris*, a rubefaciente ac veſicante vi ſic dictus, ipſaque venenata *cicuta* illa *aquatica* ad ripam Nicri, qui paſſim alluit paſcua, crebro proveniat ſatis; tamen obſervantur vaccæ ab utraque ſibi ordinarie temperare hac planta, ita certe a cicuta propter viroſam odoris gravitatem, a ranunculo autem per experientiam, aduſtæ olim hinc linguæ, cautius abſtinere.

Quæ *prophylactica* ſolent alias toto anni decurſu ſubinde pecudibus exhiberi remedia, ea tantum abeſt ut ante luis ingreſſum neglecta fuerint, ut potius & diligentius, & determinate magis contra metuendam luem a plerisque ſint adhibita; immo ſæviente jamjam intra mœnia noſtra lue ad varia præſervativa ruerunt cives noſtri, apta æque ac inepta, eo cum eventu, ut nullum ſit certius atque præſtantius inventum *ſeparatione* ocyſſima *ſanarum* ab omni reliquarum conſortio, & detentione vel in remotis longe ſtabulis, vel in hortis extra urbem.

§. VII.

Inter ipſas haſce pecudes non minus ac alias brutorum ſpecies de *nullo* plane quidquam audivimus *præcedente* luem *morbo epidemico*, & ne quidem alia diſpoſitione morbifica. Inter homines vero quæ graſſatæ ſunt per integrum fere annum *variolæ epidemicæ* in noſtra urbe, ſatis malignæ & paſſim funeſtæ, ipſo vere nupero, quo lues vaccarum incepit, deferbuerunt, & omnino deſierunt. Exceperunt variolas Majo Junioque *tuſſes ſiccæ*, *rheumatico-catarrhales*, quæ in amœniſſimam ineuntis æſtatis protrahebantur tempeſtatem, atque ſine remediis utplurimum, patientia, ſunt ſuperatæ.

§. VIII.

Tubingenſem noſtram vaccarum luem præceſſit ſimillima lues non modo in longe diſſitis atque vicinis regionibus, *Italia*, *Hollandia*, hic ibi in *Germania*, ſed jam a triennio fere *paſſim* in ipſo *Ducatu Wirtembergico*, remotius primum a nobis, dein & propius in Præfectura Bœblingenſi, & Herrenbergenſi, quarum & urbes & plurimos pagos maxima boum ſtrage mulctavit. Præterita hieme inprimis acutiſſime & epidemice graſſata eſt *Wilhelmii* in ſylva Fagina, in urbe Imperiali *Reuttlinga* &, viciniore nobis adhuc, pago *Kirchheim*, vulgo *Kirchentellinsfurth*. Aliquibus horum pagorum prima triſtis morbi ſtamina manifeſte, extra dubium, omnibusque conſitentibus illata ſunt per *boves extraneos*, quos Auſtriaci

ſtriaci aliique milites vel recta via ex Hungaria, vel ex hyemalibus e Bavaria traduxerunt, aut hic ibi noſtratibus venditos diſtribuerunt. Hoc modo irrepſit lues e. g. in pagum *Rutheshemium*, Præfecturæ Bœblingenſis, empto e caſtris, in vicinia poſitis, militum Auſtriacorum *bove Dalmatico*, jam male habente: is enim in pagum, ſtabulumque deductus brevi manifeſtiora luis indicia præbuit, omnesque boves vaccasque conſtabulantes infecit, mox vicina alia ſtabula, denique univerſum pagum. Vicini noſtri cives Kirchenſes perſuaſiſſimi pariter ſunt, luem ſtragemque ſuorum boum, uti ſtatim a facta cohortis Gallicæ ibi, per nycthemerum, ſtatione orſam, ita *contagio* ex illis bobus infectis eſſe adſcribendam.

Equidem non conſtat liquido, tale quid vel in urbe noſtra, vel in paſcuis noſtris Nicarinis accidiſſe: illi tamen ipſi milites Galli, vicino Rothenburgo profecti, & Kirchemium iter facientes, una cum bobus, quos ſecum habebant, non potuerunt non in via hac paſcua attingere noſtra, imo tot alii e ſuperiore Suevia deſcendentes iter profecuti ſunt, ad muros & portas tamen magis, quam per mœnia & plateas urbis.

§. IX.

Igitur hinc quoque ſatis fundata naſcitur *ſuſpicio contagii.* Nolumus perſtringere vel poſſibiles alios, vel in actum deductos hic ibi varios inficiendi modos. Haud abs re accuſarunt alii paſcuorum inquinamenta a tranſeuntibus bobus infectis, alii fontes publicos, e quibus biberunt, alii corrupta præſepia, alii ſputo morbido contaminatum fœnum, alii coriorum, pellium, quæ infectis detraxerunt, vel & ipſius carnis noxiam tranſmiſſionem uſumque, alii ipſos homines, cum infectis prius converſantes vaccis & dehinc ad ſanas accedentes.

PHÆNOMENA CONSTITUENTIA ET CONCOMITANTIA.

§. X.

Proſequemur hæc eo, quo ſe manifeſtarunt, ordine *per* ipſa *morbi tempora*, *principium*, nempe, *augmentum*, *ſtatum* & *declinationem.* Diſtincta vero hæc morbi tempora nunc longiora erant, duorum triumve dierum, nunc breviora, ſicut acuti morbi, ſubinde etiam peracuti ſervarit indolem, reſpectu gravitatis atque durationis. *Luis initium* ſe prodidit ordinarie *appetitus imminutione*, ſeligebant quaſi e projecto pabulo gratiorem partem, & hinc inde decerpebant buccellam (*ſie hällmlen nur,*) gramenque recens præferebant: *auriculæ* erant *pendulæ*: *lactis minorem* atque minorem reddebant *quantitatem*: (*ſie brechen ab in der Milch*) *cornua*, *nares*, uberumque *papillæ* plurimis continuo, aliis per intervalla

frigebant, aliquibus etiam *lingua*. Per intervalla, eaque vel ſtato, pomeridiano tempore, vel quotidie, vel etiam alternis diebus, vel vago tempore *frigus* non tantum, ſed & manifeſtus *horror* atque *pedum* poſteriorum *tremor febrilis* ingruebant, unde utplurimum *calor cum ſudore* per totum corpus ſubſequebantur, maxime ſi in ſtabulo bene clauſo pannis linteisve obtectæ fuerant vaccæ. Nihil ad genium veri paroxyſmi febrilis defuit præter ſitim, vel actualem aſſumptionem *potus*, quem toto morbi decurſu *non* modo minus avide *appetierunt*, ſed *invitæ* potius cum reniſu *admittebant*, frigidum tamen libentius, quam tepidum hauriebant.

Deglutitio videbatur ipſis eſſe moleſta & dolorifica, unde violenter infuſis medicamentis & ſolidis & fluidis, imo ſimplici pro potu aquæ operoſius reluctatæ ſunt plures vaccæ. *Ruminatio* quoque a principio ad finem usque morbi *abolita* fuit omnibus, quotquot novimus, quod vulgus exprimebat: *Sie däwen nicht*, rectius *ſie wiederkäwen nicht*.

Lingua aliis in principio ſtatim, aliis in ἀκμῇ luis *mucoſa* fuit *craſſiorque*, aliis *ſicca*, *aſpera*, ad radicem leviter *rubens*. *Ex ore naribusque* altero tertiove poſt invaſionem die frequentes & continuæ quaſi *ſtriæ mucoſæ* propendebant exſtillabantque, niſi quas ipſæ lambendo abliguriverant ægræ.

Murmuribus atque *borborygmis* totum *abdomen*, quaſi graviore tonitru, reſonabat frequenter, maxime cum immineret alvi excretio. Circa hanc vero & reſpirationem hæc fuit varietas, quod aliæ ſtatim *diarrhœam*, aliæ poſt aliquot demum dies expertæ, pauciſſimæ ſine diarrhœa fuerint, pleræque etiam, non tamen omnes, mox ſub invaſione luis *crebrius* ac *anheloſe reſpiraverint*.

§. XI.

Sub *incremento & ſtatu morbi* non modo perdurabant, ſed ingraveſcebant quoque priora ſymptomata. *Appetitus* pabuli *plane collabebatur* in plerisque, in aliis modicus ſupererat. *Lactis proventus* quotidie *magis* & notabiliter *imminuebatur*, ita ut cum aliqua præbuiſſet quotidie lactis triginta duas libras medicas, ſ. menſuras octo Wirttenbergicas, jam vix ſextam vel octavam ſuppeditet partem: *Ubera* vero & *papillæ* præter frequens, aut continuum frigus, nihil exhibebant præter naturam. Molem uberum, e lactis imminuta magis magisque generatione gracileſcentium, indies decreſcere magis & flacceſcere, mirum non eſt. *Lac*, quod ſemel aut bis quotidie poterat emulgeri, *naturalem* frequentiſſime *ſervavit colorem* atque fluiditatem, in nonnullis vero *flavedine tinctum* erat, in grumos tamen non coaluit, ſed poſt ſolennem temporis moram, ali-

quali

quali fuit *obductum cremore. Diarrhœa*, ſeu *dyſenteria* potius, quæ ſub luis ingruebat principio, quantitate & continua & diſcreta *augebatur*, *feces alvi* liquidæ, copioſæ, fuſcæ ac graveolentes, nonnullis etiam ſtriis notatæ ſanguineis, aut mucoſo cruentæ fuerant, magnaque utplurimum vi, quaſi per ſiphonem, eliſæ in diſtans.

Prægreſſa ſunt utplurimum has alvi dejectiones non modo ventris murmura (§. 10.) ſed & *niſus egeſtorii*, atque *contorſiones* abdominis quaſi *torminoſæ*: quin, & *ſtricturæ* ani cum moliminibus excernendi *teneſmoïdeæ* inſequebantur feces jamjam redditas. *Pauciſſimæ a diarrhœa*, vel dyſenteria plane immunes & *liberæ* fuerunt: Et e tot ægris non niſi unica fuit, cui ob alvi conſtipationem, ſed a theriacalibus procul dubio inductam, loco ſuppoſitorii manum cubitumque ſuum ano intruſit veterinarius. Tuſſi increbeſcente ac ingraveſcente *expectoratio* tamen *nulla* ſucceſſit alia, quam quæ per mucum naribus ac ore partim jugiter exſtillantem, partim uno impetu & integris fruſtis rejectum, obtigit.

Caput plurimis *demiſſum nutansque*, non paucis *oculi lippi*, *rubeſcentes*, in profundum *retracti*, aliquibus cum *ophtalmia* ſanguineo-pituitoſa *nubeculæ corneam obducentes* ſpectabantur. Cæterum *aliæ* pedibus *inſiſtebant*, *aliæ jacebant* magis, ægriusque ſurgebant. *Bubonum*, vel *anthracum nihil* quidquam in toto morbi decurſu apparuit.

§. XII.

Denique in *ſummo morbi faſtigio reſpiratio* fuit continuo anheloſa, ſuſpirioſa: *feces alvinæ*, ano jam depluentes magis quam eliſæ, *fœtorem* ſpirabant *cadaveroſum*, & conſiſtentiam quaſi *purulentam*, vel *mucoſo-ichoroſo-purulentam* habuere: *Frigus* corporis *univerſale* & *perpetuum* fiebat: *Nullum plane alimentum* vel appetebant, vel aſſumebant.

PHÆNOMENA CONSEQUENTIA.

§. XIII.

Atque ſic *communiter ſeptimo*, vel *nono die moriebantur*, aliæ *placide* ac tranquille, aliæ *ſub* membrorum *jectigatione motibusque convulſivis* & incondito *mugitu*. Aliquæ *citius*, intra duo ſcil. nycthemera, periere: ſed & aliæ *tardius* die decimo tertio, aut ſeptimo, per adhibita medicamenta, ut videtur, protracta longius vita. *Juvencæ citius* ordinarie, ſed & *funeſte*, abſolverunt morbi ſtadium. *Vitulos* etiam aliquot præmature & ſubito ablactatos, propter luem matrum, languore novimus periiſſe exhauſtos. *Diarrhœa*, quæ in *ſtatu morbi* demum *ſupervenit* pejor atque

exitioſior fuit illa, quæ ſtatim in principio invaſit. *Feces* alvi cum impetu redditæ minus periculi portendebant, quam *defluentes* ſaltem & ſpumoſæ. Quæ ſemel ſtabulum ſubingreſſa *lues* eſt, *ſucceſſive* vel *omnes*, *vel* certe *pleraſque occupavit ſodales*, etiamſi ab ægrotante ſtatim ſemotas; Sed irrepſit illis etiam ſtabulis, quibus nulla vicina adjacebant infecta, & quæ inſuper debite purgata variis imbuebantur fumis medicatis, neque ex his ſtatim a luis in urbem ingreſſu pedem unquam extulerunt vaccæ. Qualiter ſe habuerint luis initium, incrementum, declinatio, & finis, e ſequenti conſtabit tabella, quam e relationibus a Magiſtratu Oppidano communicatis, concinnavimus:

An. 1745. a 22. Aprilis	ad d. 23. Maji.	ad d. 11. Jun.	ad 1. 7br.
Sponte mortuæ, & excoriatori traditæ, ac integræ ſepultæ.	Nr. 18.	7.	A ſumma ſuperſtitum ſanarum defecerunt iterum, & quidem maximam partem ſanæ mactatæ, paucæ mortuæ, in ſumma 168.
Lue affectæ, ſed per lanionem mactatæ, & ſepultæ, detractis coriis.	45.	65.	
Sanæ mactatæ per lanionem in uſus domeſticos.	36.	184.	
Actu lue ægrotantes.	23.	16.	
Sanæ ſuperſtites.	611.	362.	171.
In univerſum, toto luis decurſu.	Sponte mortuæ. 48.	Ægræ occiſæ. 121.	Sanæ mactatæ. 393.

Tres, quos civitas noſtra aluit vaccarum greges in ſumma confecerunt, ante luis ingreſſum, 733. vaccas, & juvencas ſive ut loquuntur, *Rindvieh*. In ſcala præcedenti ſub titulo d. 11. Junii ſuperſtitum ſanarum, non prodiret niſi 339. vaccarum ſumma, ſi vero addantur in anteriore ſcala d. d. 23. Maji numeratæ tum 23. ægræ, tunc ſumma d. 11. Jun. adhuc ſuperſtitum ſanarum 362. exſurgit, ut computatio Magiſtratus

giſtratus

giſtratus habet. Unde ergo demonſtratur a) intra terminum a 23. Maji ad 11. Jun. non mortuas fuiſſe illas 23. vaccas quæ prius ægrotabant, & curæ methodicæ tum ſubjiciebantur, imo potius convaluiſſe, quoniam morbus rariſſime ad decimum ſeptimum diem, vel ultra perduravit: b) E Summa gregum univerſa nunc deficere 562. vaccas: c) Revera paucas e lue mortuas, ſed d) feſtinanter nimis, plures, np. 121. lue affectas fuiſſe occiſas, quarum procul dubio magna pars ſalvari potuiſſet: e) Multo autem plures incertum e lue fatum præoccupaſſe, ſanas adhuc mactatas.

§. XIV.

Ex illis, quæ a morbo convaluerunt, *nulla* fuit, quantum per veterinarios, famularum relationes & proprias reſcire potuimus obſervationes, quæ *ſine medicamentis* fuerit *reſtituta. Salutis* vero *ſpem*, atque ſic declinationis morbi, rariſſime fallacem, *fecere*, appetitus rediens, auctior, lactis generatio indies copioſior, calor æqualis atque naturalis per totum corpus, tranſpiratio auctior, & ſcabiei, in plurimis cruſtoſæ, critica excretio in ubere, dorſo, fronte colloque, quæ dehinc ſanis aliquamdiu perſtitit & denique pedetentim exaruit iterum & evanuit, *cutem* tamen hic ibi *depilem*, & *caudam* inprimis *denudatam pilis*, fœdo adſpectu, diu reliquit. Beneficio talis amplioris *in fronte cruſtoſæ puſtulæ*, ſubinde manantis & recidivantis per plures ſeptimanas vaccam ſuam a lue penitus intactam & ſervatam fuiſſe, non inſulſe judicavit civis quidam Tubingenſis in platea Nicarnia, quæ vocatur, habitans, cum vicinorum ſtabula fere omnia exhauſiſſet dira lues. *Tuſſis* in convaleſcentibus magis magisque pariter ac reliqua ſymptomata, *remiſit*, atque *tandem perfecta* affulſit ſanitas.

Tamen poſt declinationem morbi, *in ſtatu reconvaleſcentiæ*, nonnullæ *vaccæ* diu perſtiterunt *ſceletiformes*, collapſæ *debiles*, ut ſub inceſſu incertæ vacillarent. Imo e reconvaleſcentibus *quatuor recidivam paſſas* novimus, ſed mitiorem prima invaſione ac breviorem, nec, niſi unam ex his recidivam paſſis, occubuiſſe; & ne ſpontanea quidem morte, ſed in cura male tractatam & ſecuri percuſſam occiſamque *Cauſam recidivæ* in liberaliorem paſtum, cum de nulla alia in his exemplis conſtiterit cauſa, retulerunt veterinarii rectiſſime.

Quod *recidivam univerſalem integræ* ac epidemicæ hujus *luis* attinet, quæ alibi, jam per ſeptimanas, menſes annumque extincta, revixit atque recruduit, de hac nondum hic Tubingæ habemus, per Dei gratiam, quod referamus. Confidimus potius fore, ut adſpirante ſupremi ſoſpita-

 toris

toris gratia, & urbis antiſtitum vigilantia, non modo omne, quod hic ibi adhuc deliteſcere poſſet, luis ſeminium ſolicite expurgetur, ſed novo etiam, aliunde invehendo, præcludatur acceſſus. Alienis vero in ipſa Patria exemplis didicimus, luem hanc incautis iterum iterumque obrepſiſſe.

§. XV.

Subſtitit, hactenus minimum, *lues* hæc vaccarum *intra unam* hanc brutorum *ſpeciem*, ſalvo manente caprino, equino, ſuillo, vervecino volucrumque domeſticarum genere. Pauciſſima ſane præſtiterunt apud nos exempla, imo hic Tubingæ nonniſi unicum, communicatæ per *contagium* luis *a vacca in* conſtabulantem *capram*, quæ poſt mortem violentam ſecta exhibuerit cyſtidem felleam turgentem amplamque. Reutlingæ nuper idem accidiſſe meminit Reſpondens. Quod de Gallinis in una domo brevi hic mortuis, & quibus in ſectione fuerint inventæ cyſtides felleæ turgidiores muſſitarunt aliqui, vagus rumor, fide non ſatis dignus habetur. Weilæ in ſylva Fagina, cum præteri a hieme lues vaccarum ibi ſæviret, vir quidam occiſæ ſuæ *vaccæ*, lue correptæ, *inteſtina* projecit *ſuibus comedenda*, quæ vero hinc pariter lue fuerint affectæ & mortuæ. Sub medio luis curſu percepimus ab hominibus fide dignis, *mortuas* fuiſſe inventas *feras* in vicinis lui vaccariæ ſylvis, apros aliquot, imo de cervino genere nonnulles. *Inter homines* toto fere hujus pecorariæ luis tempore *ſiluerunt morbi*, nec epidemice, nec endemie graſſati quicunque ſunt, hic ibi ſporadice ſaltem variis affectibus unus alterve decubuit. Variis *hominibus*, *qui in* alendis & curandis *ægrotantibus vaccis*, lue demortuis, transvehendis, ſecandis, excoriandis, ſepeliendis *occupati* fuerunt & ſpiſſas peſſime olentium effluviorum nebulas inſpiraverant, *omnes* ac ſinguli *ſani manſerunt* ſalvique. *Unus* e veterinariis cum vaccæ conſtipatæ alvum intruſa manu aperuiſſet, *effluviis teterrimis afflatus*, bis ea veſpera *in lipothymiam incidit*, hauſto autem alexiterio perfecte ſtatim convaluit.

Carnibus infectarum, tempeſtive quidem mactatarum boum *veſci* plures faſtidiverunt, non pauci tamen ab earum eſu ſe abſterreri non ſunt paſſi, ſed ſale maximam partem fumoque conditarum, Incolæ ſæpius allegati pagi, Weilæ, avidius adhuc infectæ, vel infectarum certe vaccarum, carni inhiaverunt. *Hactenus* utrinque, quantum conſtat, *ſine damno*.

§. XVI.

Juvantia, ſi querulam moroſamque audias plebem, pauca, quin nulla fuerunt: utpote cum variis & ſæpe contrariis ſummeque noxiis uteren-

uterentur remediis, vel optimis negligenter inhærent, nulla, vel optima, methodus medendi votis ex aſſe potuit ſatisfacere. Sed neque negamus *aliquot vaccas, quæ curæ* a Facultate Medica *præſcriptæ ſubjiciebantur*, nihilominus *periiſſe*. Verum in nonnullis harum, per ſectionem a morte conſtitit, labem quandam viſcerum grandinoſam & phtiſicam fatum e lue acceleraſſe: in aliis oſcitanter a veterinariis adhibita fuiſſe medicamenta, imo alienis & noxiis interpolata: plurimis etiam valde nocuiſſe potum aquæ frigidum, a quo tamen vel vaccæ, febri æſtuantes, ſibi facilius temperare, quam ab ejus exhibitione retineri poterant & veterinarii & vulgus. Ecquis vero vel tandem petendo tam impudens, vel ſperando tam credulus fuerit, qui in gravi lue brutorum hominumve epidemica, omnium atque ſingulorum ſalutem, data quantacunque opera, prætendat reportandam promiſcue?

Juviſſe vero *methodum medendi* a Facultate Medica heic inculcatam, & tabella, §. 13. docet, & ex ephemeridibus, per quatuordecim dies ſtudioſe conſcriptis hinc evincet Præſes, quod e 24 ægris tum vaccis, medicæ curæ ſubjectis, 16. fuerint in integrum reſtitutæ, quatuor, quæ morti videbantur propinquæ, per lanionem mactatæ, ac nonniſi quatuor e morbo ſponte perierint. Poſt examen & tractationem hujus luis per tres ſeptimanas, avocatus in aulam Præſes hujus diſputationis, nec pluribus inſudare obſervationibus, nec continuandæ laudabili methodo invigilare porro valuit.

§. XVII.

Juvantium, an nocentium potius titulum mereantur, quæ vulgus in uſum duxit *varia*, *abſurda*, *invicem pugnantia*, ac *contraria remedia*, facile eſt judicium? Purgantium profecto, oleoſorum affatim infuſorum, nitroſorum largiſſime exhibitorum, elixirium pulverumque ſic dictorum antipeſtilentialium, theriacalium, actu & potentia frigidorum, ſpirituum acidorum aceti alexipharmaci, & neſcio quorum hinc inde jactatorum ſpecificorum virtutes dicam, an noxas? *ſiniſtrum* certe *eventum a potiori* Tubingenſes noſtri ſunt experti. Quamvis enim & hic fuerint bona mixta malis, & illa tamen tempore data non apto nocuere potius, quam profuere. Inter præſidia chirurgica conduxit pluribus inſtituta in principio morbi, aliquando etiam in ἀκμῇ *venæſectio*, libræ unius vel ſeſquilibræ pondere: a iis *ſetaceum* in collo, præſertim e trajecta radicis hellebori nigri recentis fibra.

§. XVIII.

Prophylacticorum remediorum *idem* fere cum curativis erat *fatum*. *Venæſectio* præſervativa, ſtatim ſub acceſſu luis in urbem noſtram pluri-

mis

mis adminiſtrata vaccis, eisque moxmox a reliquarum commercio ſeparatis non plus ad præcavendum, vel tutius ſubeundam luem profuit, quam irrita utplurimum omnis reliqua prophylaxis. Cives aliquot tam hic, quam alibi *nullum plane præſervativum* adhibuerunt, nullamque aliam cautionem, niſi quod vaccas in ſtabulo, bene ſemper mundato, jugiter detinuerint, easque ſervarunt incolumes. Perplacuit Præſidi *pietas fidesque* alicujus *civis Canſtadienſis*, qui ſub dira ſimilis ibi luis graſſatione, ſe unice precibus ad Deum quotidianis, certoque confiſum ſpe ſua hactenus non excidiſſe hilaris deprædicabat. Id vero non minus præcepto & exemplo publico, recitatis nempe *e ſuggeſtu precibus* ad deprecandum Deo grave hoc flagellum, pie confirmatum eſt.

Quæ alias in peſte laudatur *Panacea, cito fugiendi* & tardiſſime redeundi, felici ſe heic etiam commendavit applicatione binis exemplis: alter ex incolis noſtris mox ad primum luis rumorem vaccas ſuas in arcem noſtram, editiore loco ſitam ablegavit, alter in hortum ſuum, in valle Ammerana, vix trecentos ab urbe paſſus diſtantem amandavit, & uterque, in hunc diem ibi ſervatas, a lue omnique morbo ſalvas præſtitit.

§. XIX.

Supereſt e phænomenis, ut ſuccinctam faciamus mentionem, *quæ in ſectis poſt mortem* tam lue defunctis, quam in hujus morbi principio & ſtatu mactatis *inventa* ſunt præter naturam. Duabus ejusmodi ſectionibus tota *Facultas Medica*, docentes & diſcentes, interfuerunt, tertiæ ſolus Præſes, reliquis ſex Dn. Med. Lic. *Brecht*: atque ſic non modo rerum harum minus ſatagens excoriator inſtructus eſt juſſusque omnia manibus atque cultro debite proſequi & in apricum producere, ſed cuncta etiam, quæ p. n. occurrebant, phænomena ſolicite ſunt annotata. Tres inſuper aliæ ſectiones partim præſentibus Medico atque Chirurgo, partim publicis, quos vocant carnium & macelli Inſpectoribus ſunt adminiſtratæ. Omnes illæ vaccæ, paucis a morte horis ſectioni & examini ſubjectæ, *extus* nihil ſingulare, præter *ani* rubentis *procidentiam* in aliis, & *mucum e naribus pendulum* in plurimis exhibuerunt, *nullam* vero utplurimum, quod mirabamur, notabilem *abdominis inflationem* aut turgeſcentiam.

Inciſa *cutis carnesque* ſubjectæ muſculoſæ *colorem* & *conſiſtentiam naturalem* utplurimum ſervarunt. In aliquibus autem, primo etiam biduo vel triduo morbi mactatis *carnes* obſervatæ p. n. *rubentes* ac *liveſcentes*, & in quadam, decimo ab invaſione die mortua, *fœda colorum* flavi, lividi ac nigreſcentis *mixtura inquinatæ*.

Rubedo

Rubedo pupurea livorque, plus minus diffuſi ac profundi, in eis maxime quæ ſponte ſunt mortuæ, tertio ac reliquis ab invaſione diebus, aliquando circa finem primi ſtatim bidui, conſpiciebantur in *inteſtinis*, mox tenuibus & communiter magis, mox in craſſis, mox utrisque ſimul, extus quidem magis, quam intus, ſ. in cavo canalis inteſtinorum: in foliolis, ſ. ſtratis *omaſi*, quibus interjectum pabulum exſuccum, aridum illisque foliolis adglutinatum paſſim tenaciſſime, aliquando friabile fuit, quo, mediante cultro, abraſo, *ſtigmata rubro-liveſcentia* & ſtaſis in reti quodam vaſculoſo ſanguinis dilucide comparebant. *Omnibus* hæc *omaſi inflammatio* ac exſiccatio *communis* fuit, gradu duntaxat in aliis differens. In *reliquis ventriculis raro* occurrebant *inflammationis veſtigia*, uti & *omento*, *meſenterio* ac *peritonæo*.

Hepatis pars convexa frequenti, ſed ſuperficiali magis, *inflammatione rubebat.* Aliquando *renes* etiam & *omentum* ſtigmatibus notabantur inflammatoriis: *Lien*, *veſica urinaria* & *partes internæ*, *generationi inſervientes*, rarius.

Pulmones ſemper (pauciſſimis exceptis) *plus minus inflammati*, in aliis, quæ luem plures ſuſtinuerant dies, *lividi*, *fuſci* imo *nigricantes*, atque ſic gangrænoſi ac ſphacelati fuerant. Aliquando etiam *œſophagus*, *pericardium* & *diaphragma* in ſuperficiebus, nec non *fauces* & *linguæ radix rubebant p. n.* & e ſtaſi ſanguinis inflammatoria. In quadam, decimo morbi die mortua quemadmodum paſſim in corpore inflammationis gangrænoſæ plurima comparebant veſtigia, ſic etiam *cor miris coloribus*, rubro, viridi ac cœruleſcente *defœdatum*, & *trachea* grumo ſanguineo, picei coloris, *infarcta* decem fere pollicum longitudine fuerunt.

Atque hæc fuerunt inflammationis internæ documenta!

§. XX.

Veſicula fellea in aliis naturalem ſervavit diametrum atque plenitudinem, in aliis *flaccida* fuit & magna parte inanis. Vidimus etiam aliquando ſatis repletam turgidamque, aſt ultra dimidium capacitatis ſuæ repletam aëre, manu cultroque nondum attactam, illæſamque. In aliis fuit mirum quantum diſtenta, *turgida*, ampliſſima bileque refertiſſima, unde morbo huic nomen impoſuerunt: *Die Ubergälle. Bilis*, quam continebat, varia pariter fuit conditio: ſcil. in aliis, & frequentius quidem, *nimis fluida*, aquoſa, dilutioris flavedinis: In aliis *viſcida*, tenax & ductilis: *nunquam fœtens*, nec aquæ, fontanæ inſtillata, coagulum, grumeſcentiam, aut aliam, quales alii prætendunt alibi in tali lue obſervaſſe, mutationem paſſa.

 Exami-

Examinavit Præſes *bilem cyſticam*, quam e duabus lue, ante duodecim horas defunctis vaccis domum ſuam apportari curavit, eamque capillaribus tubulis exceptam optimo quodam *microſcopio* exploravit, nihil vero animati, nihil quod motu organicave ſtructura vel umbram animalculi referret, obſervare potuit. Utriusque vaccæ bilis hæc cyſtica cum *ſpir. vitriol.* inſtillato efferbuit, & in fuſco-nigrum coaluit magma, altera plus, altera minus, ab *ol. tart.*: per deliq. altera nullam paſſa eſt mutationem, altera clariorem induit flavedinem. Ipſæ *cyſtides felleæ* duarum vaccarum exinanitæ ac *examinatæ* nulla præbuere ſigna vel inflammationis, vel putredinis.

§. XXI.

Magnus ille, ſ. primus *ventriculus* utplurimum pabulo ſemidigeſto dilutiore repletus erat & diſtentus. *Omaſum*, ſ. tertius ventriculus, aliquando durum & vehementer infarctum tangebatur extus. *Inteſtina* paucis utplurimum fecibus, fluidioribus, naturalibus, aliquando flaveſcente fuſco liquamine, flatibus modice referta. *Tenuia inteſtina* in aliquibus plane vacua & collapſa, in aliis etiam *craſſa* inania ſunt inventa. *Veſica urinaria* utplurimum vacua, ſubinde continuit *urinam flavo-turbidam*, qualis jumentorum eſt. *Lixivioſam*, aut *rutilam* nos quidem non deprehendimus, ſed talem bis obſervarunt alii, in ipſo veſicæ cavo inſpectam.

Hepar aliquot vaccis, e duodenario ſectioni ſubjectarum numero, pallidum ac aliena & chronica labe fuit infectum, tumoribus nempe ſcirrhoſis atque grandinoſis, vomicisque diverſæ magnitudinis, alias etiam hydatidibus. Vomicæ inciſæ eructarunt liquamen purulentum viſcidum. In cujusdam vaccæ ſanguineis vaſis majoribus intra hepar inciſis propullulabant *copioſa inſecta* plana, crucigeri latitudine, pallidi coloris, quæ motu vermiculari ſe contrahentes locoque moventes vitam teſtabantur animalem. An de hirudinum ſic dictarum, *der Aegnen*, ut vocabant adſtantes laniones, & in hepate vaccarum ſubinde nidulantium genere fuerint, an alio non audet determinare Præſes? quoniam ipſe non vidit nec examinare potuit hæc animalcula.

§. XXII.

Cor, pericardio ſeparato, in conſiſtentia ſua & duritie muſculoſa raro mutatum erat, & in thalamis ſuis modo vacuum, modo ſanguine, eoque vel fluido, vel grumoſo, utroque pauco, repletum: *rariſſime flaccidum potius* & molle fuit, (quod veterinariis vocatur *die Herzweiche*) ac ſanguinem ſpumoſum exigua quantitate continuit. In mactatione vivarum adhuc, ſed graviter lue jam laborantium obſervatus eſt *ſanguis*

jugulo

jugulo emiſſus fervidus, brevique conſiſtens & concreſcens: In ſponte mortuis e lue vero *ſanguis intra vaſa majora*, reſpectu conſiſtentiæ ac coloris nullam oſtendit notabilem mutationem: *in minoribus ramis*, paſſim turgidioribus manifeſtam congeſtionem, ſtagnationem atque ſtaſin.

Sebum circa renes in plurimis paucum præſto fuit, alibi etiam *tunica adipoſa* aëre flatuque magis quam pinguedine turgebat, paſſimque rubedine notabatur ac livore. In *medullam* quoque oſſium cavorum aliquando inquiſitum illaque bonæ notæ deprehenſa eſt. *In gravida fœtus*, pilis nondum inſtructus, *ſine labe* aut corruptione externa comparuit in ſede ſua naturali jacens.

§. XXIII.

Multas e vaccis, vel mox in principio, vel in ſtatu morbi, violenter occiſas *ſervari potuiſſe* non teſtatur modo analogia tantundem periclitantium, imo gravius afflictarum, ſubſecuta e medicamentis plenaria reſtitutio & factum apud nos ſemel, vel bis, ten amen emptæ ab alio cive aurei, quem ducatum vocant, pretio, quæ, pro deſperata habita, feliciter medicamentorum ope eſt eluctata; ſed confirmat etiam ſectio inſtituta in variis, quæ, cum uno alterove die ægrotaſſent, occiſæ ſunt, atque viſcera primaria, cor, pulmones, quatuor ventriculos & hepar illibata & nonniſi levem inteſtinorum tenuium ac ſuperficialem exhibuerunt inflammationem. E *tauris admiſſariis unus*, cum appetitu deficere ac torpere cœpiſſet, mactatus plane nullum præbuit indicium vitii in interioribus. Præſes ipſe interfuit mactationi alicujus vaccæ, quæ nonniſi languidiore appetitu, & lactis aliquantilla imminutione aliquam morbi ſuſpicionem hero movebat, in qua pariter nullum luis atque actualis morbi veſtigium in ſectione comparuit, excepta hepatis quadam labe, quod pallidum, duriuſculum & vomicis aliquot oblongis, calloſis, ac partim lympha glutinoſa, partim ſero purulento refertis obſeſſum erat; Sed diu ſane prægreſſam, lente generatam atque ſatis frequenter in tot aliis, cetera ſaniſſimis, obſervari ſolitam nemo hic pro imminente mortis cauſa venditaverit.

§. XXIV.

Denique ad phænomena conſequentia luis vaccarum adhuc referimus *conſtitutionem morboſam & epidemicam inter homines*, quæ remittente ad principium menſis Auguſti, modo elapſi, ac jam ultra 3. ſeptimanas penitus ceſſante pecoraria lue, in noſtra urbe cœpit gliſcere: Scil. experti ſumus ab aliquot ſeptimanis ſporadice graſſantes *affectus rheumaticos*, *fe-*

bres intermittentes, imo & aliquot continuas *acutas purpuramque albam* fatalem, omnes tamen in pauca quantitate. Intermiſcuit vero quoque ſe *dyſenteria rubra*, *epidemica*, *benigna*, tamen magis &, nec valde numeroſis, nec facile funeſtis ſpeciminibus.

In *vicinis* autem *pagis*, *Nehren* & *Walddorff*, *&c.* luem boum dyſentericam brevi inſecuta eſt & comitata ipſa hominum *dyſenteria* rubra, a potiori *maligna*, infantibus atque pueris maxime funeſta. In vicina urbe *Reuttlinga*, quæ diu ibi ſævivit lues vaccarum, jam vero vel tandem ceſſavit, jam a ſesquimeſtri poſt ſe traxit *epidemicam febrem acutam*, *purpuram albam* & graviſſimam *dyſenteriam*.

Avertat DEUS ulteriora mala clementiſſime!

Atque hæc ſufficiant de Hiſtoria luis vaccarum Tubingenſis! Proxime, Deo volente, ſupplebimus quod reliquum eſt de illius Pathologia atque Therapia.

COROLLARIA.

1.

BRuta patefecerunt Medicis notitiam plurimorum non modo medicamentorum ac venenorum, ſed & operationum chirurgicarum.

2.

Plurimi morbi in- & externi ſunt homini communes cum brutis:

3.

Imo jucunda eſt contemplatio analogiæ, quæ Pathologiæ ac Therapiæ regni vegetabilis intercedit cum regno animali;

4.

Dolendum vero, quod veterinarii atque hortulani ſuas obſervationes in uſus medicos convertere neſciant, & Medici plerique hoc objectum vel negligant, vel dedignentur.

5.

Morbus brutorum epidemicus & contagioſus utplurimum in ſua animalis ſpecie manet, nec ad aliam facile tranſit:

6.

Subinde tamen ab una brutorum ſpecie in aliam, vel alias ſe propagat, & ipſos vel invadit homines, vel alio gravi & epidemico proſternit morbo.

7. Unde

7.

Unde patet, an abſolute vera ſint? quæ contendit Helmontius: Peſtis humana non attingit bruta, ut neque vice verſa. Peſtis boum non eſt canum, aut falconum: & nulla harum eſt hominum.

8.

Miratur e ſpecioſis rationibus Virgilius, Georg. L. 3. bobus adeo frequentem & exitioſam, quam vocat, peſtem. Sed ipſe, qui putatur ſimplex, boum victus, gramen, fœnum, fœnum chordam & aqua ſ. fontana, ſ. fluvialis, ſ. paludoſa: nec adeo ſimplex eſt, nec a varia exemptus inquinatione. Quam variæ herbæ pabulo miſcentur, & manifeſte quædam noxiæ? Quam hoc aliquando immaturum, alias acidum, ſubinde putidum, limoſum, malo rore, pruina, &c. contaminatum? Aqua luto, varia amurca, putredine, inſectis, imo & gelido frigore infelta?

9.

Hinc eſt, quod boves non raro & epidemice & ſporadice ægrotent: ipſam ingluviem, a pabulo etiam optimo, ſed nimio, gravibus diſtenſionis incommodis, immo, a ranunculo acri, aliave cauſtica aut venenata planta comeſtis, crepaturæ periculo luant: Alias quoque colicam; diarrhœam, dyſenteriam, teneſmum, hepatis ſcirrhum, vomicas, exulcerationem, magnos lienes, omaſi exſiccationem & inflammationem, pulmonis inflammationem, vomicas, tubercula cruda, hydatides, tuſſim ſiccam & humidam, hydropem pericardii, cordis flaccidam mollitiem & polypos, anginam, vertiginem, hydrocephalum internum, coryzam malignam &c. &c. incurrant ſatis frequenter; Gravidæ vero abortum, difficilem partum, ſecundinarum retentionem, uberum abſceſſus patiantur. &c.

10.

Bruta febriles paroxyſmos, febremque revera, cum iisdem phænomenis, quibus homo invaditur patiuntur Id quod beat. celeber *Stahlius* ex hypotheſi ſua magis, quam rei veritate negavit atque pernegavit in Theor. med. p. 936.

11.

Auctores qui de ſimili boum lue, data opera, ſcripſerunt, ex iis quos novimus, hi maxime videntur evolvendi: *Ramazzini* de contagioſa epidemia, quæ Patavino in agro & tota fere Veneta ditione irrepſit in

 boves:

boves: Giornal. d'Ital. Tom. X. *Langii*, Lucernenſis, *Beſchreibung dès Viehbverſtens, ſo von An.* 2711. *bis* 1714. *in Italien und Teutſchland gewütet*: *Joh. Kanold von der Peſtilenz des Hornviehes von An.* 1706. *bis* 1716. *Frid. Hoffmann Heylſame Vorſchläge in der graſirenden Hornvieh-Seuche*: *Rud. Jac. Camerarius* de Lue Vaccar. Diſputatio, Tubingæ An. 1713. *Joh. Nic. Textor, Verſuch wie die Viehſeuchen wol erkandt, præſervirt und curirt werden ſollen*, An. 1739. Hoc anno, idiomate Belgico impreſſa tractatio de ultima lue boum in Hollandia.

12.

Optandum eſt, ut exploratis ſolicite hujus aliusve luis cunctis phænomenis, una certa quædam methodus medendi in plurimis ſubjectis tentetur, diu, & frequenter: Hac autem votis non reſpondente, alia curandi ratio, ſub eadem conditione, ineatur, ut tandem per inductionem logicam, & quam plurima, ſi non plane omnia conſtet exempla, quænam optima ſit methodus?

AD

AD TOMUM VI.

DE MORBIS CORPORIS UNIVERSITATEM OBSIDENTIBUS.

CCLXXIII.

FRANCISCI THIERI,

THESIS IN HÆC VERBA

AN IN CELLULOSO TEXTU Frequentius morbi & morborum mutationes?

Pariſ. 1757. *Dec.*

§. I.

TUnica, vel tela cellularis, melius textum celluloſum maximam corporis partem efficiens, ſic vocatum quod cellulis innumeris ad ſe mutuo patentibus ſit conflatum, multo majoris quam huc uſque viſum eſt momenti; ut in ſanitate multiplicem uſum præſtat, ſic in morbis maximas partes agit. Cellularum texti illius fabrica laminulis conſtat a ſe invicem ſejunctis, nervis, vaſculis omnis generis interjectis, inter quæ ſunt infinito numero quæ humorem eructant lymphaticum varium, pinguem nempe, mucoſum gummi vegetantium ſimilem, ſeroſum variæ conſiſtentiæ, areolas incertæ figuræ & amplitudinis diſtendentem, quæ tamen abſconditæ interdum & quaſi inanes, flatu vel maceratione magis conſpicuæ fiunt: ipſæ vero laminulæ majores, minoreſve cujuſcumque latitudinis, quaquaverſum obverſæ quaſi temere diſponuntur. Solidas autem non cavas eſſe ſuadent injectiones quibus imperviæ ſunt, dum cellulæ omnes injecto liquore turgent ac diſtenduntur, ſive per majores arterias, ſive per venas injectiones fiant; unde etiam vaſa exhalan-

halantia ſimul & abſorbentia in cellulas aperiri edocemur. Laminulæ porro iſtæ ad fibroſam naturam referendæ, fibræ ſunt tenuiſſimæ, breviſſimæ item, ſed utcumque planæ ac in latitudinem majorem minoremve expanſæ. Inde ab altero fibrarum genere diſtinguuntur, hæ nempe multo longiores, nullius fere latitudinis ſunt, ad quas muſculares, tendineæ, nerveæ referuntur. Quam late autem ſe diffundat cellulare textum facile intelliges ex quo videbis ex illo fere efformari quodcumque non fibra longa eſt, nullamque longiorem fibram quamcumque in partem protendi quin texto cellulari ſtipetur; nec illud partium ſuperficie tenus ſiſti, ſed in illarum omnium penitiſſimos receſſus inſinuari, ita ut ne minimæ quidem fibrillæ longæ ſua deſit vaginula celluloſa. Unde cogitare ſuberit totum corpus animale meram eſſe ſpongiam quæ per meatus ſuos fibris longioribus quacumque ratione efformatis aditum tranſitumque præbeat. Hujus aſſertionis veritatem comprobabit ſingularum partium ſedula obſervatio.

Detracta cute tibi ſtatim occurrit textum cellulare laxum, amplum, humore pinguiori ſcatens, quod veteribus panniculus adipoſus, carnoſo quem homini falſo tribuebant, panniculo ſuppoſitus; membrana dein muſculorum communis a nonnullis vocatum; nunc vulgo, ſub cute & ubicumque pinguius eſt, ut in omento, circa renes, &c. membrana adipoſa, aptiori appellatione dicitur. Hoc cellulare textum non ſolum univerſum corpus perinde ac cutis veſtit, ſed muſculis, tendinibus, ligamentis, &c. ubi indumentum exterius præbuit, ſingulis quibus hæ partes contexuntur fibris longis ſe adjungit, tenerius, & minus pingui, prout intimius eſt, liquore madens; tuncque membrana, vel tunica cellularis pro varietate figuræ & functionis vocitatur. Ad vaſa deinde cujuſcumque generis oculos adjicias, paucis fibris longis exceptis, membranas quibus formantur mere cellulares reperies, exterius laxiores & ſæpe pingues, ſtrictiores vero quo intimiores ſunt. Sic viſcerum & glandularum fabrica maxima parte celluloſa eſt, cum nihil aliud ſint quam vaſculorum cujuſcumque generis in glomulos implicatorum congeries. Quin etiam glandulæ & viſcera cellulari textu involvuntur mutato a membranis quæ cava, ventres corporis vulgo appellata, ſuccingunt. Peritonæum nempe quamcumque in partem producatur, expandatur, tela cellularis ambit: ac proinde omnes abdominis viſcerum membranas quæ totidem ſunt peritonæi propagines: amplior quidem, laxior ac pinguior in omento, meſenterio, meſocolo, alibi macrior, ut ita dicam, atque ſtrictior. Inteſtinorum tunicæ, ſi muſcularem exceperis, quæ tamen tenuiſſimam ſuam habet celluloſam, mere cellulares ſunt, cum nervea ſic dicta tunica, hic ſicut & alibi, cellularis ſit ſtrictior, & deinde villoſa præter vaſa impleatur ſpongioſa quadam ſubſtantia quæ vaſcula nectit & ordinat. Fabricam ſimilem agnoſcunt tunicæ ventriculi, veſicæ fellis & urinæ, ductum biliariorum,

rum, ureterum, &c. De pleura, idem dicas in pectore, ac de peritonæo in abdomine. Pulmonem ipſum mere celluloſum eſſe demonſtrant vaſorum quæ habet infinitus prope numerus, viſceris habitus, tum experimentum facile; quamcumque enim pulmonis particulam infles, flatus omnem perambulat pulmonem; certo argumento conſtare illum texto, cujus partes omnes mutuo inter ſe patent, proindeque cellulari. Arachnoïdes, tum pia mater quæ per cerebrum, medullam ſpinalem, indeque per totum nervoſum genus propagatur, mere cellulares ſunt, ſed denſiores. Dura mater, cutis ipſa & denſiſſimæ aliæ membranæ, maceratione, flatu, non adeo multis fibris longis remanentibus in celluloſum floccoſumque textum interius latens abeunt. Illud præterea reperies in membrana pituitaria, cornea, in capſulæ cryſtallinæ anteriori parte, ſinubus lateralibus oſſis ſphenoidis, in lingua, labiis, pilorum radice, corpore vitreo oculi, ubi tenuiſſimum eſt, inter duram matrem & vertebrarum canalem, in corporibus cavernoſis penis, clitoridis, quæ cruorem in ſtatu naturali effuſum recipiunt, &c. ubique, ne oſſibus quidem exceptis. Horum ſcilicet, haud ſecus ac partium mollium ſubſtantia, duplex fibrarum genus admittit, unum ex fibris longis, alterum ex laminis conflatum. Cavitates præterea majores, minoreſve, quibus conſtant, duplici cellulari fabrica inſtruuntur; oſſeam quippe in extremis & ipſis penetralibus membranaceam ſubtiliſſimam habent, in qua liquor oleoſus continetur, medulla dictus. Copioſius eſt cellulare textum & amplioribus laminis cellulisque efformatum in magnis muſculorum & partium interſtitiis, ubi oſſa eminent, ad partes quæ per vices dilatari & conſtringi debent, ubi motus & attritus maximi. Uteri, mammarum, aliarumque partium dilatabilis natura ſpongioſo texto debetur. Laxum, adipoſum, ſenſum amittit, an retinet ubi ſtrictius eſt?

Syſtematis cellularis autem cavitates ſibi invicem pervias eſſe demonſtrant cum experientia ex ſufflato aëre vel liquore injecto, quo utroque cellulæ vel remotiſſimæ illico diſtenduntur, tum ipſa autopſia. Vaſa enim & ſingulæ partes dum per varia corporis loca progrediuntur, ſinguli cujuſque membri tunica cellulari exterius induta univerſi ſyſtematis illius fruent commercio. Sic vaſa iliaca, ſpermatica in viris, in fœminis ligamenta rotunda, urethra, inteſtinum rectum, &c. dum abdomine exeunt celluloſam telam peritonæi ſecum adducunt eamque cum pudendorum & partium inferiorum cellulari perviam reddunt. Secundinarum vero, & abdominis exterioris, cellularem fabricam in commune nem trahit funiculus umbilicalis. Sic etiam aorta, cava vena, par vagum, ductus thoracicus, vena azygos, dum in thorace adhuc ſunt cellularem pleuræ, in abdomine vero eam peritonæi circumjectam habent, quas ergo continuas fieri neceſſe eſt, ubi per ſeptum tranſeunt. Alia loco quibus cellularium peritonæi & pleuræ, harumce

vero cum celluloſis thoracis & abdominis exterioribus mutui ſint aditus ſectiones tibi oſtendent. Ex ſupradictis etiam celluloſæ capitis & extremitatum ſuperiorum cum illis medii & infimi ventris commercium demonſtrabitur. Trachea præſertim arteria cellulares capitis, colli & pectoris mutuo pervias facit; œſophagus huicce commercio ventriculum addit, adeoque abdomen univerſum. Demum, ubi cutis in ore, naribus, oculis, &c. non tam perforatur quam intro reflectitur, cellulares externas cum internis fieri continuas manifeſtum eſt.

Jam quis ſit uſus texti illius cellularis tam exquiſito apparatu ubique in corpore profuſi facile concipitur. Primo ſiquidem partes multæ ex eo ſolo formantur, aliæ ab aliis diſtinguuntur, partes corporis à ſe invicem remotiſſimæ, continuantur & una conſpirant, vacua oppleantur interſtitia, ſingularum partium determinantur figuræ, fibræ longiores firmantur, ac veluti molli tomento ita fulciuntur, ut à ſe invicem divelli ſine ruptura queant ac rurſus appropinquari: inde partes extendi, relaxari, conſtringi poſſunt pro rei neceſſitate, & omni machinæ firmitas, mollities, mobilitas ſimul & elegantia conciliantur. Vix ſine textu celluloſo contractio muſcularis ſperanda eſſet. Vix ſine illo ulla fieri poſſet ſecretio; vaſa ſiquidem diſtinguit, nectit, ordinat, in glomerem & infinitas figuras ducit, quæ alioquin rectam ſequerentur lineam: hoc ſi reſeces, glandularum, organorum ſecernentium, & excernentium apparatum deſtrui videbis, ſimulque collabi varia quæ bili, ſpermati, urinæ, &c. dicantur receptacula. Deinde mollis adeps per ſuos ductus in cellulas exſudans partes lubricat, frictiones minuit, ab ariditate præſervat & frigore; ex omento porro, meſocolo & meſenterio redux præcipuam facit ſecernendæ bilis materiam. Præterea in ſanguinem reſorptus acre temperat & maximæ utilitatis eſt in exercitiis diu continuatis & inedia. Cæterum in fœtu celluloſæ loco gelatinam eſſe, pinguedinem pauciſſimam; hanc copioſiorem eſſe fœminis quam viris compertum eſt: homini fluidam eſſe, nec ut in brutis ſolet, concreſcere, niſi poſt mortem. Medulla vero, tenuiſſimo quo intime penetrantur oſſa oleo, ſolidiſſimis hiſce partibus cum levitate firmitatem conciliat, ut ex analyſi chemica conſtat, fragilitatem arcet & liquido mixta *mucaginoſo* axungiam facit, qua articuli lubricantur. Liquoris autem ſubpinguis ope & ſubtiliſſimi in cellulas perſpirabilis vapore, fibræ & membranæ â concretione præſervantur. Tandem humor mucoſus in cellulis tanquam in promptuario aſſervatus hinc quaquaverſum meabilis toti corpori in alimentum cedit, & varie concretus partium ſolidarum molem auget. Nutritionem enim & incrementum in partium interſtitiis, adeoque in celluloſo textu magis quam intra vaſa fieri multa ſunt quæ ſuadeant. Motui porro quo pinguedo aliique humores in cellulis etſi tardiſſime circumferuntur, fibræ carneæ, tendineæ, membranæque validæ hic ſparſim interſitæ famulantur, ut & ambientium actio,
præſer-

præſertim muſculorum & arteriarum. In hoc autem texto à ſummis (*) Viris haud ita pridem accurate deſcripto, morbos, & morborum mutationes ſæpius fieri arguunt tum ipſius fibroſæ compagis quantitas, tum cellularum mutuo inter ſe patentium numerus, quibus materia morbifica quæcunque contineri, foveri, & unde e loco in locum moveri poſſit.

§. II.

Morbi ſiquidem vel cum materia fiunt, vel ſine materia. Primi pendent à mutatis quantitate, loco, proprietatibus humoris cujuslibet, vel a materia noxia extrinſecus adveniente. Alii in ſolidorum vitiis potiſſimum conſiſtunt, ad quæ tenſio, craſſities, &c. auctæ minutæve referuntur. Morbi autem qui cum materia fiunt præ aliis varias mutationes ſubeunt. Vel priore ceſſante morbo novus exoritur, vel remanenti nova & graviſſima ſuperadduntur ſymptomata: vel ex diuturno acutus fit, ex acuto longus, ex levi graviſſimus & è contrario. Quæ quidem mutationes à varia materiæ morbificæ indole & alteratione pendent, ſed potiſſimum à mutato ipſiuſmet loco; inde criſis, lyſis, diadoche, metaſtaſis. Porro cum morbi omnes mechanice eveniant, neceſſum eſt pariter morborum mutationes mechanice fieri. Principium enim internum, ferme incorporeum excogitatum, quod naturæ vulgari & tam decantato nomine, morbos amoveat, ſolvat, permutet, admittere non ſinunt motus erronei, inutiles, noxii adeo ſæpe in morbis obſervati. Sed omnia eo redeunt, ut leges & ſtructura quibus initio corpus humanum creditum fuit, vigeant etiam in ſtatu morboſo, effectuſque ſuos edant, conſtantes quidem, ſed promiſcue pro re nata inutiles, ſalutares, noxiosve. Sic febres quæ à primariis cauſis alterni motus cordis ut effectus ſecundarii fluunt, utiles quidem ſunt ſi humores viſcidi & ad acidum vergant, noxiæ vero ſi jam nimis ſoluti ſint & acres. Sic & hæmorrhoïdes non ex conſulto ſed mechanica neceſſitate eveniunt, cum in earum formationem multa concurrant, quæ alio primitus ſpectabant: inde per ſe ſemper noxiæ, fortuito utiles ſunt. Nec etiam febres, hæmorrhoïdes, vomitus & alia

 hujuſce-

(*) Imprimis Marcell. Malpigh. de Omento & Adipe. Lewenhoek in experim. & contemplat. epiſtol. phyſiolog paſſ. Freder Ruyſch. Epiſt. I. adverſar. Decad. II. & Theſaur. Anatom paſſ. Herman. Boerhaav. Inſtit. Med. de omento, cute & præfat. Aprodiſiac. Joann. Bapt. Morgagni in adverſ. Anatom. II. Animadv. V & VI. Adverſ. III. Animadv. II. Jacob. Douglas. de Periton. Winſlow Expoſit. Anatom. Traités du B. ventre, des Tégumens, &c. Abrah. Kaw. Perſpir. Hipocr. Cap. XXXIII. & paſſ. Wyeri Guilielm. Muys muſculorum artificioſa fabrica paſſ. Bernard. Siegf. Albin. in Hiſtor. muſcul. homin. p. 8. & ſeqq. Academ. Annotationibus lib. III. cap. I. & X. &c. Albert. v. Haller in Notis Inſtit. Boerh, & Prim. Lin. phyſiol. cap. I. II.

hujuſcemodi eo tempore quo maxime utiles eſſent perpetuo eveniunt, ſed ſæpius quo abeſſe magis optandum eſſet. Quæ igitur in ſtatu morboſo accidunt ea tanquam ſyſtematis aliunde ſapientiſſime conditi incommoda videri debent. Inde veriſſimum illud Aſclepiadis (*a*) effatum, naturam non ſolum prodeſſe ſed etiam nocere. Inde per textum celluloſum variæ fiunt in morbis mutationes quæ non magis ad proſperas, quam adverſas res ægrotantis, ſed promiſcue ad alterutras vergunt.

§. III.

Porro ut incipiamus à texti celluloſi morbis qui cum materia fiſunt; pinguedo ſi nimium augeſcit, partes comprimit, fibras relaxat, vaſa anguſtiora reddit; cordi obices ponit, motum & ſenſum animalem tardat & minuit, varias lædit functiones (*b*), Et adeo aliquando in toto corpore creviſſe viſa eſt, ut inde corpus immobile fere redderetur, & artuum muſculi, cor ipſum & alii muſculi cavi, ad ſimplicis membranæ tenuitatem redacti, deficere prorſus viderentur; oſſa interea exilia quaſi fetuum eſſent, dum partium mollium in immenſum moles creſceret: adeo celluloſa membrana dilatari apta eſt, partium vel ſoliſſimarum detrimento. Fit etiam ut pinguedo ubique luxurians, liquidis mixta circulantibus, variis in cavis deponatur; ſi in corde in fruſta majora poſt mortem reperta concreſcat, obſtaculo inſuperabili ſit cordi, vaſiſque magnis, ideoque ſubito (*c*) interimat. Contra vero medulla quæ in cellulari oſſium raro abundat, aliquando omnino deeſt ex inedia, morbis longioribus, ſenio, exercitiis vehementioribus, unde facilius ea franguntur; dum vero corrumpitur, pædartrocace, dirique oſſium morbi oriuntur. Articulorum porro axungia ſi augeſcit, oſſa e ſede ſua facile dimoventur; ſi minuitur, aut concreſcit, ſtrepitus fit, rigiditas, demum anchyloſis. Quibus vero celluloſæ membranæ in toto macilentæ ſunt, iis vaſa ſanguifera replentur; pulſus magnus, fortis, ſenſus exquiſiti, motus promptiſſimi, acuti morbi frequentiores. Si texti ſpongioſi cellulæ fere omnino deplentur & exinaniuntur, atrophia eſt: vaſis ſanguiferis interea ſæpius ſatis plenis: cujus vitii genus cerebrum participaſſe haud, quod ſciam, unquam viſum; cum ejus cellularis ſubſtantia halitum ſubtiliſſimum, pinguedinem vero in ſtatu ſano, non admittat. Sinæ & Ægyptii

(*a*) Ap. Cæl. Aurelian. p. 45.

(*b*) Boerhaav. It. Morb. Hiſtor. Bonet. Sepulchr. Anatomic. Lib. II. Sect. I. obſ. 46. 103. Sect. II. obſ. 15. 35. 45. Lib. III. Sect. I. obſ. 7. Sect. XXI. addit. obſ. 80. 88.

(*c*) Hippocr. Aphor. 44. §. 11. Bontii medicin. Ind, obſ. 8.

tii dum obeſitatem ambitioſius exquirunt, noſtrates præſertim mulieres, gracilitatem nimiam affectant. Tutior eſt mediocritas, qua, corpus nec craſſum nec tenue nimis, functionibus conſtanter obeundis ſit aptiſſimum. Cæterum adipem ex morbo, ubicumque tela cellularis eſt, in ſcroto, pene, ovariis, cerebro, &c. deponi, ſectionibus conſtitit. Præterea pinguedo cito & multum à propria indole abſcedit, ut ex brutorum & hominum ſectione edocemur. Præcipuum tineæ ſubjectum eſt (*d*) in qua inſtar ſeri liquidiſſimi diffluit. Putrida fit etiam, rancida: ſummus in cancro corruptionis gradus eſt; acre morboſum, virulentum, heterogeneum, quod ſemel ſuſcepit, tenaciter retinet: nec ullum in corpore vitium novimus quo non infeſtetur. Inde lepra Arabum, elephantiaſis Græcorum, lues venerea, plica Polonica, varii pilorum morbi & cutanei maxima parte pendent.

Si texti ſpongioſi cellulæ aërem elaſticum admittunt, fit emphyſema cujus frequentia in carnariis tibi exempla occurrunt, laniis in recens mactata animalia folle aërem adigere ſolitis, ut commodius & elegantius inde membra diſſecent, & innocenti quidem artificio; quod etiam in fraudem adhibent mangones dum viva ſic inflata pro ſaginatis & bene valentibus, aëremque pro carnibus vendunt. Emphyſema itaque tumor eſt indolens, non difficile quidem cedens digitis, ſed brevi rediens, ſonitum reddens, & totius partis imminuens ſpecificam gravitatem. Externæ cauſæ ſunt animalium quorumdam morſus, vulnus in quacumque corporis parte inflictum cutim penetrans ad cellulas uſque, ſi aëri ſemel admiſſo egreſſus prohibetur. Calore enim expanditur, per ambientes cellulas vias ſibi facit; qua arte mendici variis in corporis partibus tumores excitant. Sæpius tamen empneumatoſin producunt aſperæ arteriæ, thoracis vulnera, dummodo anguſta ſint, tortuoſa; levem quidem thoracis ſimplicia; horrendam viſu ſi pulmoni ipſi vulnus leve, anguſtum inflictum ſit: tunc humana perit figura, ac novo aëre perpetuo in omnes cellulas adacto homo quaſi ſepelitur. Viſus eſt aër totum repleviſſe hominem, ad undecim pollicum altitudinem, exceptis planta pedum, vola manuum, parte ſuperiore capitis (*e*) ipſa etiam vitrei celluloſa, bullas aëris in ſectione emittente. Nec tamen ut emphyſema fiat vulnus externum ſemper requiritur, cum ex fractis coſtis (*f*) illæſa cute, ex ulcere & adhæſione pulmonum cum muſculis intercoſtalibus, ex diſciſſo œſophago illud naſci (*g*) compertum ſit. Intus porro humores in cava effuſi, putreſcentes, aërem extricando elaſticum reddunt, ſic docente chemia & inſuper ſub-

(*d*) Bayl. probl. Med. Phyſ. 87.
(*e*) Littr. A. R. Scient. ann. 1713.
(*f*) Ibidem.
(*g*) Boerh. Ia. Morb. Hiſtor.

merſorum exemplo quorum cadavera, ubi putruerint, ſupernatant. Aërem porro in corpore augent, vel ſenſibus obvium reddunt flatulenti cibi, potus fermentans, vires imminutæ præſertim concoctrices, ſuppreſſa perſpiratio, venena plurima, febres nonnullæ, ſuctio, atmoſphæra ſpecifice levior. Hinc nullæ in corpore cellulares ſunt quæ non peculiari empneumatoſi aliquando laborent, ut aliunde ſymptomatis conſtat & ſectionibus. Inter viſcera lien qui maxime celluloſus eſt, magis a flatibus frequenter diſtenditur, & aliquando rumpitur. In cadaveribus, dum corrumpi incipiunt, penem aliquando arrigi, quod imperitis ſæpe prodigio fuit, ex ſupradictis etiam facile intelligitur; tum & vivo homini cavernoſa corpora flatulento halitu diſtendi poſſe; hypochondriacis præſertim, adeo incertæ, vel noxiæ veneris vana ſpecie, ſic aliquando miſere deceptis.

Deinde aquæ intercutis vera ſedes textum celluloſum eſt: ſiquidem anaſarca & leucophlegmatias loca (*h*) *inania* occupant & quæcumque in aliis *vacua* ſunt in hujuſmodi ægrotis opplentur. Aquæ intercutes pleræque ab iliis (*i*), & a lumbis incipiunt, cum nullibi celluloſa copioſior adſit: mox exterius ſcrotum & palpebræ tument; quod in his cellulares pinguedine vacuæ ſint: pedes, brachia deinde, collum, facies tumeſcunt, genæ leviſſimo motu indecore tremunt, totumque corpus pituita impletur, ne quidem exceptis corporibus cavernoſis penis. Inde ægris ſimul ineſt pallor, ſpirationis difficultas, tuſſis; inde etiam ſegnes, pigri fiunt & effœminati, difficillime ſudant & a cibi mole exigua multum inflantur. Vola manuum, & planta pedum quæ aëris aditum recuſant, aquam haud difficile admittunt: ſtagnatio ſeri ſic ita ſponte efficit, quod in adminiſtrationibus anatomicis longa maceratio, ſcilicet, ut denſiſſimæ membranæ in ultima fere elementa reſolvantur. Leucophlegmatiæ hydrops (*k*) ſupervenit: mortuorum autem frequens ſectio oſtendit cellulares omnes laxatas, aqua madeſcentes, muſculorum inde faciem mutatam, partes ſolidas translucidas, tremulas veluti gummoſas, adipi gelatinam ſubſtitutam. Morbum producunt animalculorum morſus, copioſus frigidæ potus continuus, pravus cibus, quæcumque acceſſum liquidi in cellulas promovent, receſſum vero prohibent. Cæterum nonnumquam & exigua in parte homo aquam intercutem patitur ut in capite, pulmone ſolo (*l*) aut jecinore, aut liene: ſed omnium frequentiſſime in ovariis, teſtibus, omento, meſenterio, inter muſculos abdominis & peritonæum & in omnibus peritonæi duplicaturis. Quam varii inde oriuntur effectus! Hinc ligamenta hepatis laxata infra coſtas deciduum palpanti offerunt viſcus alioquin

(*h*) Aretæus de diutur. morb. Lib. II. Cap I.
(*i*) Hippocr. prænot Sect. 8.
(*k*) Hippocr. Aph. 74. Sect. VII.
(*l*) Aret. Ibid.

quin ſanum. Hinc ventriculus, lien, uterus, &c. ſede ſua naturali relicta, varia hypogaſtrii loca occupant. Hinc membranæ inteſtinorum, veſicæ urinæ, fellis, multo craſſiores fiunt & cavitates anguſtantur. Duodenum præſertim cum copioſiori conſletur celluloſa, flatibus vel aqua turgidum varias facit ægritudines, quæ ventriculi, hepatis, pancreatis, morbis male adſcribuntur. Herniarum multa genera huc quoque pertinent. Sic etiam dum cornea oculi, tympani membrana ſero madeſcunt, viſus, auditus minuuntur, &c. cacochymia eſt anaſarca incipiens; œdema hydrops cellularum cujuſque partis.

Situs vaſorum in tunica cellulari, mollities eorum quæ præſertim per pinguedinoſam ſerpunt; amplitudo ductuum adipoſorum & facilis per eos ſanguinis admiſſio, cellularis vitia quibus neceſſario vaſa infeſtantur, efficiunt ut externis interniſque cauſis, in celluloſam, ſæpe cruor effundatur. Inde Ecchymoſis, aneuryſma vulgo dictum ſpurium, varii nominis exanthemata oriuntur, quæ ſede & natura ſimilia, nonniſi gradu differunt, & inflammationi proxima ſunt. Inde duplex inflammationis genus forſan admittendum venit, pro duplici, quo ſanguis ducitur, errore loci: primum, in quo vaſa lymphatica, a cruore diſtenduntur; alterum in quo, extra vaſa, adeoque in circumpoſitæ telæ interſtitiis, ſanguis deponitur. Prius cum altero ſæpe conjungi ſuadet ratio: poſterius autem in omni inflammatione perpetuum eſſe demonſtrat autopſia. Porro cum errore loci, majorem arteriarum nervorumque vim intendi neceſſe eſt, ut fiat inflammatio; cum ſi in parte quavis placide & abſque ignis ſenſu ſanguis divagaretur, hanc ſuggillatum aut alio nomine, haud vero inflammatam diceres. Plegmone porro potiſſimum cellulares adipoſæ, ſtrictiores aliæ eryſipelate afficiuntur. Inflammatio & ſuppuratio nuſquam tenacius (*m*) hærent quam in adipe. Puri autem in celluloſa fiendo conducit maxime hujus membranæ indoles, quæ facile diſtendi, intumeſcere, ac diſrumpi poteſt: tum argumento ſunt pinguedinis grumi ac cellularis fruſta, quæ ex parte ſuppurante manifeſte prorumpunt. Idem ſuadent puris proprietates; album enim, læve, tenax, ſubpingue, his dotibus maxime cum pinguedine convenit. Ex macerata in aqua pinguedine, ad putredinem uſque, ſecedit ad fundum vaſis (*n*) materies albicans, tenax, aquæ fundum petens, puri ſimillima. Theoriam hanc illuſtrat ſuppuratio in viſceribus & glandulis tarda, difficilis, cum his paucæ, macilentæque celluloſæ inſint, nunquam laudabilior & citior quam in muſculoſis & magis celluloſis partibus; jugis & vix cohibenda in omento, meſenterio, in lumbis. Advertas etiam puris depravationem in ichorem, ſaniem, ubi ſanguis vel ſerum pinguedinis materiam aut æquat, aut ſuperat:

(*m*) Boerh. Et Doctiſ. Comment. Aphor. 374.
(*n*) Graſhuis. Diſſert. de Pure. F. 25.

ſuperat : multis aliis eadem hæc firmantur ; ſcilicet lympha ſerumque motu inflammatorio coagulantur nec proinde pus fieri poſſunt : tum humor ſubpinguis perpetuo in celluloſas depluit , unde puris copioſa productio etiam ubi ſanguifera jam ſatis libera ſunt , nec partis laborantis adeo magnæ jacturæ fiunt : deinde ſubpingues materiæ a ſtagnatione , puri quid analogum exhibent , teſtantibus ſenum & infantum oculis. Pinguedo per febres contrita , ſoluta , ſanguini mixta vel ex eodem non ſecreta , materiam morbi implicitam ſæpe trahens , jam ceſſante erethiſmo cum criticæ ſecretiones adveniunt , per ſedes , urinas &c. deponitur , quam primo intuitu ſincerum pus exiſtimares. Hinc adeo apud veteres exoptata concoctionis ſigna quæ puriformem materiam referunt. Ergo puris præcipua materies pinguedo eſt , & pars conſervans , colligens , fovens pus & coquens celluloſa eſt. Hanc eti m gangrænæ ſedem eſſe arguunt tum locus ſuppurationi & gangrænæ neceſſario communis , tum magna panniculi adipoſi fruſta (*n*) quæ in gangræna ſecedunt. Sphacelus , quo interiora corporis præſertim conſumuntur , tum ſkirrus eundem locum occupant , & ſi quæ alia ſint quæ inflammationem ſequantur.

Cum vero cellulares nonnullæ una cum pinguedine vel muco vitiatis indurantur , calcſcunt , varii tumores fiunt : grandines , tubercula , clavi , ganglia , ſtrumæ , vomicæ , atheromata , meliccrides , ſteatomata , & tumores illi enormes cyſtici , hydropem mentientes vel etiam facientes , celluloſas manifeſte occupant ; ut frequens obſervatio docuit , in peritonæi duplicaturis , omento , meſenterio , ovariis. Nec a ſupradictis minoribus tumoribus vix differre videntur hydatides , niſi quia in celluloſis ſtrictioribus , nec induratis locum habent ; proindeque non materiam ſebaceam , ſed ſerum continent. Porro ſi in muſculorum cellularibus humor ſalino terreus deponitur , ut ſcorbuticis familiare eſt , muſculi vario modo degeneres indurantur , ſternomaſtoidei exemplo , unde caput obſtippum redditur : ſi in nervorum cellulari , fit paralyſis : ſi demum in glandularum membranas tale vitium inducitur , loco naturalis fabricæ , informem maſſam cartilagineam , tophaceam , materie pingui , oſſea , arenoſa , &c. varia admodum repletam , ſectiones exhibent. Deinde ſi humoribus circumeuntibus aliqua inſint vitia , his celluloſum textum ſenſim infici neceſſe eſt. In illo quidem perſpirationis Sanctorianæ imminutæ ſuppreſſæve materies potiſſimum ſtabulatur ; cum inter vaſa cutis exhalantia , celluloſæ telæ perſpirantia , humoremque intus & extra perſpirabilem maxima ſit analogia. Cutis vitia , ſcabies , impetigines , &c. repercuſſa , acre rheumaticum , arthriticum , ſcorbuticum , varii excrementitii humores , ex organorum ſecernentium morbis in ſanguine retenti , bilis & urina potiſſimum huc etiam confluunt ; cum ſi hæc craſſa ſint , celluloſæ poros

ductuſve

(*n*) WANSWIETEN *ibid.*

ductuſve adipoſos facile penetrent, quippe ſatis amplos, ſi tenuiora alios tenuiores. Inde ſeroſæ colluviei (quidquid ſecum (*o*) deferat) ſedes præcipua textum celluloſum eſt. Hoc morborum capaciſſimum quaſi nidum eſſe omnia ergo ſuadent; quandoquidem cavitatum ſummam in ſyſtemate celluloſo longe ſuperare ſummam cavitatum vaſculoſi, edocent in majoribus partibus prima inſpectio, in minimis ars Ruyſchiana. Vitia quæ nequeas in humoribus circumeuntibus ſæpius perſpicere, in cellulari manifeſta ſunt. Ab acri in fibrarum interſtitia impacto humore irritatio & dolor potius quam ab eodem in vaſis contento. Acrem, heterogeneam, morbificam quamlibet materiam, qua facile ſeſe vaſa extricant, cellulares accipiunt, retinent. Motus continuus, validus in vaſculoſo ſyſtemate omnia miſcet, putredinem impedit: hanc juvant in celluloſo calor lenis, ſtagnatio, locus dilatationi aptiſſimus. Mirum quam varia & multa vel ex natura vel ex morbo huc undique confluant! aqua, ſanguis, lympha, pus, ichor, ſanies, mucus, pinguedo, humor ſubpinguis, perſpirabilis, excrementitius, aer elaſticus, uno verbo cujuſcumque generis heterogenea. Paucis more ſuo celluloſum opus indigitavit Hippocrates (*p*) his verbis: „ Quidquid non coaluit, „ ſive pellicula, ſive carne contegatur, cavum eſt. Impletur autem „ dum ſanum eſt ſpiritu; dum ægrotat ichore ".

Alia celluloſæ fabricæ vitia ſunt quæ ad ipſius ſolidum magis ſpectant. Quippe vel ſtricta, vel relaxata nimis eſt, tenuior etiam vel craſſior: quæ ſimilia vitia in fibras longas, vaſa, viſcera, in cellulari quaſi natantia & immerſa neceſſario inducunt. Vix ullum in viſceribus vitium ſectiones uſquam monſtravere, quin ſimul celluloſa, ampla, duriori, craſſa, miro modo degenere veſtita & incluſa reperta ſint. Præterea partium inter ſe præter naturam connexiones cellularis vitio plerumque contingunt, quæ nempe vel abeſt ex ſuppuratione; vel defectu liquidi dura calloſa redditur indeque non perſpirabilis; vel etiam ex muco in fila ductili, morboſe efformata varias partes implicat & nectit. Hæc inflammationis plerumque ſoboles ſunt, qua incraſſari membranas, novaſque generari celluloſas frequenti autopſia, compertum eſt. Hinc pulmones & pleura, peritonæum & varia abdominis viſcera, cutis & muſculi, hi inter ſe, &c. effloreſcentibus fibris, vel concreto muco quaſi glutine cohærent, haud cum levi incommodo; exinde enim dolor, motus functionumque læſio ſequuntur. Cellulare autem textum ampliari, luxuriari aliquando, varieque produci indicant ulcerum fungi, hyperſarcoſes, carunculæ, narium & uteri polypi. Hoc polypi nomine admonitus, haud abs re memorabo animalcula illa per ſectiones multiplicari, jam ab antiquis viſa, ſed a recentioribus (*q*) diligen-

(*o*) Car. Piſon. De feroſa Colluv. p. 7.
(*p*) Hippocrat. de arte §. 17. Vanderlinden.
(*q*) Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Polipes, par M. Trembley Paris, 1744.

diligentius obſervata; quod prodigium nonniſi in cellularem ſubſtantiam qua mere compingi videntur referendum eſſe, peritiores exiſtimant. Poſtremo tandem vitæ decurſu ſenſim durior in ſenibus, cellulosa calleſcit, cornea & penitus oſſea fit, præſertim ubi motus magni & perpetui ſunt, ut in arteriis cordi vicinis. Aliquando tamen cerebri, omenti & tenerrimas quaſcumque cellulares oſſeſcere vel principii terrei abundantia, vel motus vitalis defectu, etiam in junioribus frequens (*s*) caſus edocuit. Has porro concretiones in cellulari fieri demonſtrant earum ſitus, lamellæ quas exhibent, ut & oſſium in fœtubus per medium quid celluloſum formatio.

IV.

Jam ex materia morbifica quacumque in cellulari texto contenta, nulla eſt, quæ per illud ambulare, progredi, mutareque locum non poſſit, ſiquidem continuam unam (Sect. I.) efficit cavitatem. Viſus eſt anaſarca hydrops per omnes cellulas ire, redireque, modo manus, faciem, oculos, modo extremitates inferiores, teſticulos & abdomen viciſſim replere, inflareque: ſic œdemata alicubi deſinentia alibi mox apparent. Seroſa profecto colluvies huc illuc moveri, impellique (*t*) proclivis eſt, adeoque irruere per vices in celluloſas omnes. Sic etiam aër ſimul ac a cauſis internis extricatur, per cellulas vagans dolores, tenſionem producit, inflammationem ludit, revera tantum flatus; quos equidem ab inflammatione diſtinguunt artis prudentes, quia febris, vel nulla, vel admodum parva eſt, & ſubinde mutant locum. Flatus ex arteriis veniſque in celluloſas, ex his viciſſim in vaſa ire redireque, ſymptomata & ſectiones indicant. Vidi Pariſiis anno 1750. Juvenem coriarium Turonenſem adeo flatibus turgidum, ut non modo, ſingulis loquendo phraſibus, ſed etiam ex motu, vel frictione minima in quavis corporis parte facta, in ructus continuo erumperet; ſyſtemate celluloſo ſpiritum qui perpetuo renaſceretur, ſic indeſinenter eructante: qui morbus annum integrum & ultra perſtans, purgantibus, roborantibus, variiſque exercitiis feliciter ſanatus eſt. Puri autem ſi natura, vel ars non inveniat exitum, viam ſibi facit per cellulas vicinas, ſenſim progreditur & ſerpit; inde niſi omne in ſanguinem reſorbeatur, ulcera, ſinus, fiſtulæ, quibus illæſi muſculi quaſi arte diſſecantur; inde partes, longo tractu purulentæ fiunt, adeo ut in abditiſſimo quod remotum eſt extremo mali principium aliquando ſit, exitus in altero quod manifeſtum eſt. At ſi purulentæ metaſtaſes fiant, recte conjicias huc potiſſimum latum iri materiam, ubi

(*s*) Vide Celeberr. & de re medica indefeſſis laboribus optime meriti Albert. de Haller opuſc. Patholog. obſ. 47.

(*t*) Car. Piſon, ibid. pag. 6.

ubi amplior & pinguior cellularis eſt. Hinc circa lumbos, ad inguina, & exinde in faſciæ latæ membranam, in axillas, circa parotides adeo frequentes metaſtaſes. Hinc inter viſcera, cæteris aliunde paribus, pus alibi confectum, facilius accipiunt omentum, meſenterium, hepar; quippe textu celluloſo, ubi materia pinguior puri affinis abundat, præ aliis luxuriant, ac præterea in his lentior eſt humorum motus. Seroſas & acres materias potiſſimum accipiunt celluloſæ quæ non pinguedinem, ſed tenuiſſimum perſpirabile tantum habent: inde pulmo præ aliis viſceribus iis maxime infeſtatur. Haud alia via quam per celluloſum textum gangræna, ſphacelus, teterrimuſque cancer diffunduntur, ſerpunt, vires acquirunt eundo, & tandem organa vitalia deſtruunt. Tanta damna vix compenſat celluloſa tunica cum laminas ſoliduṁque ſuppeditat, unde membrana fiat dura, calloſa, quæ nec ſentire, nec perſpirare videtur, cicatrix vulgo dicta. Glandulæ lymphaticæ ſimplices, ſanæ, morboſæ, aliquandiu in celluloſa identidem in vicinia vagantur. Varios artuum lymphaticos tumores, dum ſanantur, ad vicinas celluloſas longe lateque diffluere, notum eſt, materia morbi mobiliore jam facta: ſic etiam in viro principe duriſſimum tumorem in regione umbilici, ex atroci Madritenſium colico dolore (qui colicæ pictonum adfinis eſt) male curato, ortum vidi; qui legitima adhibita methodo undequaque per cellulares abdominis diffundebatur, brevi difflandus. Multo magis perambulant pediculi, vermiculi, qui ut cavitates amant, aliquando in tela ſubcutanea obſervantur, in Septentrione frequentius, apud pueros (*u*) quos vigiliis, miris anxietatibus, tabe demum affligunt. Vena Medinenſis, ſeu dracunculus, lumbricis ſimilis, eandem ſedem occupat, & immenſæ aliquando longitudinis, per cellulas in gyros convolvitur & manifeſte (*x*) movetur: non adeo magnum inferens tamen periculum & dolorem: quod animalculi genus populis regionum meridionalium frequentius, raro apud nos, niſi in brutis obſervatur. Quid ſi corpora duriſſima, metalla ipſa per celluloſas moventur? Glandes plumbeæ, ſclopeto in carnes adactæ, primò hærent, deinde per cellulares ambulant, uſque dum cavum ſibi invenerint aut fecerint. Acus, aciculæ, vel deglutitæ, vel caſu cuti infixæ, ſi diu in corpore manent, varia peragrant loca, vix dolorem creantes; ſi quidem per celluloſas ampliores iter faciunt: tandemque inexpectatæ vario modo e corpore, ærugine infectæ, vel cruſtâ lapidea obductæ prodeunt. Nullus ergo dubitationi locus ſupereſt, quin materiæ morbificæ quæcumque per texti celluloſi ambitum eant, progrediantur, & aliquando rapide ſatis moveantur: nec tamen indiſcri-

(*u*) Velchius de Vermib. capillat. infant.
(*x*) P. Ægin. Lib. IV. c. 59. Aetius Tetr. Serm. II. c. 85.

diſcriminatim per celluloſas omnes huc illuc ire redireque illas exiſtimandum eſt; ſed congeneres telas affectare magis videntur: ſic ex adipoſa in adipoſam potius progrediuntur, ex muſculari in muſcularem, rheumatiſmi frequentiore exemplo, ex ſtrictiori in ſtrictiorem, ex cellulari nervi in aliam nerveam. Hinc typi morborum aliquandiu ſervantur. Morborum cum materia qui nervos afficiunt miras facies, dum perperam ſpiritibus adſcribuntur, a nervorum tunica cellulari potiſſimum pendere multa ſunt quæ ſuadeant. Ros tenuis quo hæc perpetuò madet ſuos certiſſime morbos habet, ut abunde conſtat ſectionibus. Totum convelli genus nervoſum ab irritatis gangliis, certa docuerunt experimenta; at ganglia textu celluloſo ſtrictiori maxime componuntur. Hæc porro in hyſtericis & hypochondriacis ſæpius (*y*) mole aucta & hydatidibus obſeſſa reperiuntur. Deinde opticus nervus in quo *celluloſitas* longe quam in aliis nervis manifeſtior eſt, facilius inde præ aliis affici videtur, ut docent vertigo, reſolutio frequens, variæ obſtructiones & lapideæ (*z*) concretiones hic obſervatæ. Veroſimiliùs ergo in nervorum morbis frequenter peccat textum celluloſum. Jam ſi materia morbifica tenuis quam fovet, huc illuc per varios cerebri anfractus movetur, ſi e cerebro in medullam ſpiralem propellitur, & hinc inde per ganglia e nervo in nervum, e plexu in plexum divagatur; quam mira, quam varia prodeunt ſymptomata! totus homo immutatur. Materiæ virulentæ, inprimis ſi lente corpus afficiunt, præcipuam in celluloſa ſedem etiam habent, & huc illuc ſerpunt, & ad remotiſſima quæque perveniunt. Admittunt illas pori in quacumque corporis parte in celluloſam hiantes; tum earumdem actioni favent motus in cellulis tardiſſimus, atque liquidorum in his varia indoles, quibus, ſive pingui, ſive aquoſo, ſive mucoſo pro majori affinitate, adhærere poſſit tabum virulentum. Sic à contractu intimiori venerea lues per celluloſum textum ubique (*a*) per corpus diſſeminatur, & pinguibus humoribus conſociari (*b*) amat. Venenatorum miaſmatum quæ per ictum vel morſum corpori communicantur, in celluloſo ſyſtemate maxima pars vires ſuas exerit, ut vulneratæ partis ſubita inflatio oſtendit. Equus biduo extinctus (a mure araneo in dextro poſtico pede demorſum dicebant) cùm coram nobis anno 1748 ſecaretur, exhibebat celluloſas omnes dextri lateris, à pede ad cervicem uſque per ſeriem decreſcentem ſero flavo turgidas, ſparſim ſugillatas, flaccidos inde muſculos, pulmonem dextrum maculis nigris obſitum, auriculam cordis dextram flavam, ſeroque repletam, ſaniſſimis interea muſculis, pulmone & auricula ſiniſtris. Quædam in morbis mutationes accidunt, quæ ad vaſculoſum

(*y*) Lanciſ. diſſert. de gangl. nervor.
(*z*) Blegny Zodiac. ann. 1679. April.
(*a*) Boerh. de Luc. Aphrodiſ.
(*b*) D. Aſtruc. de Lue. Vener. Lib. IV. c. 2.

culoſum & celluloſum ſyſtema ſimul pertinent. Longi morbi in celluloſo potiſſimum ſedem habent; ſi quidem omnia hic lente moventur; acuti præſertim in vaſculoſo ob motus velocitatem. Porro ſyſtema utrumque mutuum ſibi aditum præbet per vaſa in celluloſam hiantia, & proinde vaſa & cellulæ invicem dant & accipiunt: reciproca hac actione morbi accedunt, redeunt. Itaque ſi in acutis, tempore dato, celluloſum ſyſtema plus materiæ morbificæ accipit quam reddit, morbus quaſi ſilet, chronicus fit; ſi, alio tempore dato, vaſculoſum plus abſorbet quam exhalat, morbus recrudeſcit, acutumque typum reſumit. Certe ſi perpetuo in celluloſis ſolis vitia reſiderent, vix acuti morbi forent & febres; ſi in ſolis vaſis, vix diuturni aut intermittentes. Materiæ morbificæ receptacula neceſſario (*c*) adeſſe docent morborum hiſtoriæ: Hæc autem ſpongioſi texti cellulas ſæpius eſſe quam vulgo creditur facile ex antedictis, concludes. Cum itaque conſtet materiam morbificam quameumque varie in corpore per textum celluloſum moveri, jam hac ratione in morbis fieri mutationes (Sect. II.) probavimus. Unde patet ab una eademque morbifica cauſa varios pro parte affecta ſymptomatis ſe prodentes fieri; qui revera unus idemque primitus ſit morbus. „ Morborum omnium (*d*) unus & idem modus „ eſt, locus vero ipſe eorum differentiam facit ".

§. V.

Videmus igitur quot & quantas in morbis partes agat textum celluloſum, ſæpius tamen, ut ita dicam, *paſſive*; nec cum levi cognoſcendis & curandis morbis adjumento. Inde morborum plurimorum ſedes & natura definiuntur, ſymptomata explicantur, non pauca veterum loca illuſtrantur, curationum quas tradunt rationes magis eluceſcunt. Sic dum interiora corporis nimis exſiccantur: inunctiones ex oleo exterius conveniunt; cum prohibita cutis perſpiratione, illa quæ per celluloſas interius fit, evadat copioſior. Dum corpus vero intus nimis humidum eſt, frictiones ſiccæ, tum ea adhibenda ſunt quæ perſpirationem externam adaugeant, ſiquidem interna inde neceſſario imminuitur. Rurſus ſi celluloſum ſyſtema implendum venit, cibi & potus qui pinguem & mucoſam ſubſtantiam copioſiorem habent, ex vegetantibus præſertim depromti, jugiter & quantum ferre valet ſtomachus adhibendi ſunt; adjectis ſimul corporis & animi placidiſſima quiete & ſomnis longioribus; tum etiam balneis vel venæ ſectione vaſa debilitanda ſunt aut laxanda: ſin contra deplendum, hæc roboranda ſunt vel dilatanda. Impletur enim celluloſum

 his

(*c*) Galen. de different. febr. Lib. II. c. 18.
(*d*) Hippocr. de Flatib. Sect. IV.

his fere quæ vires vaſorum minuunt, & viciſſim depletur iis quibus vaſa replentur & corroborantur. Celluloſum etiam deplent diuretica & purgantia, cum ſerum ideo minori copia in cellulas advehatur, majori revehatur in ſanguinem. Idem & ſæne efficacius præſtant exercitia, ſudorifera & adſtringentia medicamenta cum victu & aëre ſiccioribus, quibus quaſi preſſione de ſpongioſo textu liquores exprimuntur; præter quam enim quod ſerum diffluent, olea fluidiora reddunt, vaſculoſum ſyſtema roborant vel dilatant; unde celluloſum premitur, anguſtatur, liquida contra abſorbentium oſcula fortius applicantur. Hinc acidorum mineralium, aceti præſertim, uſu prudenti, obeſiora corpora ad juſtam mediocritatem rediiſſe obſervatum eſt. Si porro ex ſymptomatis & cauſis pravas alicubi celluloſæ adhæſiones fieri conjecturam facias; præter diluentia interna, potiſſimum lac aſininum, pars externa affectæ reſpondens vapore tepido primo mollienda eſt, dein oleo ſæpe inungenda, ut ex perſpiratione interna abundantiori laminæ cellulares à concretione prohibeantur; demum emplaſtro quod etiam reſolvat aliquandiu fovenda & leni motu frequenter exercenda eſt. Simili methodo ariditas ſenilis & lapideæ vel corneæ concretiones præcaventur; præſertim ſi quando perſpiratio externa arte minuitur, intus aſſumuntur quæ perſpirationem adjuvant. Porro materiæ morbificæ in celluloſo textu contentæ, vel ex ſe mobiles ſunt, vel non. Si materia craſſa, viſcida, in artuum cellularem aliquam impacta adeo hæreat, ut non mobilis ſit, ab aquæ calidæ, thermalis præſertim ex alto in membrum lapſu, dilutam materiam mobilem fore ſperandum eſt, ac preſſione ſuper incumbente, vicinas ingreſſuram cellulas, ex quibus deducta ac ſanguini mixta foras propellenda erit. Quod ſi materia morbifica ex ſe mobilis eſt, nihil commodius & utilius excogitaveris, quam ſi ex aperta, in aliqua corporis parte, cellulari, materiæ exitum paraveris. Sic aqua intercus, fruſtra aliis adhibitis, ſæpius curatur, ſi in locis corporis infimis ſponte fiſſuræ, vel arte (*e*) ſcarificationes fiant; potiſſimum ubi tempeſtive adhibentur, ægri viribus adhuc conſtantibus (*f*) intactis muſculis & roborantibus ſimul in uſum vocatis. Aer majori copia ex vulnere, celluloſas implens tum ſuctione, tum eadem methodo e corpore educetur, nec ſine (*g*) ſingulari exemplo. Exitum in utroque caſu juvabunt compreſſio, frictio lenis, quæ ad ea celluloſæ loca, quæ aperta ſunt, compellant materiam. Quod ſi aer intus extricatus in minori quantitate, per cellulas vagatur, ab internis ad externas mire, ſubito evocatur & quaſi fugitur admotis cucurbitulis ſiccis. Flatus ex cute dum

(*e*) Ætii, Tetr. III. Serm. II. c. 30.

(*f*) M. El. Col. de Villars, Theſ. an Leucophlegmatiæ leves ſcarificationes? 1738.

(*g*) Paré Liv. X. c. 30. p. 38.

te dum magna vi exſiliunt, aliquantum crepitaſſe, rariſſimum eſt. Sæpius reſolventibus & antiſepticis aſſidue hauſtis, frictione, ſudore, aut perſpiratione aucta, ſine ſtrepitu diſcutiuntur. Alia ſunt quibus celluloſæ expurgari & depleri poſſunt, phœnigmi, ſinapiſmi, veſicantia, cucurbitulæ ſcarificatæ, cauteria, fonticuli, ſetacea. Quæ omnia miras utilitates præſtant. Scilicet materiæ morbificæ exitum præbent lentum, & æquabilem: præterea evacuationes illæ continuari, cohiberi, augeri, minuive facile poſſunt: Aliæ aliis ſubſtitui pro materiæ indole & ægri temperie: modo in uno corporis loco, modo in pluribus, imo in oppoſitis fieri partibus, pro revulſionis, ut opus erit, aut derivationis ratione. His artibus morbi atroces & rebelles, vigiliæ pertinaces, immanes dolores leniuntur & ſanantur. Sic quod in morbis peſſima mala producit cellularum inter ſe commercium (Sect. IV.) idem in curationibus, compenſatione quadam maximæ eſt utilitatis. Ubi vero virulenta materies, celluloſæ infunditur; impediendum ſtatim eſt, ne per vicinas quoquoverſum ſerpat. Si itaque per contactum contagium advenit, ablutione, balneo, caldario, frictu, fomentis per poros cutis materia omnis educenda eſt. Si per vulnus; ipſiuſmet dilatatione, ſcarificationibus amplis, igne, ſuctione. Veneni progreſſum tardant ligaturæ. Verum ſi morbus acutus gravior abſque ſenſibili evacuatione ceſſaverit, ſuſpecta debet haberi ſanatio, nec, iis qui ex acuto graviori, cum materia morbo, convaleſcunt, valetudo ſatis tuta eſt, ſi minime macruerint: metuendum ſcilicet ne materia morbi in celluloſi texti longis anfractibus depoſita fuerit, facile repullulatura; unde vel recrudeſcet morbus, vel ex acuto diuturnus fiet, vel imperfecta ab ægritudine recreatio. Ex cellulis itaque abducenda materies eſt, liquoribus miſcenda circumeuntibus, & dein per loca convenientia expellenda. In longis autem & inveteratis morbis, humores circulantes, ut ut ſatis ſanos reddideris, fruſtra tamen perfectam ſanationem exſpectaveris, cum celluloſæ potiſſimum in his morbis peccent: quapropter liquida in celluloſo ſyſtemate ſtagnantia, inſtauranda ſunt: veteres & vitiati ſucci ſenſim evacuandi abſtinentia, exercitiis, purgantibus, mercurialibus præſertim, lignorumque ſudoriferorum decoctis; novus & laudabilis ſuccus cellulis ſenſim ſufficiendus eſt: ſic ſanum & novum corpus ægro ſuccedit. Hæc eſt illa *Recorporatio* à methodicis tantum decantata, ut ſine hac chronicos morbos, vix perfecte curari crediderint. Omnes ex textu celluloſo indicationes in ſingulis morbis percurrere, longioris eſſet quam hic licet, diſſertationis. Nihilominus quæ de ſingulari ac mirabili prope dixerim texti illius fabrica (Sect. I.) propoſuimus, tum allatæ obſervationes (Sect. III, IV.) ſat nobis erunt ut jure concludamus.

Ergo in celluloſo textu frequentius morbi & morborum mutationes.

TABU-

TABULA DISPUTATIONUM

QUÆ AD MORBORUM HISTORIAM ET CURATIONEM PERTINENT.

TOMUS VII.

PARS SEXTA.

Auxilia.

CCXXVIII.

ABrahami VATER & *Chriſt. Gothofr.* SCHOENWALD *de curatione per exſpectationem* Witteberg. 1746. Hiſtoriam ſuam, hectici morbi per ſpontaneum ulcus ſubiati præmittit, deinde ad tuſſes diuturnas emetica laudat, etiam exemplis productis. Inde STAHLIANAS animæ laudes refutat, oſtenditque, ex ea hypotheſi anatomes & pathologiæ neglectum naſci *pag* 1

CCXXIX. *Daniel Wilhelm* TRILLER & *Erneſti Samuel* WEHLE *de veritate paradoxi dicti Hippocratici, nullam medicinam interdum eſſe optimam*, Witteberg 1754. Multa exempla, ex propria experientia deſumpta producit, male diligentis medicationis. A fomento humido ad eryſipelas cruris adhibito caries: a repreſſa ſcabie convulſiones animi, deliquia, mors ipſa: phthiſis etiam & aphonia ſupervenerunt. A repercuſſo ſudore pedum periculoſe pectus laboravit. Podagrici dolores funeſto eventu ſuppreſſi fuerunt, & perinde lethalis lethargus male occluſa pedis ulcera excepit, tum alias immedicabilis narium cancer. 22

CCXXX. *Georg. Ernest.* STAHL & *Gottfr. Sam.* RAESCH *de alterantibus & ſpecificis* Hall 1703. Deridet nimias ſpes, quas aliqui recentiorum de ſuis medicamentis conceperunt. Negat alterantia morborum ullum curare abſque ſubſidio evacuantium, ne in acutis quidem malis, neque in vitiis, ut credit, primarum viarum, aut hypochondriaco morbo, & ſuppreſſis menſibus, manifeſto certe hic nimius. In ſola evacuatione ſpem ponit felicis & efficacis curationis Inde peculiariter negat in cornu cervi philoſophice calcinato, in unicornu foſſili quidquam veratum virium eſſe, qui idem cinnabarim credat efficacem: tum abſorbentia pura. Inde defendit ſpecifica, primumque millefolium in doloribus ab cæcis hæmorrhoidibus ortis: Nicotianæ extracti in tuſſi humida: feſtucæ neſcio cujus ad dentium dolorem: arcani proprii in epilepſia, alteriuſque modice alvum ducentis remedii in aſciticis tumoribus. Sed idem vim ſpecificam ſcorpiorum non recte admittit. Adgnoſcit tamen in diverſis cognominis morbi ſpeciebus, non parem eſſe efficaciam ſpecificorum remediorum, neque abſque methodo proficere. 51

CCXXXI. *Antonii* RIEDIGER *de veritate virtutis medicamentorum* Lipſ. 1750.

Specifica nulla dari oſtendit, quod humores nulla unius generis medicina mutare queat, Taraxaci ſalutarem vim ad morbos per lotium repurgandos confirmat exemplo. Cantharides lento uſu & paulatino melius proficere adfirmat. Definitionem dat, quid per ſpecificum intelligat. In peruviano cortice vires cum forti in paroxyſmo cordis motu laudat, non perinde, quando reſpiratio difficilis, rigor artuum capitiſque dolor extra paroxyſmum urgent, ut ego quidem Cl. virum intelligo Eumdem corticem pro nervino remedio habet eximio. Antagoniſmum aliquem inter aliquos nervos voluntatis miniſtros, & fibras arteriarum admittit. Camphoram iis convenire obſervat, quibus nervi debiles ſunt, magis autem ventriculo & utero, quam lieni renibuſve prodeſſe. Rhei vim ad renes imprimis, non ad hepar valere. Monet, ut etiam ad vehicula reſpiciatur, ne eorum indoles a ſcopo medicamenti primario aliena ſit. Ita diuretica minus commode in theiformi infuſo exhiberi, rectius cum frigida. Ita croci vires, quoties de *reſolvendo* igitur, melius a ſale medio aliquo, quam a vini ſtillatitio ſpiritu extrahi. Alias etiam adfectiones, in viribus medicamentorum extrahendis vulgaris ſpiritus frumenti, alias repetito deſtillati vini ſpiritus eſſe. *pag.* 79

CCXXXII. *Danielis Wilhelmi* TRILLER, & qui in titulo auctoris nomen piæ ſe fert, J. *Jacobi* KLUNGE *de ſpecificorum dubia fide* Witteberg 1751. Magnam partem calamitatum artis medicæ a præconcepta opinione pendere, dari, pene ad omnes morbos, ſpecifica medicamina, quibus adminiſtrandis quiſque idiota perinde aptus ſit. Negat veri nominis ſpecifica medicamenta reperiri, ne corticem quidem Cinchonæ. Eumdem corticem a gallo, cui nomen du CLOS, cum amaris miſtum, imbecille expertus eſt auxilium. Caſtoreum in calidis uteri morbis nocet. Antihecticum POTERII imbellis phthiſeos antidotus eſt. Vaga vocabula medicamentorum antiſcorbuticorum &c. reprehendit. Bezoardica & calida in febribus nocent, morbillorum, quos auctor excitat, exemplo. Cephalica antepileptica voces ſunt fallaces, nimiæque aquarum mineralium laudes ſunt 111

CCXXXIII. *Pauli* GYONGYOSSI *de empiricis remediis* Hardervic 1753. Argenti vivi laudes habet: quod luem veneream etiam abſque ſalivæ fluxu tollat, exemplo adducto: quod in æthiope minerali latens jam eruptas variolas abſque morbo abſterſerit: quod hydropem ſuſtulerit, ſcorbuticaque ulcera faucium (niſi ea alterius natura fuerunt): quod ejus uſu canis jam hydrophobus ſanatus fuerit, quem miror potuiſſe ſubigi, ut medicinam pateretur; quod eadem ophthalmia rebellis, non abſque pia medici fraude, ſit ſublata. Librarum duarum hydrargyri, per infortunium abſque ullo ſymptomate ſubſequente epotarum, exemplum habet. Caſu male locatum opuſculum melius poſt n. 235. legetur 127

CCXXXIV. J. *Ehrenfried* GRISLER *de uſu vomitorium* Lipſ. 1746. Eruditi juvenis ſcopus eſt, ex phyſiologicis legibus emeticarum medicinarum variam efficaciam exponere. Quare, cum ſanguinis circuitum utique ſuſpendant, & concutiant vehementer, non ſuadet adhiberi, quoties aut vaſa humoribus valde turgent, aut viſcera in ſcirrhum induruerunt. Ob motum autem novum inductum laudat, ad reſorbendum ſanguinem ex vulnere inter duram membranam & cranium effuſum: ad cæcitatem ſimili ex cauſa ortam. Porro vires medicinæ emeticæ in affectibus ſoporoſis, in morborum acutorum principiis, in peripneumonia vera, & in ſpuria, in variolis & ante eruptionem, & ſi quando retrorſum labi videntur, demum in chronicis morbis laudat: doſiumque minorum tutam efficaciam. 141

CCXXXV.

CCXXXV. *Danielis* NEBEL & *Bernardini* WEPFER auctoris diſp. *de medicamentis chalybeatis* Heidelbergæ 1711. Exempla curationum ex Ill. avunculi ſui BRUNNERI praxi clinica proponit, cachexiam ex nimiis menſibus natam, curatamque chalybis uſu, oſtendit cur eam chloroſin chalybs perinde ſanet, ac alteram quidem ſpeciem a ſuppreſſis menſibus natam, pariterque & promoveat tardum ſanguinem & male feſtinum retardet. Veram mechanicam cauſam ſagax indagat, multumque elaſtico elemento tribuit, quod ab eo metallo adſcendit, quando ſolvitur. Formulam aperit, limaturam nempe puriorem, cum ſiliqua dulci contemperatam 165

CCXXXVI. *Michaelis* ALBERTI & *Joh.* HAVIGHORST auctoris *de ſingulari mercurii dulcis uſu in deſperatis quibusdam morbis* Hall. 1745. Præter vulgatiora aliqua, tradit imprimis experimenta minoribus mercurii dulcis doſibus capta, ut quotidie vix ſuper tria grana æger deglutiat, totis vero triginta diebus uſum medicamenti continuet. Ita fere abſque ſalivatione ulcera cacoethea, pedes manantes tuto ſiccati, cataractarum initia diſcuſſa, aliique graves morbi ſuperati ſunt. Fatetur tamen, in ſcorbuticis & cancroſis adfectibus hydrargyro melius abſtineri. Morbos denique recenſet, in quibus ipſe monet, minus tuto argentum vivum adhiberi. 181

CCXXXVII. *Alexandri* CAMERARII noſtri olim Præceptoris, & *Wilhelmi* AGRICOLÆ *uſus corticis a febre ad icterum extenſus* Tubing. 1730. In minime inutili diſp. adnotat auctor, croceam urinæ tincturam vehementer adfinem eſſe rubræ illi febrili, quæ poſt finem paroxyſmorum redditur. Videri & febres intermittentes, & icterum ab eadem bile naſci, quæ tamen in febre liberius ad ventriculum & inteſtina fluat, in ictero vero retineatur, & reddatur ſanguini. Quare & utramque urinam, & morbum utrumque a cortice ſuperari. Curati vero, etiam gravioris naturæ icteri ſeptem exempla enumerat. Denique objectiones varias contra tutum corticis uſum propoſitas refutat 205

CCXXXVIII. *Georgii Eman.* ROSNER diſp. *qua nonnulla circa vires lactis notantur* Leid. 1756. Omittimus ingenioſum nutritionis theoriam ad *Govani* KNIGTH principia per adtractionem & repulſionem explicatæ, deque ſimili cauſa naturæ ſentientis & irritabilis tentamen: Experimenta producit de vi rubiæ tinctorum, qua oſſa rachitica confirmat. Inde lac, variis plantis medicatum, vires harum ipſarum plantarum ſuccis majores demonſtraſſe oſtendit, atque ſanguinis jacturam lacte vaccæ urtica paſtæ; conſtrictam alvum lacte ejuſmodi animalis lactuca, portulaca & hujuſmodi oleribus nutritæ ſanatam fuiſſe ex Cl. POISSONNIER teſtimonio recenſet. Lactis uſum ſimplicem ad reſtituendas potius poſt ruptam vomicam vires, quam ad ipſum pulmonem purulentum repurgandum utilem credit. 226

CCXXXIX. *J.* BOECLER & *Jac.* VOLMAR. *An nitrum ſanguinem reſolvat an coagulet* Argentor. 1741. Utique per experimenta oſtendit, potius reſolvere. 249

CCXL. *Georg. Chriſtoph.* DETHARDING & *Nicolai Henrici* KEMMA *de aquæ calcis vivæ uſu interno ſalutari* Roſtock 1746. Calcem vivam credit repetita aquæ adfuſione debilitari, neque perinde fortiter aquam impraegnare. Venenatam non eſſe oſtendit. Propria experimenta de aquæ calcis viribus profert, in vomica pulmonum, fluore albo fætido, obſtructione glandularum meſenterii ſalutaribus. Nutrici datam in malignam infantum impetigine vidit profuiſſe. Mercurialia medicamenta infantibus fere nocere 258

CCXLI. *Samuelis Theodori* QUEELMALZ progr. *quo infuſum picis aquoſum expendit* Lipſ. 1745. Analyſin Chemicam hujus celebris infuſi habet, & de viribus medicis cogitationes aliquas. Iis addit vim anthelminticam. 280

CCXLII. *Abrahami* VATER & J. *Gabrielis* MENTZ *phoſphori loco medicamenti adſumti virtute medica aliquot caſibus ſingularibus confirmata* Witteberg 1751. Efficax omnino, etſi parum notum medicamentum laudat ad febrem petechialem, aliaſque deterioris generis, in quibus vires ſuſtentat, & tranſpirationem reſtituit. 288

CCXLIII. *Joh.* JUNKER cel. clinici, & auctoris *Mart. Frid.* BOEHMER *caſus matronæ largiſſimo opii uſu per plures annos tractatæ* Hall. 1744. Hyſterica femina opii quotidie per 19 annos integros drachmam unam devoravit 302

CCXLIV. *Samuelis Theodori* QUELMALZ progr. *de frictionibus abdominis* Lipſ. 1749. Antiquum remedium, ab Ill. viro *Ger.* v. SWIETEN multum laudatum, auctor in conſtipatione alvi diuturna cum inteſtinorum contractione feliciter adhibuit 317

CCXLV. *J. Andreæ* SEGNER, viri Ill. & J. *Georgii* OEDER, Profeſſoris nunc Hafnienſis *de derivatione & revulſione per venæ ſectionem* Gotting. 1749. Oſtendit revellere equidem ſanguinis miſſionem, ſed eo minus, quo longius a venæ inciſæ ſede locus adfectus diſtat. 323

CCXLVI. *Georgii Ernesti* STAHL & J. *Jeremiæ* COLER *de ſanguiſugarum utilitate* diſp. Hall. 1699. Laudat hirudines ad emovendas hæmorrhoides, cui alioquin ſanguinis jacturæ plurimum tribuebat vir Ill. & exempla profert, in quibus ad viſcerum abdominis obſtructiones varias tollendas, feliciter adhibitæ ſunt adque arthritidem.

PARS VII.

PRIORUM VOLUMINUM SUPPLEMENTUM.

CCXLVII. C*Aſimiri Guſtavi* GAHRLIEP *viri ex lapſu lente deficientis caſus* Leid. 1662. Ex vehementi capitis adliſione, & lapſu, graviſſima ſymptomata, crurum paralyſis, cum nullo in capite cerebro & ſpinali medulla comparente vitio nata ſunt 395

CCXLVIII. *Joh. Henrici* SCHULZE docti viri, & *Frid. Wilhelmi* BRUNE *caſus aliquot mente alienatorum aut perverſorum* Hall 1737. In primo, confuſa viſcerum abdominis coalitio, & tubercula pulmonis gypſo plena: quatuor alii ægri ſanati 425

CCXLIX. J. BOHN & *David* VIPACHER. *Caſus ægri noctambulationis morbo laborantis reſolutus*, Lipſ. 1717. Studioſi hiſtoria, qui per ſomnum ad libros evolvendos ſolitaque ſtudia ſe conferebat. 438

CCL. *Thomæ* SCHWENKE *rari caſus explicatio anatomico-medica* Hag. 1733. Ab adliſo occipite ſenſim ſuborta hemiplegia, ſublata tamen, tum virium lapſus, ſomnolentia, urina cruenta, febris longa: in cadavere thorax quidem ſolidus, oſſeus, abſque reſpirationis memorabili vitio, hydatides in pia membrana cerebri, aqua inter cerebri gyros effuſa, cerebrum durum, tendinis ſimile, exſuccum. Sanguis ex vaſis univerſi corporis nullus 459

CCLI, *Car. Frid.* KALTSCHMIDT progr. *de hydrocephalo interno raræ magnitudinis* Jen. 1752. Novem aquæ libræ ſub membrana cerebri effuſæ; cerebrum compreſſum, compactum, durius, ut tamen de medulla parum ſupereſſet.

pereſſet. Tres lobi cerebri diſtincti, glandula pinealis veſicæ aqua plenæ ſimilis, infundibulum duplo amplius aquæ commeatui patulum; nervi fere aboliti, oſſa cranii ſolito more clauſa, ut in ſano homine T. XXXI. *a. b* 484.

CCLII. *Caroli Frid.* HOFSTETTER *de ſpina bifida* Altdorf 1703. Hiſtoria ejuſmodi morbi ut ſolet eſſe funeſti Tab. XXXII 485.

CCLIII. J. *Ignatii* GILG *de ſpina bifida* Vienn. 1754. Aliud exemplum cum anatome aliquantum accuratiori vertebrarum, ligamentorum, medullæ ſpinalis, nervorum Tab. XXXIII. 500.

CCLIV. *Wilhelmi Ulric* WALDSCHMIDT & *Chriſt Henr.* SCHEFFEL *de morbo epidemico convulſivo per Holſatiam graſſante oppido raro* Kel. 1717. Morbus idem, qui ex uſu ſecalinorum clavorum ſolet oriri, etſi alias cauſas auctor accuſat 513

CCLV. G. *Wolfg.* WEDEL & J. *Chriſtiani* WOLF diſp. *de morbo ſpaſmodico maligno in Saxonia, Luſatia viciniſque locis graſſata & adhuc graſſante*, Jen. 1717. De eodem malo, cui & ipſe WEDELIUS cauſas quærit 551

CCLVI. *Ivonis Johannis* STAHL & F. J. *Erbe* de SCHOENLEBEN *de ranula ſub lingua ſpeciali cum caſu* Erford 1734. A calculo ſalivali cauſa mali fuit, ut fere ſolet 564

CCLVII. J. *Gothofredi* SCHEID *hiſtoria mulieris quæ inopinato caſu ſubito loquelam amiſit & ex inſperato repente recepit* Argentor. 1725. Ab excreto cum ſanguine pure loquela reſtituta. Admiſta eſt lacerti de ventriculo rejecti hiſtoria 574

CCLVIII. *Sigiſmundi* SCHMIEDER *de polypo œſophagi vermiformi rariſſimo a pulveris ſternutatorii hiſpanici abuſu progenito* Hall. 1717. Fruſtra ventriculum ſollicitavit, periitque conſumtus. In gula ſanguineus fere polypus fuit Tab. XXXIV. 594.

CCLIX. J. *Friderici* ZIESNER *rarus œſophagi morbus* Regiom. 1732. Difficultas in deglutiendo ſenſim aucta, funeſta: ulcus in œſophago, & ex ulcere rupta gula. 629

CCLX. *Joh.* MILLETER *de morbo Tsömör Hungariæ endemio* Leid. 1717. Febriculæ ex debiliori digeſtione difficilis cibi deſcriptio, deinde aliqua de peculiari ingenio morborum Hungaricorum 639

CCLXI. *Mariani* SEGUER ep. *de juſculo pulli lienteriæ ſpecifico* Valentiæ edita, & nata ab obſervatione naturæ 677

CCLXII. MOUNSON SMITH *de colica apud incolas caribienſes endemia* Leid. 1717. Vera colica pictonum ex intemperantia potiſſimum nata. 681

CCLXIII. *Andreæ Eliæ* BUCHNER & J. *Car. Ehrenfried* HEBENSTREIT *de ſcirrho meſenterii exulcerato* Hall. 1755. 697

CCLXIV. *Abrahami* VATER & J. *Frider.* SCHIMMER *de calculi in veſica fellea generatione* Witteberg 1722. Aliquot exempla diverſi generis calculorum profert vir Cl. Icterum inde conſtanter naſci, negat expertus 714.

CCLXV. *Antonii* de HAEN, Ill. viri, *hiſtoria anatomico medica morbi miri incurabilis* Hagæ 1744. Impedimenti nempe in retinendo cibo, vomitus abdominis tumoris, ab omenti putridi aucta mole cum duro hepate, inteſtinis inter ſe cumque vicinis membris connatis. 722

CCLXVI. *Henr. Frider.* DELII & auctoris *Guil. Friderici* BORNNEKEN *hydrops aſcites imprimis paracenteſi feliciter curatus* Erlang 1715. Solam hiſtoriam morbi de longiori diſputatione conſervavi, ut chartæ parcerem. Oportuiſſet autem etiam ſex ultimas lineas omiſiſſe, quæ p. 736. a vocibus *cum vero* incipiunt, ex me abſente, neque correctioni præfecto, irrepſerunt 734

CCLXVII. *Frid. Godofr.* Barbek & *Erhardi* Brunner *de corde o*[illegible] *indeque hydrope aſcite conſequente* Duisburg 1701. Pulmones inter ſe mut[illegible] & cum pericardio connati, pericardium cum corde coaleſcens cor occu[illegible]. Adjecta eſt Cl. Brunneri omnino memorabilis de villis inteſtinorum diſſ. quos vaſis lacteis continuari, multaque vaſcula, per ductum thoracicum replenda, continere vidit 737

CCLXIII. J. de Buchwald & *Nicolai* Ryberg *de diabetis curatione cumprimis per Rhabarbarum* Hafn. 1733. Curationum exempla, in quibus exigua, fere ſcrupuli unius, doſis rhei lento uſu morbum formidabilem ſubegit 762

CCLXIX. *Georgii Chriſtiani* Detharding & *Franc. Philippi* Knaudt *de hæmorrhoidibus veſicæ mucoſis* Roſtoch 1754. Idem morbus eſt, nupe[illegible] Cl. Lieutaud deſcriptus, in quo plurimus abſque calculoſo vitio m[illegible]s per urinam redditur Eum Cl. Detharding vices hæmorrhoidum non fluentium tenere perſuadetur, & reſtituta ea ſalutari hæmorrhagia ſanari 775

CCLXX. *Jac. Henrici Chriſtiani* Adami *de materia calcaria poſt diuturnam arthritidem per vias urinarias educta obſervatio ſingularis* Luben 1740. Arthriticæ materiæ introrſum converſæ tribuit calculoſorum fragmentorum diuturnam egeſtionem, fractorumque quaſi lapillorum : deinde materiæ tenacis, & argillaceæ adeo quidem copioſam ad lotium miſcelam, ut gutta quæque maculam relinqueret Calculus nempe veſicæ, ut nimis frequenter fit, podagræ ſupervenerat. Materies ea calculoſa cum acidis liquoribus efferbuit, cum nullus quidem ſal lixivus a medico propinatus fuiſſet : in igne odorem volatilem urinoſum ſparſit : deſtillata dedit elementa urinoſa volatilia 795

CCLXXI. *Philippi* Gobei *hiſtoria & cura febris epidemicæ quæ anno* 1752. & 1753. *Tergeſtes incolas vaſtavit* Vienn. 1754. Ex remittentium genere erat, ſed maculis purpureis, aut petechiis, multaque maligniorum ſymptomatum cohorte comitata, cum nauſea, aliiſque in eo febrium genere familiaribus ſignis Emetico dato, aqua acidis ſuccis temperata, nonnunquam etiam analepticis medicamentis ſuperabatur 819

CCLXXII. *Burchardi* Mauchart *de lue vaccarum Tubingenſi* diſp. prior Tubing. 1745. Debuiſſet in tomo IV apparuiſſe, cum vero ſerius ad me pervenerit, melius tamen etiam nunc collectioni noſtræ accedit. Continet hiſtoriam accuratam morbi notiſſimi per diarrhœam funeſti. In cadaveribus ſigna fuerunt inflammati ventriculi, qui Omaſus dicitur, tum pulmonis. Malum per contagium in capras & ſues denique tranſiit, non tamen in homines, qui carnibus, fumo equidem maceratis impune paſti ſunt. Duæ tertiæ partes tamen infectarum morbo vaccarum ſumtis medicamentis convaluerunt. 837

CCLXXIII. *Franciſci* Thierry theſis in hæc verba *Ergo in celluloſo textu frequentius morbi & morborum mutationes* Pariſ. 1757. Altera & aucta editio libelli, quem præſidi tribueram olim, cum pleraque utique inauguralia ſpecimina præſidum ſint opus. Deſcribit vir Cl. celluloſum textum, & utilitatem ejus phyſiologicam exponit, morbos ſubjicit, & morborum per eum textum migrationes 859

FINIS.